UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ

Charlas, Antoine

Leodii, 1684


urn:nbn:de:hbz:466:1-38227

Visual Library



Th. 4740.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

TRACTATUS
DE
LIBERTATIBVS
ECCLESIÆ
GALLICANÆ,

CONTINENS

Amplam discussionem Declarationis factæ ab Illustrissimis Archiepiscopis, & Episcopis, Parisiis mandato Regio congregatis, anno M. DC. LXXXII.

Vos in Libertatem vocati estis Fratres : tantum ne libertatem in occasionem detis carnis. *Gal.* 5. 13.

AVTORE M. C. S. THEOL. DOCTORE.




LEODII,
Apud MATTHIAM HOVIVM. M. DC. LXXXIV.
Superiorum permissu.

Collegii Soc. Jesu Paderbornæ 1697

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



PRÆFATIO.

I. Libertates Ecclesiæ Gallicanæ tam frequenter, & in rebus tanti momenti jam pridem laudabantur ab illius Gentis Scriptoribus, & rerum Ecclesiasticarum Tractatoribus ; ut nemo esset, quin earum rationem, originem, progressum, partes, & justitiam nosse cuperet. Cupiditatem illam nova Præsulum Parisiis mandato Regio congregatorum de Ecclesiastica potestate Declaratio vehementiùs accendit, ut Tractatum eo de argumento conscriptum avidè legendum existimem. Aliqui viri docti propositionem unam, aut plures ex iis, quæ in prædicta declaratione continentur, confutandas susceperunt : nemo Libertatum Gallicanarum, quas peni-

tus noſſe operæ pretium erat, naturam inveſtigavit, aut expoſuit. Quamobrem, licet vires meas longè impares agnoſcerem, tentandam etiam illam partem, & cùm aliis exponendam exiſtimavi; ut in apertam lucem educerentur quæcumque præfata Declaratio complectitur. Quo in ſtudio tantum laboris & diligentiæ contuli, ut ſperare auſim, neminem fore, quem temporis in iis, quæ profero, legendis conſumpti pœniteat; ac fortè nonnullos extituros, qui, cognitâ ex hoc ſpecimine materiæ dignitate, ad eam perfectiùs tractandam, ingenii vim, doctrinam, & eloquentiam, quibus pollent, conferendas exiſtiment.

II. Quatuor præcipuè declarata ſunt ab Illuſtriſſimis Archiepiſcopis, & Epiſcopis Gallicanis; Primum, Reges & Principes in temporalibus nulli Eccleſiaſti-

siasticæ potestati, Dei ordinatione subjici; neque autoritate clavium Ecclesiæ directè vel indirectè deponi, aut illorum subditos eximi à fide, atque obedientia, ac præstito fidelitatis Sacramento solvi posse. Secundum, valere, atque immota consistere Synodi Constantiensis Decreta de autoritate Conciliorum generalium, quæ sess. 4. & 5. continentur: nec probari à Gallicana Ecclesia, qui eorum Decretorum, quasi dubiæ sint autoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant. Tertium, Apostolicæ potestatis usum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos: valere etiam regulas, mores, & instituta à Regno, & Ecclesiâ Gallicanâ recepta. Quartum, in fidei quæstionibus Summi Pontifi-

cis irreformabile non esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit. Præmiserant autem, se ad ea declaranda fuisse adductos, ne Ecclesiæ Gallicanæ Decreta & Libertates à majoribus suis magno studio propugnatæ, earumque fundamenta Sacris Canonibus, & Patrum traditione nixa diruerentur; tum ne Romani Pontificis Primatus, & majestas imminueretur; ac denique ne simplices animæ ab Ecclesiæ Matricis, Christique adeò communione dissociarentur. Concludunt, Declarationem ad omnes Ecclesias Gallicanas, atque Episcopos iis Spiritu Sancto autore præsidentes mittendam.

III. Ut hæc omnia diligenter discutiantur; ac circa ea veritas eluceſcat, Tractatum hunc in duodecim Libros partimur, quorum primus naturam, originem, ac progressum Libertatum Ecclesiæ

cleſiæ Gallicanæ inveſtigat. Secundus autem illarum juſtitiam conſiderat, occaſione illorum verborum, *Eccleſiæ Gallicanæ Decreta, & Libertates multi diruere conantur.* Tertius de Libertatum Gallicanarum propugnatoribus agit, occaſione illorum verborum; *A Majoribus noſtris tanto ſtudio propugnatas.* Quartus de poteſtate Eccleſiæ in temporalia Principum diſputat, occaſione primæ Propoſitionis. Quintus Concilia cum Summo Pontifice componit, occaſione ſecundæ Propoſitionis. Sextus eſt de Summi Pontificis autoritate, præcipuè circa ſumma diſciplinæ Eccleſiæ Gallicanæ Capita, occaſione tertiæ Propoſitionis. Septimus, cujus ſit momenti Summi Pontificis in decidendis Fidei quæſtionibus judicium, expendit, occaſione quartæ. Octavus originem juriſdictionis Cleri, ac præſertim Epiſcoporum

rum inquirit, occasione illorum verborum; *Episcopos iis* (Ecclesiis) *Spiritu Sancto autore præsidentes*, quibus, ut indicant publicata deindè, quasi commentarii loco scripta, insinuatur Episcopos jurisdictionem suam à Summo Pontifice non accipere. Reliqui Libri alia prosequuntur Libertatum Capita, quæ in variis Scriptorum Gallicanorum libris continentur, quæque omnia videntur tertiâ Propositione confirmata.

IV. Cæterùm, si quid ignoranti, aut incogitanti mihi contra veritatem, contra justitiam, aut etiam contra debitam cuiquam reverentiam exciderit, pro non scripto habere velim, atque ad primum æqui Lectoris monitum, nedum ad Ecclesiæ nutum, cujus semper & judicio, & imperio, Deo adjuvante, subjacere cupio, me illud emendaturum polliceor.

CLE-

V. CLERI tamen tam illustris dum in re tam gravi declarationem examinandam aggredior, nemo me temeritatis accuset. Cur enim dissidentibus à parente filiis, nefas sit Patris jura defendere? Cumque in Gallia potestatis etiam sæcularis terrore Theologi ad sequendam Episcoporum doctrinam adigantur, quomodo alii, quibus liberum est, quod sentiunt, promere, debitæ communi omnium parenti pietatis officio non desint, si ejus causæ patrocinium ultrò non susceperint? Temeritatem si qua consilio meo inest, ne autem insit, plurimùm mihi verendum est, totam in eo positam video, quod ad opus tam arduum, ipse tam tenuis manum admoveam. Verùm, ubi eos, qui ad causæ justitiam, parem eloquentiæ vim afferre possunt, orantes audiero, libens tacebo.

VI. Nec tamen celeberrimo Clero Gallicano, me hac in parte adversari confi-

teor. Nam, præterquam quod Episcopi tantùm congregati hanc Declarationem emisere, aliis non mandantibus, nec suaptè sponte probaturis, contrariam mentem frequentioribus, & liberioribus Comitiis aliàs idem Clerus aperuit, ut sequentibus testimoniis prævie demonstro.

VII. Primæ propositioni viriliter restitit Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus illius Regni anno 1614. & 1615. habitis. Exstat hac de re, & (ne mutatam ita pridem sententiam suspiceris) cum aliis Cleri Gallicani Actis, Tomo 5. collecta est anno 1673. Illustrissimi, ac per totum orbem Christianum celeberrimi Cardinalis Perronii eloquentissima oratio, in qua non solùm pro Ecclesiastico, sed etiam pro Nobilium Ordine se dicere declarat, his ipsis verbis tertium Ordinem alloquens; *Considerez que ce n'est point moy que vous écoutez.* CAR CE N'EST POINT MOY QVI PARLE EN CETTE CAVSE, MAIS TOVT LE CORPS DE L'ORDRE ECCLESIASTIQVE,

QVE, ET TOVT CELVY DE LA NOBLESSE, *qui luy a donné adjonction, & a deputé ces douze Seigneurs, pris des douze Gouvernemens du Royaume, afin d'autoriser mes paroles de leur presence, & témoigner en cette occasion la meſme devotion que leurs Predeceſſeurs ont portée à l'Egliſe.*

VIII. Secundæ Propoſitionis veritas ita pendet à veritate quartæ, ut Joannes Launoius, qui ſuis epiſtolis iter ad declarationem infrà deſcriptam complanaſſe videtur epiſt. 6. Tomi primi, poſtquam Papæ judicium non eſſe infallibile probare tentavit, etiam autoritate Romanorum Pontificum, concludat pag. 42. *Hæc eſt igitur Apoſtolicæ Sedis doctrina,* HÆC TRADITIO, COMES INDIVIDVA ILLIVS ALTERIVS, QVA ROMANVS PONTIFEX CONCILIO SVBJICITVR. *Qui Theologus placita duo iſta connexa inter ſe non eſſe aſſeveraret, non falleretur modò; ſed imperitum etiam ſe & profeſſione ſuâ indignum pro-*

baret. Similia in pluribus aliis locis ſcripſit. At non ſolùm has Propoſitiones inter ſe connexas eſſe ſenſit, ſed etiam quartam continere ſecundæ cauſam, & rationem; *Nimirum*, inquit epiſt. 5. Tomi quarti pag. 29. RATIO CVR (Papa) SVBEST CONCILIO, EX EO TOTA REPETITVR, QVOD IN FIDE, ET MORIBVS ERRARE POSSIT. Atqui Eccleſia Gallicana ſæpè declaravit Papæ judicium in quæſtionibus Fidei, ad quas pertinent etiam dubia circa præcepta morum, eſſe infallibilia. Credidit ergo Papam non ſubeſſe Concilio. Celeberrimus Conventus Melodunenſis anno 1579. tit. 1. Conſtitutionum, qui eſt *de fidei profeſſione* ſic decrevit; *Operam dabunt ii quibus hæc cura demandata eſt; Epiſcopi ſcilicet, & eorum Vicarii, ut in omnibus Synodis tam Diœceſanis, quàm Provincialibus*, OMNES ET SINGVLI, TVM CLERICI, TVM LAICI AMPLECTANTVR, ET APERTA PROFESSIONE EAM FIDEM PRONVNCIENT, QVAM SANCTA ROMANA ECCLESIA MA-

MAGISTRA, COLVMNA, ET FIRMAMENTVM VERITATIS PROFITETVR, ET COLIT. *Ad hanc enim propter ſuam principalitatem neceſſe eſt omnes convenire Eccleſias.* Si quis autem Romanam Eccleſiam hîc à Papa diſtinguendam contendat, videat litteras 85. Epiſcoporum Galliæ ad Innocentium X. an. 1653. ſcriptas: *Majores cauſas*, inquiunt, *ad Sedem Apoſtolicam referri ſolemnis Eccleſiæ mos eſt*, QVEM FIDES PETRI NVNQVAM DEFICIENS PERPETVÒ RETINERI PRO IVRE SVO POSTVLAT. *Æquiſſimæ huic legi obſequentes..... Experta eſt nuper Beatitudo Veſtra quantum Apoſtolicæ Sedis in gemini capitis errore profligando valuerit autoritas. Continuò ſedata eſt tempeſtas, atque ad Chriſti vocem venti, & mare obedierunt.* Quod ſi quis nimiùm moroſus cavilletur, etiam diſcrimen eſſe ponendum inter Sedem Apoſtolicam, & Summum Pontificem, os illi occludant aliæ litteræ à 30. Epiſcopis ſcriptæ eidem Pontifici 19. Julii eodem anno; *Non ſolùm*

ex Christi Domini nostri pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematismis adversùs Appollinarium, & Macedonium, nondum ab ulla Synodo œcumenica damnatos, à Damaso paulò antè jactis, JVDICIA PRO SANCIENDA REGVLA FIDEI A SVMMIS PONTIFICIBVS LATA SVPER EPISCOPORVM CONSVLTATIONE (SIVE SVAM IN ACTIS RELATIONIS SENTENTIAM PONANT, SIVE OMITTANT, PROVT ILLIS COLLIBVERIT) DIVINA ÆQVE AC SVMMA PER VNIVERSAM ECCLESIAM AVTORITATE NITI; CVI CHRISTIANI OMNES EX OFFICIO IPSIVS QVOQVE MENTIS OBSEQVIVM PRÆSTARE TENEANTVR. *Ea nos quoque sententia ac fide imbuti, &c.*

IX. Tertia Propositio, si eò tantùm spectet, ut summus Pontifex usum Apostolicæ potestatis Canonibus Spiritu Dei conditis, & totius mundi reverentiâ consecratis, quantùm per temporum, personarum, & negotiorum circumstantias liceat, accomodet; utque statuta, & consuetudines Sanctæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmatas absque causa necessaria

saria non immutet, prorsùs necessaria non erat; quippè cùm res sit per se nimis nota. Si autem prætextu Canonum, aut consuetudinum Summo Pontifici debita subtrahatur obedientia, vel imminuatur plena ejus potestas, ea certè propositio sensui Ecclesiæ Gallicanæ, nisi fortè à tempore ultimæ declarationis immutata sit, apertè repugnat, quod tum ex aliis multis colligitur, tum evidenter demonstrat instrumentum typis editum à Typographo Regio cum privilegio Majestatis Christianissimæ sub hoc titulo; *Advis de l'Assamblée generale du Clergé de France à Messieurs les Archevéques & Evéques de ce Royaume*, concluſum; *Fait en l'Assamblée generale du Clergé de France le* 20. *Janvier* 1626. & subscriptum; *par le commandement des Illustrissimes & Reverendissimes Cardinaux, Archevéques, & Evéques, & de tous les Ecclesiastiques deputez en l'Assemblée generale*

rale du Clergé de France. Leonor d'Eſtampés, Evéque de Chartres; Hujus inſtrumenti articulus 137. quem, utpotè aliquantum prolixum, & ipſismet verbis, Gallicis, ut tota illius vis manifeſtiùs appareat, exſcribendum referemus lib. 9. cap. 10. tertiæ, & quartæ recentiorum Comitiorum propoſitionibus è regione, ac conſequenter ſecundæ adverſatur.

X. Ne quis igitur Eccleſiæ Gallicanæ ſplendore commotus miretur, quod nos ejus declarationem examinare audeamus. Nam præterquam quod Eccleſia Romana, cujus defendendæ autoritatis ſtudium ad majora viribus tentanda nos impellit, Gallicanæ ſine dubio præſtat, ipſiuſmet Gallicanæ ſenſum, & doctrinam propugnamus; quod ut ad ampliorem lucem deducatur, accedamus ad opus.

CLERI

CLERI GALLICANI

De Ecclesiastica potestate Declaratio.

ECclesiæ Gallicanæ Decreta, & Libertates à Majoribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta Sacris Canonibus, & Patrum traditione nixa multi diruere moliuntur; nec desunt, qui earum obtentu Primatum B. Petri, ejusque successorum Romanorum Pontificum à Christo institutum, iisque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, Sedisque Apostolicæ, in qua Fides prædicatur, & unitas servatur Ecclesiæ, reverendam omnibus Gentibus majestatem imminuere non vereantur. Hæretici quoque nihil prætermittunt, quo eam potestatem, qua pax Ecclesiæ continetur, invidiosam & gravem Regibus, & Populis ostentent, iisque fraudibus simplices animas ab Ecclesiæ Matris, Christique adeò communione dissocient. Quæ ut incommoda propulsemus, Nos Archiepiscopi, & Episcopi Parisiis mandato Regio congregati, Ecclesiam Gallicanam repræsentantes, unà cum Ecclesiasticis viris nobiscum deputatis, diligenti tractatu habito, hæc sancienda, & declaranda esse duximus.

I.

Beato Petro, ejusque successoribus Christi Vicariis, ipsique Ecclesiæ rerum spiritualium, & ad æternam salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium à Deo traditam potestatem, dicente Domino, *Regnum meum non est de hoc mundo*, & iterùm, *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*, ac proindè stare Apostolicum illud. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Reges ergo & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subjici, neque autoritate clavium Ecclesiæ directè vel indirectè deponi, aut illorum subditos eximi à fide, atque obedientia, ac præstito fidelitatis Sacra-

men-

mento solvi posse; eamque sententiam publicæ tranquillitati necessariam, nec minùs Ecclesiæ, quàm Imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis consonam omninò retinendam.

II.

Sic autem inesse Apostolicæ Sedi, ac Petri successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistant sanctæ Oecumenicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetuâ Religione custodita Decreta de autoritate Conciliorum generalium, quæ sess. 4. & 5. continentur; nec probari à Gallicana Ecclesia, qui eorum Decretorum, quasi dubiæ sint autoritatis, ac minùs approbata, robur infringant; aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.

III.

Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum per Canones, Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos. Valere etiam regulas, mores & instituta à Regno & Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos; atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicæ Sedis, ut Statuta & consuetudines tantæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmatæ propriam stabilitatem obtineant.

IV.

In Fidei quoque quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque Decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.

V.

Quæ accepta à Patribus ad omnes Ecclesias Gallicanas, atque Episcopos iis Spiritu Sancto autore præsidentes mittenda decrevimus, ut idipsum dicamus omnes, simulque in eodem sensu, & in eadem sententia.

IN-

INDEX
LIBRORUM ET CAPITUM.
LIBER PRIMUS

De natura, origine, ac progressu libertatum Ecclesiæ Gallicanæ; occasione illorum verborum, *Ecclesiæ Gallicanæ decreta, &c.* Pag. 1

Caput I. *Cur nomen libertatis Ecclesiæ Gallicanæ plerisque odiosum, aut certè suspectum sit.* 3
Cap. II. *Quid Ecclesiæ Gallicanæ, quidq; libertatis Ecclesiasticæ nominibus designetur.* 5
Cap. III. *Quomodò definiantur libertates Ecclesiæ Gallicanæ.* 10
Cap. IV. *Definitionem libertatum Ecclesiæ Gallicanæ communiter traditam non esse legitimam.* 13
Cap. V. *Quod Ecclesiæ Gallicanæ libertates non contineantur in solo Codice Canonum Ecclesiæ universalis.* 14
Cap. VI. *De Codice Dionysii Exigui.* 17
Cap. VII. *De Canonibus Apostolorum.* 19
Cap. VIII. *De Canonibus, & Decretis à Dionysio Exiguo prætermissis.* 22
Cap. IX. *De Epistolis Decretalibus antiquiorum Pontificum.* 25
Cap. X. *De speciali Ecclesiæ Gallicanæ Codice.* 29
Cap. XI. *De Capitularibus Regum Franciæ.* 32
Cap. XII. *Mancam esse definitionem Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, nec rei definitæ convenire.* 34
Cap. XIII. *Ostenditur ex alio capite mancam esse Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ definitionem.* 37
Cap. XIV. *De origine libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, &*

primò, Utrùm in Concilio primo Turonico, vel in Francofordiensi usurpatæ fuerint? 40

CAP. XV. *An origo Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ circa veterem disciplinam referenda sit ad Pragmaticam Sanctionem sancti Ludovici.* 44

CAP. XVI. *Vera origo, & progressus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ.* 48

LIBER SECUNDUS

De Justitia Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, &c. 53

CAP. I. *Laudandum esse constantem antiquorum Canonum usum.* ibid.

CAP. II. *Necessarium esse aliquando per novas leges antiquis derogare.* 57

CAP. III. *An possint novæ leges Ecclesiæ antequam acceptentur, examinari.* 60

CAP. IV. *Utrum leges non acceptatæ obligent.* 63

CAP. V. *Confirmatur vim Legum ab acceptatione non pendere.* 67

CAP. VI. *An leges Ecclesiasticæ minori quàm Politicæ autoritate polleant.* 70

CAP. VII. *Ostenditur Doctores, quos citat Dominus de Marca non docere, vim legis à promulgatione pendere, sed potiùs contrarium.* 76

CAP. VIII. *Ostenditur ex verbis aliorum Doctorum, quos citat Dominus de Marca, non probari vim legis à promulgatione pendere, sed potiùs contrarium.* 79

CAP. IX. *Utrum legi parendum sit, dum dubia est ejus justitia, aut non evidens ejus recusandæ ratio.* 84

CAP. X. *Utrum nova Ecclesiæ Decreta in Gallia obligent, si prius examinata, & à Curiis sæcularibus recepta non fuerint.* 88

CAP. XI.

CAP. XI. *Summum Pontificem habere condendarum pro universis Ecclesiæ partibus legum potestatem.* 92
CAP. XII. *Quæ sint vera justitiæ libertatum Ecclesiæ Gallicanæ fundamenta.* 97

LIBER TERTIUS

De propugnatoribus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ; occasione illorum verborum, *Libertates à Majoribus nostris tanto studio propugnatas.* 99

CAP. I. *An exemplis judicandum sit de justitia Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ.* 100
CAP. II. *De sancti Gregorii Episcopi Turonensis in propugnandis libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ studio.* 103
CAP. III. *De Hincmaro Archiepiscopo Remensi.* 106
CAP. IV. *De contentionibus Hincmari Archiepiscopi Remensis cum summo Pontifice occasione Rothaldi Episcopi Suessionensis.* 110
CAP. V. *De contentionibus Hincmari cum summo Pontifice occasione Hincmari Laudunensis, & Regni Lotharii.* 114.
CAP. VI. *Quâ ratione Hincmarus libertates Ecclesiæ Gallicanæ defendisse videatur.* 117
CAP. VII. *De praxi libertatum Ecclesiæ Gallicanæ circa Canones octavæ Synodi.* 121
CAP. VIII. *De Regibus Christianissimis libertatum Ecclesiæ Gallicanæ defensoribus, & de Universitate Parisiensi earum propugnatrice.* 127
CAP. IX. *De Joanne Gersonio Cancellario Parisiensi.* 131
CAP. X. *De quibusdam aliis Scholæ Parisiensis Doctoribus.* 134
CAP. XI. *De Joanne Launoio Theologo Parisiensi.* 138

CAP. XII. *De aliis libertatum Ecclesiæ Gallicanæ defensoribus.* 142
CAP. XIII. *De Episcopis Gallicanis libertates suas defendentibus, præsertim in Comitiis Parisiensibus.* 146
CAP. XIV. *Utrùm Cœtus Parisiensis potuerit definire quæstiones generales circa Potestatem Ecclesiasticam.* 150

LIBER QUARTUS

De potestate Ecclesiæ in temporalia Principum occasione primæ Propositionis Cleri Gallicani. 154

CAP. I. *An hæc Propositio spectet ad libertates Ecclesiæ Gallicanæ.* 155
CAP. II. *An invidiosa, & gravis Regibus, & populis fiat potestas Ecclesiastica, si circa temporalia Principum in certis casibus exerceri posse affirmetur.* 158
CAP. III. *An verbo Dei consona sit sententia, Reges in temporalibus ab omni Ecclesiastica potestate omninò subducens.* 161
CAP. IV. *Utrum potestas Regum immediatè à Deo sit.* 164.
CAP. V. *An Patrum traditioni consona sit doctrina Præsulum Gallicanorum, Reges Ecclesiasticæ potestati in temporalibus omninò subducentium, ac primò de Patribus in Conciliis sedentibus?* 170
CAP. VI. *An doctrina in prædicta propositione Cleri Gallicani contenta, sit consona menti S. Gregorii Magni?* 175
CAP. VII. *Prædictam propositionem Cleri Gallicani non esse consonam doctrinæ S. Bernardi, aliorumq; Sanctorum Doctorum.* 183
CAP. VIII. *Ecclesiæ in temporalia potestas probatur autoritate aliorum Theologorum Gallorum, vel in Gallia educatorum.* 185

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAP. IX. *Eandem esse de illa Ecclesiæ potestate juris, tum Canonici, tum Civilis peritorum sententiam.* 191
CAP. X. *Exempla Potestatis Ecclesiasticæ circa Regna temporalia, ac primò circa Reges Franciæ.* 195
CAP. XI. *Alia exempla potestatis Ecclesiasticæ in temporalibus.* 200
CAP. XII. *Exemplum Gregorii II. Leoni Isauro Imperatori Tributa solvi vetantis.* 204
CAP. XIII. *Principes ipsos aliquam Ecclesiæ in temporalia potestatem agnovisse.* 209
CAP. XIV. *An sententia Illustrissimorum Episcoporum Galliæ Sanctorum exemplis consona sit?* 212

LIBER QUINTUS

Comparatio Summi Pontificis cum Concilio Generali occasione secundæ propositionis. 215

CAP. I. *Summarium hujus secundæ propositionis examen.* ibid.
CAP. II. *Quàm sit difficile Concilium generale sine summo Pontifice definire, ejusq; autoritatem determinare.* 218
CAP. III. *De convocatione Conciliorum. An pertineat ad Principes.* 224
CAP. IV. *Cur Imperatores olim Concilia convocaverint.* 228.
CAP. V. *Concilia generalia, dum certus est, & indubitatus Romanus Pontifex, sine illius assensu legitimè congregari non posse.* 233
CAP. VI. *Respondetur objectionibus Joannis Launoii.* 238.
CAP. VII. *Respondetur iis, quæ Launoius Bellarmino specialiter objicit.* 243
CAP. VIII. *Concilia generalia sine consensu summi Pontificis*

ficis habita non fuisse, vel robur non obtinuisse, ostenditur: & respondetur aliis objectionibus Joannis Launoii. 251
CAP. IX. *Absque summi Pontificis autoritate Concilia generalia vim, & robur non obtinere.* 261
CAP. X. *In Sacris Litteris clariùs exprimi Pontificis sine Concilio, quàm Concilii sine Pontifice autoritatem.* 264
CAP. XI. *Qua ratione B. Petrus Ecclesiam repræsentaverit ex mente S. Augustini.* 267
CAP. XII. *Sententia S. Joannis Chrysostomi de comparatione B. Petri cum cæteris Apostolis, etiam simul sumptis.* 273
CAP. XIII. *Confirmatur præeminentia summi Pontificis supra Concilium sine Pontifice.* 277
CAP. XIV. *Rursus confirmatur præeminentia Pontificis supra Concilium.* 282
CAP. XV. *Respondetur autoritati Concilii Constantiensis.* 287.
CAP. XVI. *Respondetur aliis objectionibus contra Superioritatem Papæ ad Concilium.* 292
CAP. XVII. *Respondetur argumento Launoii ab epistola Siricii Papæ ad Anysium & cæteros Episcopos Illyricenses sumpto.* 297
CAP. XVIII. *Respondetur aliis quibusdam Launoii objectionibus.* 304

LIBER SEXTUS

De firmitate Canonum, & libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, occasione tertiæ propositionis Comitiorum Cleri Gallicani. 311

CAP. I. *Summarium propositionis examen.* ibid.
CAP. II. *De autoritate summi Pontificis in Ecclesiam Gallicanam.* 314

CAP. III. *Utrum Papa habeat immediatam jurisdictionem super Ecclesiæ universæ Fideles.* 319
CAP. IV. *De jurisdictione immediata Summi Pontificis in omnes Fideles quantum ad forum internum.* 325
CAP. V. *De autoritate Summi Pontificis circa jurisdictionem contentiosam.* 332
CAP. VI. *De causis judicandis Romæ.* 338
CAP. VII. *Utrum Papa in ferendo judicio teneatur ordinem judiciarium ad amussim sequi.* 342
CAP. VIII. *De necessitate Citationis, & probationum.* 346
CAP. IX. *Discrimina inter potestatem Summi Pontificis erga Fideles totius Ecclesiæ, & potestatem Archiepiscopi erga subditos suorum Suffraganeorum.* 350
CAP. X. *De autoritate Summi Pontificis in bona Ecclesiastica.* 352
CAP. XI. *De potestate Summi Pontificis in exigendis pro Ecclesiæ contra Infideles defensione subsidiis.* 356
CAP. XII. *De jure Summi Pontificis circa Beneficia.* 360

LIBER SEPTIMUS

De autoritate Summi Pontificis in definiendis Fidei quæstionibus occasione quartæ propositionis. 364

CAP. I. *Summaria discussio hujus propositionis.* ibid.
CAP. II. *Probatur autoritate sacræ Scripturæ judicium Summi Pontificis circa quæstiones Fidei esse irreformabile, seu infallibile.* 368
CAP. III. *Confirmatur eadem doctrina contra Joannem Launoium.* 372
CAP. IV. *Probatur autoritate Conciliorum Orientalium judicium Summi Pontificis circa quæstiones Fidei esse irreformabile.* 380

CAP. V. *Idem aliorum probatur autoritate Conciliorum, & Episcoporum.* 385
CAP. VI. *Probatur sanctorum Patrum, ac primò à sancti Irenæi autoritate, certitudo judicii Summi Pontificis in quæstionibus Fidei.* 390
CAP. VII. *Aliorum Patrum eâdem de re testimonia.* 396
CAP. VIII. *Sententia sancti Cypriani de judicio Papæ in materia Fidei.* 405
CAP. IX. *Sententia sancti Augustini de judicio Papæ in materia Fidei.* 409
CAP. X. *Sententia Cleri Gallicani de judicio Papæ in causis Fidei.* 416
CAP. XI. *Probatur autoritate Universitatis Parisiensis, ac Doctorum Particularium illius, nec non Senatus Parisiensis, Papæ judicium in causis Fidei esse irreformabile.* 421
CAP. XII. *Probatur testimonio Summorum Pontificum in quæstionibus Fidei Romani Pontificis judicium esse certissimum.* 428
CAP. XIII. *Quàm sit generalis in Ecclesia consensus de irreformabili judicio Romani Pontificis in Fidei quæstionibus.* 437
CAP. XIV. *Respondetur argumentis, quæ autoritati Papæ in decidendis infallibiliter Fidei quæstionibus opponuntur.* 441
CAP. XV. *Respondetur argumento à fictitiis Pontificum erroribus desumpto.* 447
CAP. XVI. *Respondetur quibusdam aliis exemplis à Launoio adductis.* 453
CAP. XVII. *An judicium Papæ sit infallibile, quod ei Ecclesiæ consensus accedat: an verò ei accedat Ecclesiæ consensus, quod infallibile sit.* 459
CAP. XVIII. *De autoritate Summi Pontificis circa Censuram Librorum.* 467

LI-

ET CAPITUM.

LIBER OCTAVUS

De origine Jurisdictionis Ecclesiasticæ. 472

CAP. I. *Quid sit jurisdictio Ecclesiastica.* 473
CAP. II. *De distinctione, ac distributione Dignitatum Ecclesiasticarum.* 477
CAP. III. *Dignitatem & autoritatem Ecclesiarum Patriarchalium à B. Petro vel ejus successoribus ortam esse.* 481.
CAP. IV. *De phantastico Galliæ Patriarcha.* 488
CAP. V. *Primates, & Metropolitanos, in Gallia præsertim, suam à Summo Pontifice autoritatem traxisse.* 492.
CAP. VI. *De eodem argumento, scilicet dependentiâ Metropolitanorum à sancta Sede.* 496
CAP. VII. *Cur in disceptationibus de jurisdictione consuetudo pro lege habita fuerit?* 499
CAP. VIII. *Utrum jurisdictio Episcoporum sit à Deo immediatè.* 502
CAP. IX. *Confirmatur Jurisdictionem Episcoporum à Summo Pontifice pendere.* 508
CAP. X. *Rursùs confirmatur Jurisdictionem Episcoporum esse immediatè à Summo Pontifice.* 513
CAP. XI. *Aliis testimoniis eadem doctrina confirmatur.* 518.
CAP. XII. *Respondetur argumentis sententiæ, jurisdictionem Episcoporum ad Deum immediatè referentis.* 522
CAP. XIII. *De Jurisdictione Clericorum Episcopis inferiorum.* 530

INDEX LIBRORUM,

LIBER NONUS

In Edmundi Richerii Libellum *de Ecclesiastica & Politica potestate.* 534

Cap. I. *An Jurisdictio Ecclesiastica primariò, ac essentialiter Ecclesiæ: Romano autem Pontifici, atque aliis Episcopis ministerialiter tantùm, sicut facultas videndi oculo, conveniat: ad duos primos numeros Libelli Richeriani.* 535

Cap. II. *De Ecclesiæ definitione à Richerio tradita; De Ecclesiæ Capite, necnon de ejus statu & regimine. Ad num.* 3. 4. & 5. *Richerii.* 545

Cap. III. *Penes quem sit infallibilis potestas decernendi, aut constituendi Canones. Ad num.* 6. *Richerii.* 552

Cap. IV. *De oratione Christi pro fide B. Petri. De necessitate Conciliorum, ac vi Decretalium Summorum Pontificum. De potestate Summi Pontificis, præsertim circa Canones Conciliorum. Ad numeros* 7. 8. & 9. *Richerii.* 566

Cap. V. *In quo agitur de potestate Principum politicorum; & respondetur argumentis contra Monarchiam Ecclesiasticam. Ad numeros* 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. *Richerii.* 579

Cap. VI. *Confutantur responsiones Richerii in num.* 18. *adversùs potestatem Ecclesiasticam circa temporalia.* 589

Cap. VII. *Notæ in primum librum Vindiciarum Edmundi Richerii, qui Decretis Scholæ Parisiensis constat.* 593.

Cap. VIII. *De Tractatibus, quibus constat liber secundus Richerii, ac speciatim de primo.* 603

Cap. IX. *Vindicias Richerii complexè sumptas plus obesse, quàm*

quàm prodesse Antistitum Gallicanorum declarationi. 609.

Cap. X. *Jurisdictio Summi Pontificis, ejusq; potestas, tum in definiendis Fidei quæstionibus, tum in condendis Legibus, celebri Ecclesiæ Gallicanæ testimonio confirmantur.* 615.

LIBER DECIMUS

De particularibus Libertatis Ecclesiæ Gallicanæ Capitibus à Petro Puteano assignatis. 616

Cap. I. *De distinctione inter potestatem spiritualem, & temporalem.* 619

Cap. II. *De Regum Franciæ meritis erga Ecclesiam, eorumq; cum Summis Pontificibus necessitudine ad tria prima Capita probationum Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ.* 624.

Cap. III. *De excommunicationibus contra Reges, & Regios Officiales ad cap. 4. & 5. Puteani.* 626

Cap. IV. *De potestate Judicum sæcularium circa Censuras, ad cap. 6. & 8. Puteani.* 633

Cap. V. *De citationibus Romam, de executione Litterarum Apostolicarum in Gallia, & de Conciliis illic celebrandis, ad cap. 9. 10. & 11. Puteani.* 637

Cap. VI. *De autoritate Concilii generalis, de Appellationibus à Papa ad futurum Concilium, necnon de receptione, ac publicatione Conciliorum generalium in Gallia ad cap. 12. 13. 14. Puteani.* 639

Cap. VII. *Percurruntur octo capita Puteani, scilicet à 15. ad 22.* 645

Cap. VIII. *De Legatis, ac Vice-Legatis sanctæ Sedis ad capp. 23. & 24. Puteani.* 651

CAP. IX. *De publicatione Indulgentiarum, de collectione Eleëmosynarum, de Societatibus, & de possessione Beneficiorum. Ad cap. 25. & 26. Puteani.* 658
CAP. X. *De puniendis autoritate Regiâ Clericis in officio laico delinquentibus, Hæreticis quietem publicam turbantibus, & Concionatoribus seditiosis: de Alienigenis ad Beneficia Regni non admittendis: ac de officiis Ecclesiæ Gallicanæ: ad capita 27. 28. 29. & 30. Puteani.* 663
CAP. XI. *De Regularibus, & aliis materiis Ecclesiasticis. Ad cap. 32. 33. 34. 35. 36. 37. & 38. Puteani.* 671
CAP. XII. *De subsidiis à Clero Regi Franciæ, aut Summo Pontifici præstandis: ad duo ultima capp. Puteani.* 676.

LIBER UNDECIMUS

In quo expenduntur aliorum Scriptorum Gallicanorum sententiæ de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ. 683

CAP I. *De Libris Illustrissimi Petri de Marca de Concordia Sacerdotii & Imperii, seu de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.* 684
CAP. II. *De autoritate Principum circa Concilia, in particulari circa convocationem illorum, ac præsentiam, & præsidentiam in illis.* 690
CA. III. *De materia in Conciliis tractanda; de jure suffragii, ac de confirmatione, & executione Canonum.* 695
CAP. IV. *De autoritate Imperatoribus à Domino de Marca tributa circa judicia Ecclesiastica.* 701
CAP. V. *De autoritate Principibus attributa circa alios jurisdictionis articulos.* 706

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAP. VI. *An possint Principes Synodalium sententiarum effectum suspendere, atque à Judicibus Ecclesiasticis appellationes in causis etiam Ecclesiasticis recipere.* 712
CAP. VII. *De autoritate Regum & Episcoporum Franciæ.* 716.
CAP. VIII. *Expenduntur quæ à D. Petro de Marca in favorem Regum Decretis Ecclesiasticis adversantium proferuntur cap.* 10. 11. 12. *&* 18. *lib.* 4. 724
CAP. IX. *De Stephani Baluzii Doctrina circa Principum in res Ecclesiasticas autoritatem.* 729
CAP. X. *De autoritate Regum Franciæ in condendis Capitularibus circa res Ecclesiasticas.* 734
CAP. XI. *An sine autoritate Ecclesiæ Reges Galliæ Leges Ecclesiasticas, sive Capitularia condiderint.* 738
CAP. XII. *De Capitularibus Regum Francorum primæ Dynastiæ.* 746
CAP. XIII. *Libertates Ecclesiæ Gallicanæ in aliis sensibus acceptæ.* 550

LIBER DUODECIMUS.

De Appellationibus tanquam ab abusu. 753

CAP. I. *Quid sit appellatio ab abusu, & quæ illius origo.* 754.
CAP. II. *De progressu appellationum ab abusu.* 758
CAP. III. *De justitia appellationum ab abusu.* 763
CAP. IV. *De vi appellationum ab abusu, quantùm ad conscientiam.* 766
CAP. V. *Discutiuntur rationes, quibus appellationes ab abusu legitimas esse Autores Gallicani probare nituntur.* 769.
CAP. VI. *Expenditur doctrina D. Petri de Marca de appel-*

pellationibus ab abuſu in 19. cap. libri 4. de Concordiâ Sacerdotii & Imperii contenta. 774

VII. *Diſcuſſio capitis 2. libri 4. D. Petri de Marca, ubi adhuc de appellationibus ab abuſu.* 780

CAP. VIII. *De uſurpatione juriſdictionis, circa caput 21. lib. 4. Domini de Marca.* 784

CAP. IX. *De Tractatu Caroli Fevret.* 789

CAP. X. *Quâ ratione olim procederetur, ubi Superiores Eccleſiaſtici ſuâ poteſtate perperam uti videbantur; quibuſq; gradibus perventum ſit ad appellationes ab abuſu, ad cap. 1. Fevreti.* 792

CAP. XI. *Rurſùs de tempore, quo inductæ ſunt appellationes ab abuſu, & de variis illarum conditionibus: ad cap. 2. Fevreti.* 796

CAP. XII. *Reſpondetur rationibus à Fevreto cap. 3. adductis ad probandam juſtitiam appellationum ab abuſu.* 802.

CAP. XIII. *Reſpondetur aliis rationibus, quæ à Fevreto proferuntur in præd. cap. 3.* 807

CAP. XIV. *Quam ſequi conveniat agendi rationem, ſi quando injuſti mandati executio exigatur.* 812

CONCLVSIO. 815

LIBER PRIMVS.

De natura, origine, ac progreſſu libertatum Eccleſiæ Gallicanæ; occaſione illorum verborum, *Eccleſiæ Gallicanæ decreta, & libertates, earumque fundamenta Sacris Canonibus, & Patrum traditione nixa multi diruere moliuntur.*

I. CUm juxta Philoſophorum doctrinam ſubjecti, de quo diſputatur definitio ſit principium, à quo profluit omnis, quæ de illo poteſt haberi, certa cognitio: operæpretium eſt Libertates Eccleſiæ Gallicanæ definire, quod à multis video eſſe prætermiſſum. Difficile quidem illud eſt; atque in hac etiam materia locum habet lex 203. ff. de regul. jur. *Omnis definitio in jure periculoſa eſt; Parum eſt enim, ut non ſubverti poſſit*; eſt tamen omninò neceſſarium, ne confuſa, & incerta fluctuet ubique cogitatio.

II. Juvabit plurimum libertatum illarum originem investigare, ut illarum natura intimiùs penetretur. Nam, ut monet S. Ambrosius in præfatione comment. super epistolam ad Romanos. *Principia rerum priùs requirenda sunt, ut earum notitia plenior possit haberi. Tunc enim faciliùs poterunt demùm intelligi, cùm earum origines addiscantur.*

III. Sed imperfecta esset cognitio, nisi etiam libertatum progressus observaretur. Mirum enim, quantas afferat rebus mutationes temporis successus, non mutatis etiam nominibus. Homo dum animam efflavit, vulgò adhuc Homo dicitur, cùm non sit. Ita non rarò accidit, ut, eodem nomine retento, res prorsùs aliæ fiant.

IV. Itaque primus iste Liber totus erit in explicanda natura, assignanda origine, ac notando progressu libertatum Ecclesiæ Gallicanæ. Sed pauca præmittenda sunt de nomine ad rem cognoscendam conducentia.

CAPUT PRIMUM.

Cur nomen libertatis Ecclesiæ Gallicanæ plerisque odiosum, aut certè suspectum sit.

1. OLim libertatis nomine nihil poterat audiri jucundiùs, cùm tyrannidem, servitutem, & necessitatem, quibus nihil potest excogitari graviùs & magis exosum, à cogitatione arceret. Verum quia eo abuti cœperunt quotquot in Rempublicam, in Principes, & in Ecclesiam ipsam rebellarunt, ac legitimæ obedientiæ jugum excussuri, libertatem tueri velle se obtenderunt; suspectum ità evasit, ut perduellionis ferè semper metum ingerat legitimis Potestatibus.

2. Auget hujus nominis invidiam, cùm à Gallis ad significandas suas immunitates abhibetur, quod aut nunquam, aut ferè nunquam allegatur Ecclesiæ Gallicanæ libertas, nisi adversus summum Pontificem: quasi supremus Ecclesiæ Pastor, & Pater amantissimus, Tyranni loco à Christianissima illa gente haberetur. Quamobrem plurimi Ecclesiam Gallicanam à Romana, non ut membrum à capite, aut partem à toto, sed sicut Congregationem à Congregatione, & Rempublicam à Republica, sese hoc nomine discernere velle veriti sunt.

3. Equidem fatendum est Authores quosdam illius Regni maximum odium suis libertatibus conciliasse, dum hoc nomine immanes abusus decorarunt. Sed absit, ut illorum Autorum, aut error, aut temeritas universæ Galliæ adscribatur, cùm non defuerint etiam in illo Regno tùm Antistites, tùm privati Doctores, qui hanc à se invidiam depulerint, damnatis publicè illarum libertatum abusibus.

4. Edita sunt Parisiis anno 1639. duo volumina, in quibus præclaro libertatum Ecclesiasticarum titulo donati fuerant usus quamplurimi Ecclesiasticæ libertati infensissimi: sed ecce quomodo excepta sunt ab Episcopis 19. tunc in illa urbe versantibus, & curâ Eminentissimi Cardinalis Richelii

congregatis : ecce quod de illis voluminibus judicium tulerunt in epistola, quam ea de re ad cæteros scripserunt Galliæ Antistites, quæque in secundo volumine Actorum Cleri Gallicani ultimæ editionis refertur. *In hac Alma Regni sede*, inquiunt, *paucis ab hinc diebus, nullo palam Autore, nullâ publicâ edendi facultate typis mandata sunt duo volumina vulgari idiomate, quorum uni titulus est :* TRAITTE' DES DROITS ET LIBERTEZ DE L'EGLISE GALLICANE, 1639. *Alteri verò :* PREVVES DES LIBERTEZ DE L'EGLISE GALLICANE, 1639. *quæ haud dubiè furtivo cursu non ad vestras modò Diœceses, sed ad cæteras etiam Nationes destinantur grassatura. Non enim hæreseos, & schismatis, ac talium operum promotor, & artifex Dæmon ejusmodi faces accendit, nisi ut spargat.* Quibus potuissent verbis opera illa acriùs perstringere Prælati illi scientiâ, pietate, ac zelo Pastorali per totam Galliam celeberrimi, quam ut ea Dæmoni hæreseos, & schismatis autori tribuerent, aut apertiùs declarare, quam esset alienus illorum animus à probandis omnibus illis, quæ sub nomine libertatum Ecclesiæ Gallicanæ venditantur, quam cùm subjungunt ; *inter falsas & hæreticas quas detestamur*, ECCLESIÆ GALLICANÆ ADSCRIPTAS SERVITVTES *potiùs, quàm* LIBERTATES, *vera quædam, & gloriosissimi Regis nostri jura, & Gallicanæ Ecclesiæ privilegia exposuit.*

5. Non Episcoporum tantum fuit is sensus, & affectus, sanctius Regis Christianissimi Consistorium decreto interdixit librorum istorum commercio. Scriptores quoque privati veritatis, & Religionis amantiores, ubi opportunum fuit, suam sententiam deprompserunt circa ejusmodi abusus libertatis nomine obtectos. *Nunc servitus, & oppressio* (Ecclesiæ Gallicanæ) *falsis, ementitisq; libertatis, & privilegiorum nominibus solet per antiphrasim exprimi.* His verbis conqueritur adversus Ecclesiasticæ jurisdictionis depressionem Cabassutius, notitia Concil. cap. 69. primæ edit ; & cap. 71. alterius.

6. Alia est hujus nominis invidiæ causa, quòd scilicet inter Gallos ipsos non satis constat, quæ sit natura, quæ species, quæ justitia libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, ut in istius tractatus decursu videbitur. Jacobus Leschasserius in Senatu Parisiensi Patronus opusculum scripsit, quod refertur in primo prædictorum voluminum *contra exigentes, ut Judices Franciæ, quæ, & quot sint libertates Ecclesiæ Gallicanæ exponant, enumerentque, nec*

non à qua emanaverint autoritate assignent. Atque omnis ejus oratio eò spectat, ut Gallos probet ad respondendum hujusmodi quæstionibus non teneri. Itaque concludit: *Illi ergo, qui petunt, ut singulatim enumerentur hujus Regni libertates, vel Decreta hic recepta, vel usus & consuetudines nostræ circa politiam Ecclesiasticam, velut fontes, & autoritas, à quibus hæc jura emanaverint assignentur, non alia possent ratione luculentius demonstrare omnimodam circa jura illa de quibus loquuntur inscitiam, quàm in proponendis hujusmodi quæstionibus.* Quis audito hoc sermone non suspicetur, libertates, aut nullas, aut incertas, aut injustas esse, quas qui defendere aggreditur, aut non potest, aut non audet recensere, nec à quo fonte, à qua autoritate profectæ sint, explicare?

7. Ipsam quidem libertatum definitionem tùm ipse Leschasserius, tùm alii tradiderunt: sed vix ullum reperias, qui inter libertates Ecclesiæ Gallicanæ capita quamplurima non annumeret, illarum definitioni parùm consentanea, vel etiam omninò adversa.

8. Quid igitur mirum si libertates istæ malè audiant, quas exteri non intelligunt, Galli non satis explanant, aliqui adhibent ad excusandos pessimos, & cum vera libertate Ecclesiastica pugnantes abusus.

CAPUT II.

Quid Ecclesiæ Gallicanæ, quidque libertatis Ecclesiasticæ nominibus designetur.

1. QUamvis Ecclesia, quæ dictio Græca est, evocationem, seu congregationem tantùm significet, ex sua etymologia, tamen ad plurima, eaque valde diversa designanda usurpatur in sacris Scripturis, & Catholicorum Doctorum libris. Præcipua quidem hujus nominis significatio ad Ecclesiam Catholicam pertinet, quam sic describit Bellarminus tom. 2. controv. lib. 3. cap. 2. ut sit *cœtus hominum ejusdem Christianæ fidei professione, & eorumdem Sacramentorum communione colligatorum, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis.*

2. Joannes quidem Launoius epist. ad Nicolaum Gatinæum, quæ est in parte octava, definitionem Ecclesiæ à Bellarmino traditam impugnare conatur, congestis pro suo more quamplurimis Sanctorum Patrum, aliorumque Scriptorum locis, in quibus describitur Ecclesia non factâ mentione Pastorum, à quibus regitur, præcipuè Romani Pontificis. Sed Bellarminum reprehendere non potuit, quin sanctum Cyprianum damnaret, Ecclesiam hoc modo definientem epist. 69. quæ est ad Pupianum: *Illi sunt Ecclesia plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens.* Respondet Launoius, *Cyprianum pro tempore, & ad extirpandum schisma, quo tunc Romana flagrabat Ecclesia, Ecclesiam definivisse, ut diximus.* At non simili de causa Bellarminus, quia scilicet adversus hæreticos Hierarchiam negantes disputabat, debuit in Ecclesiæ definitione non solum corporis, ut alii Scriptores à Launoio citati, sed etiam capitis mentionem facere. Quod enim à Dialecticis præcipitur nihil in definitione redundare debere, hic non violatur, quia quod additur, etsi ad essentiæ notitiam absolutè pertinere non videatur, pertinet tamen in illa circumstantia. Cùm enim Lutherani, & Calvinistæ suis cœtibus Ecclesiæ descriptionem à plerisque Scriptoribus Ecclesiasticis allatam accommodarent, necesse fuit ad distinguendam verorum Fidelium Congregationem à synagogis Satanæ, ut aliquid adjungeretur, per quod ab illis posset discerni. Potuerunt alii Ecclesiam iis verbis definire, quæ huic designandæ sufficerent: Bellarmino necesse fuit definitionem ponere, quam ejus adversarii suis conventiculis tribuere non possent.

3. Frustra verò notat Launoius sanctum Cyprianum *de Ecclesia simpliciter, & absolutè non loqui, sed comparatè, habito nempè respectu ad Ecclesiam Romanam*, ubi propter institutos simul Antistites duos schisma excitatum fuerat: Tùm quia id verum esse non videtur. Etsi enim occasione Ecclesiæ Romanæ illa dixerit S. Cyprianus, non tamen de Ecclesia Romana speciatim: Tùm quia si occasione schismatis Ecclesiæ Romanæ rectè sanctus Cyprianus in definitione illius Ecclesiæ meminit unius ejus Pastoris: Cur Bellarmino contra hæreticos, qui ab Ecclesia Catholica desciverant, nefas fuit Ecclesiam Catholicam ità describere, ut unius ejus supremi Pastoris mentionem faceret.

4. Sed

4. Sed quemadmodum Ecclesia simpliciter dicitur omnium Fidelium Congregatio sub Summo Pontifice: ità cœtus eorum, qui uni Patriarchæ seu Exarcho, Primati, seu Metropolitano, imò Episcopo, & Curato subsunt, Ecclesiæ particularis nomine gaudent, scilicet Diœcesis, Provinciæ, aut Parochiæ.

5. Possunt autem in hujusmodi cœtibus, aut simul Pastores cum fidelibus, aut Pastores seorsim ab ovibus, vel contrà oves sine Pastoribus attendi, ut Ecclesiæ nomen, aut alterutris, aut utrisque simul tribuatur, maximè autem Pastoribus, à quibus representatur, & in quibus certa quadam ratione continetur Ecclesia, sicut in Principe Respublica. Imò vox illa non rarò ad significandum locum transfertur, ubi fiunt hujusmodi cœtus Religionis causa. Quæ omnia eruditis omnibus adeo sunt pervia, ut scripturarum, & Doctorum testimoniis non indigeant confirmari.

6. Variæ illæ vocis ejusdem significationes exigerent, ut de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ tractaturi, quid Ecclesiæ Gallicanæ nomine intelligatur, principio designaremus. Sed cum de illius notione non conveniat inter Gallos ipsos, ex rerum, de quibus agetur, conditione, conjicies. Quamvis enim pro Clero frequentius usurpetur: tamen cum de libertatibus Gallicanis agitur, ea vox non solùm Antistites, sed & Laicos complecti, maximè Regem, ejusque Officiales, à nonnullis dicitur; adeò ut Ecclesia Gallicana significet fideles omnes in hoc Regno degentes, cum aliquo tamen ordine ad Religionem, ad quam refertur omnis Ecclesia apud Christianos: qua in re solum cavendum est, ne sub nominis æquivocatione fraus contegatur; quod revera contigisse conqueritur illustrissimus & doctissimus Franciscus Bosquetus Episcopus Montispessulani in ea ad Stephanum Baluzium epist. quæ ante libros D. de Marca de concord. Sacerd. & Imp. edita est. *Incidi*, inquit, *in locum ejus Scriptoris anonymi, qui ementito Gallicanæ libertatis propugnandæ titulo librum notâ censoriâ jam olim adustum, Regia sanctione proscriptum, ac perpetuis tenebris damnandum in lucem edere ausus est: illo falsam thesim (scilicet Laicorum æquè ac Clericorum cœtum Ecclesiam Gallicanam componere, ejusque communi decreto publica ejus Ecclesiæ negotia decidi, & non Episcoporum judicio, ad quos propositionem de difficilibus negotiis,*

negotiis, quæ ad ipſorum vocationem ſpectant, tantum pertinere) & auctoritate amici noſtri fulcire nititur. Quamvis fraudem Scriptoris facillimè detegerem, & deluſam ejus mentem in æquivoco, ut loquuntur Logici, cùm libertatis, tum Eccleſiæ nomine animadverterem. Alia eſt enim ſignificatio Eccleſiæ, dum Fideles omnes complectitur, ut & libertatis, qua ſingulos Fonte Baptiſmatis renatos Chriſtus donavit: alia Eccleſiæ quæ etiam apud antiquos Scriptores ſolum Clericalem ordinem; ut & libertatis, quæ jus & facultatem, ſeu poteſtatem univerſam regendi Eccleſiam Sacerdotali ordine, in primis Petri Apoſtolorum Coriphæi ſucceſſoribus, Divina conſtitutione tradita, comprehendit.

7. Nec eſt quod aliquis circa hoc nomen quæſtionem moveat, quod cæteris quidem cætibus præeſſe unum aliquem Paſtorem cernat, puta Eccleſiæ univerſæ Summum Pontificem, Diœceſi Patriarcham, aut Exarchum, Provinciæ Metropolitam, Parochiæ Epiſcopum; Gallis autem omnibus ut à cæteris Regnis diſcernuntur, unus quiſpiam non ſit præpoſitus. Rex namque, cujus imperio ſubjacent, eos in unum quidem corpus politicum conjungit, ſed non in unam Eccleſiam, cùm in Laicorum ordine cenſeatur. Obſervandum enim eſt Romanum Pontificem tanquam ſummum Paſtorem totius Eccleſiæ caput exiſtere, totius autem Occidentis tanquam ejus Patriarcham; Galliæ verò Caput ſpecialius poſſe nuncupari propter antiquiorem, & ſtrictiorem illius Regni cum Eccleſia Romana conjunctionem. Nec enim, ut Eccleſia Gallicana una ſit, opus eſt, ut intra ſe unicum Caput habeat, ſed ſatis eſt, ut ejus membra non unius regiminis politici tantum, ſed unius quoque Religionis vinculo arctiori conjuncta, totius Eccleſiæ Capiti etiam intimè cohæreat, illud præcipuis obſervantiæ, atque obedientiæ officiis excolat, ejuſque viciſſim amoris, ac ſollicitudinis ſpecialis beneficio potiatur.

8. Libertatis porrò nomen ex primaria ſua inſtitutione conditionem deſignabat, quâ homo id ſine impedimento præſtare poſſet, quod liberet; *Libertatis enim proprium eſt*, ut inquit Cicero offic. cap. 1. *ſic vivere ut velis*; quod tamen, ne de perverſa quoque voluntate accipiatur, in paradoxis explicat in hunc modum; *quid eſt enim libertas? Poteſtas vivendi ut velis. Quis igitur vivit ut vult, niſi profectò qui recta ſequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via conſiderata, atque proviſa eſt? qui legibus quidem non propter metum paret,*

paret, ſed eas ſequitur, atque colit, quia id ſalutare maximè judicat eſſe, &c. Paradoxo 5. Verum hoc nomen ad alia quamplurima ſignificanda poſtmodum derivatum eſt: verbi gratia liberationem à peccato, à jugo legis Moſaïcæ, à quibuſvis demùm malis, vel oneribus.

9. Dum autem de Eccleſia dicitur, aliquem indicat ad Religionem ordinem, idque multipliciter. Cùm enim libertas ſervituti, ſeu neceſſitati opponatur, Eccleſia libera rectè tunc dicitur, cum ab exercitandis, prout placet, Religionis officiis minimè prohibetur. Ità, dum Conſtantinus Imperator conceſſit toto orbe terrarum Chriſtianis, ut Eccleſias ædificarent, Divina myſteria publicè celebrarent, aliaque omnia ſine impedimento præſtarent, ad debitum vero Numini cultum exhibendum neceſſaria, libertatem Eccleſiæ dediſſe dicitur.

10. Intelligitur etiam ſæpènumero libertas Eccleſiaſtica de immunitate rerum, locorum, & perſonarum Deo peculiariter conſecratarum; quando ſcilicet Eccleſia pro ſuo arbitrio Miniſtros ſibi deligit, eoſque cultui Divino, & convenientibus cuique miniſteriis deputat; cùm illi à ſæcularibus muniis, oneribus, negotiis, judiciisque exempti, quæ Dei ſunt ſolummodò curant. Cùm ædibus Deo ſacris is honor defertur, ut ſæcularia negotia illic non tractentur, ut ab omni ſcelere illic perpetrando diligentius abſtineatur, ut nullus illinc invitus, aut invito Paſtore extrahatur: cùm Fidelibus omninò licet bona ſua Deo conſecrare: cùm bona ſic Deo conſecrata ſubſidiorum, aliorúmve onerum ſervitute non premuntur, ne dum à rapinis, aliiſque injuriis tuta ſunt.

11. Ad ea, & ſimilia ſignificanda plerumque uſurpatur à ſacris Conciliis, & Scriptoribus Eccleſiaſticis libertatis, ſeu immunitatis Eccleſiaſticæ nomen. Sanctus Antoninus 3. part. tit. 12. cap. 3. *Immunitas*, inquit, *Eccleſiæ eſt privilegium Eccleſiaſticæ libertatis, vel rerum, vel perſonarum ad eam pertinentium.* Et §. 4. ex Franciſco de Zabarel. *Immunitas eſt libertas, ſeu exemptio Eccleſiæ in perſonis, rebus, & juribus Eccleſiaſticis quibuſcumque.* Et infrà..... *Tertium privilegium datum à Deo Eccleſiæ eſt, ut adminiſtret ſola ſine Laicis res ſuas, ut diſt. 96. ſi Imperator. Et de rebus Eccleſ. non alien. cap. fin. Et hinc Eccleſia ſola, & non Imperator jus concedere poteſt, & aliter diſponere*

dist. 96. cap. denique cùm ad verum. Concilium item Colon. anno 1536. p. 9. cap. 20. *Immunitas Ecclesiastica vetustissima res est, jure pariter Divino, ac humano introducta, quæ in duobus potissimùm sita est. Primum ut Clerici, illorumq; possessiones, & bona à vectigalibus, & tributis, aliisq; muneribus Laicis libera sint..... Secundùm ne rei criminis ad Ecclesias confugientes inde violenter extrahantur, exceptis publicis Latronibus, qui per industriam proximum occiderint, aut nocturnis depræadatoribus agrorum, qui itinera obsident, denique his, qui sub immunitatis spe in Ecclesiis, ac cœmeteriis delinquunt.*

12. Frequentiùs apud Gallos libertatis significatio ea esse dicitur, quæ juxta Concilium Ephesinum can. ult. in observandis Canonibus, & conservanda cuique Ecclesiæ sua jurisdictione consistit, ut ex capite sequenti constabit.

CAPUT III.

Quomodò definiantur libertates Ecclesiæ Gallicanæ.

1. DIversæ à diversis traduntur definitiones libertatum Ecclesiæ Gallicanæ. Omnium tamen communissima est, quæ illas in observando ad amussim, inviolabiliterque jure antiquo reponit. Hanc itaque diligentiùs expendemus, si priùs autoritate munierimus.

2. Renatus Choppinus de sacra Polit. lib. 1. tit. 1. num. 13. eam his verbis exprimit: *Cùm adversus hos Canones* (antiquos) *Pontificiis Rescriptis abuteretur sensim inferior ætas, Galli Monarchæ, Prætoresq; Regii cœperunt eum abusum, Canonicæq; Doctrinæ neglectum civili imperio vindicare: ne cui in Ecclesiasticam disciplinam Ecclesiæ Primati fas esset moliri quidpiam intra Francicæ Ditionis pomœria, aut alioquin districtè revocaretur mos Hierarchiæ vetustioris. Ac illius quidem auctoritatis, libertatisq; Francicæ vestigia cernimus identidem, &c.* Libro autem 2. tit. 4. n. 1. docet Regium Senatum provocari, *cùm ab Ecclesiastico Judice tentatum sit aliquid in perniciem sanctiorum Decretorum priscæ, venerandæq; vetustatis.*

3. Petrus Pithœus in Libello Gallico idiomate scripto, cùm hoc titulo; *Les Libertez de l'Eglise Gallicane*, quem Petrus Puteanus aliis omnibus ejusdem argumenti præmisit, in sua Col-

Collectione, duo statuit principia, seu axiomata illarum libertatum, quorum primùm Romano Pontifici adimit omnem in temporalia Regni Franciæ potestatem, alterum est hujusmodi: „ Etsi Papa in rebus spiritualibus supremus agnoscatur, tamen in Francia potestas absoluta, & infinita locum non habet; sed cohibetur, & limitatur Canonibus, „ & Regulis antiquorum Conciliorum Ecclesiæ in hoc Regno „ receptorum. *Et in hoc maximè consistit libertas Ecclesiæ Gallicanæ.*

4. Guido Coquille Institutionibus ad Jus Gall. tit. de Jure Regio „ asserit eas libertates in eo consistere, quod Ecclesia „ Gallicana Canonibus valdè antiquis inhærens non admisit, „ recepitvè quamplurimas Constitutiones Pontificias.

5. Jacobus Leschasserius in opusc. de libert. antiqua, & Canonic. Eccles. Gallic. pluribus idem statuit. Pauca de multis in capite sequenti referemus.

6. Luculentiùs eam Gallorum sententiam declarat Christophorus Justellus in epist. ad eundem Jacobum Leschasserium, Codici Canonum Ecclesiæ universæ ab ipso edito, præfixa; *Quamvis in jure communi antiquo*, inquit, *positam esse libertatem Ecclesiæ Gallicanæ ab omni ævo Reges, Episcopi, Regni Ordines, tota denique Gallia affirmaverit; Vetus est tamen in Senatu* PARISIENSI SENTENTIA A MAJORIBVS PER MANVS TRADITA, ET MEMORIÆ OMNIVM, QVI PRVDENTIA, ET VSV VALENT, *insculpta, illam libertatem maximè quatuor primis* CONCILIIS OECVMENICIS, ET IIS, QVÆ AB ILLIS CONFIRMATA SVNT, CONTINERI; *Et quæ contra fiunt, præcipuas appellationibus iis causas præbere, quæ velut ab abusu interponuntur.* Hanc ipsam mentem tribuit Justellus Cardinali Lotharingiæ; prosequitur enim: *Quæ sententia convenit protestationi ab Illustrissimo Cardinali Lotharingiæ in Concilio Tridentino factæ, omnium Galliæ Episcoporum nomine, die 2. Novembris 1563. nempe optare se, in eoque maximè elaborandum esse, ut vetus disciplina Ecclesiæ restitueretur. In usum, inquit, veteribus jamdiù aboletis revocatis Canonibus,* ET MAXIME' QVATVOR VETERVM CONCILIORVM, QVÆ QVANTVM FIERI POTERIT OBSERVANDA ESSE CENSEO. Et post pauca. *Hanc autem meam mentem, & sententiam cùm meo, cùm omnium Galliæ Episcoporum nomine in acta referri volo, & ut id fiat, à Notariis peto, & postulo.*

7. Illustrissimus Petrus de Marca lib. 3. de concord. cap. 1.

num. 7. *Patet*, inquit, *vera, & genuina definitio hujus libertatis ex sensu Ecclesiæ Gallicanæ, ut sit nempè usus antiqui juris communis.*

8. Carolus Fevret tract. de abus. lib. 1. cap. 4. num. 13. variis eandem opinionem probationibus adstruit.

9. Eam etiam Joannes Doujatius Antecessor Parisiensis variis in locis, maximè in fine synopsis historicæ Juris Pontificii amplectitur. *Apud nos* (hæc sunt ejus verba) *Jus Canonicum speciale triplex distingui potest: Constat enim veteribus Ecclesiæ institutis, quibus majores nostri tenaciùs, quàm vicini populi adhæserunt*, QVÆ VVLGO IMMVNITATES, SEV LIBERTATES ECCLESIÆ GALLICANÆ DICVNTVR, &c.

10. Joannes Gerbasius tract. de causis major. art. 2. sic sentit; *habet in primis Ecclesia Gallicana suos mores, suasque traditiones, eò quidem retinendas magis quod fortuitæ ac temerariæ non sint*, SED CANONIBVS IPSIS ANTIQVIS, VETERVMQVE PATRVM SENTENTIIS INNIXÆ AC FVNDATÆ. ETENIM LIBERTATES SVAS, QVÆ AB ISTIVSMODI TRADITIONIBVS NIHIL DISTANT, NON ALIA RATIONE TVETVR GALLIA, QVAM ANTIQVO, ET COMMVNI IVRE.

11. Illustrissimus Carolus Mauritius le Tellier Archiepiscopus Rhemensis in eo instrumento jàm pridem in lucem publicam, edito, quo sese Ecclesiæ Cameracensis, olim Rhemensis Provinciæ, ad Metropoliticam Dignitatem evectioni opponere protestatus est, die 4. Februarii anno 1678. „ declarat Franciam autoritatem semper æqualiter potentem, & venerandam *quatuor primorum Conciliorum habere tanquam „ unicum, & inconcussum suarum libertatum fundamentum.*

12. Idem etiam sæpissimè protestati sunt Regii Officiales tùm in scriptis, tùm vivâ voce in Senatu perorantes, ut testantur varia Senatus consulta typis edita, & vulgata.

13. Denique Conventus Parisiensis libertatum Ecclesiæ Gallicanæ fundamenta SACRIS CANONIBVS, ET PATRVM TRADITIONE NITI jam in ipso limine declarat, ut tanquam certum supponere liceat, Ecclesiam Gallicanam suas libertates in antiqui juris observatione constituere.

14. Quamobrem de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ disputaturi hanc illarum definitionem, utpotè cùm à Clero tum à Magistratibus sæcularibus, & à cujusvis conditionis scriptoribus

bus comprobatam tanquam fundamentum ponimus. Non negligemus tamen alias, sed opportunis locis, pro cujusque merito expendemus.

CAPUT IV.

Definitionem libertatum Ecclesiæ Gallicanæ communiter traditam non esse legitimam.

1. DEfinitio libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, quam communiter tradi pluribus testimoniis superiori capite ostendimus, nempè quod sint *antiquorum Canonum custodia*, si ad leges Dialecticæ exigatur, contra omnes, aut saltem præcipuas definitionis regulas, nimirum perspicuitatem, integritatem, ac convenientiam cum re definita, peccare comperietur.

2. Obscura est, quia, cùm antiqua disciplina latissimè pateat, incertum est, an eam integram complectatur? an illius tantum partem? & quam & quousque perveniat antiquitas ex mente Gallorum? Canones etiam alii à Conciliis generalibus, alii à Provincialibus, alii à Nationalibus editi sunt. Antiqua disciplina non solos Canones, sed etiam summorum Pontificum Decreta complectitur. Porrò Illustrissimus Archiepiscopus Rhemensis declarat, ut vidimus „ Franciam autoritatem semper æqualiter potentem, & veneran„dam quatuor primorum Conciliorum habere tanquam uni„cum, & inconcussum suarum libertatum fundamentum. Christophorus Justellus quatuor primis Conciliis œcumenicis adjungit alia, quæ ab illis confirmata sunt. Quod etiam fortassis intelligit Dominus le Tellier. Verùm Dominus de Marca *usum juris communis antiqui sine exceptione veram, & genuinam hujus libertatis definitionem* dicit; *idque* EX SENSV ECCLESIÆ GALLICANÆ, huic consentit Joannes Doujatius, cùm ait, VETERA ECCLESIÆ INSTITVTA, VVLGO IMMVNITATES, SEV LIBERTATES ECCLESIÆ GALLICANÆ DICI. Alii expressè summorum Pontificum Epistolas Decretales meminerunt. Alii denique antiquis Canonum Codicibus specialem tribuunt autoritatem.

3. Quâ in re tamen eorum aliqui non ſolum inter ſe diſſentire, ſed etiam ſibi ipſis non ſatis videntur conſtare. Nam verbi gratia Doujatius, qui loco jam jam citato vetera inſtituta vocat libertates Eccleſiæ Gallicanæ, tamen loco infrà cap. 12. num. 6. citando, jus antiquum obſoletum dicit. Dominus etiam de Marca, cùm in loco jam adducto veteris tantum juris meminerit, in locis infra cap. 13. referendis totum ferè jus novum ad libertates Gallicanas aſſerit pertinere.

4. Caret tradita definitio parte una, eaque præcipua, ſcilicet differentia. Licet enim concedamus nonnullos, ſi velis etiam plurimos antiquos Canones obſervari in Gallia, eos tamen ipſos, aut plures ſervant etiam reliquæ Catholici orbis Provinciæ; nec facile paterentur reliquæ Catholicæ nationes hanc ſibi laudem à Gallicana præripi.

5. Definitio illa non convenit ſuo definito. Si quis enim hinc ſingula libertatum illarum capita, quæ in tractatibus ea de re ſcriptis proponuntur, attentè conſideret, illinc univerſos Conciliorum antiquorum Canones, ac ſummorum Pontificum Decreta perluſtret, parum inter ſe convenire concludet.

6. Jure tantùm antiquo definitæ ſunt libertates; cum tamen, circa novum magis verſari videantur, ſed ut prædicta manifeſtiùs pateant, ſingula fuſiùs ſunt proſequenda.

CAPUT V.

Quod Eccleſiæ Gallicanæ libertates non contineantur in ſolo Codice Canonum Eccleſiæ univerſalis.

1. JAcobus Leſchaſſerius in opuſc. de antiqua & Canonica Eccleſiæ Gallicanæ libertate jam citato, Eccleſiam Gallicanam perhibet, Eccleſiæ univerſæ Decreta ex tribus Codicibus ſucceſſivè deprompſiſſe. Primum illorum Codicum vocat Codicem Eccleſiæ univerſalis; ſecundùm Codicem Canonicum Eccleſiæ Romanæ; Decretum Gratiani tertio loco reponit. Primum illum & antiquiſſimum Codicem complecti

plecti affirmat Canones, in quibus ipsa, quasi essentia libertatis Gallicanæ continetur, ad quem cætera omnia referenda sint. „ Duplex est, inquit, libertas Ecclesiæ Gallicanæ, „ antiqua scilicet, & moderna; aut potiùs una, & eadem „ libertas diversimodè spectata. Antiqua est primus illorum „ trium Codicum Canonicorum dignus certè, qui ab Eccle„ sia universa in maximo pretio, & maxima reverentia ha„ beatur; quippè qui sit primus ejus liber, & commune in„ strumentum post sacræ Scripturæ Codicem; moderna est „ in Constitutionibus Regum nostrorum, in illorum Con„ cordatis, & in supremorum Tribunalium Senatusconsul„ tis. Porrò ista secunda libertas à necessitate profecta est „ quasi in subsidium primæ ..... Nova ista jura ita vera li„ bertas non sunt, ut & illa ipsa, & constitutio S. Ludo„ vici ad antiquam, & Canonicam, seu ad naturalem, & „ absolutam libertatem ordinentur.

2. Codicem antiquum Ecclesiæ universæ illum sine dubio intelligit, cujus formam Christophoro Justello præscripsit, aut expressit in consultatione de controversia inter Paulum V. Pontificem, & Rempublicam Venetam anno 1607. ut accepto refert ipse Justellus in epistola ad eundem Lechasserium scripta anno 1610. *Cum*, inquit, *accuratiùs modum quærerem, quo ille vetus Ecclesiæ primitivæ Codex restitui, & in lucem revocari posset, tu mihi, veluti Theseus alter, in explicando hoc labyrinto viam aperuisti, hujusque restitutionis rationem, anteà incompertam indicasti, quam & ipsam tuis verbis descriptam huic operi adjunxi. Illud ergò vetustissimum Ecclesiæ Christianæ monumentum nunc primum à nobis pristinæ integritati restitutum, & ab interitu vindicatum ne diutiùs disperiret publico dari curavi.*

3. Pluribus iisque efficacissimis rationibus comprobari posset, Codicem illum non eum esse, ex quo solo olim Ecclesia disciplinæ leges hauriebat, & Guilielmus Voëllius, & Henricus Justellus Christophori filius in præfat. ad Bibliothecam Juris Canonici veteris, in cujus fronte posuerunt Codicem illum, suadere conati sunt. *Non enim*, inquiunt, *necesse est, ut illa collectio Codicis universæ Ecclesiæ titulo gaudeat, quòd omnes Conciliorum Canones à singulis Ecclesiis receptos, & editos complectatur; sed sufficere videtur, quod primis Ecclesiæ temporibus, quibus editus fuit hic Codex, illo solo, nec alio uteretur Ecclesia universalis in disci-*

cipli-

ceptandis de disciplina controversiis, quemadmodum à Concilio Calcedonensi factum leginus.

4. Sanè si Codex ille in universa Ecclesia vim habuisset, quomodo periisset illius memoria, edito post Synodum Trullanam à Græcis Ecclesiæ Orientalis Codice, quod subjungunt prædicti Justellus & Voëllius, siquidem Canones illos rejecerunt Romani Pontifices, præsertim Sergius, qui tunc Ecclesiæ Romanæ Clavum regebat, ut testantur Anastasius in Sergio, & Beda lib. de sex ætatibus.

5. Prætereà quomodo fuisset Codex Canonum universæ Ecclesiæ, qui certè Codex Ecclesiæ Romanæ esse non potuit, atque adeò neque totius Ecclesiæ Occidentalis, Romanæ strictissimè cohærentis? Nunquid præcipua illa Orbis Christiani pars ad universam Ecclesiam non pertinebat? Quomodo autem Ecclesiæ Romanæ Codex fuisset, in quo desiderabantur, nec postmodum adjecti sunt, Canones in Occidente vigentes, v. g. Canones Conciliorum Arelatensis, Sardicensis, Carthaginensium, & Toletani primi, in quo ècontra continentur Canones dudum ab Ecclesia Romana vel improbati, vel pro minimo habiti v. g. Costantinopolitani.

6. Certè Paschasius Quesnel in appendice ad S. Leonis magni opera dissert. 12. se antiquissimum Ecclesiæ Romanæ Codicem edere affirmat anteà nunquam editum; hic enim titulus est dissertationis: *De Codice Canonum Ecclesiæ Romanæ omnium, qui huc usque prodierunt antiquissimo nunc primum in lucem edito*; capiti autem primo iste titulus præfixus est; *Romanam Ecclesiam suum olim Codicem habuisse ante Dionysii Exigui Abbatis collectionem, nec eum huc usque emersisse è tenebris*; Capiti autem 2. *Priscum illum Codicem eum ipsum esse, quem jam publici juris facimus.* Itaque si Quesnelio credimus, non erat Codex Ecclesiæ universæ, quem anteà ediderat Justellus; quique in multis differt à Quesneliano, & à vero Codice Ecclesiæ Romanæ.

7. Habebat Ecclesia Romana suos Canones, eosque in seriem redactos, etiam ante tempora, quibus primum compactus perhibetur Codex ille Ecclesiæ universalis, ut ex iisdem argumentis conjicitur, quibus Codici à Justello restituto autoritatem conciliare nituntur ejus Patroni, cui quidem Canonum Ecclesiæ Romanæ seriei, potio-

ri

ti jure tribueretur nomen Codicis Ecclesiæ universæ.

8. Verùm nihil opus est in minuenda Codicis Justelli autoritate immorari; satis enim est, quod ab ipsis ejus Patronis conceditur, ejus memoriam à tempore Concilii Trullani, hoc est à fine septimi, vel ab octavi sæculi principio, ad nostrum usque sæculum excidisse; Hinc enim evincitur, non cum esse libertatum Gallicanarum thesaurum, qui per tot sæcula, & per ea maximè, quibus hujusmodi libertates validiùs propugnatæ sunt, sub oblivionis tenebris reconditus delituerit. Nunquam enim ferventiores extiterunt hac de re disceptationes, quàm tempore Caroli sexti Regis Francorum, quo tamen tempore, ut testatur Dominus Petrus de Marca lib. 3. cap. 6. num. 5. *Antiquos Canones, & jus commune intelligebant* (Galli) *quod Gratiani Decreto, & Decretalibus erat comprehensum, idque*, inquit, *manifestè probatur, non solùm ex eo, quod vetus Codex Canonum illis esset incognitus, sed etiam ex Concilio Constantiensi.*

CAPUT VI.

De Codice Dionysii Exigui.

1. ANgustis nimium finibus concluſæ fuerant Ecclesiæ Gallicanæ libertates à Jacobo Leschasserio ad antiquissimum Canonum Ecclesiæ universæ Codicem redactæ. Quamobrem non solùm antè excitatum hujusmodi Codicem, sed etiam ex quo editus est, aut revocatus in lucem, Dionysii Exigui collectionem ceu præcipuum illarum libertatum promptuarium multi posuerunt; quod & illos Canones, quos exhibet Codex Justelli, contineat (exceptis tribus ultimis Constantinopolitanis, & octo Ephesinis) & 50. Apostolicos, unum supra viginti Sardicenses, centum triginta octo Cartaginenses, seu Africanos insuper complectatur, Canonibusque adjunctæ sint Decretales octo summorum Pontificum, à Siricio scilicet usque ad Anastasium II. Sic sentit Carolus Fevrettus lib. 1. de Abusu cap. 4. num. 20. „Hi „duo libri Canonum, inquit, Codex scilicet Canonicus „Dionysii, & Codex Ecclesiæ Gallicanæ proprius tanta cum

„religione obſervati ſunt, ut nec Clerus, nec tres Regni „Ordines unquam ab eis deflexerint, alia omnia decreta, & „alias omnes conſtitutiones præter ibi inſertas repudiantes, „& ſubjectioni, ac gravi, & pernicioſæ ſervituti tribuen„tes quidquid huic juri communi, & Canonico adverſaretur.

2. Verumtamen Chriſtophorus Juſtellus collectione illa, ſeu verſione à Dionyſio facta putat Gallos non fuiſſe uſos uſque ad annum 805. *Gallicana etiam Eccleſia*, inquit in præfatione ad ſuum Codicem, *veteri jure Canonico uſa eſt quatuor videlicet priorum Conciliorum œcumenicorum, & cæteris ab iis confirmatis, & ab univerſa Eccleſia receptis, non tamen ex Dionyſiana interpretatione*, SED EX ALTERA VETVSTIORE, *illa ſcilicet, quæ habetur in collectione, quæ Iſidori Mercatoris nomen præfert in editione Conciliorum Colonienſi.* Præmiſerat autem, (loquens de collectione Dionyſiana, cui ab alio Collectore addita fuerant Decreta Hilarii, Felicis, Simplicii, Hormiſdæ, Symmachi, & Gregorii Junioris.) *Atque ipſe eſt Codex Canonum, qui ab Adriano I. Papa, Carolo Magno Regi oblatus eſt anno* 805. *ad uſum Eccleſiarum Occidentalium.* Quæ omnia poſtmodum ſic adſtruit; *ſed & Synodi quædam Gallicanæ, ut Valentina, Regenſis, Arelatenſis II. Agathenſis, & Epaonenſis citant Canones Nicænos, Ancyranos, & Laodicenſes ex veteri tranſlatione apud Gallos tunc recepta, quæ apud Iſidorum Mercatorem reperitur, qua ſemper liberiùs uſi ſunt: quod in Conciliis Gallicanis ſub Ludovico Pio Imperatore, cæteriſque ſubſequentibus obſervare licet.*

3. Juſtello ferè aſſentitur P. Jacobus Sirmondus in præfatione ad ſuam collectionem Conciliorum Galliæ. *Certum eſt*, inquit *illos* (Gallos) *priſcam illam* (tranſlationem) *libentiùs ſemper uſurpaſſe, ejuſque uſum ad eadem uſque Caroli Magni tempora frequentaſſe: idque declarat inter cætera Capitulare Aquiſgranenſe Caroli ejuſdem, quod totum Græcis antiquæ verſionis auctoritatibus refertum eſt, præterquam in Canonibus Apoſtolicis, qui neceſſariò ex Dionyſiana recitantur, quia alia tunc illorum verſio nulla erat. Poſt hæc verò ſenſim ab ea deflexêre, Codicemque Canonum Dionyſianæ collectionis per Hadrianum Papam Carolo Regi commendatum amplexi, & pro vetere illa Librorum Synodalium forma, quam diximus, ad novam converſi Dionyſii Exemplaribus Bibliothecas ſuas inſtruxerunt, ac Dionyſii proinde verſione, Decretalibuſque ad Dionyſii formam digeſtis perpetuò deinceps uſi ſunt.*

4. Paſchaſius Queſnelius diſſertatione 16. in opera S. Leonis Magni validiùs contendit Codicem Canonum Dionyſii Exi-

Exigui ante Adriani Papæ I. & Caroli Magni Imperatoris tempora non fuisse receptum.

5. Illustrissimus verò Petrus de Marca lib. 3. de Concord. Sacerdot. & Imper. cap. 4. num. 2. notat Gallos aliquando antiquiorem, sæpius Dionysianam interpretationem secutos, etiam antè Caroli Magni tempora. *Usum autem*, inquit, *collectionis Dionysianæ statim atque edita fuit, priore interpretatione spreta per Gallias invaluisse mihi facile persuadeo, tum* QVIA APVD SEDEM APOSTOLICAM VIGEBAT; *tum etiam quod nitore suo commendabatur præ squallore veteris interpretationis; etsi hanc omnino Galli non deseruerint.*

6. Fuisse illam collectionem citiùs ab Ecclesia Romana susceptam, & accuratiùs retentam testatur celeberrimus Cassiodorus Dionysio coætaneus lib. de Divin. lect. cap. 23. his verbis: *Ex Græcis exemplaribus Canones Ecclesiasticos moribus suis* (Dionysius) *ut erat planus, atque disertus, magna eloquentiæ luce composuit, quos hodie usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur.* Non minoribus eam laudibus effert Eminentissimus Cardinalis Baronius ad annum 325. *Si fidelitas*, inquit, *atque peritia in transferendo, & si veritas in edendo quàm maxima requiratur, nulla exquiri potest editio exactior, atque fidelior, quàm quæ elaborata est à magno illo, sed cognomento Exiguo Dionysio: cujus eximiam in utraque lingua peritiam, & morum egregiam probitatem Cassiodorus dignis laudibus mirificè prædicat.*

7. Si ergo collectio Dionysiana ante tempora Caroli Magni non fuit in usu apud Gallos, vel saltem usus ille non fuit perpetuus, & constans, non potuit etiam esse libertatum Gallicanarum fundamentum. Ac licet invaluerit ejus autoritas post tempora Caroli Magni, non tamen unicum istud, & indubitatum antiquæ disciplinæ promptuarium fuisse certissimis argumentis comprobatur.

CAPUT VII.

De Canonibus Apostolorum.

1. IN primis nascitur dubium circa collectionem Dionysianam, de Canonibus scilicet Apostolorum, de quibus sic Dionysius ipse monet in sua præfatione: *In principio itaque*

Canones, qui dicuntur Apostolorum, de Græco transtulimus, quibus quia plurimi non consensum præbuere facilem, hoc ipsum vestrum noluimus ignorare sanctitatem, quamvis postea quædam Constituta Pontificum ex ipsis Canonibus adsumpta esse videantur. Quo monito illorum Canonum autoritas non parùm imminuitur : Unde non mirùm si Autores Galli circa illorum vim dissentiant.

2. Illustrissimus Petrus de Marca lib. 3. cap. 2. num. 4. non solùm quinquaginta illos, quos Dionysius in sua collectione primos collocavit, sed & omnes alios ad numerum 85. admittit. *Ex iis autem, quæ diximus* (hæc sunt ejus verba) *non solum colligitur vetustas, & autoritas Canonum Apostolorum, sed etiam eorum numerus. Etenim 85. Canones recensent Græci in collectionibus suis juxta definitionem Synodi in Trullo, quo in capite illis rectè convenit cum libro Constitutionum Apostolicarum, ubi Canones illi eadem serie, eodemq; numero referuntur. Laudatum etiam vidimus Canonem 74. à Synodo Constantinopolitana sub Nectario, & 62. à Synodo Nicæna, & 76. à Concilio Antiocheno: Quin etiam Theodoretus in collectione sua eundem numerum 85. Canonum Apostolicorum servavit.*

3. Aliis fortassè viderentur omnes omninò repudiandi, eo quod Gelasius Primus eos in Concilio Romano anno 494. inter opuscula apocrypha, nullo excepto, rejecerit. De qua tamen censura dubitant alii. Deerat illa certè in Codice Hincmari, ut ex his ejus verbis opusculo 55. cap. 24. evidenter colligitur : *Beatus Gelasius in Catalogo, qui libri ab Ecclesia Catholica recipiantur, descripto, &c. de his Apostolorum Canonibus penitùs tacuit, sed nec inter apocrypha eos misit.* Erat ignota Dionysio Exiguo, qui in collectione sua non multò post Gelasium tempore, hoc est circa annum 527. Canones illos omninò prætermisisset, si eis in Concilio Romano hæc nota inusta fuisset; ab eis quoque citandis abstinuissent posteriores Pontifices, de quibus numero sequenti; nisi fortè, & Dionysius, & Pontifices censuram illam benigniùs interpretati putaverint, Gelasium eos non improbasse : Sed incertum, & ab Apostolis diversum esse illorum Autorem monere voluisse, ideoque Dionysium dixisse tantùm, *illis plurimos non consensum præbuisse facilem.*

4. Mediam viam sequuntur alii, quibus quinquaginta primi tantùm placent, quod eos pluribus Pontificibus probatos videant : Joanni II. qui anno 534. ut justam ostenderet Contumelioſi Episcopi Regiensis depositionem, Canones Apostolicos

licos 25. & 29. protulit: Zachariæ epistola ad Pipynum majorem domus, Episcopos, & Proceres Francorum anno 747. Leoni IX. anno 1054. seu ejus Legato Humberto Sylvæ Candidæ Episcopo in confutatione epistolæ Nicæti Abbatis, ex qua sumptus est Canon *Clementis librum* dist. 16.

5. Sanè si constitissent, Apostolos, quorum nomine decorantur, veros fuisse illorum Conditores, & Collectorem S. Clementem, quod titulus, & conclusio supponunt, eandem obtinerent, quàm sacræ Scripturæ Canonici libri autoritatem, aut saltem illis ferè æqualem, nec eos Gelasius apocryphos declarasset. Galli etiam ad eos recipiendos, & in Codicem Canonum referendos promtiores sese præstitissent: cùm tamen ex Gregorio Turonensi lib. 5. histor. Francorum cap. 19. non obscurè colligatur in eo Regno sub finem sexti sæculi vix fuisse cognitos. Refert enim à Chilperico Rege cum Prætextati Episcopi Rothomagensis condemnationem urgeret anno 577. in novo, & distincto quaternione Prælatis fuisse oblatos; *Ipse verò* (Chilpericus) *ad Metatum discessit, transmittens librum Canonum, in quo erat quaternio novus annexus habens Canones quasi Apostolicos.*

6. Quid quod eorum aliqui cum communi Ecclesiæ usu, & sensu non conveniunt? Nam Canon 65. pœnam depositionis, aut excommunicationis statuit in eum, qui sabbatho jejunaverit. Ultimus scripturis Canonicis veteris Testamenti, tertium quemdam Machabæorum librum annumerat; detrahit verò libros Judith, Tobiæ, Sapientiæ, & Ecclesiastici: A novo autem Testamento resecat Apocalypsim, & in quibusdam exemplaribus epistolam S. Judæ. Quî potuissent autem aut Apostoli, qui essent veræ scripturæ sacræ libri, ignorare; aut Concilia, præsertim Tridentinum, Apostolis contradicere, Canonicorum librorum Catalogum diversum texendo?

7. Quod quidem ad Apocalypsim attinet, non erat impossibile, quin illis Canonibus esset posterior, utpotè à S. Joanne jam sene conscripta. Sed præterquam quod hæc ratio quoad alios libros valere non potest; S. Clemens scriptæ à B. Joanne Apocalypsi pluribus annis superstes fuit, quo tempore verosimilius est illum Constitutiones Apostolicas,

& Canones iſtos, qui ultimum illarum caput conſtituunt, collecturum fuiſſe, nec Apocalypſim omiſſurum, cùm ſuarum ipſius epiſtolarum, & conſtitutionum meminiſſe perhibeatur.

8. Quanquam autem Canones iſti Apoſtolicâ non gaudeant autoritate, antiquitate tamen ſua commendantur, plurimaſque tradunt morum, & diſciplinæ regulas Apoſtolicis temporibus non indignas, à Gallia ipſa, & ab Eccleſia univerſa receptas. Nec igitur admitti omnes, neque refutari omnes poſſe videntur, ſed eorum habendus delectus, ut ſcilicet illi ſolummodò ceu regulæ proponantur, & accipiantur, qui fuerint ab Eccleſia confirmati.

9. Ità ſuadet Hincmarus opuſc. 55. capitum, 24. cap. *Quapropter in lectione illorum ſequenda eſt cautela ab eodem S. Gelaſio præmonita; Cum hæc, inquit, ad Catholicorum manum advenerint, B. Pauli Apoſtoli præcedat ſententia, quæ dicit;* OMNIA PROBATE, QVOD BONVM EST TENETE: quod tamen de iſtis Canonibus non eſt à Gelaſio dictum.

10. Verumtamen cum tamdiu nutaverit Canonum Apoſtolicorum autoritas, totaque illorum vis ab aliis Eccleſiæ decretis, vel ab uſu profecta ſit, necdum etiam aliqui recepti ſint, conſtat libertates Eccleſiæ Gallicanæ illis tutò inniti non potuiſſe, nec etiamnum poſſe.

CAPUT VIII.

De Canonibus, & Decretis à Dionyſio Exiguo prætermiſſis.

1. NOn eo pervenit Dionyſii diligentia, ut Concilia omnia, aut omnium Pontificum Decreta repererit. Quamobrem licet maximæ autoritatis ſint, quæ profert, non tamen omni deſtituta ſunt robore, quæ ipſe prætermiſit, ſi aliorum fide dignorum teſtimonio nitantur: nec enim ut ſupra inſinuavimus, Dionyſii opus unicum eſt Eccleſiaſticæ diſciplinæ Promptuarium, in quo aſſerventur univerſæ leges Eccleſiaſticæ; nec quando ab Eccleſia Romana, vel Gallicana

cana tanto cum applausu exceptum fuit, in illud omnis delata est vis Canonica; sed cum non nisi obscura, & ferè barbara haberetur interpretatio Græcorum Canonum, non potuit dilucida, & exacta Dionysii translatio, statim ut oblata est, non arridere.

2. Nec ita collectio Dionysiana specialiter ab Ecclesia confirmata fuit, ut Canones aliquam ex eo solo quod inibi reperiantur, vim sibi vindicent, quemadmodum Codex Legum civilium à Justiniano accepit autoritatem, nam S. Gregorius Magnus plus quàm 60. annis post editam illam collectionem scripsit, Canones Concilii Constantinopolitani ab Ecclesia Romana non fuisse receptos, quos tamen collegerat, & Latinos fecerat Dionysius. *Romana Ecclesia*, inquit sanctus ille Pontifex lib. 6. epist. 31. *eosdem Canones, vel gesta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit.* Nec eos solos intelligebat, qui desiderabantur in collectione Dionysiana: quippe cùm ageretur de dignitate, quam sibi arrogabat Episcopus Constantinopolitanus juxta Canonem præfati Concilii, quem vertit Dionysius. Major autem esset error, si quis, quod apud Dionysium non legeret, nihili faciendum existimaret.

3. Præcipuum Autoris illius consilium fuit, non in unum volumen colligere quæcumque vim Ecclesiasticæ legis haberent; sed Græca, quæ non omnibus intellectu facilia erant, in Latinum idioma transferre, quod anteà nullus tam fideliter, & tam perspicuè præstiterat, mentem hanc suam his in præfatione verbis aperuit. *Quamvis charissimus frater noster Laurentius assiduâ & familiari cohortatione, parvitatem nostram regulas Ecclesiasticas de Græco transferre pepulerit, confusione, credo, priscæ translationis offensus.* Addidit nihilominus Canones Sardicenses, & Africanos, sed præterquam quod Ephesinos omnes, quorum indubitata est fides, & autoritas, & duos ultimos Constantinopolitanos, qui etiam, licet seriùs, in Occidente invaluerunt, è Græca in Latinam linguam non convertit; Latinos quamplurimos omisit, & eos quidem maximi ponderis, & momenti, quod etiam silentium tantum abest ut suadeat, eos omni utilitate, aut robore caruisse, ut etiam hinc fortè conjicere liceret, eos usu communi ita notos extitisse, ut novâ publicatione non egerent. Ideò enim Sardicenses, & Africanos se exscripsisse profitetur,

tur, ne laterent Stephanum, cui opus suum dedicavit; *ne quid præterea notitiæ credar velle subtrahere, statuta quoque Sardicensis Concilii, atque Africani, quæ Latinè sunt edita, suis à nobis numeris cernantur esse distincta.*

4. Nùm enim in Gallia, in Hispania, immò in Italia, & Romæ nulla habita fuerant Concilia tempore Dionysii Exigui? Nulline illic conditi fuerant Canones? Nùm Ecclesia Romana, & Gallicana libentiùs Græcis obsequebantur, quàm suis, quasi specialibus Provinciarum necessitatibus providissent exteri sapientiùs, aut opportuniùs, quàm Pastores indigenæ, aut incolæ?

5. Cæterùm quamvis Dionysius in congregandis summorum Pontificum Decretis maximam operam posuerit, ut ad Julianum Præsbyterum tituli S. Anastasii scribit his verbis præfationis; *Sanctitatis vestræ piis excitatus studiis, quibus nihil prorsùs eorum, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam pertinent, omittit inquirere; præteritorum Sedis Apostolicæ Præsulum constituta, quâ valui curâ, diligentiaque collegi, & in quemdam redigens ordinem titulis distinxi compositis;* Certissimum tamen est plurima ejus diligentiam effugisse, quorum etiam aliqua ipsius collectioni postmodum adjuncta sunt, antequam Carolo Magno ab Adriano Papa traderetur, ut perhibet Christophorus Justellus in præfat. ad veterem Codicem Ecclesiæ universæ; *Cui posteà*, inquit, *ab alio Collectore addita sunt Decreta sequentium Pontificum Hilarii, Felicis, Simplicii, Hormisdæ, Simmachi, & Gregorii Junioris. Ex quibus tam Conciliorum Canonibus, quàm Pontificum Decretis tandem compositus est Codex Canonum Ecclesiæ Romanæ? Atque ipse est Codex Canonum, qui ab Adriano Papa Primo Carolo Magno Regi, Romæ oblatus est anno 805. ad usum Ecclesiarum Occidentalium.* Porrò quamvis Justellus Pontifices priores Anastasio II. posterioribus commisceat: certum tamen est Hilarium, Felicem, & Simplicium antiquiores fuisse Anastasio illo II. cujus Decreta ultima sunt in collectione Dionysii. Undè necessariò colligitur, Dionysium multa prætermisisse, quæ robore non carerent.

6. Referuntur item inter authentica Conciliorum acta, inter primorum Patrum, & fidelium Scriptorum opera, literæ gravissimæ, atque utilissimæ summorum Pontificum Siricio antiquiorum, de quarum veritate sine pertinacia, vel etiam

temeritate dubitari non possit, quibusque sua reverentia, & quidem maxima debetur.

7. Quæ igitur collectioni Dionysianæ inserta, vel assuta sunt majori vi fortasse pollent propter usum, qui latiùs patuisse videtur; non tamen idcircò parvi facienda sunt alia, quorum veritas sufficientibus argumentis manifesta fuerit. Cujusmodi sunt v. g. epistola Julii Papæ Primi, ex Apologia 2. S. Anastasii, aliæque quamplures aliorum Pontificum ab antiquis Scriptoribus relatæ, vel etiam à Recentioribus è tenebris erutæ, qua in re laudabiliter hodie plures desudant. Non est ergo cur antiqua disciplina à Gallis observanda intra Dionysii Codicem concludatur.

CAPUT IX.

De Epistolis Decretalibus antiquiorum Pontificum.

1. Acris fuit olim disceptatio inter Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem, & ipsius nepotem Hincmarum Laudunensem Episcopum, quæ etiam ad alios Episcopos Galliæ, & ad Nicolaum Primum summum Pontificem attinuit, occasione Decretalium Epistolarum veterum Pontificum, quas Riculphus Episcopus Moguntinus ex Hispania in Gallias detulerat sub finem octavi, aut initio noni sæculi. Nulla certè fuisset contentio, si adhibita fuisset debita diligentia in exquirenda illarum veritate. Aut enim detecta fuisset illarum suppositio, aut dubia saltem fides evasisset, ut regularum loco liqueret non esse habendas.

2. Gallici scriptores ex Dionysii silentio, qui, ut diximus quâ valuerat curâ, & diligentiâ præteritorum Apostolicæ sedis Præsulum constituta collegerat, arguunt suppositas esse antiquas illas Decretales. Quamvis enim non ità potuerit omnia Dionysius assequi, ut adhuc indies non eruantur è tenebris certissima antiquioris temporis documenta, difficile est, ut eum Romæ scribentem tot, tantæque epistolæ effugerint. Quid causæ fuisset, ut tàm præclara antiquitatis monumenta, tamque ob dignitatem, & sanctitatem Autorum, nec

non ob materiæ præstantiam commendanda, per tot sæcula in tenebris jacuissent, hoc est à primis Ecclesiæ temporibus, quibus eam gubernarunt Pontifices, quorum nominibus insigniuntur, usque ad octavum, aut nonum sæculum, cùm à Riculpho in Galliam invecta sunt ex Hispania sub nomine Isidori collecta.

3. Accedit, quod earum Epistolarum stylus parum cum eo convenit, quo communiter utebantur omnes illius ætatis Autores, qua scriptæ dicuntur. Atque cum una, eademque sit illarum omnium textura, satis innuitur, non diversis temporibus, & sæculis, atque à tot diversis Pontificibus scriptas, sed simul ab eodem scriptore confictas. Quin etiam non defuerunt, qui, eisdem diligenter inspectis, singulas penè illarum partes ad veros Autores illis Pontificibus recentiores retulerint, ut factâ collatione vix dubitandi locus remaneat, eas ex illis scriptoribus extractas, & interpolatas fuisse. Leguntur enim v. g. in illis non sententiæ tantùm, sed phrases etiam ipsæ Codicis Theodosiani tardiùs editi.

4. Deindè cùm Sacræ Scripturæ loca, quæ in eis plurima, & prolixissima sunt, referantur ex versione vulgata, quam vel composuit, vel saltem emendavit S. Hieronymus, Pontificibus illis, quorum esse dicuntur, junior, post ejus tempora fabricatas fuisse, non leve argumentum est. Cumque nihilominus S. Hieronymus illis Pontificibus vicinus extiterit, ac de illo S. Augustinus hoc protulerit encomium; *Hic omnes, vel penè omnes, qui ante illum ex utraque parte orbis de doctrina Ecclesiastica scripserant, legit.* lib. 1. contra Julianum cap. 7. Nonne aliquod reperisset illarum Epistolarum vestigium inter tot volumina, quot illum evolvisse novimus? At si quod occurrisset, in texendo Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, tot, tamque insignium Autorum certè non fuisset oblitus.

5. Denique qui proximè secuti sunt Pontifices, quorumque literæ indubitatæ ad nos usque devenerunt, suas sententias tàm venerabilium Prædecessorum autoritate confirmare non neglexissent.

6. His, aliisque argumentis non solum Gallici scriptores, sed etiam Romani ducti sunt, ut epistolis illis fidem denegarent. Eminentissimus Cardinalis Bellarminus suam his verbis

bis ſententiam indicat, de Romano Pontifice lib. 2. cap. 14. Indubitatas eſſe affirmare non audeam. Suam certius Cardinalis Baronius ad annum 865. num. 4. *Ex multis*, inquit, *eas reddi ſuſpectas epiſtolas, quæ dicta ſunt 2. Annalium tomo, dum de ſingulis mentio facta eſt, ſatis eſt demonſtratum.*

7. Suſpicari quidem videbatur Hincmarus Rhemenſis eas falſas eſſe: falſitatem tamen apertè affirmare non audebat; ſed aliis rationibus vim earum conabatur infringere: nempè quod in Canonum collectione deſiderarentur; quod Gelaſius Primus ſuorum Prædeceſſorum literas *venerabiliter* tantùm haberi voluiſſet; quod cum aliis epiſtolis ſummorum Pontificum, cum Canonibus, cum uſu, imò & inter ſe pugnarent, & cæteris ſimilibus.

8. Nicolaus I. etiam nonnihil circa illarum veritatem hæſitare videbatur, ideoque non omnes indiſcriminatim admitti volebat, ſed tantùm quæ veræ probarentur legitimis indiciis, quod ſignificaſſe videtur his verbis epiſt. 42. quæ eſt ad univerſos Epiſcopos Galliæ; *Abſit enim ut cujuſcumque uſque ad ultimum vitæ ſuæ diem, qui in fide Catholica perſeveravit, vel Decretalia conſtituta, vel de Eccleſiaſtica diſciplina quælibet expoſita debito cultu, & cum ſumma diſcretione non amplectamur opuſcula, quæ dumtaxat, & antiquitùs S. Romana Eccleſia conſervans, nobis quoque cuſtodienda mandavit, & penès ſe in ſuis Archivis, & in vetuſtis ritè monumentis recondita veneratur.* Sed inſtabat vehementiùs adversùs eam rationem Gallicanorum Antiſtitum, quòd ſcilicet Decretales illæ cùm non haberentur in Codice Canonum, robore carerent. Videbat enim eâdem ratione multorum aliorum Decretorum, & documentorum autoritatem eluſum iri. Reponebat itaque non omnia in Codicem Canonum fuiſſe congeſta, quæ ſequenda eſſent, alioquin, & Sacræ Scripturæ libris autoritatem defuturam.

9. Tandem ſi credimus Illuſtriſſimo Petro de Marca lib. 3. cap. 6. n. 2. *eò deventum eſt, ut* TANTIS NOMINIBVS VETERVM PONTIFICVM CESSERINT VNA CVM RELIQVIS EPISCOPIS ETIAM GALLICANÆ ECCLESIÆ RECTORES. Equidem illorum Sententiæ aliquando expreſſis ſæpiùs tacitis Autorum nominibus probatæ ſunt in variis Conciliis Gallicanis, & in Regiis Capitularibus.

10. Quin etiam Hincmarus ipſe Rhemenſis, qui eas quan-

do ſuis conſiliis adverſabantur, tam acriter impugnabat; quando favebant, ſæpenumerò uſurpavit. Non ſolum enim cap. 15. opuſc. 55. capitum, in quo quidem opuſculo earum robur imminuere vehementer conatus eſt, earum autoritate uſus eſt adverſus Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum, & nepotem ſuum eas acriter defendentem, ſed etiam alibi paſſim. Ita v. g. in epiſtola ad Carolum Calvum, quæ eſt 29. in editione Jacobi Sirmondi, primam S. Vrbani, unicam S. Lucii, ſecundam S. Stephani Papæ, & Martyris laudat.

11. Ivo Epiſcopus Carnotenſis Canonicæ diſciplinæ peritiſſimus eos ſuæ collectioni inſeruit, quam præfatus Dominus de Marca ad Eccleſiæ Gallicanæ uſum compactam affirmat lib. 3. cap. 6. n. 2.

12. Quæ quidem teſtimonia ſufficerent ad ſtabiliendam uſquequaque illarum epiſtolarum autoritatem etiam in Galliis, niſi re diligentiùs expenſa detecta fuiſſet illarum falſitas. Vix enim quiſpiam aſſentitur hodiè Turriano, Binio, & pauciſſimis aliis, qui poſtremis temporibus illarum patrocinium ſuſceperunt.

13. Quamvis autem ferè certum apud Scriptores tùm Gallicanos tùm Romanos hodie ſit, Epiſtolas illas Decretales ſuppoſititium eſſe, non germanum, antiquorum Pontificum fœtum; non eo tamen odio proſequendæ ſunt, ut falſa, vel ſuſpecta omnis habeatur doctrina, in cujus confirmationem adducantur; tam enim communiter receptæ ſunt non ſolum à ſummis Pontificibus, à quibus adoptatæ, ut ita dicam, videntur, ſed etiam à Theologis, Juris Canonici peritis, à Conciliis, & à Regibus Galliæ, atque ab omni Scriptorum genere, ut ab Eccleſia ipſa univerſa probatæ videantur, atque adeò certum ſit, nihil contineri (in illis ſaltem locis prædictarum Decretalium, quæ tam univerſè laudatæ ſunt) quod fidei, aut bonis moribus non conſentiat. Ab iis tamen de induſtria citandis abſtinebimus, etiamſi nobis maximè favere videantur, ne doctrinæ certæ dubiis probationibus fidem conciliare velle videamur; nec illarum quamvis in Gallia receptarum, ac diù in pretio habitarum autoritatem variis libertatum Gallicanarum capitibus, quibus adverſantur opponemus.

C A-

CAPUT X.

De speciali Ecclesiæ Gallicanæ Codice.

1. ECclesiæ Gallicanæ Antistites Canonicæ disciplinæ studiosos, non solum Ecclesiæ universæ, sed & proprios Canones, vel in eodem, vel in diversis Codicibus collegisse mihi facilè persuaserim, sed an fuerit determinatus aliquis Codex, in quo inessent omnes regulæ Canonicæ, quas sequi nemo non teneretur, & extra quem nulla esset, ad quam Galli adstringerentur, non ità compertum est.

2. *Habuit etiam Ecclesia Gallicana*, inquit Christophorus Justellus in præfat. ad Codicem Canonum Ecclesiæ universæ, *præter Codicem universalem quamdam suarum Synodorum collectionem, Gallicanorum Canonum nomine receptam, quorum meminit Hormisda, Papa apud Gratianum his verbis; secundùm titulos antiquorum Patrum sancto Spiritu suggerente conscriptos, & secundùm sententias 318. Episcoporum (hoc est Nicænos Canones) quas etiam Gallicani Canones continere videntur, Clerici in adulterio deprehensi, aut ipsi confessi, aut ab aliis convicti ad honorem redire non possunt.*

3. Affirmat item Carolus Fevret lib. 1. cap. 4. num. 19. ultra Codicem Canonicum (sic ille vocat collectionem Dionysii Exigui) Ecclesiam Gallicanam proprium suum Codicem habuisse, Gallicanorum Canonum nuncupatum; eumque approbatum fuisse ab Ecclesia Romana Can. *si quis Diaconus* dist. 50.

4. Continebat autem Codex ille Canones in Gallia editos, sive à Conciliis Nationalibus, sive à Provincialibus, ut asserit Dominus de Marca lib. 6. cap. 21. num. 7. his verbis; *Eorum Canonum collectio fiebat, qui conditi erant ab universa Ecclesia Gallicana, vel à quadam ejus portione, sive in Regno VVisigotorum, Burgundiorum, aut Francorum, sive etiam in Provincia Gallicana Regni Italiæ, in qua habitæ fuere Synodi Aratusicanæ, & aliæ quædam Provinciales: hiq; Canones recipiebantur ab Episcopis aliarum Provinciarum, confectâ collectione sub nomine Gallicanorum Canonum.*

5. Jacobus Sirmondus in præfatione ad Concilia Galliæ

probat ex varietate collectionum nullam fuisse authenticam, & approbatam: *In tanta*, inquit, *Synodalium voluminum copia, quibus abundat Gallia, vix ullum reperire sit, in quo eædem, quæ in cæteris, nullum, in quo Synodi Gallicanæ veteres universæ contineantur, ut facilis inde conjectura sit*, NVLLAM OLIM CERTAM, ET RECEPTAM SYNODORVM NOSTRARVM COLLECTIONEM, NVLLVM GALLICANORVM CANONVM CORPVS FVISSE. Idem paulò inferiùs repetit.

6. Agobardus, qui vivebat paulò antè medium noni sæculi lib. de dispensat. Eccles. & epist. ad Imperatores de duello, antiquos Romanos asserit veneratos Canones Gallicanos; Neotericos autem eos non commendasse; *hùc accedit*, inquit, *aliud de Canonibus, scilicet Gallicanis, qui quasi superflui, aut inutiles, à quibusdam respuuntur, eo quod Neoterici Romani eos non commendaverint, cùm antiqui religiosè eos venerati sint.* Cæterum Codicis alicujus, vel collectionis non meminit.

7. Verba etiam Can. *si quis Diaconus* quæ refert Justellus, & citat Fevrettus Codicis alicujus mentionem non faciunt, sed tantùm Canonum Gallicanorum, nec aliud significant, nisi Canones Concilii Nicæni, cui 318. Episcopi interfuerant, ab Episcopis Gallicanis receptos fuisse in deponendis Clericis in adulterio deprehensis, non autem approbatum fuisse aliquem Codicem, vel ullam Canonum collectionem. Jacobus Sirmondus, & Philippus Labbeus Canonem illum aliter referunt, his scilicet verbis. *Manifestissimè constat, quia secundum quod & tituli antiquorum Patrum à S. Joanne transmissi, & 318. Episcoporum sententia, sed &* CANONES GALLICANI *continere videntur, Clericiin adulterio deprehensi*, &c. Quæ verba animadvertit Sirmondus non ab aliquo Pontifice, sed à S. Cæsario Arelatensi Archiepiscopo prolata esse, occasione contumelioси Episcopi Regiensis, quem Pontifex ille deponendum decreverat. Sane Hormisdæ, cum ejus tempore nullus extiterit Papa nomine Joannes, falsò à Gratiano adscribuntur. Licet autem hæc verba. *Canones Gallicani* Codicem aliquem, seu collectionem indicarent, non continerent tamen aliquam Ecclesiæ Romanæ approbationem.

8. Porrò fuerit necne Codex aliquis, seu Collectio Canonum Gallicanorum, & an fuerit approbatus ab Ecclesia Romana,

mana, scire parùm juvaret, cùm amplius non extet, & quibus Canonibus constiterit, ignoremus, ut fatetur Paschasius Quesnel dissert. 16. cap. 15. Itaque non à Codice aliquo ab Ecclesia Romana approbato vim habent Canones Gallicani, sed à Conciliis in quibus conditi sunt, ab usu, & utilitate, & si quæ sunt aliæ rationes.

9 Quæ autem, quantaque sit illa vis rectè determinant Autores Galli, dum illos quidem Canones, ceu regulas habent eò sibi religiosiùs observandas, quòd, & à Sanctissimis Pastoribus, ac in Christo parentibus, sibi propositæ sint, & specialiter illius Regni moribus, & negotiis accomodatæ, & tamen Canonibus Ecclesiæ Romanæ postponunt. Ità cum Agobardus antiquos Romanos Canones Gallicanos in veneratione fuisse præmisisset, & causam subjunxisset: QVONIAM VENERANDI, ET SANCTI VIRI EOS EDIDERVNT, QVORVM VITAM, ET SANCTITATEM CREBRA MIRACVLA COMMENDARVNT. Addit paulò inferius; *Neque hoc idcircò dicitur, ut passim omnium Episcopalium Conventuum sanctiones æquali autoritate recipiendæ credantur, ut Nicæni, Calcedonenses, & cæterorum Generalium ex totius mundi consensu congregatorum, & receptorum, sed quia congruæ veneratione pro causis necessariis, quarum definitiones in illis generalibus non inveniuntur, fides sit eis adhibenda religione debitâ, & melius sit unicuique,* EORVM SEQVI AVTORITATEM, QVAM PROPRIVM SENSVM. Agobardus ad Ludovicum Imperatorem de impietate duelli. Idem in opusc. de dispensatione, ministerio, & ordine totius rei Ecclesiasticæ.

10. Idem profitetur Dominus de Marca loco citato, his verbis; *Quoniam verò ut docuit Augustinus Concilia Provinciarum plenariorum Conciliorum autoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedunt, Canones Gallicani in iis causis obtinent, quæ Canonibus antiquis definitæ non sunt.*

11. Hanc esse mentem totius Ecclesiæ Gallicanæ testis est Fevrettus loco etiam supra cit. num. 20. „ Ecclesia Gallica„ na, inquit Codici suo speciali Gallicanorum Canonum non „ tantam tribuebat autoritatem, quantam Canonibus Codi„ ce Ecclesiæ Romanæ contentis.

12. Venerandi sunt igitur antiqui Ecclesiæ Gallicanæ Canones. Primò propter Antistitum, à quibus editi sunt, merita,

rita. 2. Quia illuc recurrere neceſſe eſt, cùm Eccleſia Romana, vel univerſalis regulas non ſubminiſtrant, quibus ſpecialia negotia definiri queant. 3. Ut eadem ſit ejuſdem Regni Canonica diſciplina, ſicut eædem ſunt leges civiles. Non ſunt tamen univerſalium Conciliorum, aut ſummorum Pontificum Decretis anteponendi, vel etiam exequandi; Multò minùs prætextu libertatis opponendi.

CAPUT XI.

De Capitularibus Regum Franciæ.

1. IN eam rerum omnium & Eccleſiaſticarum, & Civilium perturbationem, & confuſionem inciderat Gallia ſub finem ſeptimi ſæculi, ac principio octavi, ut Religio omnis obliteranda videretur, niſi Clodovei poſteritati, à radice degeneri ſubſtituta Caroli Martelli familia, Eccleſiæ in eo Regno ferè collapſæ ſuccurriſſet, quod tùm ex aliis monumentis addiſcimus, tùm ex Epiſtola S. Bonifacii ad Zachariam Papam, cujus ſecundus articulus ſic habet: *Notum ſimiliter ſit Paternitati veſtræ quod Carlomannus Dux Francorum me accerſitum ad ſe rogavit in parte Regni Francorum, quæ in ſua eſt poteſtate, Synodum incipere congregare, & promiſit ſe de Eccleſiaſtica Religione, quæ jam longo tempore, id eſt non minus quam per 60. aut 70. annos, calcata, aut diſſipata fuit aliquid corrigere, & emendare velle. Qua propter ſi hoc, Deo inſpirante, veraciter adimplere voluerit, conſilium, &* PRÆCEPTVM SANCTÆ VESTRÆ AVTORITATIS, ID EST APOSTOLICÆ SEDIS HABERE, ET SAPERE DEBEO. *Franci enim, ut ſeniores dicunt, pluſquam per tempus 80. annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiſcopum habuerunt, nec Eccleſiæ Canonica jura ſundabant, vel renovabant. Modò autem maxima ex parte per Civitates, Epiſcopales ſedes traditæ ſunt laicis cupidis ad poſſidendum, vel adulteratis Clericis, ſcortatoribus, & Publicanis ſæculariter ad perfruendum. Nam ſi per verbum veſtrum, aut negotium Duce rogante ſupradicto, movere, & incipere debeo,* PRÆCEPTVM, ET IVDICIVM APOSTOLICÆ SEDIS *cum Canonibus Eccleſiaſticis præſto habere cupio.* Conſenſit libentiſſimè Zacharias tàm juſtæ Carlomanni petitioni, ut illius Pontificis literæ reſponſoriæ declarant.

2. Eo-

2. Eodem zelo accensus est Pippinus Carlomanni frater, Martelliique filius, ejusque pietate, cura, & ope congregata sunt plurima Concilia, edita sunt plurima Decreta: consultus est summus Pontifex; ejus implorata est autoritas, ac sensim demum restituti sunt Christiani mores, & Ecclesiastica disciplina.

3. Illustrior in hoc genere sicut & in cæteris fuit Carolus Magnus, cujus zelus, pietas, & magnificentia immortalem illi gloriam pepererunt. Nam incredibili cum ardore in renovanda disciplina Canonica desudavit, quemadmodum à Papa Adriano I. rogatus fuerat, à quo etiam Codicem acceperat Dionysii Exigui, ut Canonum, & Decretorum in eo contentorum usum revocandum curaret.

4. Carolum Magnum secuti sunt ejus Successores, qui etiam congregatis Regni Præsulibus, iisque assentientibus, & consentientibus, multa ordinarunt circa politiam Ecclesiasticam.

5. Æquum igitur esset, ut quæ ab illis Principibus constituta sunt de Prælatorum sententia, & plerumque cum assensu Romani Pontificis ad confirmandam, vel ad reparandam disciplinam Canonicam plurimùm valerent, ac in iis observandis partem libertatis suæ Ecclesia collocaret Gallicana.

6. Equidem viguisse olim leges illas in Gallia docent antiqua monumenta, & moderni scriptores. Autor libelli Gallicè conscripti cum titulo: *L'Abbé Commendataire* cap. 11. collectionem Capitularium Regum Francorum vocat primum Codicem Francicum; *le premier Code François*. Stephanus Baluzius in præfat. ad collectionem eorumdem Capitularium, quam ipse ampliorem, & accuratiùs digestam edidit, magno in pretio fuisse olim habitam illam, quam composuerat Angesisus Abbas, probat num. 41. & 42. *Tanquam*, inquit, dicto num. 42. *publicum legum Francicarum Codicem Regia autoritate, & usu publico receptum.*

7. Verum tot sunt ex illis Capitularibus articuli, & quidem maximi momenti modernæ Francorum praxi contrarii, ut Codex ille nequaquam fundamentum libertatum Gallicanarum dici queat. Norunt qui Regni illius modernos usus

perſpectos habent, ac cum antiquis illis legibus contulerunt, quantum inter ſe diſtent.

8. Poſſet etiam fortaſſis colligi ex diuturno neglectu ac curatæ illorum Capitularium editionis, quem innuit Stephanus Baluzius in editionis ſuæ præfatione à num. 49. illa dudum non tanti fuiſſe in Gallia habita. Nec legimus Gallos, vel eo tempore, quo ſuas libertates acriùs, ac frequentiùs allegare cœperunt ea Capitularia protuliſſe; neque audivimus apud illos praxim earum legum, ſaltem pluſquam alibi, jam pridem viguiſſe.

CAPUT XII.

Mancam eſſe definitionem Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, nec rei definitæ convenire.

1. COnſtat ex ſupradictis obſcuram fore libertatum Eccleſiæ Gallicanæ definitionem, ſi antiqui Canones, quibus illæ definiuntur, certo Codice ſpeciali concluſi ſupponantur, quippè cùm aſſignari vix poſſit: ſed dicet quis, Canones illos è propriis fontibus hauriri, puta Nicænos, à Concilio Nicæno, Conſtantinopolitanos, à Concilio Conſtantinopolitano, & ſic de reliquis. Verùm difficultas recurrit, quouſque ſe extendat, illa antiquitas, quæ libertatibus vindicatur, an de omnibus Canonibus intelligatur?

2. Quovis autem modo accipiatur hæc definitio, manca eſt, præcipuaque ſui parte caret, nempè differentia. Nam aliæ Eccleſiæ hanc ſibi laudem præripi, ſoliſque Gallicanæ concedi non permittent, ut exactam veteris diſciplinæ cuſtodiam ſibi ſoli vindicet, quaſi reliquæ Canones antiquos minus colerent.

3. Nec aliunde quàm à Gallicanis ipſis ſcriptoribus conquirenda ſunt teſtimonia, quibus probemus reliquis etiam Eccleſiæ partibus antiquiſſimam eſſe Canonicæ diſciplinæ cuſtodiam. Quo circa ſufficit legere præfationem Chriſtophori Juſtelli ad veterem Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ, ubi præcipuas percurrit Eccleſias, eaſque illius diſciplinæ ſtudioſiſſimas

sissimas fuisse demonstrat: inter alias de Hispania hæc habet: *Ac de Hispanis quidem dubitari non potest illos priscorum Canonum, Codice Ecclesiæ universæ comprehensorum, jure ab initio usos fuisse, quorum adeò studiosi, & amatores fuere, ut quum Synodis subscriberent, hac formula uterentur, salvâ autoritate priscorum Canonum, ut in subscriptionibus Concilii Toletani 2. observare licet. Et Bracharense Concilium anno 563. celebratum, nominatim Codicis Canonum meminit his verbis: Lucretius Episcopus dixit; Necessarium arbitror, si vestræ fraternitati videtur, ut instituta Sanctorum Patrum, recensitis antiquis Canonibus, innotescant: Quæ etsi non omnia, certè vel pauca quædam, quæ ad institutionem Clericalis disciplinæ pertinent relegantur. Omnes Episcopi dixerunt, placet, quod dictum est, & congrua res est, ut quibus fortasse per incuriam abolita sunt Ecclesiastica constituta, audiant Sanctorum Canonum regulam, & observent. Relecti sunt ex Codice Canonum coram Concilio tam Synodorum generalium Canones, quam localium. Et posteà can. 40. placuit, ut* PRÆCEPTA ANTIQVORVM CANONVM, *quæ modò in Concilio recitata sunt,* NVLLVS AVDEAT PRÆTERIRE. *Codicis etiam Canonum meminit Concilium Toletanum 4. anno 633. celebratum Can. 2. 3. & 4. Diaconus Codicem Canonum in medio proferens Capitula de Conciliis agendis pronunciat.*

4. Hanc autem antiquorum Canonum observantiam Hispanis olim maximè cordi fuisse notavit idem Justellus in præfatione ad Codicem Canonum Ecclesiæ Africanæ his verbis; *Hispani etiam Episcopi quum suis Synodis subscriberent hac formulâ utebantur, salvâ autoritate priscorum Canonum.*

5. Romanæ Ecclesiæ, quæ cæterarum omnium caput, & mater est, tanta fuit olim in observandis priscis Canonibus religio, ut ex verbis, quibus illam antiqui Pontifices significarunt Joannes Launoius Doctor Parisiensis inferat, Papam esse Concilio inferiorem; quam tamen consequentiam legitimam non esse ostendemus lib. 5.

6. Respondebunt Galli; olim quidem rem ità se habuisse, modò verò econtra; atque hinc ortas Gallicanas libertates Galliâ disciplinam antiquam retinente, Româ verò evertente. Verùm an non etiam hodiè summi Pontifices Prædecessorum suorum erga sacra Concilia venerationem diligentiùs imitentur, quam Galli suorum, in decursu patebit.

7. Modernam Ecclesiæ Gallicanæ praxim cum aliarum Provinciarum Catholicarum praxi circa singulos Canones, ut

decreveram, non componam; tùm quia prolixa nimis res esset, tùm ne quis privato aliquo affectu ductum me in aliquam partem inclinasse arbitretur; qua in re à vero longissimè aberraret. Sed tantùm hic adverto, Joannem Doujat Advocatum, atque Antecessorem Parisiensem, & Regium Sacrorum Canonum Professorem, in Juris Pontificii historiæ synopsi, quæ Arnoldi Corvini aphorismis aliquandò præfigitur, de collectionibus Gratiani Decreto antiquioribus, sic pronunciare; *atque hucusque pertinet jus Canonicum obsoletum.*

8. At revera definitio, quod vitium est omnium maximum, rei definitæ non convenit, ut advertenti cuilibet patebit. Ego quidem, cùm libertatum Ecclesiæ Gallicanæ nomine fidelem antiquæ disciplinæ custodiam significari audirem, videremque rem tantopere laudandam à tam multis vitio verti, operæpretium esse duxi antiquorum Conciliorum Decreta, & indubitatas veterum Pontificum Decretales perscrutari, ut intelligerem, quinam essent antiqui Canones, quibus observandis constarent illæ libertates. Verùm iis in varias classes distributis, comperi quosdam ad Galliam nullatenus pertinere, quippe qui pro certis aliis Ecclesiis, vel Provinciis, pro certis temporibus, personis, aut negotiis specialibus conditi fuerint: Alios certa disciplinæ capita constituisse, quæ neque in Gallia, neque alibi uspiam observantur; alios alibi, perindè atque in Gallia, vigere; alios denique ità non valere in Gallia, ut si quis fortè in usum eos revocare conaretur, à Curiis sæcularibus, vel etiam à Prælatis Ecclesiasticis impediretur, ita ut vel nulli, vel saltem pauciissimi supersint, quorum fideliori custodiâ possit Francia gloriari.

9. Si quis illa duo volumina percurrat; de quibus in 2. capite facta est mentio, & in quorum altero tractatus omnes de hac materia editos, sub titulo: *Traitté des Droits, & Libertez de l'Eglise Gallicane* 1639. colligere Autor studuit, in altero probationes referre rerum in primo contentarum, sub titulo: *Preuves des Libertez de l'Eglise Gallicane* 1639. animadvertet in primo quidem volumine ferè nunquam probari quæ dicuntur; In 2. probationes plerumque Decreta esse Regum Christianissimorum, Curiarum Regiarum placita, Universitatis, aut Comi-

Comitiorum Regni Acta, tempore ſchiſmatis inter plures Pontifices, aut diſſidiorum inter ſummos Pontifices, & Reges Galliæ emiſſa; in neutro Canones allegari, niſi rariſſimè, vel ad confirmanda generalia quædam, quæ ad dirimendas controverſias modò non pertinent. Quomodò ergò libertates illæ definiri poſſunt antiquorum Canonum exacta cuſtodia? Scio equidem, idque jam in cap. 1. notavi, duo hæc volumina Clero Gallicano cùm recens fuiſſent edita, diſplicuiſſe. Sed nonne doctrina in illis contenta quotidiana praxi confirmatur? Nonne propter illa commendatur Autor, quem Petrum Puteanum, ſeu Du Puy Conſiliarium Regium, & Bibliotecæ Regiæ Præfectum fuiſſe publica erat fama, & mox veritas prodidit. Vide Jacobum Moreri Lugdunenſem Doctorem Theologum in ſuo Dictionario Hiſtorico anno 1681. edito.

CAPUT XIII.

Oſtenditur ex alio capite mancam eſſe Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ definitionem.

1. DUm libertates Eccleſiæ Gallicanæ ità definiuntur, ut ſolius antiqui juris tuendi fiat mentio, novis Canonibus, noviſque Decretis, quorum tamen ſæpè maxima eſt neceſſitas, aditus omnis præcludi videtur. An ergo ſi nova neceſſitas novum requirat remedium, præſtabit Religioni, aut Eccleſiæ perniciem afferri, quàm antiquos mores tantillum immutari? Hoc adeò iniquum eſſet, ut Gallis in mentem veniſſe ſuſpicari nefas ſit. Illuſtriſſimus Petrus de Marca licet libertates Eccleſiæ Gallicanæ ità definierit lib. 3. cap. 1. §. 7. *Ut ſint nempè uſus antiqui juris communis*, eam definitionem aut emendavit, aut explicavit capite ſequenti num. 1. in hunc modum; *Libertatem Eccleſiæ Gallicanæ, Canonum & juris communis executione contineri diximus. Sed jus illud commune variè ſumi poteſt: Aliud eſt enim jus commune antiquiſſimum, quod antiquos Canones, & Decreta Pontificum amplectitur, aliud jus commune, quod illis Canonibus, & præterea Decretalibus recentioribus Pontificum conſtat, prout apud nos uſu recepto tempe-*

rata sunt. HOC VLTIMO IVRE LIBERTATEM ECCLESIÆ GALLICANÆ CONTINERI CONTENDIMVS, NON AVTEM PRIMO. Capite autem 6. num. 5. *Libertatem*, inquit, *in recto antiqui, & novi juris usu constituimus, necessariasq; nostro sæculo Decretalium definitiones, quæ novis negotiis prospexerunt* NON ABSQVE MANIFESTA RATIONE *existimamus.*

2. Leschasserius quidem in contrariam sententiam deflexisse videtur; sed idem D. Petrus de Marca illi disertis verbis repugnat; *Longissimè*, inquit, *recedimus à Leschasserio, qui asserit Curiis supremis Galliæ concreditam non solùm libertatis Ecclesiasticæ præsentis tuitionem, sed veræ illius germanæ, & Canonicæ, quæ Apostolico, & primitivo jure Canonico nititur. Adeant Magistratibus incumbat, Decretis suis disciplinam illam antiquam paulatim restituere,* CVM PER TEMPORVM INIVRIAM ID FIERI NON POSSIT APERTE CONSTITVTIONIBVS REGIIS.

3. Cæterùm suam, totius etiam Ecclesiæ Gallicanæ sententiam esse probat, ac fuisse illis etiam temporibus, cùm ferverent magis disceptationes, in quibus libertates Ecclesiæ Gallicanæ altiùs personabant, ut jam supra vidimus. Sic enim prosequitur cap. 6. *Non alia mens est aut B. Ludovici, aut Caroli VI. & totius Ecclesiæ Gallicanæ, cùm libertatem Ecclesiæ in jure communi versari contendunt;* ANTIQVOS *enim* CANONES, *&* IVS COMMVNE *intelligebant, quod Gratiani Decreto, & Decretalibus erat comprehensum*; idque ratione probat, & autoritate in hunc modum. *Id manifestè probatur non solùm ex eo quod vetus Codex Canonum illis esset incognitus, sed etiam à Concilio Constantiensi; Etenim Sessione 39. cùm de fidei professione à Papa edenda caveret,* NON SOLVM OCTO CONCILIA OECVMENICA *ab illo conservanda decernit;* SED ETIAM LATERANENSE, LVGDVNENSE, ET VIENNENSE. *Quare sæculo Caroli VI. Conciliorum generalium nomine Ecclesia Gallicana non solùm vetera, sed etiam recentiora illa intelligebat.*

4. Quin etiam Decretales omnes ferè, pauciſſimis exceptis in Gallia locum habere testatur. *Enim verò*, inquit, *in Gallia quod ad disciplinam attinet, Decretalium constitutis locum damus, cum bona Pontificum venia, quæ nostris rebus, & utilitati publicæ accomodata sunt, id est omnibus ferè, pauciſsimis exceptis.* Operæpretium esset, ut assignarentur pauciſſimæ illæ constitutiones, quia si in minimo numero sunt, faciliùs indulgere possent summi Pon-

Pontifices, ut ab illarum executione Galli abstinerent: Nec pauciſſimarum illarum prætextu aliæ reſpuerentur; Itaque vel non orirentur, vel nullo negotio componerentur plurimæ contentiones, ob quas Chriſtianiſſima illa gens apud cæteras malè audit.

5. Igitur libertates Eccleſiæ Gallicanæ in ſola juris antiqui obſervatione malè reponunt communiter Autores Gallicani, ſiquidem tanta eſt illorum diſſenſio in aſſignando illo jure antiquo, ſeu Codice, in quo continebatur, ac prætereà pauciſſimi ex antiquis Canonibus magis in Gallia, quam alibi vigent; Multi etiam minùs, quàm alibi; Nonnulli ejuſmodi ſunt, ut ſi quis eos in uſum revocare tentaret, ab ipſis libertatum vindicibus cohiberetur. Plurimi nullibi obſervantur, ut eos percurrenti ad oculum patet.

6. Sanè ſi quis attentiùs conſideret, quæ hodiè geruntur in Gallia prætextu libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, quæque de illis ſcribuntur, eas non ineptè definiri poſſe arbitrabitur: OPPRESSIONEM JVRISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ A LAICA, ET DEPRESSIONEM AVTORITATIS ROMANI PONTIFICIS A CLERO GALLICANO. Verùm quia iniquum eſſet, injurias illas toti Clero, & Populo Chriſtianiſſimi, ac florentiſſimi illius Regni adſcribere, aut quid in certis caſibus agatur, dumtaxat attendere, tradenda eſſet libertatum illarum definitio, minus odioſa, & tamen à communiori ſcriptorum Gallicanorum doctrina, & frequentiore uſu illius Regni minus remota, quàm quæ ſola Canonum antiquorum obſervatione continetur.

7. Vocantur igitur non incongruè *Libertates Eccleſiæ Gallicanæ*; ARBITRIVM EX ANTIQVIS ECCLESIÆ DECRETIS RETINENDI, ET EX NOVIS ADMITTENDI EA QVÆ VIDENTVR VTILIA. Quandoquidem illic, & antiqua quamplurima fuerunt abrogata, & nova omnia, ſi non acceptentur vi carere dicuntur.

CA-

CAPUT XIV.

De origine libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, & primò, Utrùm in Concilio primo Turonico, vel in Francofordiensi usurpatæ fuerint?

1. QUi libertates Ecclesiæ Gallicanæ in accurata, & constanti juris antiqui executione constituunt, eas Canonibus ipsis coævas asserunt. Verùm quia certissimum est alias etiam Nationes executas esse Canones, saltem aliquandiù, liberet scire, quò potissimùm tempore impetitam veterem disciplinam viriliter defendere, aut eversam restaurare vehementiùs enixi fuerint, vel potiùs, ut probabiliori earum definitioni insistamus, quando retinendorum, vel rejiciendorum, aut moderandorum Ecclesiæ Decretorum arbitrium sibi assumpserint Galli.

2. Quo in examine, aliò remissis pluribus controversiis olim circa Canonum, & Decretalium executionem exortis, nonnullis etiam prætermissis, eò quod personæ illas moventes non ejus fuerint sanctitatis, ac dignitatis, & æquitatis, ut ex illarum exemplo solo ratum certum aliquid statui debeat, iis tantum nunc immorabimur, quæ, ob personarum, atque aliarum circumstantiarum meritum, contemni non possunt, nec alibi commodius tractari. Ex quibus præcipua videntur quorumdam Conciliorum Decreta, & sancti Ludovici Pragmatica Sanctio.

3. Libertatis, seu nova summi Pontificis, aut etiam Ecclesiæ universæ Decreta examinandi, admittendi, rejiciendi, temperandi facultatis, praxim antiquissimam esse contendit Illustrissimus D. de Marca lib. 2. cap. 17. num. 1. Ejus primum exemplum refert ad Concilium Turonense primum, quod putat decretis Siricii, & Innocentii I. temperamentum aliquod adhibuisse circa pœnam Clericorum, qui post ordinationem ab usu matrimonii non abstinuissent; sublatâ nimirum excommunicatione à summis Pontificibus contra incontinentiam illam dictâ.

4. Ve-

4. Verùm quod Concilium Turonicum à Patribus conſtitutum dicit, ad Siricium, & Innocentium perperam refertur. Innocentius enim excommunicationis illius nullibi mentionem facit, licet de Clericorum incontinentia in tribus epiſtolis loquatur, ſcilicet in 2. quæ eſt ad Victricium Epiſcopum Rothomagenſem, in 3. quæ eſt ad ſanctum Exuperium Epiſcopum Tholoſanum, & in 5. quæ eſt ad Maximum, & Severum Epiſcopos per Brutios. Siricius item in ea epiſtola, quam ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem ſcribit, & in qua punctum illud tractat, excommunicationis non meminit. Verum quidem eſt ſummum illum Pontificem in epiſtola 4. quæ eſt ad Epiſcopos per Africam, propoſitis variis Decretis hæc verba ſubjungere : *Si quis ſanè inflatus mente carnis ſuæ* AB HAC CANONIS RATIONE VOLVERIT EVAGARI, SCIAT SE A NOSTRA COMMVNIONE SECLVSVM. Sed primò ſi Concilium Turonenſe id quod Siricius his verbis expreſſerat, *à noſtra communione ſecluſum*, abrogare intendiſſet, non iſtâ loquendi formulâ uſus fuiſſet, *à communione Dominica abſtineret*, quæ paulò diverſam videtur habere ſententiam. 2. Siricius à communione ſua non ſecludit niſi eos, qui in violandis regulis à ſe præſcriptis futuri eſſent poſtmodùm contumaces : *Si quis ſanè inflatus mente carnis ſuæ ab hac Canonis ratione voluerit evagari, &c.* Patres autem Concilii Turonici de iis ſermonem faciunt, qui jam cecidiſſe convicti fuiſſent : *Ut quicumque Sacerdos, vel Levita filiorum procreationi operam dare fuiſſet convictus, à Communione Dominica abſtineret.*

5. Denique tantum abeſt ut Concilium Turonicum à Siricii, & Innocentii mente receſſerit, ut, ad eam fideliùs ſequendam, excommunicationis pœnam contra Clericos incontinentes ſuſtuliſſe videatur, & promotionem tantùm ad altiores Ordines, vel exercitium jam ſuſceptorum prohibuiſſe. Quantùm Canon Turonicus cum Siricii Decreto conſentiat, ex illorum inter ſe collatione unicuique licet agnoſcere ; Iſte eſt Canon 2. Concilii primi Turonenſis : *Et licet à Patribus noſtris emiſſa autoritate id fuerit conſtitutum, ut quicumque Sacerdos, vel Levita filiorum procreationi operam dare convictus fuiſſet, à Communione Dominica abſtineretur : Nos tamen huic diſtrictioni moderationem adhibentes, & juſtam conſtitutionem molientes, id decrevimus, ut Sacerdos vel Levita conju-*

gali concupiscentiæ inhærens, vel à filiorum procreatione non desinens, ad altiorem gradum non ascendat, neque sacrificium Deo offerre, vel plebi ministrare præsumat, sufficiat his tantùm ut à Communione non efficiantur alieni, &c. Decretum autem septimum Siricii sic habet; *Et quia aliquanti, de quibus loquimur (ut tua Sanctitas retulit) ignoratione lapsos esse se dicunt, His hac conditione misericordiam dicimus non negandam, ut sine ullo honoris augmento, in hoc, quo detecti sunt, quandiu vixerint, officio perseverent, si tamen post hæc continentes se studuerint exhibere. Hi verò, qui illiciti privilegii excusatione nituntur, & sibi asserunt veteri hoc lege concessum, noverint se ab omni Ecclesiastico honore, quo indignè usi sunt, Apostolicæ Sedis autoritate dejectos, nec unquam posse veneranda attrectare mysteria, à quibus se ipsi, dum obscœnis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Innocentii Decretum isti omninò simile est.*

6. Sed qui sunt igitur Patres illi, quos innuit Concilium Turonense? Fortasse Patres Concilii II. Arelatensis, qui tertium hunc Canonem condiderunt: *Si quis Clericus à gradu Diaconatus in solatio suo mulierem præter aviam, matrem, sororem, filiam, neptem, vel conversam secum uxorem habere præsumpserit à Communione alienus habeatur. Par quoque & mulierem, si se separare noluerit, pœna percellat.* Illis enim verbis *conversam uxorem* intelligi propriam uxorem, quâ cum non habeatur amplius carnale commercium, notat Jacobus Sirmondus circa tertium ejusdem Concilii Canonem: *converti dicebantur*, inquit *conjuges, cùm ex mutuo consensu separabantur, & promittebant castitatem, hoc ubi fecerant, conversi, & conversæ appellabantur, ut conversa uxor Canone sequenti.* Non ergo summorum Pontificum se superiorum, sed Concilii alterius Decreta temperavit Synodus Turonensis.

7. Secundum exemplum, quod prædictus D. Petrus de Marca profert novarum Ecclesiæ legum discutiendarum, sumptum est à Concilio Francofordiensi anno 754. cui Carolus Magnus Rex, & Adriani Primi Papæ Legati interfuerunt, à quo rejecta fuit secunda Synodus Nicæna. Sed primum Bellarminus, & alii quamplures arbitrantur, non Synodi Canones veros sed spurios, & ab Iconoclastis confictos, ad Gallos fuisse transmissos, & Francoforti reprobatos, idque ex Concilii ipsiusmet verbis Can. 2. non obscurè conjici. Patres enim Francofordienses Nicænis, quos Constantinopolitanos appellant (ut videas illos etiam loci, ubi habitum

fuerat

fuerat Concilium non esse conscios,) sententiam tribuunt ab illorum expressa protestatione, & à fide Catholica nimis alienam, scilicet cultum latriæ sacris Imaginibus absolutè exhibendum, quod perspicuis verbis Patres Nicæni negant Actione 7. in Decreto fidei. En verba Canonis 2. Francofordiensis. *Allata est enim in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, itaut Deificæ Trinitati servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur, qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem, & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* En jam verba Concilii II. Nicæni docentis Act. 7. in Decreto Fidei, quomodo colendæ sint imagines; *scilicet ad honorariam his adorationem tribuendam. Non tamen ad veram latriam, quæ secundùm fidem est, quæque solam Divinam naturam decet, impartiendam.*

8. Secundò si supponamus vera septimæ Synodi Acta fuisse ad Gallos delata, ut suadere videtur Legatorum præsentia, quos Iconoclastarum fraus non fefellisset, ipsemet Petrus de Marca duplicem insinuat rationem rejectæ Synodi (& utraque ex Canone modò relato colligitur) alteram, quia Synodus illa œcumenica non credebatur, alteram quia non rectè intelligebantur ejus Decreta, quorum ambigua, & confusa erat interpretatio. Quid igitur juvat ad stabiliendum jus, vera Ecclesiæ universalis, aut summi Pontificis Decreta examinandi, rejectio Canonum, qui & à Concilio particulari editi, & Conciliorum œcumenicorum, summorumque Pontificum sententiæ contrarii existimabantur.

9. Tertiò non fiebat à Concilio Francofordiensi Concilii œcumenici aut sanctæ Sedis autoritati præjudicium, cùm de re controversa summi Pontificis, sancti scilicet Gregorii de imaginibus doctrinam se sequi profiteretur, ac Concilium Nicænum Græcorum tantum esse crederet.

10. Quartò quid ex illo exemplo, si Galli in repudiandis veris Decretis Synodi Nicænæ perstitissent, legitimè concludi posset, nisi gentem illam erroris, & schismatis periculo sese committere, cùm Ecclesiæ Decretorum arbitram sese constituit? Ac reipsa illos tunc temporis hæreticos fuisse, fatetur ingenuè Jac. Sirmondus to. 2. Conc. Gall. dum

ait, se prætermittere Acta Concilii Parisiensis an. 824. *Quod Gallorum ejus sæculi ab imaginum adoratione abhorrentium hæresim redoleant.* Illæne libertates Ecclesiæ Gallicanæ nuncuparentur? sed recepta fuere in Gallia illius Synodi Decreta, ut ex Gallorum erga sacras imagines religioso, & antiquo cultu demonstratur.

11. Tertium exemplum sumitur à non acceptatis, & non observatis aliquibus Canonibus octavæ Synodi Constantinopoli habitæ sub Adriano II. ad quod respondebimus lib. 3. cap. 7.

CAPUT XV.

An origo Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ circa veterem disciplinam referenda sit ad Pragmaticam Sanctionem sancti Ludovici.

1. ILlustrissimus Petrus de Marca lib. 4. de concord. &c. cap. 9. n. 4. S. Ludovicum, qui decessit anno 1270. laudat primum libertatis Ecclesiæ Gallicanæ restitutorem, his verbis; *Huic gloriosissimo Regi prima debetur libertatis Ecclesiæ Gallicanæ restitutio, quam suo edicto post mutatam disciplinam in Beneficiorum collationibus anno* 1268. *procuravit; quo uno capite contentiones inter Episcopos, & Romanam Curiam tunc ferè continebantur*; Ex quibus verbis duo consequerentur: primùm libertates Ecclesiæ Gallicanæ ante tempora S. Ludovici nonnisi circa Beneficiorum collationem violatas fuisse: 2. Violationem illam non longè ante tempora S. Ludovici contigisse.

2. Odiosum certè esset istud principium tùm ex parte sanctæ Sedis, tùm ex parte Galliæ, cùm Romani Pontifices ab antiqua disciplina primùm recessisse supponantur, ut Beneficiorum collationem usurparent, tantusque in eo fuisse abusus, ut sanctissimus Rex eum suis Edictis cohibere coactus sit. Invidiosa etiam res esset quod Galli summum Pontificem è Gallia ortum, cùm aliis virtutibus, tùm vel maximè propinquitatis carnalis in distribuendis Beneficiis, & reditibus Ecclesiasticis, contemptu insignem, ceu tyrannum exisi-

existimassent, adversus quem invocanda fuisset potestas sæcularis, & in rejiciendis illius ordinationibus circa Beneficiorum collationem, & Ecclesiasticorum proventuum constituenda Ecclesiæ libertas. Sed plurima sunt, quæ certissimè suadent constitutionem illam S. Ludovici; quam Pragmaticam Sanctionem vocant, aut suppositam esse omninò, aut nihil adversus sanctam Sedem molitam fuisse.

3. Dum constitutio illa de Beneficiis, & aliis juribus Ecclesiasticis loquitur, nullam omninò summi Pontificis, aut sanctæ Sedis mentionem facit. Cur igitur verba ejus tam odiosa interpretatione in illam partem detorquentur? Ante illa tempora Ecclesia Gallicana injurias quamplurimas circa suos reditus, circa Beneficia, & circa disciplinam perpessa fuerat à Laicis; iisque malis, ut sese obtulerat occasio, medicatus fuerat religiosus Rex. Ipsemet Petrus de Marca lib. 3. cap. 1. citat eximias ejus literas anno 1228. datas, quibus Ecclesiasticam libertatem, non adversus Curiam Romanam, ut legenti evidenter patet, sed adversus hæreticos, alioscque raptores vindicaverat. *Cupientes*, (verba sunt illarum literarum) *in primis ætatis, & Regni nostri primordiis illi servire, à quo Regnum recognoscimus & id quod sumus, desideramus ad honorem ipsius, qui nobis culmen dedit honoris, quod Ecclesia Dei, quæ in partibus vestris longo tempore fuit afflicta, & tribulationibus innumeris conquassata, in nostro Dominio honoretur, & feliciter gubernetur: Unde de magnorum, & prudentum consilio statuimus, quod Ecclesiæ, & viri Ecclesiastici in terris constituti prædictis, libertatibus, & immunitatibus utantur, quibus utitur Ecclesia Gallicana, & eis plenè gaudeant, secundùm consuetudinem Ecclesiæ memoratæ.* Et infra; *sane quia Ruptarii solent devastare, ac demoliri terram prædictam, & quietem Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum virorum turbare; statuimus, ut omninò Ruptariis illis expulsis pax perpetuò servetur in terra, ad quam servandam dent omnes operam efficacem..... Decimæ sanè, quibus fuit Ecclesia longo tempore per malitiam inhabitantium defraudata, statuimus, & ordinamus, quod restituantur Ecclesiis*; Et AMPLIVS LAICI DECIMAS NON DETINEANT, SED EAS ECCLESIAS LIBERE, HABERE PERMITTANT. Literæ illæ S. Ludovici in aliis Innocentii IV. ad Reginam Galliæ anno 1250. miris laudibus extolluntur. Utrasque in Archivio Narbonensi asservari testatur Baluzius. De hujusmodi libertatibus adversus Laicorum rapinas, & tyrannides

intelligenda est Pragmatica Sanctio Christianissimi Regis; non adversus sanctam Sedem.

4. Carolus Fevret, quem certè Curiæ Romanæ nimis faviſſe ſuſpicabitur nemo, diſertè affirmat Conſtitutionem illam ſummi Pontificis jura non attigiſſe. Iſta ſunt ejus verba lib. 2. de abuſu cap. 7. n. 3. „ Pragmatica S. Ludovici „ Regis non declarat abrogatas eſſe præventiones; ſed tan- „ tùm BENEFICIA ESSE AB ORDINARIIS CONFERENDA „ IVXTA SANCTA DECRETA, ET SANCTIONES CANONI- „ CAS, QVÆ ETIAM POTESTATEM, ET SVPERIORITATEM „ S. SEDIS IN SPIRITVALIBVS ADSTRVVNT.

5. Verum quidem eſt Pragmaticam illam Sanctionem, prout à Recentioribus refertur, articulum complecti de exactionibus Curiæ Romanæ, qui articulus 5. eſt, hiſque verbis continetur. *Item exactiones, & onera graviſsima pecuniarum per Curiam Romanam Eccleſiæ Regni noſtri impoſitas, vel impoſita, quibus Regnum noſtrum miſerabiliter depauperatum extitit, ſivè etiam imponendas, vel imponenda levari, aut colligi nullatenus volumus niſi dumtaxat pro rationabili, pia, & urgentiſsima cauſa, vel inevitabili neceſsitate, ac de ſpontaneo, & expreſſo conſenſu noſtro, & ipſius Eccleſiæ noſtri Regni.* Sed articulum illum falsò inſertum eſſe, tam efficacibus argumentis convincitur, ut, ſi à cæteris non ſeparetur, totam illam Pragmaticam falſam eſſe demonſtret.

6. Equidem integram illam ſuppoſitam eſſe ſentiunt etiam ſcriptores Gallici, præſertim eruditiſſimus vir Ludovicus Thomaſſin. tom. 3. de Benef. par. 4. lib. 2. cap. 10. num. 11, ubi aſſerit: „ eam nullo ſolido fundamento, neque ullius „ Autoris antiqui, & cui plena fides adhibeatur, teſtimo- „ nio fulciri. Fuſius, & validius eam impugnat cap. 41. n. 4. ejuſdem libri, & lib. 3. cap. 24. num. 17. ſunt argumenta non pauca contra integram Conſtitutionem, ſed ſunt etiam ſpecialia contra quintum articulum, qui ſolus, ut dixi, ad S. Sedem attineret.

7. Primò Pragmatica illa à nemine allegata fuit uſque ad tempus ſchiſmatis Avenionenſis & contentionis Eccleſiæ Gallicanæ contra Pontifices, hoc eſt ferè 200. annis à tempore, quo condita ſupponitur.

8. Secundò nec etiam tunc in lucem edita fuit, ſed adhuc

huc plusquam centum annis post eam allegationem, id est anno 1515. in subsidium scilicet alterius Pragmaticæ Sanctionis à Carolo VII. tempore Concilii Basileensis promulgatæ.

9. Tertiò pluries typis excusa est sine articulo illo supra relato. Eo enim omisso refertur in Bibliotheca Patrum per Margarinum de la Bigne, Doctorem Sorbonicum tom. 6. cujus intra 30. annos tres factæ sunt editiones Parisiis, cum privilegio, quarum ultima est anni 1609. Eodem modo habetur in Bibliotheca Patrum, Doctorum Colonienſium anno 1618. tom. 13. Cæsar Egassius Bulæus in hist. univers. Paris. an. 1666. edita tom. 3. pag. 391. illam etiam exscribit absque illo articulo.

10. Quartò nullam habet verisimilitudinem, quod sanctus ille Rex, cujus tanta erat in sanctam Sedem reverentia, Edicto solemni Romanæ Curiæ Officiales, ut jurium Episcopalium usurpatores comprimere voluisset, eosque tantæ cupiditatis incusare, ut Regnum ab eis suum fuisse ad pauperiem redactum enunciaret. Si qua fuisset adversus hanc Curiam querela; precibus, cohortationibus, monitionibus, vel, si vis, etiam minis significasset; non autem publicâ Constitutione. Quî esset Christianissimus ille Rex erga sanctissimam Sedem affectus, anno sequenti demonstravit, cum inter alia, quæ filio suo monita, quasi hæreditariam successionem testamento conscripsit; duo ista præsertim commendavit; *Sis devotus, & obediens Matri nostræ Romanæ Ecclesiæ*, ET SVMMO PONTIFICI TANQVAM PATRI SPIRITVALI. Præmiserat. *Sis diligens, quod omnes subditi tui justitiâ, & pace fruantur*; MAXIME' AVTEM PERSONÆ ECCLESIASTICÆ ET RELIGIOSÆ. Addûcto deinde Avi sui Philippi Augusti exemplo, qui ab Ecclesiasticis injuriam sibi fieri malebat, quàm cum eis contendendo Ecclesiam scandalizare, sic concludit; AMA IGITVR *ô Fili* PERSONAS ECCLESIASTICAS, ET SERVA PACEM EORVM, QVANTVM POTERIS. Quis credat Principem, qui filio exemplum proponit tolerandæ injuriæ ab Ecclesiasticis viris illatæ, dissidii cum eis vitandi causa, anno præterito jugum non sibi, sed Regni sui Beneficiis à Curia Romana impositum Pragmaticâ suâ Sanctione compescere voluisse? Non erat certè mos ad-

huc

huc inductus, nec à S. illo Rege profectus est, autoritatem Regiam sanctæ Sedis ordinationibus opponendi, sed potiùs Ecclesiam à Laicorum vexationibus vindicandi.

11. Quintò, anno 1268. quo condita fertur hæc Pragmatica, S. Ludovicus ad secundam in Terram sanctam expeditionem cum summi Pontificis consilio se accingebat. Quare improbabile omninò est, sanctissimum illum Regem immoderatas Officialium Curiæ Romanæ exactiones Papam celaturum fuisse, iisque remedio ipsi Pontifici probroso (cùm in eum recideret Officialium culpa) occurrere maluisse.

12. Sextò præsertim cùm tunc temporis Ecclesiæ præesset Clemens IV. Natione Gallus; alienissimus ab omni avaritia, & carnali in parentes affectu, quorum occasione bona Ecclesiastica sæpè cumulantur, & dilapidantur. De illo Pontifice sic loquitur Genebrardus ad annum 1265. *Optimus Pontifex bona Ecclesiæ optimè dispensavit. Cùm duas filias ex mortua uxore ante Pontificatum suscepisset; uni in Monasterio collocatæ triginta tantùm libras dedit. Alteri 300. libras dotis nomine, Clerico nepoti tres Præbendas habenti duas abstulit, se dicens Deo, non carni, & sanguini velle acquiescere.* An igitur sub tali Pontifice opus fuisset ut S. Ludovicus Edicto suo Romanæ Curiæ rapacitatem sisteret, aut Beneficiorum, & bonorum Ecclesiasticorum administrationem, & usum, quæ res ad Ecclesiæ jurisdictionem propriè pertinet, Pragmaticâ sanctione moderaretur.

13. Si quod fuisset tunc temporis exactum ab Ecclesia Gallicana subsidium, non nisi ad juvandum in expeditione bellica S. Ludovicum impendendum fuisse prudentissimus quisque judicaret.

CAPUT XVI.

Vera origo, & progressus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ.

1. EX omnibus malis, quæ dissidium inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum consecuta sunt, maximum, & aliorum quamplurimorum causa fuit schisma. Cùm enim Clemens V. Philippi operâ ad summum Pontificatum evectus

evectus fuisset, Sedem Avenione, sicut Regi promiserat, constituit anno 1305. ibique commorati sunt subsequentes Pontifices usque ad annum 1375. quo Gregorius XI. Sedem Avenione Romam retulit; Eo Romæ defuncto anno 1378. Cardinales, qui majore ex parte Galli erant, Bartholomæum Prignianum Barii in Apulia Episcopum elegerunt, qui Urbanus VI. appellatus est. Sed quia novus Pontifex se Cardinalium severum animadversorem, & reformatorem præbuit, eosque hac de causa infensos habuit, illi Anagniam primùm, deinde Fundos secesserunt, ubi Conventu facto electionem Urbani VI. utpotè gravi metu extortam, irritam declarantes, Robertum Cameracensem Episcopum, & Cardinalem renunciarunt Pontificem, qui Clemens VII. dici voluit. Hunc promovit, defenditque præcipuè Joannes Grangius, Gallicè *la Grange*, Cardinalis, & Episcopus Ambianensis, Urbano inimicus, & gratiâ Caroli VI. Francorum Regis potentissimus. Romæ Urbanus hæsit, Clemens Avenione Sedem fixit. Hinc exortum est lugendum illud schisma, quod Ecclesiam miserè laceravit usque ad annum 1417. quo tempore Concilium Constantiense abrogatâ de Pontificatu contendentibus Dignitate, novum creavit Pontificem Odonem Columnam Cardinalem tituli S. Georgii in Velabro, qui sibi Martini V. nomen indidit, quique solus postea legitimus Pontifex agnitus est.

2. Tempore autem illius schismatis cùm uterque Pontifex ad tuendam suam Dignitatem maximis sumptibus, & potentibus amicis indigeret, gravia Beneficiariis onera imponebat, Beneficiorum collationem sibi reservabat, multaque contra disciplinam antiquam committebat. Quamobrem Galli, in quorum jam animis tempore Bonifacii VIII. avita erga summos Pontifices observantia, aliquantum refrixerat, maximè autem Clerus tanti ponderis impatiens, & Universitas studii Parisiensis, cujus tunc temporis magna erat non solum in Ecclesia, sed etiam in Republica autoritas, quæque molestè ferebat viris litteratis Beneficia non conferri, de excutiendo illo jugo cogitarunt; quare Regis, Senatus Parisiensis, & Regni Primatum opem implorarunt, ac promptam nacti sunt: Itaque sub Carolo VI. cùm adhuc ætate, ac deindè mente debilis

bilis esset, in medium adducta est libertas Ecclesiæ contra Pontificum exactiones, ac Beneficiorum reservationes, tanquam antiquis moribus, & Canonibus contrarias, ac sensim contra cætera omnia, quæ nimis gravia videbantur, in quo potentia sæcularis cum Clero consensit, eumque maximoperè juvit. Hinc Doctorum Parisiensium, sed multò magis Jurisconsultorum animos invasit studium quoddam librandæ Pontificiæ autoritatis, ne ultra positos sibi à Christo terminos in præjudicium Cleri, aut Regni produceretur. Deinde etiam ad Concilia œcumenica examinanda, libertas illa protensa est.

3. Anno 1438. in Conventu, qui Ecclesiæ Gallicanæ nomine censeri voluit, Bituricis examinata, temperata, & sic accepta, ac in unum corpus redacta sunt præcipua Concilii Basileensis Decreta, exactionibus, & Beneficiorum reservationibus obstantia, idque Pragmaticam sanctionem vocant, quam Carolus VII. confirmavit, & observari præcepit. Fuit aliquandiù hæc Sanctio, ceu Thesaurus, ac Promtuarium libertatum Ecclesiæ Gallicanæ. Quidquid contra ibi contenta tentabatur, Regis, aut Senatus convellebatur autoritate.

4. Verùm summi Pontifices Pragmaticam illam sanctionem abominati sunt tanquam juribus suis infestam, ac quasi schismatis fœtum tunc temporis editum, cùm Concilium Basileense legitimum non esset, absente, ac etiam contradicente Eugenio IV. Papa, & maximo Cardinalium, & Episcoporum numero, qui cum summo Pontifice Florentiæ Concilium habebant (quo vocati fuerant etiam Patres Basileæ degentes) quorumque Decreta, utpotè à capite cum pluribus membris derivata, Episcoporum Basileensium Decretis longè erant anteponenda. Tandem Pontificum diligentiâ Pragmatica illa sanctio primùm à Ludovico XI. deindè à Francisco I. Regibus Franciæ fuit abrogata, ut testantur illorum Edicta.

5. Senatus quidem & Vniversitas studii Parisiensis, imò Clerus universus diutissimè illam propugnaverunt, sed tandem Romanis Pontificibus, Regibus Galliæ, ac usui cedere coacti sunt, quamvis, ut sæpè significarunt, inviti. Nam adhuc anno 1636. cùm in Comitiis Cleri Gallicani Procuratores,

tores, seu Promotores inter Acta Cleri paulò ante collecta, Concordata inter Leonem X. & Franciscum I. relata fuisse, atque indè tacitum Cleri consensum, & Concordatorum approbationem fortassis inferendam monuissent, Comitia authenticè declararunt, instrumentum illud ad Ecclesiasticorum virorum commoditatem, non autem in majoris approbationis signum illic fuisse insertum. Itaque licet titulo 1. Concordatorum prædictorum referatur ea fuisse Statuta loco *dictæ Pragmaticæ Sanctionis, ac omnium Capitulorum in ea contentorum*: Tamen adhuc nonnulla retinentur, quæ Concordatis expressè contraria non sunt.

6. Cæterum Ecclesia Gallicana, quæ, ut se à summorum Pontificum exactionibus, & Beneficiorum reservationibus liberam servaret, ad Potestates sæculares recurrit, Potestatis sæcularis facta est serva, & cùm Romani Pontificis jurisdictionem molestè, ac graviter tulit, suam, à laica ferè omninò absorptam gemuit. Testantur enim Parlamentorum placita, Advocatorum libri, imò frequentes Cleri Gallicani querelæ, prætextu tuendarum libertatum Gallicanarum, & impediendorum abusuum, jurisdictionem Ecclesiasticam à sæculari esse ferè penitùs extinctam.

7. Nec magna futuræ restitutionis spes affulget. Cùm enim summi Pontificis autoritas in Gallia plenè vigeret, poterat Episcopis, aliisque Ordinis Ecclesiastici viris ad defendenda sua jura opem ferre. At nunc eâ imminutâ, etiam postulante Clero, aut potiùs constricto ejus potestatis usu, parùm efficax auxilium à sancta Sede sperari potest, nisi Christianissimi Regis religio ad majorum suorum exemplum, certò sibi persuadeat, maximam gloriæ suæ partem in liberanda, & protegenda Ecclesia esse positam, suamque autoritatem, sicut pro fide restauranda, sic pro restituenda Ecclesiæ libertate seriò impendat.

8. Sicut igitur Gallia ipsa exactionibus, ac Beneficiorum reservationibus, quibus se à Pontificibus, vel ab eorum Officialibus premi conquerebatur, occasionem præbuerat, Pontifices Avenionem advocans, ut viciniores haberet, ac postmodùm in schismate inter plures Pontifices Avenionensium partes amplectens; sic etiam ut se adversus illa onera contra

Potestatem Ecclesiasticam tueretur ad laicam recurrens, ab ista in duriorem, ac miserabiliorem servitutem redacta est. Hoc utrumque testantur scriptores Gallicani. Genebrardus Chron. lib. 4. in Clement. V. de translatione Sedis Pontificiæ, ista scripsit; *Denique hæc Sedis Apostolicæ translatio valde fœdavit antiquam Ecclesiæ faciem. Nam præter inauditas dispensationes, & Sanctorum Canonum enervationes, periit illud Divinum jus, sæcularia sæcularibus, & regularia regularibus, maximè in Gallia, dum Pontifices hujus transmigrationis plusquam Babilonicæ (nam observantiam regularem, disciplinam Ecclesiasticam penè totam, jura denique confudit, corrupitq;) Patriæ, & Principibus impiè favere gestiunt.* En servitutis origo, en libertatis vindicandæ occasio.

9. Pragmaticam Sanctionem Judicibus sæcularibus ad opprimendam, & ferè extinguendam Jurisdictionem Ecclesiasticam, viam stravisse docet Tractatus de jurisdictione Ecclesiastica tom. 1. cap. 9. Actorum Cleri, editionis anni 1673. exscriptus, cujus verba referemus, cùm de Appellationibus tanquam ab abusu disputabimus.

10. Non est tamen hic omittendum Edmundum Richerium Doctorem, ac Socium Sorbonicum in Libello de Ecclesiastica, & politica potestate num. 13. Gallicanarum libertatum originem appellationibus ab abusu tribuere; *Hæc ratio procedendi Gallorum*, inquit, de hujusmodi appellationibus loquens, *originem præbuit Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, ut eas vulgo nominant.* Quæ certè origo, si vera est & plurimùm est Ecclesiæ odiosa, nec multùm antiqua.



LIBER SECUNDUS.

De Justitia Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ.

DUabus Libertates Ecclesiæ Gallicanæ partibus constant, ut ex illarum naturæ accuratiori examine licuit colligere, scilicet facultate retinendæ antiquæ disciplinæ Canonicæ, & examinandi utrum novæ leges utiles futuræ sint, easque, si cum utilitate conjunctæ non sint, repudiandi. Utriusque partis justitiam expendemus in hoc libro, præcipuè tamen secundæ, quia plus habet difficultatis, & plus indiget examinis. Quis enim est, qui antiquæ disciplinæ usum non commendet in iis omnibus, quæ temporum, aliarumque circumstantiarum mutatione inutilia, vel etiam periculosa non evaserunt.

CAPUT PRIMUM.

Laudandum esse constantem antiquorum Canonum usum.

1. IPsis Spiritus sancti oraculis admonemur antiquam disciplinam scisciari. *Hæc dicit Dominus*, inquit Hieremias cap. 6. vers. 16. *State super vias, & videte & interrogate de semitis antiquis,*

quæ sit via bona, & ambulate in ea. Ne quis autem reponat monitum illud eò tantùm pertinere, ut inter vias antiquas optimam eligamus: arctiùs nos alibi ad disciplinam illam antiquam adstringit Spiritus sanctus, extra semitas illas excurrere vetans; *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.* Proverb. 22. vers. 28.

2. Eodem ferè modo procedunt gratia, & natura, & in utràque, sicut quæque res ad suum principium proximè accedit, ità ipsius perfectionem maximè consequitur; quò autem recedit longiùs, eò deficit magis ab ejus virtute. Hinc fit ut religiosi Ordines primis institutionis temporibus ferventiores, & diligentiores sint in sequendis præceptis, quæ fuerunt à fundatoribus tradita, & in imitandis illorum exemplis: processu autem temporis tepescat ille ardor, ac tandem relaxata omninò disciplina regulari, abolendi sint, nisi fortè ad antiquam formam, renovato religionis spiritu, revocentur.

3. Pari quoque ratione, licet Ecclesia Catholica columna sit, & firmamentum veritatis, navis à nulla tempestate submergenda, domus Dei, adversus quam portæ inferi nunquam prævalituræ sint; tamen in pluribus, & aliquandò præcipuis suis membris infirmitatis humanæ defectus patitur, & refrigescente charitate abundat iniquitas. Quantùm enim, heu, distamus à primis illis Christi Discipulis, quorum vita, virtutes, & mors ipsa efficacissima erant argumenta veritatis, & sanctitatis Christianæ Religionis.

4. Quid igitur mirum si ad finem usque mundi magna veneratione prosequendæ sint sacræ illæ regulæ, quæ tunc constitutæ sunt, cùm abundantiùs sese Spiritus sancti gratia effundebat in Christianos, maximè autem in Pastores, penes quos erat legum ponendarum facultas.

5. Tanta solet incommoda invehere legum mutatio, ut vel eo solo nomine commendandum sit antiquæ disciplinæ studium, & in ea retinenda firmitas. Hanc tradit doctrinam Doctor Angelicus 1. 2. quæstione 97. art. 2. his verbis; *Habet ipsa legis mutatio, quantum in se est, detrimentum quoddam communis salutis, quia ad observantiam legum plurimùm valet consuetudo, in tantum quod ea, quæ contra consuetudinem communem fiunt, etiamsi sint leviora de se, gra-*

viora

viora videntur. Unde quando mutatur lex, diminuitur vis constrictiva legis, inquantum tollitur consuetudo: Et ideò NVNQVAM DEBET MVTARI LEX HVMANA, NISI EX ALIQVA PARTE TANTVM RECOMPENSETVR COMMVNI SALVTI, QVANTVM EX ISTA PARTE DEROGATVR. Et infrà; *Unde dicitur à Jurisperito quod in rebus novis constituendis evidens debet esse utilitas, ut rectè recedatur ab eo jure, quod diù æquum visum est.*

6. Sed etsi omni alia probatione hæc doctrina destituta esset, illius veritatem abundè demonstraret experientia. Nam si omnes Rerumpublicarum, Regnorum, aliorumque Cœtuum calamitates, & eversiones inspiciamus, ab innovatione aliqua imprudenter facta sæpissimè occasionem accepisse animadvertemus, ut verè dixerit S. Augustin. epist. 119. *Ipsa mutatio consuetudinis etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.*

7. Complectitur autem antiqua disciplina Decreta Conciliorum œcumenicorum, summorum Pontificum Constitutiones, imò & Conciliorum Provincialium Canones, specialem tamen erga Concilia œcumenica venerationem præseferunt Galli, dum suas libertates allegant.

8. Equidem, si Dominus noster Jesus Christus, ubi forent duo, vel tres in nomine ejus congregati, se quoque futurum pollicitus est, quis dubitet, illum in Cœtu omnium Ecclesiæ Pastorum simul congregatorum præsentiorem fore, & luminis, ac gratiæ vim majorem in eos effusurum.

9. Apostoli Spiritu sancto repleti exortas circa circumcisionem, & alias observantias legales, difficultates non seorsim, ut facilè poterant, enodarunt: sed in Concilium congregati post longam disquisitionem solverunt. Notanda sunt autem verba, à quibus incipit Decretum illud Apostolicum; *Visum est*, inquiunt, *Spiritui sancto, & nobis.* Quæ quidem verba argumento sunt, quod Spiritus sanctus Conciliis, maximè œcumenicis præsit, ea illustret, & ad veritatem infallibiliter dirigat. Porrò cùm primum in unoquoque genere sit mensura, & regula cæterorum, illud Apostolorum exemplum sequi debent, qui in illorum locum succedunt, quando tempora incidunt, quæ id exposcant.

10. Is fuit omnibus retrò sæculis Catholicæ Ecclesiæ sen-

sus,

sus, quæ maximam vim habere Concilia œcumenica semper putavit ad conservandam, vel restaurandam fidei puritatem, & morum sanctitatem. Quin etiam congregata sunt sæpè Concilia ad constituendam disciplinam in rebus, quæ hodiè non tanti momenti viderentur, ut illarum causa evocandi essent undique à suis Diœcesibus Pastores.

11. A Conciliis generalibus, in quibus summus Pontifex Caput visibile Ecclesiæ, & præcipua ejus membra, id est Pastores conjunguntur, repræsentatur Ecclesia illa, quæ ab Apostolo dicta est *columna, & firmamentum veritatis*, 1. ad Timoth. 3. quam qui non audit, debet, ut Ethnicus, & Infidelis exterminari. Quæcumque ab Ecclesia sic congregata oracula proferuntur, à promissione Divina plenissimam obtinent autoritatem.

12. Addi alia ratio potest, quæ plurimùm valet, ut Christiani Conciliis œcumenicis obsequantur libentiùs. Cùm enim in augustis illis cœtibus cujusvis Nationis, & Provinciæ Antistites intersint, fidemque omnium ubique Christianorum, variosque illorum mores, & usus liberrimè promant, faciliùs assentiuntur Fideles Decretis post tam accuratam rerum cognitionem prolatis, & sibi à propriis Pastoribus denunciatis, assignatis item, si quandò expediat, rationibus, & autoritatibus, quibus ducti fuerint Judices. Certior etiam inde fit populus non adulterata fuisse Decreta, ut in Conciliis minus frequentibus aliquandò contigit.

13. Licet autem aliquandò mali etiam Pontifices in hujusmodi Confessibus prophetizent, fit, nescio quomodo, ut sanctiora habeantur, quæ à sanctioribus statuta sunt, quales scimus, multos fuisse ex iis, qui primis præsertim in Conciliis œcumenicis sederunt, unde maxima illis accessit veneratio.

14. Utinam Ethnici, & Hæretici hac in parte rationem, nullâ perturbatione, nulloque proprii sensus, aut affectus præjudicio præventi, consulerent? Mirum quanta in eo tractandarum rerum Ecclesiasticarum modo illis eluceserent argumenta veritatis, & sanctitatis, quæ Religioni nostræ insunt. Quis enim non perspiciat, cœtum numero, sapientiâ, scientiâ, sanctimoniâ, & aliis dotibus, quibus præditi sunt viri,

viri, ex quibus constat, illustrissimum augustissimumque, nonnisi vera, & justa decreturum. Hujus rationis pondere quasi oppressi duo Episcopi Provinciæ Avenionensis, qui hæretici ad Concilium Tridentinum accesserant, Catholicæ fidei jugo mentem submiserunt, ut refertur in vita Gallicè conscripta Illustrissimi Bartholomæi de Martyribus Archiepiscopi Bracharensis lib. 3. cap. 1.

15. Nemo igitur jure meritò accuset Gallos, quod antiquam disciplinam venerentur, eamque retineant, ubicunque facta in personis, aut negotiis mutatio novas leges non requirit.

CAPUT II.

Necessarium esse aliquando per novas leges antiquis derogare.

1. FAtebitur quisquis ratione utetur accomodandas esse leges moribus eorum, quibus præstituuntur, atque variandas secundùm personarum, locorum, & temporum conditionem, non ita quidem, ut regulæ ad arbitrium hominum, fortè perditorum, inflectantur, sed ut, pensatis illorum dotibus, affectibus, usibus, tales eis præscribantur leges, quæ illorum saluti, vitæque rectè instituendæ aptiores videantur. Cùm autem hominum mores, sicut & aliæ res omnes, mutationi sint obnoxii, necesse est, ut si antiquis moribus novi adversentur, per regulas antiquis contrarias ad bonum publicum deducantur. Non iisdem ægritudinibus animi semper laborant: sed quemadmodum in corpore nunc ille, nunc contrarius morbus grassatur; unde contraria, pro vario morborum genere, medicamenta sunt adhibenda; ita mentes successivè contrariis erroribus, & vitiis subjacent, quibus modò istis, modò illis legibus occurrendum est.

2. Habet quidem plurima incommoda legum mutatio, si cum levitate, aut imprudentia conjuncta sit, non per necessitatem quasi extorta. Quamobrem, ut docet S. Tho-

mas 1. 2. quæst. 97. art. 2. non statim ut sese melius aliquid offert, quam quod à lege intendebatur, immutanda est, sed opus est, ut hanc mutationem aut maxima necessitas postulet, aut evidentissima utilitas. Verùm quæ ratio est, ut quod ad bonum publicum institutum est, si pernicioſum evadat, etiam contra bonum publicum retineatur?

3. Hincmarus Archiepiscopus Remensis antiquæ disciplinæ acerrimus propugnator, & in defendendis Gallicanis libertatibus à plerisque scriptoribus in exemplum adductus, etsi ABSQVE NECESSITATE MVTARI NON DEBERE QVÆ SEMEL IN CONCILIIS STATVTA, VEL IVDICATA SVNT, opusculo sic inscripto, contendat, diffiteri tamen non potest, quin occurrente necessitate, mutatione opus sit, quod quamplurimorum summorum Pontificum testimoniis ibidem confirmat. Inter alia refert ex epistola 95. Leonis Primi, quæ est ad Rusticum, verba sequentia: *Sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari.*

4. Egregiè admodum explicat summi Pontificis in temperandis Canonibus autoritatem Gelasius I. in ea epistola, quæ est ad Episcopos per Lucaniam, & Brutios, & Siciliam constitutos cap. 1. *Necessariâ rerum dispensatione constringimur, & Apostolicæ Sedis moderamine conveniunt, sic Canonum paternorum Decreta librare, & retrò Præsulum, Decessorumq; nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit,* ADHIBITA CONSIDERATIONE DILIGENTI, QVANTVM POTEST FIERI, TEMPEREMVS; *quò nec in totum formam veterem videamur excedere regularum, & reparandis militiæ Clericalis officiis consulamus.* Et cap. 2. *Priscis igitur pro sui reverentia manentibus Constitutis, quæ, ubi nulla vel rerum, vel temporum perurget angustia, regulariter convenit custodiri, eatenus Ecclesiis, quæ vel cunctis sunt privatæ ministris, vel sufficientibus usque adeò dispoliatæ servitiis, ut plebibus ad se pertinentibus Divina munera supplere non valeant, tam instituendi quam promovendi Clericalis obsequii sic spatia dispensanda concedimus, ut si quis,* &c.

5. Quocirca cùm omnia, quæ in condendis antiquis Legibus intercesserunt ad substituendas novas consentiunt, scilicet autoritas Conditoris, utilitas subditi, facultas parendi, aliæque conditiones, cur robore carebit, quod de novo præcipie-

cipietur ? Quicumque igitur Decreta omnia , quæ nova ſunt, ſolius novitatis obtentu repudiaret , non ſolùm iniquus eſſet , ſed & deſipere videretur. Sanè qui Eccleſiam non eandem hodie credit eſſe , quæ Apoſtolorum temporibus extitit , aut eâdem autoritate præditam negat , vel eodem ſpiritu gubernatam , cum Luthero , & Calvino inter hæreticos cenſendus eſt. Nunquid enim poteſtas à Chriſto Eccleſiæ collata certis temporum ſpatiis definita eſt ? Nunquid ſe cum Eccleſia uſque ad conſummationem ſæculi futurum non pollicitus eſt ? Nunquid hominum mores , quibus ut diximus , accomodandæ ſunt leges variis mutationibus non ſubjacent ? Nunquid quod hominibus certo modo affectis prodeſt , illis non obeſt contrario modo diſpoſitis ? Itaque qui manus Eccleſiæ ligare contenderet , ne medicamentis contrariis contrarios filiorum ſuorum morbos , novis legibus noyos abuſus , curaret , is tanquam Reipublicæ Chriſtianæ hoſtis habendus eſſet.

6. Nec inconſtantiæ accuſanda eſt Eccleſia , cum propter evidentem neceſſitatem , aut maximam utilitatem abrogatis prioribus Canonibus novos condit ; hæc enim mutatio non in Eccleſia fit , ſed in hominibus Eccleſiæ ſubditis. Nam & Deus ipſe , à quo Eccleſia omni tempore regitur , licet immutabilis ſit , leges mutavit , novumque Teſtamentum veteri ſubſtituit. Idem ſemper eſt finis , ſed media non ſemper eadem , quia homines non in eodem ſemper ſtatu permanent.

7. Hanc , exigente neceſſitate , poſſe mutationem fieri ſanus nemo diffitebitur : ſed cujus eſt de illa neceſſitate decernere , ac , utrum innovandum ſit aliquid , dijudicare. Hic eſt unicus , aut præcipuus controverſiarum de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ , prout communiter deſcribuntur , cardo diligenter inſpiciendus.

CAPUT III.

An possint novæ leges Ecclesiæ antequam acceptentur, examinari.

1. QUod Sanctissimus Pontifex Leo I. loco in præcedenti capite citato, docet, *quædam esse, quæ nulla ratione possint convelli*, ad fidem, & mores pertinet, ut scilicet quæ à suprema veritate, & omnis veritatis fonte Deo Ecclesiæ revelata sunt circa Christianæ Religionis mysteria, vel mores secundùm Divinam legem, & rectam rationem instituendos, stent semper immota nulliqúe mutationi obnoxia; Quod autem subjicit: *Multa esse, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari*, de disciplina est accipiendum. Cùm enim disciplinæ Legibus is propositus sit scopus, ut fideles faciliùs, & efficaciùs in fide orthodoxa, & in probis moribus permaneant, & semper charismata meliora æmulentur; nec eadem ratione debeant, aut possint omnes omni tempore, aut in omni loco in illis officiis contineri; necesse est, ut Ecclesia, quemadmodum in superiori capite diximus, suas leges interdum mutet, mutatis personarum, & negotiorum circumstantiis, maximèque semper attendat, quid, quo tempore, quibusque personis utiliùs futurum sit.

2. Itaque cum cuipiam Regno, aut Provinciæ proponitur Lex, Superioris est, & circumspicere diligenter conditiones omnes, à quibus pendet ejus utilitas; nec ægrè ferre, si subditi propter aliqua incognita Legislatori, cujus notitia non potest ad singula quæque pertingere, damni plus allaturam legem, quam utilitatis, viderint, reverenter significent, ac remedium petant.

3. Canones Ecclesiæ, qui ad fidem, & mores spectant, infallibili Dei revelantis autoritate nituntur, ideòque obedientia eis quasi cæca debetur, quanquam nemo clariùs videt quàm qui Deo assentiendum judicat, etsi rerum causas, rationesque minimè penetret: Leges autem, quæ in disciplina versantur; hominum, quod supra diximus, conditionibus

bus ut fructum optatum referant, aptandæ sunt, nec nisi rationabile obsequium desiderant.

4. Solemne est Ecclesiæ, ut in gubernandis fidelibus, Divinum regimen imitetur, nec solum attingat à fine usque ad finem fortiter, sed etiam disponat omnia suaviter. Itaque honoris Principibus debiti meminit, illorum jura servat illæsa, ordinem, & dignitatem Episcoporum veneratur, populorum studia, & usus attendit, omniaque ita ponderat ut consensum, & obedientiam potiùs obtineat, quàm extorqueat; suadeat, quàm præcipiat; amore alliciat, quam timore impellat: nec infirmitati solùm parcit, sed interdùm etiam malitiæ cedit in iis, quæ cum Religionis periculo non sunt conjuncta.

5. Verùm lumen illud sancti Spiritus, quod summo Pontifici adest, cum explicanda sunt fidei mysteria, & tradenda morum præcepta non perpetuò illi hypocritarum fraudes, aulicorum adulationes, improborum mendacia detegit, non adversus ambitiosorum importunitatem, Magnatum preces, suspecta Officialium consilia, immotos servat. Quid si, quod tamen sine gravi fundamento suspicari nefas est, summus Pontifex aliquo ulciscendæ injuriæ, congregandarum divitiarum, augendæ familiæ, aliove pravo affectu impelleretur ad præcipiendum aliquid suæ potestatis limites transcendens, aut justitiæ repugnans? Nec enim altitudo, & sanctitas solii sanctum facit, & à peccato securum. Num, si quid hujusmodi contigeret ab exequendo mandato non liceret abstinere? Quod autem in mandatis singularibus, etiam in communibus legibus liceret, quamvis longè difficiliùs legibus desit justitia, quàm præceptis particularibus.

6. Possunt igitur, dissimulantibus etiam summis Pontificibus, expendi novæ leges, antequam recipiantur, ut si quæ prodierint, quibus non sit necesse, vel etiam expediens parere, suspendatur executio, ac suspensionis causæ significentur, dummodo id cum bona fide, reverentia debita, & intentione sincera fiat.

7. Etenim generatim, ut lex aliqua ad sui observantiam adstringat, duo requiruntur ex parte legislatoris, scilicet intentio, & autoritas. Duo etiam ex parte subditorum, no-

titia, & facultas. Itaque si legis Conditor, aut omni careat autoritate, aut ejus potestas ad materiam legis non se extendat, vel ejus intentio certum tempus, certas personas, loca, vel negotia eximat ab onere; si subditi legem rescire, aut illam exequi non possint, parendi necessitate non tenebuntur. Quo circa examen aliquod requiritur.

8. Primò igitur videndum est an à legitimo superiore orta sit lex, nec venerando, quod interdum præfert, nomini statim est concedendum. Quot enim in Gratiani Decreto v. g. deprehensi sunt Canones Conciliis, summis Pontificibus, aut aliis Autoribus adscripti, à quibus constat non fuisse conditos? Sunt etiam nonnulli, qui ab eorum mente, quorum nominibus insigniuntur, longissimè absunt, ut videre est in libris ad ejus emendationem scriptis. Canones augusto Apostolorum nomine celebres, non solùm sanctissimorum illorum Ecclesiæ parentum fœtus non sunt, sed etiam nonnulla tradunt Ecclesiæ doctrinæ, ac usui adversa, ut in primo libro notavimus. Nunquid ergo sine ulla discussione fuerant excipiendi, aut agnitâ suppositione sine discrimine in usum inducendi?

9. Secundò dum legis Autor certus est, & constans legislatoris autoritas, potest ejus dubia esse intentio, vel etiam liquere quod lex omnia loca, omnes personas, omnia tempora non comprehendat: sic v. g. præceptum de consecrando pane azymo ad solam Ecclesiam Latinam, non autem ad Græcam pertinet. Sic præceptum Apostolicum de abstinendo à suffocato, & sanguine, ad tempus dumtaxat erat positum, &, ut censet Baronius, pro quorumdam tantùm locorum Christianis, ad quos epistolam direxerant Apostoli.

10. Tertiò in Ecclesiastica Hierarchia, sicut in Cælesti illuminantur & perficiuntur à superioribus medii, & à mediis infimi. Quamobrem Decreta Ecclesiastica primùm quidem Episcopis, ab istis deindè inferioribus Sacerdotibus, & à Sacerdotibus plebi sunt intimanda; adeò ut si alia via perferantur, in suspicionem meritò veniant, nec satis sit, ut fidelibus quoquo modo innotescant, nisi consueto more promulgentur, si nempè potuerit solitus ordo commodè servari.

11. Quar-

11. Quartò cùm Ecclesiæ, sicut & Christi ejus sponsi, jugum suave sit, & onus leve, Christusque ipse illos reprehenderit, qui hominum humeris onera importabilia imponunt, quando lex impossibilis est, aut incommodum aliquod maximum secum trahit, præsertim à superiore ignoratum, non videtur fieri ei injuria, si non statim caput jugo supponatur. Usus antiquis moribus, præsertim non perversis, contrarii vix inducuntur sine scandalo, cujus causa vitandi summi Pontifices præcepta sua, aliunde justa, suspendi velle censentur; *Consultius duximus*, inquit Cælestinus 3. cap. quod dilectio de consanguinit. & affinit. *Observatæ consuetudini deferre, quàm aliud in dissensionem, & scandalum populi statuere*, ADHIBITA QVADAM NOVITATE.

12. Eandem summis Pontificibus mentem tribuere convenit, quotiescumque injustum aliquid in lege, aut præcepto continetur. Alexander III. cap. *si quando* de rescript. eam his verbis prodit; *Patienter sustinebimus si non feceris quod nobis fuerit prava insinuatione suggestum.* Eam etiam indicat cap. *cum teneamur* de præbend.

CAPUT IV.

Utrum leges non acceptatæ obligent.

1. DE legibus injustis controversia non instituitur, cùm ex communi omnium Doctorum sententia non obligent, nec propriè leges sint; qua in re tamen distinguenda est injustitia, quæ sola Legislatoris inest intentioni, ab ea, quæ inhæret legi ipsi. Nihil enim vetat, quin statutum aliquod Reipublicæ sit necessarium, nedum utile, quamvis à prava legitimi superioris intentione proficiscatur, sed in eo, cum ferè nunquam eveniat, non est immorandum. Vitandi etiam scandali, & majoris mali causa, parendum est interdum legibus injustis, dum legi æternæ, aut naturali contrarii nihil præcipiant.

2. De justis est difficultas, & fortè non tam juris quàm facti. Qui enim leges ante acceptationem vim non habere con-

contendunt, istis præcipuè ad id credendum rationibus inducuntur. Primò quod leges cum ea intentione dantur à Principe, ut eas velit non obligare, nisi accedente subditorum consensu; quod si de facto verum sit, ideſt si superior consensum subditorum tanquam conditionem requirat, sine qua legem robore carere velit, nemini dubium est, quin isti liberi sint ab ejus observandæ debito. Utrum autem ea sit superioris intentio, nec ne prudentis est determinare, aut potiùs superioris ipsius expressiùs significare, ne infirmis laqueus prætendatur.

3. Secundò cum superiores à populi consensu, & voluntate suam obtinuerunt autoritatem, non censetur populus eam potestatem in superiores contulisse, ut inconsultò sibi possent leges præfigere, & se invitum ad earum executionem adstringere. Quæ ratio in Prælatis Ecclesiasticis à Domino nostro Jesu Christo institutis locum habere nequit, sed neque etiam fortassis in Principibus sæcularibus, qui licet ab hominibus primùm electi fuissent, à Deo tamen acceperunt facultatem ea præcipiendi, quæ ad bonum publicum essent necessaria, & reservata præstandi à populo consensus necessitas, non de injusta voluntate illius sed de justa causa, & recta ratione esset interpretanda.

4. Tertiam alii rationem afferunt, nempè legem eam præsumendam fore inutilem, aut pernicioſam, quæ à tota Republica refutaretur, sed in eo casu non tam acceptationis, quàm justitiæ, aut intentionis Legislatoris defectu, legis obligatio cessaret.

5. Ergo injustæ leges non obligant, quidquid intendat illarum Conditor; nec justæ, si aut tacitè, aut expressè annuat, ut non prius subditos ligent, quàm fuerint ab eis receptæ. Posset autem faciliùs præsumi consensus ille tacitus superiorum à subditis scientibus eas non esse ab illis admissas, ad quorum curam, & officium pertinet illarum promulgatio, nam difficilè foret, ut infimi contra mediorum sententiam, & voluntatem, supremorum obsequerentur mandatis, quorum aliunde justitiam non ita perspectam haberent.

6. Nec semper argumentum omninò certum est contrariæ superiorum voluntatis, si legem recipiendam, & exequendam

dam urgeant ; Hæc enim instantia desiderium potius superioris arguit , quàm præceptum contineat. Quis enim æstimet de supremo Ecclesiæ Pastore , velle illum genus quoddam schismatis inter inferiores Pastores, & animas illis specialiter commissas inducere ? Peccant qui sine causa legem rejiciunt ; sed qui rejectam non observant , eo quod sine gravi dissentione, aut alio incommodo non possint , immunes videntur à culpa quando superior silentio suo testatur se optare quidem, ut mandatis suis obtemperetur ; nolle tamen infirmorum , aut illaqueare conscientias , aut pacem & quietem , fortunas , vel alia bona , sine majoris boni spe , in discrimen adducere. Tutiùs tamen semper est superioris intentionem diligentiùs scisciteri.

7. Quod autem , si & lex justa sit, & superior eam quamvis non receptam , vim habere intendat , subditi ad eam acceptandam teneantur, & , si violent non acceptatam , peccati rei sunt , plures adeò certum habent , ut de fide esse affirment.

8. Præstat sæpissimè in similibus casibus prudentiæ regulas consulere , quàm propriæ potestatis gradus metiri ; nec solùm videre quidquid possit, sed etiam quid liceat, quid deceat , quid expediat , atque ita se unumquemque habere , ac si omninò id non posset , quod sibi non liceat, Divinumque honorem , bonum publicum , animarumque salutem legem supremam existimare, quod est optimum S. Bernardi ad Eugenium III. monitum de Consid. lib. 3. c. 4. *puta tibi non licere (etsi aliàs fortasse liceat) quidquid malè fuerit coloratum , spiritualis homo ille , qui omnia dijudicat , ut ipse à nemine dijudicetur , omne opus suum trinâ quadam consideratione præveniet : primum quidem an liceat , deinde an deceat , postremò an expediat. Nam etsi constet in Christiana utique philosophia non decere , nisi quod licet , non expedire nisi quod decet , & licet : non continuò tamen omne quod licet, decere , aut expedire consequens erit.* Non est tamen inutile uniuscujusque potestatis limites nosse , ut eas , & superiores non excedant , & subditi venerentur , & hoc pacto in pacem omnes faciliùs consentiant , & concordent.

9. Suares non solum ejus est sententiæ , ut credat , legum Ecclesiasticarum vim ab acceptatione non pendere , verùm id etiam secundùm fidem negari non posse affirmat lib. 4. de le-

gibus cap. 10. sed, ne ad Doctorum extra Galliam opinionem Gallos vocemus, Michael Mauclerus Doctor Parisiensis eandem amplectitur sententiam, & similibus verbis exponit de Ecclesiastica Monarchia par. 2. lib. 4. cap. 3. *obligationem inferre potest in conscientia*, inquit Doctor ille loquens de summo Pontifice, *servandi leges Canonicas à se conditas, & sufficienti promulgatione Orbi Christiano communicatas, ut Alphonsus à Castro, Turrecremata, aliique de melicri nota Doctores crediderunt: Quod adeò verum esse credo, ut secundùm fidem negari non posse putem*; Et ne quis putaret verba illa *sufficienti promulgatione*, acceptationem supponere, subjungit; *Neque propterea lex minus legis nomine, & honore dignabitur, si justa, & sufficienter promulgata non recipiatur à populo, nec minus peccabit contra Dei jussa, si illam sine causa repudiet.*

10. Sed quid opus est singularium Doctorum mentem referre. Tota Schola Theologiæ Parisiensis in Decreto diutissimè ponderato super doctrina Lutheriana sic censuit anno 1521. *de constitutionibus Ecclesiæ.* Propositio. *Neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habet jus unius syllabæ super Christianum hominem nisi id fiat ejusdem consensu, & quidquid aliter fit, tyrannico spiritu fit.* Censura. *Hæc propositio est à debita subditorum erga Prælatos, & Superiores subjectione, & obedientia retractiva, legum positivarum seditiosè destructiva, ac* IN FIDE, ET MORIBVS ERRONEA, ET EST ERROR DAMNATVS VALDENSIVM, *cum errore Arianorum conveniens*: in hist. univers. Paris. tom. ult. ad illum annum.

11. Idipsum senserant antiquiores; *hujus*, inquit Ivo Carnotensis epis. 8. de Sede Apostolica verba faciens, *judiciis, & constitutionibus obviare, planè* EST HÆRETICÆ PRAVITATIS NOTAM INCVRRERE. S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis pro Ecclesiæ libertatibus Martyr epis. 122. edit. Patris Lupi ad Gilbertum Londonienſem Episcopum scribit: SOLVS INFIDELIS, AVT SCHISMATICVS APOSTOLICIS OBTRECTAT OBEDIRE MANDATIS.

CAPUT V.

Confirmatur vim Legum ab acceptatione non pendere.

1. CUm Deus Optimus Maximus superiori autoritatem confert ad gubernandum, & præcipiendum, ex consequenti obligationem imponit subditis ad sequendum, & obediendum; sunt enim, ut loquuntur Dialectici, duo correlativa, quorum unum non potest esse sine altero, & frustra esset potestas regendi ex una parte, nisi ex altera responderet necessitas obediendi.

2. Id luculenter declaravit Christus ipse, cum Lucæ cap. 10. Apostolis dixit: *Qui vos audit me audit*; & ne quis leviorem estimaret culpam, quæ contra præcepta ab hominibus facta perpetraretur, quàm si Christus proprio aliquid ore præcepisset, addidit; *Et qui vos spernit, me spernit*, quibus in verbis obedientia, & contemptus non ad personas, sed ad doctrinam referuntur, nec discrimen ponitur inter materiam fidei, & morum, vel disciplinæ; atque *ità nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.* Non est etiam illud Christi oraculum, de contemptu, quem in scholis formalem vocant, interpretandum, sed de simplici inobedientia, quemadmodum ex verbis sancti Mathæi cap. 10. vers. 14. colligitur. *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros exeuntes foras, &c.* Quis igitur neget Apostolos, eorumque successores posse fideles, etiam renuentes, obligare ad recipiendas leges, & ad illas servandas, nisi forte affirmare ausit, aut Christum ipsum id non potuisse, quæ execrabilis esset blasphemia, aut suam potestatem cum Ecclesiæ Prælatis non communicasse, quod Evangelii verbis repugnat.

3. Quibus potuisset meliùs verbis Christus significare potestatem illam, quam S. Petro, & in illo cæteris Ecclesiæ Pastoribus, contulit, hominum acceptatione non indigere, quàm istis; *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis; Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis.* Verbum enim *ligandi* repugnantiæ superandæ vim significat.

4. Si leges ſuperiorum Eccleſiaſticorum non obligarent recuſatæ, etiam ſine cauſa; major eſſet ſubditorum poteſtas vim illis aut conferentium, aut detrahentium per acceptationem, vel recuſationem, quàm ſuperiorum, quibus expectandus eſſet ſubditorum conſenſus; Etenim cum obligatio neceſſitatem inducat, & ſit quaſi quoddam vinculum; ſi lex cùm à Legiſlatore profertur non ligat, nec ad obediendum adſtringit; utrumque autem præſtat poſt conſenſum, & acceptationem: ſequitur legem non à Conditore vim obligandi trahere, ſed à ſubditis ipſis, qua ratione potiores partes in proprio regimine obtinent.

5. Nec poteſt argumenti hujus robur infringi, reponendo conſenſum ſubditorum eſſe tanquam conditionem, non autem cauſam obligationis, quam lex infert, dum eſt acceptata, quemadmodum in contractibus minorum non Curatoris aſſenſus, ſed minoris voluntas validum efficit pactum, quamvis deſideretur etiam aſſenſus ille Curatoris. Hæc enim comparatio magis confirmat argumentum, quàm elidat. Nam primò contractus minoris naturaliter obligat, etiamſi non interceſſerit Curator. 2. Hinc fit, ut etiam in foro externo, quæ ex vi hujus contractus ſoluta ſunt, repeti nequeant, niſi ſpeciali lege id cautum ſit. 3. Secundùm Gallorum Juriſprudentiam rati ſunt hujuſmodi contractus, & validi reputantur, donec Principis beneficio minori ſe læſum afferenti ſuccurratur, ut poſſit à conventione reſilire. Quæ omnia non conveniunt legi ſecundùm eorum mentem, qui acceptationem omninò neceſſariam arbitrantur; atque adeò ex illorum mente, ut lex obliget, plus efficit ſubditus acceptans, quàm ſuperior ordinans.

6. Nemini unquam committitur Juriſdictio, ſine facultate cogendi. Ridicula enim eſſet poteſtas homini à Principe collata in hunc modum: *Ego te conſtituo illius Provinciæ, aut Civitatis Gubernatorem, vices meas tibi committo, autoritatis meæ participem te facio, gratum, ratumq; habiturus, quidquid à te præſtitum fuerit, tanquam à me ipſo effectum, quiſquis mandata tua contempſerit, tanquam mea deſpexerit, reus habebitur, &c. cum hoc tamen pacto ut Cives ad nihil eorum, quæ juſſeris obligentur, niſi libuerit, illudq; faciendum receperint.* Nonne ipſum à natura inditum lumen rationis perſpicit mancam, & inutilem

lem fore Gubernatoris autoritatem, si ad sua, & Principis præcepta adimplenda nequiret adigere subditos, etiam renuentes.

7. Quis enim in animum possit inducere, gladium Principibus, & Magistratibus eo tantum fine à Deo porrectum, ut eo tunc solùm uterentur, cùm homines, quibus præpositi sunt, in eas leges peccarent, quæ fuissent ab ipsis acceptatæ, non autem ut ad eas acceptandas, dum essent justæ, sine justa causa recusantes compellerent? Num autem Christus Vicarios suos Ecclesiæ Pastores reliquit inermes? Illorum quidem arma carnalia non sunt, sed armis tamen non carent. Potestas ligandi, & censuris innodandi, non versatur in solis ulciscendis contra præcepta Divina patratis criminibus, sed etiam in punienda fidelium contumacia, qui Ecclesiam non audiunt, Divinæ legis observantiam suis ordinationibus adjuvantem.

8. Non patitur forma legum Ecclesiasticarum, nec sanctorum Patrum, aliorumque Doctorum, de illarum vi loquentium, verba, ut intelligamus, illas eò usque robore carere, dum fuerint à subditis acceptatæ. Nam v. g. quæ illis censuræ apponuntur, indicant etiam reluctantes ad illarum executionem teneri. Qua in re, cùm non fiat mentio acceptationis, neque distinctio inter privatos, & communitates, imò interdum expresse ad communitates pœnæ dirigantur, non debet obligatio ad privatos tantùm, aut etiam ad communitates ipsas post acceptationem factam, referri. Et si quando Legislator acceptationis meminit, exceptio in illo casu firmat regulam pro cæteris.

9. Innumeros fere Canonici Juris interpretes, & Doctores possemus huc congerere, qui licet varia inter se sentire videantur, quia circa eandem hypothesim non versantur, ut vidimus in exemplis suprà expensis: in hoc tamen omnes conveniunt, ut doceant legem justam, secundùm Principis intentionem subditos obligare, nisi justam habeant non parendi causam; sed ab iis referendis supersedemus, quia hujusmodi autoritati non satis tribuunt Galli. Videri possunt apud Prosperum Fagnanum in cap. Treugas. de Treuga & Pace, ubi hanc quæstionem fusè prosequitur, præsertim à num. 48.

& in hunc modum concludit. *Intrepidè concludendum est legem Ecclesiasticam post publicationem ligare à sui principio ante ullam populi acceptationem.*

10. Absit, ut libertates Ecclesiæ Gallicanæ instabili, atque odioso illo fundamento nitantur, quod plerique suspicantur, qui libertates illas nihil aliud esse putant, quàm facultatem, seu licentiam faciendi quod libuerit, refutandi quod non arriserit. Justam causam aut habent, aut habere se putant; cùm quid aut amplectuntur, aut respuunt, quicumque injustos se apertè non profitentur.

CAPUT VI.

An leges Ecclesiasticæ minori quàm Politicæ autoritate polleant.

1. ILlustrissimus Dominus de Marca in universum leges omnes tam Politicas, quàm Ecclesiasticas, donec acceptatæ fuerint, vim non habere multis probare argumentis nititur lib. 2. de Concord. Sacerd. & Imper. cap. 16. eamque acceptationem docet Ecclesiasticis legibus magis esse necessariam. Necessitatem illam quoad leges universas adstruit. Primò ex eo quod debeant esse Reipublicæ utiles; utilitas autem illa à populi acceptatione cognoscatur; Ideòque nolint Principes, ut illæ robur suum obtineant, donec à populo fuerint receptæ; Quæ quidem ratio si de facto vera sit, ab eo quod hinc sequitur non dissentimus. Solis enim legibus utilibus ad bonum publicum, non autem otiosis, aut perniciosis vim obligandi concedimus, tacitumque Principis consensum sufficere fatemur, ut illarum obligatio suspendatur. Cæterùm Principem justas leges in subditorum optione relinquere, nisi ex certis indiciis colligatur, haud facilè credimus, nec ipse Dominus de Marca credidisse postmodum testatus est his secundæ præfationis verbis: *Ad eum verò consensum adhibendum subditos ex officio teneri juxta præscriptum Juris Divini, nisi leges eorum commodis apertè officiant. Ab hac regula nunquam discedo, quando de legibus Ecclesiasticis agitur.* Optandum esset, ut declarasset luculentiùs quid

quid sub illis vocibus *eorum commodis* intelligeret, ut qui libertates Gallicanas aversantur, ab ea opinione dimoverentur, Gallos ex temporalibus tantùm rationibus, non autem ex bono spirituali aut Ecclesiastica disciplina de legibus Ecclesiæ admittendis, vel rejiciendis decernere.

2. Secundò sic iterùm argumentatur Dominus de Marca; *Sanè si contrario usu, & tacito consensu omnium, leges per desuetudinem abrogantur, & non solùm suffragio Legislatoris, ut dicebat Julianus; Ita etiam etsi non suffragium, consensus saltem tacitus populi, qui rebus ipsis, & factis constat, necessarius erit, ut leges receptæ dici possint.* Probat quidem hoc argumentum consensum populi necessarium esse, ut lex recepta dicatur; Nihil enim aliud est receptio, quam consensus populi, sed supponit illam receptionem requiri, ut lex adstringat, quod esset demonstrandum. Prætereà inobservantiâ vel desuetudine legi vigor non adimitur sine Principis consensu, qui licet non semper necessariò exprimendus sit, ut censeatur abolita quælibet lex, dandus tamen fuit saltem semel pro semper; Cùm scilicet legibus statutum est, aut requiri acceptationem ut inciperent valere leges, aut sufficere desuetudinem per tempus à jure determinatum, ut vigere desinerent.

3. Quocirca plerique Autores discrimen inter leges Ecclesiasticas, & Civiles reponunt, opinioni Domini de Marca è regione oppositum. Volunt enim leges Civiles iis, quos diximus, modis à populi voluntate pendere, non autem Ecclesiasticas, eò quod Principes à Populo, Ecclesiæ Pastores à Christo potestatem acceperint. Duplicem adduxit Illustrissimus ille Præsul suæ opinionis rationem.

4. *Prima est*, inquit dicto cap. 16. num. 6. *quia potestas Ecclesiastica conceptis verbis data est in ædificationem, non autem in destructionem, ut testatur Apostolus. Undè sequitur* NIHIL OBTRVDENDVM ESSE FIDELIBVS, QVOD EOS OFFENDERE ALIQVO PACTO POSSIT; *Atque adeò* LEGEM ECCLESIASTICAM MINVS COMMODAM PRO NON SCRIPTA ESSE HABENDAM, *quia, ut inquit Chrysostomus, hæc est Christianismi regula, & illius exacta definitio, hic est vertex supra omnia eminens, publicæ utilitati consulere.* Mirùm certè quod tantum hominem talis argumenti non puduerit; *Potestas*, inquit, *Ecclesiastica data est in ædificationem, non autem in destructionem,*

nem. Ergòne potestas laica data est in destructionem, non autem in ædificationem? NIHIL OBTRVDENDVM EST, inquit, FIDELIBVS, QVOD EOS OFFENDERE ALIQVO PACTO POSSIT. Ergòne à faciendis legibus erit abstinendum? Lex justo non est posita, sed injustis, quorum semper major extitit numerus. Leges remedia sunt, quæ tùm curandis morbis, tum præcavendis adhibentur. Unde si expectandus sit hominum, ab adolescentia ad malum pronorum assensus, utà vetitis in quæ nituntur, legum timore coerceantur, nulla erit pietas, nulla religio. Quotus enim quisque est qui sponte sua, vel etiam Spiritus sancti gratiâ ita tendat ad bonum, ut à corruptæ naturæ pondere non trahatur etiam ad malum, & in lubrico positus non egeat interdum legum autoritate retineri? Quæ Lex sancta, & justa non *offendet aliquo pacto* vitiis jam deditos, aut ad illa propensos? Quæ lex non videbitur minus commoda? An regulæ, quæ *publicæ utilitati consulunt*, maximam hominum partem non offendunt? An non illæ ipsæ sunt, quæ minùs commodæ videntur? Porrò si offensio illa, vel commoditas, bonorum judicio metienda est, non offendentur illi legibus justis, nec eas minus commodas existimabunt; Justas autem dumtaxat valere diximus, etiamsi receptæ non fuerint.

5. Non minus odiosa est secunda ratio, quam his verbis exprimit idem Dominus de Marca; *secunda verò ratio hæc est, quia Christus ipse discrimen utriusque potestatis in præceptis dandis autoritate sua constituit. Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos Benefici vocantur, vos autem non sic, inquit ille apud Matthæum, & Lucam.* Atqui verba illa non vim ipsam legum, sed procurandæ executionis rationem continent. Nec enim Deus fidelium conscientias arctiùs adstringit ad obsequendum legibus Principum sæcularium, quàm Ecclesiæ; in eoque solo posita est differentia, ut ex communi Sanctorum Patrum, & celebriorum Interpretum explicatione probatur, quod superiores Ecclesiasticos oporteat præcipere, & obedientiam obtinere suavitate potiùs, & charitate, quam severitate, ac timore. Id luculenter docent verba ipsa Origenis à Domino de Marca relata, in quibus, non potestas superiorum Ecclesiasticorum cum potestate Principum sæcularium, sed unius usus

cum

cum alterius exercitio comparatur. *Principes Gentium non contenti tantùm regere subjectos suos, violenter eis dominari nituntur; inter vos autem, qui estis mei non erunt hæc.* Mox de Prælatis spiritualibus subjungit. *Principatus eorum in dilectione debet esse positus, non in timore carnali;* Quæ duo ultima verba notanda sunt, ne quis putet Ecclesiam nullo posse pœnarum timore malos cohibere; *Quid vultis,* inquiebat S. Paulus, *in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* 1. Corinth. 4. vers. 21.

6. Multa extant in Sacris Scripturis, etiam novi testamenti testimonia, quæ Ecclesiæ facultatem illam sontes plectendi asserunt. Satis est ut meminerimus Christum, ut diximus, Apostolos suos, eorumque successores, excommunicationis, cæterarumque censurarum gladio armasse, quo contumaces a malo deterrerent. Quamobrem Origenes non timorem omnem ab Ecclesiastico regimine removet, *sed timorem carnalem.*

7. Sanctus Thomas, & alii plures interpretes in eundem sensum verba Christi explicant, ut scilicet non de potestate, sed de potestatis usu, non de jure, sed de facto intelligantur. *Principes Gentium dominantur eorum Matth. 20. id est*, interpretatur S. Thomas, *in servitutem redigunt subditos:* Ezechiel. 22. *Principes ejus in medio illius, quasi Lupi rapaces; Item aliqui habent eminentiam non in dignitate, sed in potestate, ut aliqui nobiles; & consuetum est, quod qui potestatem habent, non utuntur ad beneficium, sed potestatem exercent in eos, scilicet ad opprimendum, non ad justitiam; sed Dominus illam consuetudinem non vult in Ecclesia sua servari.*

8. Alii interpretes super hæc verba Luc. 22. *Reges gentium dominantur eorum* plurimas congerunt autoritates, ut probent Principibus etiam sæcularibus congruere benignitatem. Olim epithetum Regis erat, *bonus.* Homerus nihil aliud in Rege desiderabat, nisi ut esset fortis in hostes, & bonus in Cives. Imò Præsulum epithetum erat *optimus.* Unde Paulus Felicem Præsidem cognominat *optimum.* Act. 23.

9. Non igitur docet Christus quales debeant esse, sed quales sint plerique Principes. Cæterùm & Ecclesiasticis, & sæcularibus Prælatis competit, ut subjectos possint legibus obligare, & ad illarum executionem contumaces adigere; illi pœnis spiritualibus, & Canonicis; isti temporalibus, & cora-

poralibus. Sed proh dolor, carnales homines, quia temporalia bona tantùm diligunt, non nisi temporales pœnas metuunt; nec spirituales, licet tantò magis metuendas, quantò animus corpori præstat, formidant. Unde fit ut Ecclesiæ præcepta parvi pendantur, nisi Magistratus sæculares brachium suum, id est auxilium, ut debent, illi commodent.

10. Tertium addit discrimen idem Autor inter utramque potestatem. *Regium Imperium, inquit, à Sacerdotali in eo maximè distat quod illi non solæ singulorum Civium rationes commissæ sint, sed totius Reipublicæ salus: Unde fit, ut in Cives etiam invitos ad fovendum totius Reipublicæ corpus jus illi competat, quemadmodum antea dixi, quod aliter se habet in Episcopali Ministerio, cui Ecclesiæ sollicitudo ita est commissa, ut singulorum salati præcipuè invigilare debeat, nec curare possit universum corpus aliquorum membrorum pernicie: sed ad exemplum Magistri nonaginta novem oves deserendæ illi sint, ut centesimam ad caulas reportet.* Quis rursus humani ingenii non demiretur imbecillitatem, cum eruditissimum hominem, tàm absurdè ratiocinantem audierit? Quis credat Ecclesiam universum corpus minus curare debere, quàm aliqua membra? Quis credat nonaginta novem oves illi omninò deserendas, ut unam ad caulas reportet? Consulit Ecclesia bono publico, & quidem magis quàm privato; sed in hoc excellit ejus regimen, quod cùm sæculares Magistratus multa dimittant inulta, dum societati civili non officiant, Ecclesia omnibus remedia pro viribus conferat, secreta secretis, publica publicis, nec nonaginta novem justos perire sinit, ut unum salvet peccatorem: sed aliquandiù illorum curam non necessariam intermittit, aut imminuit, ut istum interim quærat, & justorum numero apponens simul omnium salutem, quantum potest, promoveat. Id autem & bonum publicum exigit, ut scilicet oves in tuto positæ aliquantulum deserantur, quo congregandis aliis, & Gregi adjungendis, liberiùs vacetur. Neque enim si nonaginta novem pariter periclitarentur, postponeretur illarum salus unius recuperationi.

11. Monet Ecclesia privatim peccatores occultos, sed publicè peccantes, ac scandalosos publicè arguit, &, dum est inutilis correptio, eos ab aliorum communione sejungit, mavultque, ut Lupi faucibus exponatur ovis una morbida, quam

quàm totum gregem inficiat : quanquam etiam unius illius salutem exoptat, eamque ideò etiam sejungit, ut, dum se à grege senserit exulem pudore suffundatur, ac illuc redire optet, & festinet. Non tàm exigit pœnam quàm morborum curationem, non vult mactare, sed salutem conciliare. Sed eundem sibi finem debent præstituere Principes, ut scilicet bonum publicum curent, non autem ut perdant, & destruant singulares homines, nisi fortè quatenus bonum publicum reorum mortem exigit. *Si non ad bonum commune multitudinis*, inquit, S. Thomas opusc. de regim. Princip. lib. 1. cap. 1. *sed ad bonum privatum regentis regimen ordinetur, erit regimen injustum, atque perversum.... bonum siquidem gregis Pastores quærere debent, & Rectores quilibet bonum multitudinis sibi subjectæ.*

12. Sed utrique, & Pontifices scilicet, & Reges dum pro bono publico singulares subditos plectunt, etiam istorum bono consulere debent, quantùm possunt. Sanè nemini fas est quantumvis potenti mortem alicujus, aut aliud malum sub ratione mali appetere.

13. Quod autem Principes aliquandò privatis hominibus vitam auferant, ut Communitati nocere desinant; quod etiam subjectos ad solvenda tributa, quorum dubia est justitia, compellant, non est indicium arctioris obligationis in legibus politicis, quàm in Ecclesiasticis, sed majoris timoris in hominibus à pœnis temporalibus, quàm à spiritualibus. Quamobrem rectè concludit Dominus de Marca cum Theodoreto; *aliam esse rationem legum Regiarum, & Canonum; quod illæ severas pœnas à reis exigant, hi autem errantes in viam reducere, & ægris remedia parare conentur; quando peccatum est in leges Evangelicas, aut mores receptos.* Hinc tamen non consequitur vim obligandi, majorem inesse legibus politicis, quàm Canonicis.

14. Sed quæ causa est, ut præfatus Autor Principibus, *si non jure ordinario, sed summo jure agere velint, earum Constitutionum executionem urgere posse concesserit, quæ de jure dubio feruntur, & ab invitis Civibus obsequium extorquere, sine ulla Tyrannici Imperii exprobratione*: Illam autem facultatem summis Pontificibus, aut Ecclesiæ universæ denegaverit? Numquid in dubio præsumendum est pro justitia legis civilis, & pro injustitia Canonicæ? Nonne etiam legibus Ecclesiasticis convenit ratio boni publici,

quam subjungit? *Etsi enim* inquit, *dura sint aliquando Regum Imperia, ordo ille imperandi, & parendi id exigit, ut subditi Dominorum mandatis cedant, quemadmodum Apostoli disertissimè docuerunt.* Quidni etiam Ecclesiæ præceptis parendum sit, etiamsi gravia videantur?

CAPUT VII.

Ostenditur Doctores, quos citat Dominus de Marca non docere vim legis à promulgatione pendere, sed potiùs contrarium.

1. *Leges Ecclesiasticæ*, inquit idem Petrus de Marca lib. 2. cap. 16. num. 5. *eâdem tacitâ conditione, quâ Civiles adstringuntur, scilicet ut parendi necessitate Christianos non teneant, donec usu sint receptæ. Hæc est non solùm Gallorum omnium, sed etiam celeberrimorum quorumque Doctorum sententia.*

2. Vera sunt hæc de utrisque legibus, si vel tacitus superioris consensus adsit, vel à lege absit justitia. Sed si subintelligantur duæ conditiones à nobis supra expositæ, ut scilicet & lex justa sit, & superior omninò, & nonobstante consensus defectu, eam obligare intendat, & pauci Galli, & pauciſſimi celeberrimi Autores necessariam omninò promulgationem affirmabunt.

3. Huic sententiæ non favebit Gratianus, qui primo loco citatur; Nec enim tacitum illum superiorum consensum excludit, licet illum non exprimat, dum ait, *leges instituì, cum promulgantur: firmari cum moribus utentium approbantur.* Invisus ferè Gallis est Gratianus, quod plurima collegerit, quæ illis videntur summorum Pontificum autoritatem nimis extollere, nec illum controversiarum de libertatibus Ecclesiasticis Judicem reciperent lubentes; Itaque non est in explicanda illius mente amplius immorandum; quanquam sic illum Autorem interpretantur communiter Juris Doctores, ut tacitum Principis consensum ad non exequendam, vel ad abolendam legem requirat, quod in ipsis animadvertere licet, quos deinde citabimus ex prædicto Marca. Imò seipse videtur corrige-

re

re §. ult. ejusdem distinctionis 4. dum addit ; *nisi forte quis dicat hæc non decernendo esse statuta , sed exhortando conscripta.* DECRETVM VERO NECESSITATEM FACIT : EXHORTATIO AVTEM LIBERAM VOLVNTATEM EXCITAT.

4. Secundò sanctus Augustinus, quem putat Marca inclinare in contrariam sententiam lib. de vera Religione cap. 31. non inferiorum , sed superiorum judicio permittit leges, cùm fiunt. Hæc sunt illius verba ; *In istis temporalibus legibus , quanquam de his homines judicent , cum eas instituunt* (certè non subditi , sed superiores, leges instituunt , imò nec adsunt quidem inferiores, nisi fortè pauciſſimi , dum leges conduntur) *tamen* CVM FVERINT INSTITVTÆ , ATQVE FIRMATÆ *non licebit judici de ipsis judicare , sed secundùm ipsas.* Si judici , qui Principis vice fungitur , non licet de legibus , sed secundùm leges judicare , quomodò id permittetur inferioribus ? Non enim dicit S. Augustinus , cùm receptæ , sed cùm institutæ , atque firmatæ fuerint , quod totum ad Principis autoritatem pertinet. Sed quod S. ille Doctor de Legislatoribus , non de inferioribus , doceat , posse de legibus judicare , cum instituuntur , declarat ipse manifestissimè verbis , quæ post jam relata immediatè sequuntur ; *Conditor tamen legum temporalium , si vir bonus est , & sapiens , illam ipsam consulit æternam , de qua nulli animæ judicare datum est , ut secundùm ejus incommutabiles regulas , quid sit pro tempore jubendum , vetandumque discernat.*

5. Covarruvias , quem dictus Marca celeberrimum Autorem vocat , utriusque conditionis suprædictæ mentionem expressam facit in illis ipsis verbis , quæ sunt ab illo exscripta è libro. 2. var. resol. cap. 16. num. 6. scilicet ; *Leges à Principe dari ea conditione , ut* NON ALITER OBLIGENT , QVAM SI FVERINT A REPVBLICA RECEPTÆ ..... *& maximè præsumendam esse eam legem , quæ à Republica non recipitur , minimè ei convenire.* Ergo è contra si Princeps intendat , ut leges etiam non receptæ obligent , & illæ aliundè Reipublicæ conveniant , ad illarum observationem subditi tenebuntur.

6. Navarrus , qui est alius Autor à præfato Marca citatus tanquam celeberrimus , necessitatem taciti consensus Principis expressè meminit. *Dixi* , inquit , *receptam : quia antequam recipiatur saltem per majorem partem Universitatis , cujus pars est transgressor , non*

ligat. Quoniam promulgari videtur cum conditione, si recipiatur saltem per majorem partem, ut singulariter dixit Domi. in §. leges per Recentiores ibi, & in cap. 2. de Constit. & profundiùs Felix in cap. 1. de treuga, & pace num. 12.

7. Citantur ad marginem alii Autores, qui duas possunt in Classes dividi. Prima est eorum, quos vulgò Summistas, aut Casuistas appellant, secunda aliorum Theologorum. In prima Classe reponendi sunt Bartholomæus Fumus Ordinis Prædicatorum, cujus liber inscribitur: *Summa aurea Armilla nuncupata.* Angelus de Clavasio Ordinis Minorum, cujus liber; *Summa Angelica* dicitur; & Sylvester. Horum trium nullus non supposuit consensum Principis, ad detrahendam legi vim, esse necessarium: sive quia tùm debet adesse, cùm lex publicatur, aut in desuetudinem abit, sive quia generaliter constitutum est, ut post certum tempus, ac cum certis conditionibus leges inobservatæ robore carerent.

8. Ecce verba summæ Aureæ *Armilla* nuncupatæ verbo lex num. 11. *Et dicit gloss. in cap. Quocirca de consang. & affin. quod tolerantia, & dissimulatio Principis, in actu de jure prohibito, inducit dispensationem: Quod Dominus Antoninus intelligit, quando Constitutio Papæ à principio non recipitur, Papa sciente, & tolerante, quo casu tolerantia excusat à peccato: non autem si à principio recepta fuit à majori parte, secundùm quod limitat Panormitanus.* Nota hæc verba, Papa sciente, & tolerante.

9. Angelus autem de Clavasio verb. Constitutio §. 1. sic quæstionem proponit: *Utrum Constitutio Papæ, quæ à principio communiter non recipitur, ipso sciente, & tolerante obliget ad peccatum.* Item verb. Consuetudo §. 10. *Ex quo*, inquit, *per binum actum factum est contra Legislatorem scientem, & valentem contradicere, & non contradicentem.* Non disputat igitur Angelus, utrum lex non accepta subditos arctet, urgente, ac præcipiente superiore, ut acceptetur, sed supponit ipsum scire, & tolerare non receptionem.

10. Sylvester verb. lex num. 6. adhuc clariùs illum consensum docet esse necessarium, imò majorem in hoc autoritatem vindicat summo Pontifici, quàm Imperatori, ut mirùm sit in patrocinium advocatum fuisse sententiæ Petri de Marca. Audi ergo Sylvestrum verb. lex num. 6. *Quæritur quæ, &*

& quot requirantur ad hoc quod lex habeat vim obligativam in se, sivè in communi, & dico, quod multa ..... 4. quod per inferiores sit susceptæ, & approbata dist. 4. in istis §. leges ..... etsi opponatur, quod hoc sit absurdum, quia potestas condentis legem penderet à subditorum arbitrio. Dico primò hoc non esse inconveniens in Principe sæculari, idest Imperatore; quia, ut recitat, & sequi videtur Archidiac. dist. 3. lex. Quidam, ut Landul. dicunt populum posse auferre Imperatori autoritatem, quam in eum transtulerunt, juxta §. sed quod Principi instit. de Jur. natur. sicut judex qui delegavit. (Ecce quomodò Sylvester suffragatur opinioni Marcæ, in eo, quod. lib. 2. cap. 2. docet non solùm autoritatem Regiam manare â Deo, sed etiam specialiter singulis Regibus à Deo immediatè conferri,) SED OMNES ECCLESIÆ NON POSSVNT AVFERRE AVTORITATEM A PAPA, QVIA EAM HABET A DOMINO. *Vide si vis Archiepiscopum 3 par. tit. 18. cap. unic. col. 3.* (S. Antoninum Archiepiscopum Florentinum intelligit, à cujus autoritate possemus novum accersere argumentum.) *Esto tamen quod illud sit inconveniens in Imperatore, sicut in Papa: Dico quod hoc non sequitur, quia potest Princeps deputare Executorem compellentem ad observantiam legis: quo casu necessaria erit susceptio legis subditis compulsis.* (Vide an Sylvester cum Marca doceat nihil obtrudendum esse fidelibus, quod eos offendere aliquo pacto possit:) *& dato quod compelli non possint; adhuc non sequitur illud inconveniens: quia eo casu, quo Princeps vult compellere, sed nequit, non receptio non impedit vim legis, cùm eo modo eam impediat, quo consuetudo tollit, scilicet quia Princeps scit, & tolerat.* Non ergo defectus acceptationis, sed Principis consensus robur legis justæ suspendit.

CAPUT VIII.

Ostenditur ex verbis aliorum Doctorum, quos citat Dominus de Marca non probari vim legis à promulgatione pendere, sed potiùs contrarium.

1. CItantur adhuc duo magni nominis Theologi ad probandam necessitatem acceptationis, ut leges obligent: scilicet Joannes Gerson, & Joannes Major; sed licet illi, sicut & Nicolaus Cusanus, quem alibi allegat, & nos cap. sequen-

sequenti, eo tempore scripserint, quo summi Pontifices, seu legitimi, seu falsi, Galliam insolitis oneribus ferè oppressèrant, tempore scilicet schismatis inter Pontifices Romæ, & Avenione sedentes, aut tempore bellorum, ideòque vehementiùs incusaverint abusus autoritatis Pontificiæ contra sanctam, & priscam Canonum disciplinam, nusquam tamen non meminerunt legitimæ Vicariorum Christi potestatis, & debitæ ab omnibus fidelibus erga sanctam Sedem non solùm venerationis, sed etiam obedientiæ.

2. Joannes Gerson in tractatu de vita spirituali lect 4. quæ signanter citatur à Marca hæc habet corollario primo. *Nulla transgressio legis naturalis, aut humanæ, ut naturalis est, vel humana, est de facto peccatum mortale* : Sed hæc doctrina nihil juvat ad stabiliendam necessitatem acceptationis; Distinguit enim tantummodo, Theologorum Scholasticorum more, duas, ut ipsi loquuntur, formalitates in eadem lege, prima quod dictetur à ratione naturali, vel constituta sit ab hominibus. Secunda quod à Deo sit posita, vel firmata; Et ab hac secunda, non autem à prima putat habere quod obliget sub pœna peccati mortalis; sed in omni lege justa reperitur utraque illa ratio, seu formalitas. Hæc Gersonis mens manifestè patet ex probatione, quam adducit, scilicet, *quia lex naturalis, & humanæ, ut tales sunt, non possunt attingere ad cognitionem æternitatis in pœna, vel præmio; Non ergò feruntur ad finem talem supernaturalem.*

3 Corollar. 4. concludit in hunc modum : *Et ita quantùm lex aliqua habet admixtum de lege Divina præceptiva, tantùm, & non amplius est ejus transgressio mortaliter vitiosa.* Et corollar. 7. *Nulla lex appellanda est, neque ferenda tanquam necessaria ad salutem æternam, quæ non est de jure Divino in aliquo quatuor gradum, quos lectio præcedens exposuit.* Hæc doctrina prima specie videtur ab omni peccato mortali eximere violationem cujuscumque legis humanæ, nisi sit etiam lex Divina. Verum contraria mens apertè significatur in Corollario 6. cùm de præcepto abstinendi ab operibus servilibus, & sacrosanctum Missæ sacrificium audiendi, sic loquitur Gersonius : *Quod si peccat quis mortaliter transgrediendo limitationem istam Ecclesiæ, hoc non est propriè ex hoc quod Ecclesia sic præcipit; sed quia sic limitare expediebat pro communitate : Et iam homo fit contemptor Divini præcepti* (huc usque soli Divinæ legi vim obligandi tribuere videtur : sed

Præ-

Prælatorum autoritatem ſtatim aſſerit) *& ſuorum ſuperiorum, quibus ſponte ſe ſubmiſit, aut ſubmittere debuit pro utilitate ſui, & Communitatis, cujus eſt pars.*

4. Sed in lect. 2. ad quam remittit in Corollario 7. omnem aufert dubitandi occaſionem. Diſtinguit enim quatuor gradus legis ad Divinam legem pertinentis, ad quorum aliquem præcipuè 3. vel 4. evidentiſſimè reducitur quæcunque lex, manifeſtam non continens injuſtitiam; *Dicamus, quod illa lex eſt pertinens ſolùm ad Divinam, quæ licet deduci non poſsit à veritatibus ſolis Divinæ, deducitur tamen ex eiſdem coaſſumptis aliquibus veris probabilibus, quæ piè, & rationabiliter negari non poſſunt..... In 3. gradu ſunt leges, quæ ad ſui deductionem per leges Divinas requirunt propoſitiones dubias, quæ tamen plus incitant, & edificant ad devotionem, quàm oppoſitæ, aut quas tutiùs eſt concedere, quàm negare. Exempla multa, & quotidiana ſunt in Canonibus ſummorum Pontificum, & Decretalibus. Illi quippè Canones, aut Epiſtolæ Decretales innituntur legibus Divinis, utpotè talibus univerſalibus; Qui vos audit, me audit: obedite Præpoſitis veſtris; quæ dicunt, facite, & ſimilibus. Sed ſubſumendo pro minori propoſitione, aut in conſequentia coaſſumuntur ſæpiùs propoſitiones, quæ non ſunt de lege Divina, aut quæ dubiæ ſunt, aut non prorſus certæ, quod proficiunt obſervantibus. Tamen in multis tutiùs eſt eas concedere, nec pertinaciter impugnare, &c. Poſtremus gradus continet leges, quæ ex legibus Divinis non plus deduci poſſunt, aut minus quàm oppoſitæ.* Quæ lex amabo, ſi juſta ſit, non pertinebit ad legem Divinam aliquo ex iſtis modis.

5. Sed progeditur ulteriùs Gerſon, nam Corollar. 8. lect. 4. docet in dubio judicandum eſſe pro lege; Verba inferiùs exſcribemus. Demonſtrabimus etiam alibi quomodò ſummi Pontificis autoritatem defendat, & hæreſeos arguat illius impugnatores, ut hinc pateat Gerſonium, dum autoritati ſummi Pontificis aliquid videtur detrahere, ad abuſus ſuo tempore frequentes reſpicere. *Diutiùs ſpe noſtra*, inquit hujuſce tractatûs lect. 3. *tenuit nos ſermo de hac poteſtate ſummi Pontificis, quoniam tempeſtas præſens ad hoc impulit, pro qua magis neceſſe eſt, poteſtatem hanc ad clarum dignoſcere, atque ſecernere, quam olim antea præſertim ad videndum ſubtractionis factæ juſtificandæ, vel caſſandæ rationem, præſuppoſitis eis, quæ facta ſunt.* De ſubtractione loquitur à Benedicto XIII. Pontifice Avenionenſi, cui paruerunt Galli tempore ſchiſmatis, de quo alibi fuſiùs.

6. Joannes Major post Gersonium scripsit, & se Universitatis Parisiensis sententiam sequi professus est, in 4. sent. dist. 15. quæst. 4. qui locus citatur à Marca. Ad Gersonis sententiam interpretandus est, ut scilicet non obligent leges ad legem Divinam nullo modo pertinentes, ideſt injustæ, vel justa de causa recusatæ. Puderet ni fallor Doctores celeberrimæ Facultatis Theologiæ Parisiensis affirmare leges etiam justas posse repudiari, quamvis renitente Principe, ac sine justa causa. Contrarium suadent eorum Decreta alibi referenda.

7. Denique Joannes Driedo Professor Lovaniensis lib. 1. de libert. Christiana cap. 9. docum. 2. citatus à Marca, docet, quidem legem in foro conscientiæ non habere vim obligandi. *Quando non est moribus utentium recepta*, sed supponit tacitum consensum Principis metuentis turbationem Reipublicæ. *Tum enim*, inquit, *lex illa non expedit Reipublicæ sic dispositæ, cùm plus damni, & turbationis, quam boni inde sequeretur. Neque enim posset lex illa moribus utentium confirmari, dùm Princeps non posset absque turbatione Reipublicæ punire illius legis transgressores, populo legem illam non acceptante.* Dispositio tamen Reipublicæ prædicta vix culpa vacaret, si lex omnino justa esset.

8. Cæterùm autoritatem superiorum, & eis parendi obligationem, dùm nihil præcipiant legi Divinæ contrarium, in illo ipso loco validissimè defendit: *Ex his*, inquit, *manifestum est, falsam esse doctrinam eorum, qui dicunt Ecclesiæ Prælatos, superioresq; Potestates non plus facere posse imperando, quam faciunt Magistri, aut Doctores Dei legem, seu præcepta docentes, & Prælatos nihil aliud posse facere, quam faciunt Medici, qui ægrotis intimant, quis cibus mortiferus sit corpori, quis salutaris. .... Nam & sunt alia innumera sacræ Scripturæ testimonia, ex quibus liquidum est Prælatorum & superiorum Potestatum officia esse non solùm docere, aut intimare quid Deus jubeat, sed & imperare, dirigere, & coërcere populum. Deinde, & scire oportet supradictas scripturas à sanctis Patribus sic intellectas esse, ut ex illis sequatur etiam nos oportere* OBEDIRE IN HIS, QVÆ NON SVNT SECVNDVM SE PRÆCEPTA LEGE DIVINA, *quemadmodum latiùs declarabitur infrà, & in solutionibus argumentorum.*

9. Testimonia Innocentii I. & Gelasii, quæ profert præfatus Dominus de Marca loco citato cap. 8. in alienum sen-

sum

sum ab eo detorquentur. Cùm enim Innocentius Epist. 18. quæ est ad Alexandrum Episcopum Antiochensem quædam decrevisset circa jus Metropoliticum, & de rejectione Clericorum Arianorum, scribit, ut hæc Decreta mittantur ad cæteros Episcopos, ut ab omnibus unanimiter observentur. Qua in re non illorum arbitrio permittit, ut vel acceptentur, vel repudientur, sed providet tantùm ut ab eis non ignorentur, quod sufficere putat, ut communi consensu ab omnibus executioni demandentur. Et licet hanc significationem in Synodo fieri cupiat, satis tamen esse insinuat, si ad Episcopos pervenerit; *Gravitas itaque tua*, inquit, *hæc ad notitiam Coepiscoporum, vel per Synodum, si potest, vel per harum recitationem faciat pervenire, ut ea, quæ ipse tàm necessariò percontatus es, & nos tàm elimatè respondimus, communi omnium consensu, studioq; serventur.* Gelasius autem dicit Constituta Conciliorum universalium fieri ex assensu universalis Ecclesiæ; non autem statuta Conciliorum ab assensu universalis Ecclesiæ pendere, ut vim habeant obligandi; ac in hoc magnam Apostolicæ Sedis autoritatis partem collocat, quod Synodorum Decreta confirmet, exequatur, & observari faciat. *Confidimus, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret uniusiujusque Synodi Constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam,* QVÆ, ET VNAMQVAMQVE SYNODVM SVA AVTORITATE CONFIRMAT, *& continuata moderatione custodit, pro suo scilicet Principatu.*

10. Ex eo quod Anastasius Bibliothecarius non omnes ubique Canones vigere affirmat ad marginem 6. Canonis septimæ Synodi, ubi mentio habetur cujusdam Canonis Trullani, nequit Marca inferre, necessariam esse acceptationem, ut lex vi sua polleat, cùm à quamplurimis aliis causis procedat hæc inobservatio, præsertim ex tacito summi Pontificis consensu.

11. Non magis urgent verba Diurni Romani ab eodem Marca relata, quibus pollicebatur olim Pontifex se servaturum *omnia Decreta Canonica Prædecessorum Apostolicorum Pontificum quæcumque ipsi Synodaliter statuerint, & probata erant.* Nec enim hac voce *probata* significatur necessitas consensus subditorum, ad hoc ut superiorum legibus teneantur, sed designantur Constitutiones desuetudine, vel contrariis Constitutionibus, aliave

legitima ratione non abrogatæ: Quod ex verbis sequentibus colligitur, *sicut ab eis* (Pontificibus) *statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire.*

12. Denique verba illa Philippi II. Francorum Regis à Marca loco citato exscripta. *Ecclesia non recipit quamplures Canones, qui per desuetudinem abierunt, vel ab initio non fuere recepti* intelligi debent de Canonibus ab Ecclesia Romana non receptis v. g. Trullanis, vel cum consensu expresso, aut tacito summorum Pontificum in usum non redactis. Nec enim illud Philippi testimonium, aut alia supra relata definiunt posse subditos, superiorum, justas suas leges acceptari, & observari contendentium, voluntati, sine peccati reatu obsistere.

CAPUT IX.

Utrum legi parendum sit, dum dubia est ejus justitia, aut non evidens eius recusandæ ratio.

1. VErendum non est, ne universa Ecclesia, vel etiam summus Pontifex, aliquid præcipiat legi Divinæ, aut naturali contrarium; sed neque de quo dubium sit, an adversetur, nec ne? Undè non de hujusmodi dubio hic instituitur quæstio, quæ certè non tàm facilè solveretur. Videtur enim ex una parte, quod quemadmodum Deo obediendum est magis quàm hominibus, si apertè contraria præcipiant, ut qui hunc ordinem invertat, culpæ, ac pœnæ reus sit; Ita etiam cùm periculum est, ne in adimplendo hominis præcepto subditus Divina mandata transgrediatur, hujusmodi mandatum prætermittendum sit, quia hoc ipso quod quis se peccandi periculo committit (committit autem quisquis id agit, quod dubitet, an Deo displiceat) in peccatum incurrit. Aliunde tamen S. Augustinus relatus Canone: *Quid culpatur* 23. quæstione 1. supponit posse (nescio an non etiam debere) superiori præcipienti obtemperari, non modò si certum sit, id, quod præcipitur Deo non displicere, sed etsi displicere certum non sit. Docet enim posse militem bellare jubente Principe, in quo proximi fortunæ, ac vita ipsa impeti-

petitur, dummodò certum non sit, bellum illud esse Divinâ lege vetitum, atque adeò dubium sit, num hosti fiat injuria; possèque contingere, ut reus sit, qui præcipiat, innoxius qui obsequatur; *vir justus*, sunt verba S. Augustini, *si fortè etiam sub Rege homine sacrilego militet, rectè potest illo jubente bellare; si vice pacis ordinem servans, quod sibi jubetur*, VEL NON ESSE CONTRA DEI PRÆCEPTVM CERTVM EST, VEL VTRVM SIT, CERTVM NON EST: *Ita aut fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi: innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Rideretur ut insanus, nedum plecteretur ut reus, miles, qui ad bellum proficisci jussus à Principe causaretur, quod sibi non satis esset perspecta belli justitia. Principis est, præcepti causas, & justitiam discutere, subditorum autem parere; nisi norint Principem majorem id prohibere.

2. Sanè qui tùm etiam obediendum sentit, cùm non constat an lex Divinis mandatis sit conformis, an contraria; quomodò non arbitraretur præstandam obedientiam, cùm nullum est de peccato, vel de peccati periculo dubium, sed tantùm, an nimium gravis sit lex, ambigitur, aut ex alio capite, quàm ex peccandi timore oritur injustitiæ suspicio.

3. Nulla est societas, in qua erroris, ac temeritatis non insimuletur quisquis, dum inferior cum superiore contendit circa præcepti obligationem præferendam asserat: inferioris sententiam. Mente percurrantur Cœtus omnes, non solùm in quibus Principis potentia, etiam dum officii sui terminos prætergreditur, mutam extorquet obedientiam, aut in quibus votum ad obedientiam arctiùs constringit, sed & alii omnes: vix unum invenias, in quo universi omnino persuasum non habeant, & omninò indubitatum; Rectoris judicium in dubiis circa obedientiam, inferiorum opinionibus esse anteponendum, eosque omnes in regiminis regulas peccare, qui obedientiam negent sub prætextu, quod evidens non sit mandati æquitas.

4. Tantus est uniuscujusque erga seipsum amor, tamque altis radicibus infixum in omnium hominum cordibus libertatis, & independentiæ desiderium; tam accensum, ac fervens propriæ commoditatis, & utilitatis privatæ studium;

ut si dubium sufficiat ad excusandam legum rejectionem, dissolvendus sit omnis obedientiæ nervus; Quotus enim quisque est, cui mens, privati amoris stimulo excitata, dubitandi rationes non subministret, quandoquidem tot sunt quibus injusta videntur, quæ justissima cernuntur ab aliis omnibus, qui æquo animo de illis judicant. Quin etiam non desunt qui apertum scelus non solum injustum non agnoscant, sed & laudabile existiment, quemadmodum Judæi Apostolos interficientes arbitrabantur obsequium se præstare Deo.

5. S. Gregorius Magnus in cap. 15. lib. 1. Reg. exponens verba hæc Samuelis ad Saulem, *quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere*; Inferioribus de superiorum mandatis sententiam ferendi tantùm abest ut libertatem relinquat, ut etiam licentiam illam maximi criminis arguat. *Qui repugnant*, inquit, *Prælatorum imperiis, ideò utique repugnant quia Divinam voluntatem se scire meliùs æstimant. Quasi ergo peccatum ariolandi est repugnare, quia, velut Divino Altari contempto, ad aras Demonum responsa percipiunt, dum cordis sui præstigiosis, ac superbis adinventionibus credunt, & salutaribus Prælatorum consiliis contraria sentiendo refragantur.* Quocirca tam acriter increpatus est à Samuele Saul, licet iste proprio crederet officio feciisse satis. Nàm corripienti quod Dei vocem non audivisset, *imò*, respondit, *audivi vocem Domini, & ambulavi in via, per quam misit me Dominus* 1. Reg. 15. vers. 20. Præceptum quidem ad litteram non fuerat executus: sed præterquam quod in re, ut videbatur, parva illud transgressus fuerat, majorem se Deo gloriam procuraturum, si sacrificium offerret, existimaverat; *Tulit autem*, inquit, *de præda populus oves, & boves primitias eorum, quæ cæsa sunt, ut immolet Domino Deo suo in Galgalis.*

6. Joannes Gersonius, cujus verba huc distulimus, obediendum in dubio statuit in tract. de vit. spirit. lect. 4. hoc est enim Corollarium 8. *Occurrente dubio probabili de aliqua lege, utrum Divina sit, aut Divinæ connexa, seu pertinens, tutiùs est legem illam pro Divina suscipere, quam humanam negligere.* TENE CERTVM (consulit Augustinus) ET DIMITTE INCERTVM. Consilium dumtaxat, non præceptum his verbis contineri crederes, nisi statim sequeretur; *Est itaque regula Magistralis quod exponens*

se

se discrimini peccati mortalis peccat mortaliter, & hanc fundat dictum Sapientis: Qui amat periculum peribit in illo.

7. Nicolaus Cusanus, quem D. Petrus de Marca lib. 2. cap. 16. num. 8. adducit, ut probet necessariam acceptationem legum, ut vim obligandi habeant, quod scripserat initio Concilii Basileensis, posteà, vel explicavit, vel retractavit. *Sic enim*, ait Epist. 1. quæ est ad Rodericum de Trevino Archidiaconum Oratorem Regis Castellæ in Dieta Francofordiensi anno 1442. die 20. Maij scripta; UBI VERO IPSE PRINCEPS EA FIERI MANDARET, QVÆ AD FINEM ÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ ILLI CREDITÆ NON TENDERENT, NON PROCEDERET IVSSIO A PRINCIPATV; QVARE EI TVNC OBEDIRE NON ESSET NECESSE. *Si verò dubium esset, & de mente sacri Principis non constaret: pro sacro Principe præsumendum est, quod rectè credita potestate utatur & ipsi obediendum est.*

8. Franciscus de Victoria Universitatis Parisiensis Alumnus relect. 4. propositionem 16. hanc astruit; *Non spectat ad subditos determinare, aut examinare quid possit Papa, aut quid non possit, & quomodo teneatur parere vel non. Probatur. Quia sacrilegium est disputare de Potestate Principis, & præcipuè Papæ 17. quæst. 4. §. Committitur, & sequent. 2. quia hoc ipsum determinare, quæ sit potestas spiritualis alicujus, est jurisdictio, & est pars gubernationis, quæ non spectat ad subditos, saltem erga superiores: ergò hoc non convenit illis. 3. quia profectò hoc esset in turbationem, & dissolutionem Ecclesiasticæ Hierarchiæ & autoritatis, si quilibet posset dicere, Papa non potest, & hoc modo eximeret se à mandatis Papæ, & esset manifestum nutrimentum inobedientiæ, & schismatum, & hæresum.* IMO HINC NATÆ SVNT HÆRESES, *ut ait Cyprianus*, QVOD SACERDOTI DEI, VEL PAPÆ NON OBEDITVR; *sed quilibet audet dicere, quod Papa malè facit, & quod non potest facere; Et ideò etiam si Papa erraret, melius esset, ut in omnibus illi pareatur, quam per hoc quod unus habeat licentiam non parendi Papæ in uno casu forsan rationabili, dare occasionem, ut alii non pareant etiam in justis, & honestis.*

9. Præsidentium est quid inferioribus utiliùs sit decernere, atque ad illud implendum amore, interdum etiam timore, inducere; Subditorum etiam non solùm vires, sed & affectus plerumque convenit explorare antequam lex illis imponatur:

tur : non ità tamen ut bonum publicum negligatur , ne offendatur multitudo : ſubditorum autem eſt obedire , ſed eorum maximè , qui , & ipſi aliis præſunt. Debent enim obedientiam ſuperioribus ſuis præſtare , ut eam à ſuis inferioribus faciliùs obtineant.

CAPUT X.

Utrum nova Eccleſiæ Decreta in Gallia obligent , ſi prius examinata , & à Curiis ſæcularibus recepta non fuerint.

1. DUm Conventus Bituricenſis in examinandis Concilii Baſileenſis Decretis aliquid immutandum , aut temperandum judicabat , non id ſua poſſe autoritate præſtare, ſed à Concilio ipſo poſtulari debere ſentiebat , ut in Pragmatica Sanctione frequenter notatur. Verùm libertates Eccleſiæ tunc temporis inductæ , proceſſu temporis eo devenerunt, ut non ſolum ſummorum Pontificum Conſtitutiones , ſed etiam Conciliorum œcumenicorum Canones , niſi circa fidem , non valere dicantur , antequam à Parlamentis fuerint diſcuſſa , & , ut illic dicitur , verificata. Id ſatis expreſſè affirmat Carolus Fevretus lib. 1. cap. 4 num. 11. 24. 25. Fatetur ille quidem , Galliam ſuis libertatibus uti cum tacito Romanorum Pontificum conſenſu , & Petrus de Marca lib. 3. cap. 6. num. 5. *cum bona ſummorum Pontificum venia*, ſed ipſis etiam nonnunquam invitis Conciliorum Decreta repudiantur ; quod utrum jure fiat , videndum eſt in hoc capite.

2. Non quærimus jàm , utrum quando Rex legitima ſua jura impeti metuit , damnum præcavere poſſit , adhibito Actuum , qui à Curia Romana emanant , examine , aut à Clero , & populo ſuo manifeſtam injuriam propulſare, ſed an in Gallia Judicum , & aliorum fidelium tuta ſit conſcientia , ſi Eccleſiæ univerſæ , aut ſanctæ Sedis mandata , circa res ſpirituales , & Eccleſiaſticas non evidenter injuſta rejiciantur , aut non acceptentur à Senatu , à Clero

Clero autem, vel à Populo executioni non demandentur.

3. Error esset intolerabilis, si à Senatu, aut Rege ipso summi Pontificis autoritas circa res spirituales, & Ecclesiasticas pendere crederetur. Hæresis est ista jam pridem ab Ecclesia damnata, & Scripturæ oraculis contraria. Cùm enim Christus Vicarium in terris suum, ac in ejus persona legitimè successuros Pontifices creavit, supremæ suæ potestatis participes fecit, eamque potestatem soli Deo subjecit. *Et tibi dabo claves Regni Cælorum; & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum, & in Cœlis: Et quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*, Matth. 16.

4. Si Christus Principibus omnibus supremis Ecclesiæ jurisdictionem submisisset, jus illud etiam Paganis, & Hæreticis, penes quos est legitimum dominium, sine dubio competeret, quod ab omni ratione, ac religionis sensu alienissimum est. Quis enim credat voluisse Deum Ecclesiæ suæ regimen infensissimis suis hostibus supponere. Ergone invalida fuissent primis sæculis, dum Imperium, & Regna penes Imperatores, & Reges infideles, aut hæreticos erant, summorum Pontificum, & Conciliorum Decreta tunc edita, utpotè à Principibus illis, & Christianæ Religionis persecutoribus non examinata, non probata, non recepta, non promulgata?

5. Sed quid juris circa hoc Principibus accessit, dum ad Christianam fidem conversi sunt, nisi quod baptismali caractere insigniti, in Ecclesiæ filiorum, ac subditorum numero conscripti fuerunt, ex quo non solùm ad exequenda illius mandata, sed etiam ad procurandam, adhibitâ potestate sibi Divinitùs traditâ, illorum executionem tenentur. De iis, qui foris sunt, ut loquitur D. Paulus, id est, qui extra Ecclesiam, & per baptismum in illam nondum ingressi sunt, non judicat Ecclesia. At certè quicunque se Christianos profitentur, debent Ecclesiam audire, ac ejus præceptis obtemperare. Sic habuerunt, ac professi sunt quotquot veri Christiani, ac pii Principes extiterunt, ut produnt varia Ecclesiasticæ historiæ monimenta: Id multoties declaravit Constantinus Magnus, præsertim in Rescripto ad Episco-

pos Concilii Arelatensis primi : *Meum judicium*, inquit, *postulant* (Donatistæ) *qui ipse judicium Christi expecto. Dico enim, ut se veritas habet*, SACERDOTVM IVDICIVM ITA DEBET HABERI, AC SI IPSE DOMINVS RESIDENS IVDICET. *Nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud judicare, nisi quod Christi magisterio sunt edocti. Quid igitur sentiunt maligni homines, officia, ut verè dixi, Diaboli? perquirunt sæcularia, relinquentes cœlestia. O rabida furoris audaciæ? sicut in causis gentium fieri solet, appellationem interposuerunt. Equidem gentes minora interdum judicia refugientes, ubi justitia deprehendi* (reprehendi legendum arbitror) *potest magis ad majora judicia autoritate interposita ad appellationem se conferre sunt solitæ. Quid hi detractores legis, qui venientes cœleste judicium, meum putaverunt postulandum, sic sentire de Christo salvatore ecce jam proditores, &c.*

6. Theodosius Junior, & Valentinianus III. in Constitutione, quâ Decretum S. Leonis I. contra Hilarium Archiepiscopum Arelatensem executioni demandari jusserunt, expressis verbis declarant summi Pontificis sententiam sine Imperatorum intercessione vim suam obtinere : *Lata sententia*, inquiunt, *per Gallias etiam sine Imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis autoritati in Ecclesias non liceret. Sed nostram quoque præceptionem hac ratio provocavit, ne ulteriùs vel Hilario, quem adhuc Episcopum nuncupari, sola mansueti Præsulis permittit humanitas*, NEC CVIQVAM ALTERI ECCLESIASTICIS REBVS ARMA MISCERE, AVT PRÆCEPTIS ROMANI ANTISTITIS LICEAT OBVIARE. ARTIBVS ENIM TALIBVS FIDES, ET REVERENTIA NOSTRI VIOLATVR IMPERII.

7. In eo pietatis, ac justitiæ sensu Imperatoribus inferiores non extiterunt Reges Christianissimi, quod sæpè de se ipsi testati sunt. De Carolo Magno Ivo Episcopus Carnotensis, Gratianus, aliique quamplures verba ista referunt, tam generoso, tamque Christianissimo Rege, atque Imperatore dignâ : *In memoriam Beati Petri Apostoli honoremus Romanam, & Apostolicam Sedem, ut quæ nobis Sacerdotalis mater est dignitatis*, ESSE DEBEAT MAGISTRA ECCLESIASTICÆ RATIONIS. *Quarè servanda est cum mansuetudine humilitas*, VT, LICET VIX FERENDVM AB ILLA SANCTA SEDE IMPONATVR IVGVM, CONFERAMVS, ET PIA DEVOTIONE TOLEREMVS.

8. S. Ludovicus, ut jam alibi notavimus, inter alia, quæ Phi-

Philippo III. filio suo conscripsit, cum, ut non solùm Ecclesiæ Romanæ, sed etiam summo Pontifici subjaceret, admonuit: Non enim piissimus ille Rex ad infringendam, & imminuendam obedientiam, ut plerique hodie faciunt, Pontificem à Sede separabat. *Sis devotus, & obediens Matri nostræ Romanæ Ecclesiæ, &* SVMMO PONTIFICI TANQVAM PATRI SPIRITVALI. Tantùm aberat, ut Augustissimi illi Principes Ecclesiæ Romanæ, ac summi Pontificis, & Ecclesiæ universæ à Concilio œcumenico repræsentatæ Decretorum Judices agerent, ut illis etiamsi gravia viderentur, sese humiliter subjicerent.

9. Sed & Philippus IV. qui primus omnium cum Romano Pontifice apertiùs disceptavit, si sanctæ Sedis Decreta à se, vel à suo Senatu non probata vim obligandi non habere sensisset, an non Bonifacii VIII. Constitutiones contempsisset? An Censuras à Benedicto XI. sublatas, deinde à Clemente V. expressiùs tollendas curasset?

10. Non igitur de Christianissimo Rege, aut ejus Officialibus, & Judicibus, multò minus de Clero, & plebe præsumendum est, in ea esse sententia, ut Ecclesiastica mandata vim obligandæ conscientiæ à Potestate aliqua sæculari mutuari arbitrentur, aut prohibente illâ, exequenda non esse, si modò justa sint, qualia æstimanda sunt, quoties non patet injustitia. Eò tantùm spectat illorum examen, ut Regi, aut Regno non fiat injuria, aut Edicta injusta per obreptionem, aut subreptionem evidentem obtenta, effectum sortiantur. Cæterùm si illa occasione Senatus sanctæ Sedis Judicem se constituat; si perperam ejus mentem interpretetur; si sine justissimis causis ejus decretorum executionem impediat, non libertates Ecclesiæ Gallicanæ defendit, sed Ecclesiam Romanam simul, & Gallicanam in servitutem redigit, ac se omnibus censuris contra illa sacrilegia inflictis illaqueat.

11. Quamobrem non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus vani sunt prætextus illi, quibus aliquando justissima sanctæ Sedis Decreta repudiantur; scilicet quod in iis observatæ non fuerint formulæ constitutionibus Regiis, vel Senatus consultis inductæ, aut quod edita sint proprio motu,

tu, vel cum consilio alicujus Congregationis, cujus autoritas non agnoscatur in Gallia: quæ quidem excusationes si sufficerent, cùm semper earum aliqua prestò sit, tota summi Pontificis potestas corrueret, vel, quod in idem recidit, à Francorum arbitrio penderet omne illius exercitium.

12. Nec illa Judicum sæcularium injustitia illis prodest, qui eo tantùm prætextu debitam Ecclesiæ obedientiam denegant, cùm certissimè sciant Fideles, non Potestatibus Laicis, sed Apostolis, eorumque Successoribus dictum à Christo Domino nostro esse. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata, & in Cœlo: Et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo.* Matth. 18. Atque adeò posse quidem Senatus-consulta à pœnis temporalibus, non autem à Censuris Ecclesiasticis, multò minùs à Dei judicio liberare.

CAPUT XI.

Summum Pontificem habere condendarum pro universis Ecclesiæ partibus legum potestatem.

1. LEges justas acceptandas, & executioni demandandas, dum ea est Superioris intentio, imò etiam si dubia esset illarum justitia, modò nihil continerent legi Divinæ, aut naturali contrarium, hactenus demonstrasse mihi videor. Itaque id unum probandum supereresset, Romanum scilicet Pontificem, adversùs quem vel omninò, vel præcipuè convertuntur libertates Ecclesiæ Gallicanæ, condendarum pro aliis, ultra suam specialem Provinciam, Orbis Christiani partibus legum potestatem habere, si hæc autoritas in dubium à Gallis revocaretur, quod de Christianissimo illo Regno nefas est suspicari. Quia tamen aliquorum facta cum verbis pugnare videntur, dum ita leges illas habent, quasi à Superiore non emanassent, non erit inutile, jus illud summi Pontificis monimentis antiquissimis, atque adeò in hac materia maximi ponderis, confirmare, ut ex Gallorum, & ex summorum Pontificum testimoniis liqueat, summa cum veneratione jam à pri-

à primis susceptæ fidei temporibus obtemperatum fuisse ab inclytæ illius Nationis hominibus sanctæ Sedis Decretis, non adhibitis illis formulis, quæ posterioribus sæculis in illo Regno excogitatæ sunt, ad examinandas leges Ecclesiasticas, & quæ alio prætextu excusari non possunt, nisi fortè quod hæc cautela necessaria sit, ne quid à summo Pontifice, vel ab ejus Officialibus per obreptionem, vel subreptionem impetretur, quod vel loco, vel tempori minùs conveniat.

2. Anno 404. S. Innocentius à Victricio Rothomagensi Episcopo de Clericis incontinentibus, aliisque capitibus consultus, Decretum Siricii Papæ in Epistola prima, quæ est ad Himerium Tarraconensem cap. 7. ferè ad verbum exscripsit. Continentur in utriusque illius Pontificis Epistolis, quæ à Dionysio collectæ sunt, multa notatu digna.

3. Prima etsi Victricius esset rerum Ecclesiasticarum peritissimus, Romanum tamen Pontificem adiit, non ut Doctorem peritiorem, sed ut Pontificem, à quo norma, & autoritas esset requirenda. En epistolæ Innocentii principium. *Innocentius Victricio Episcopo Rothomagensi*, Salutem. *Etsi, frater charissime, pro merito, & honore Sacerdotii, quo plurimùm polles, vivendi, & docendi secundùm Ecclesiasticas regulas nota sunt omnia, neque est aliquid, quod de sacris lectionibus tibi minus collectum esse videatur. Tamen quia* ROMANÆ ECCLESIÆ NORMAM, ATQVE AVTORITATEM MAGNOPERE POSTVLASTI, VOLVNTATI TVÆ MOREM ADMODVM GERENS, DIGESTAS VITÆ, AC MORVM PROBABILIVM DISCIPLINAS ANNEXAS LITTERIS MEIS MISI.

4. Secundò responsum suum vindicat summus Pontifex legis loco habendum, nec ullum supponit futurum ejus examen, aut formulam aliquam receptionis, sed satis fore, ut cognoscatur ex significatione ab eodem Victricio facienda: *Per quas* (disciplinas) *advertant Ecclesiarum regionis vestræ populi, quibus rebus, & regulis Christianorum vita in sua cujuscumque professione debeat contineri, qualisq; servetur in Urbis Romæ Ecclesiis disciplina. Erit dilectionis tuæ per plebes finitimas, & Consacerdotes nostros, qui in illis regionibus propriis Ecclesiis præsident, regularum hunc librum quasi didascalicum, atque monitorem sedulò insinuare: ut & nostros cognoscere, &* AD FIDEM CONFLVEN-

FLVENTIVM MORES VALEANT DOCENDI SEDVLITATE FORMARE.

5. Tertiò profitetur se anteriorum Pontificum, & Patrum vestigia sectari. Is enim, ut alibi notavimus, summorum Pontificum, æquè ac Gallorum, imò magis, mos fuit, disciplinæ regulas, ut erant antiquissimæ, ita maximè venerari. *Non quod nova aliqua præcepta imperentur*, inquit, *sed ea, quæ per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus observari cupiamus: Quæ tamen Apostolicâ, & Patrum traditione sunt constituta.*

6. Quartò nec id tantùm decrevit Innocentius, quia fuerat à Victricio consultus, sed quia ejus erat, omnium Ecclesiarum abusibus, ut sibi denunciati fuerant, apponere remedium; Ecclesiarum autem eam admittere curationem; *Ergo*, addit idem Pontifex, *nè silentio nostro existimemur his præbere consensum, dicente Domino. Videbas furem, & currebas cum eo, hæc sunt quæ deinceps intuitu Divini judicii omnem Catholicum Episcopum expedit custodire*, deindè respondet ad singula capita.

7. Ea omnia mirum in modum confirmantur ex epistola ab eodem S. Innocentio anno sequenti, hoc est 405. ad S. Exuperium Episcopum Tolosanum scripta, quam his verbis inchoat, quibus se à S. Exuperio consultum testatur. *Innocentius Exuperio Episcopo Tolosano salutem. Consulenti tibi, frater charissime, quid de proposita specie unaquaque sentirem: pro captu intelligentiæ meæ quæ sunt visa respondi, quid sequendum, vel docilis ratio persuaderet, vel autoritas lectionis ostenderet, vel custodita series temporum demonstraret. Equidem dilectio tua institutum secuta prudentium, ad Sedem Apostolicam referre maluit, quid deberet de rebus dubiis custodire potiùs*, QVAM VSVRPATIONE PRÆSVMPTA *quæ sibi viderentur, de singulis obtinere.*

8. Deindè respondet ad quæsitum de incontinentia Sacerdotum in eundem modum, quo, anno 385. Siricius Papa Himerio Episcopo Tarraconensi. Sed (quod diligentissimè animadvertendum est, & probat summorum Pontificum responsa legum vim habuisse, licet non essent solemniter promulgata, vel acceptata) cùm ad pœnam venit, quæ à Siricio contra incontinentes decreta fuerat, licet Himerio Siricius suam Epistolam non præcepisset, saltem expresè, cum Gallicanis Ecclesiis communicare, declarat Innocentius

tius eos, qui in Gallia illam non ignoraſſent, omnium pœnarum in illa contentarum reos habendos: *Sed ea planè diſpar, & diviſa ſententia eſt. Nam ſi ad aliquos forma illa Eccleſiaſticæ vitæ pariter, & diſciplinæ, quæ ab Epiſcopo Siricio ad Provincias commeavit, non probabitur perveniſſe: His ignorationis venia remittetur ..... Si qui autem ſciſſe formam vivendi miſſam à Siricio deteguntur, neque ſtatim cupiditates libidinis abjeciſſe, illi ſunt modis omnibus ſubmovendi, qui poſt admonitionem cognitam præponendam arbitrati ſunt voluptatem.*

9. Fecerat quidem Siricius Gallicorum mentionem Himerio injungens, ut Epiſtolam ſuam in illorum notitiam deduceret. Sed eo nomine Pontifex ſignificabat illos, qui vulgò de *Galizia*. Porrò quæ fuerit mens ipſius Siricii circa publicationem, & receptionem Ordinationum Pontificiarum indicant ejus verba; *Hæc, quæ ad tua conſulta reſcripſimus in omnium Coepiſcoporum noſtrorum perferri facias notionem, & non ſolùm eorum, qui in tua ſunt Diœceſi conſtituti, ſed etiam ad Univerſos Carthaginenſes, & Bethicos, & Luſitanos, atque Gallicos, vel eos, qui vicinis tibi collimitant hinc inde Provinciis, hæc, quæ à nobis ſunt ſalubri ordinatione diſpoſita ſub litterarum tuarum proſecutione mittantur, & QUANQUAM STATUTA SEDIS APOSTOLICÆ, VEL CANONUM VENERABILIA DEFINITA NULLI SACERDOTUM DOMINI IGNORARE SIT LIBERUM: Utiliùs tamen & pro antiquitate Sacerdotii ſui dilectioni tuæ eſſe admodum poterit glorioſum, ſi ea, quæ ad te ſpeciali nomine generaliter ſcripta ſunt per unanimitatis tuæ ſolicitudinem in univerſorum fratrum noſtrorum notitiam perferantur, quatenus & quæ à nobis non inconſultè, ſed providè ſub nimia cautela, & deliberatione ſunt & ſalubriter conſtituta, INTEMERATA PERMANEANT, & omnibus inpoſterum excuſationibus aditus, qui jam nulli apud nos patere poterit, obſtruatur.*

10. His Pontificiæ autoritatis argumentis, quæ, cùm à Dionyſio Exiguo hauſta ſint, maxima vi pollent apud Gallos, addi poſſent alia quamplura temporum ſubſequentium, quæ apud Patrem Sirmondum, & alios Autores Gallos legi poſſunt. Pauca tantùm ſubjungimus. Exemplum libelli Symmaco Papæ à Cæſario Epiſcopo Arelatenſi oblati ſic orditur: *Sicut à perſona Beati Petri Apoſtoli Epiſcopatus ſumit initium; ità neceſſe eſt, ut diſciplinis competentibus ſanctitas veſtra ſingulis Eccleſiis quid obſervare debeant, evidenter oſtendat.* Idem Symmacus epiſtolam 10. ſic inchoat; *Dilectiſſimis fratribus univerſis Epiſcopis per Gallias conſiſten-*

sistentibus, Symmachus: Sedis Apostolicæ instituta prædicanda sollicitant, ut de concordia universalis Ecclesiæ, quæ toto orbe diffusa est, pervigili curâ tractemus. Quæ tunc præcipuè efficaciùs adolescit, si ea, quæ à Patribus statuta sunt, ætas subsequens reverenter observet.

11. Vigilius Epistola ad Episcopos Galliæ anno 545. *Quantum nos*, inquit, *Divina potentia Apostolorum primi Sedem non pro nostris meritis, sed pro ineffabili suæ misericordiæ pietate habere constituit,* TANTVM NOS DE VNIVERSARVM ECCLESIARVM DISPOSITIONE, ET PACE, ET STATV CVRAM HABERE CONVENIT.

12. Celestinus Papa Episcopis Provinciæ Viennensis, & Narbonensis jurisdictionem suam in universas Ecclesias his verbis exprimit; *Nec silere possumus, cùm ad hoc ut ab illicitis revocemus aliquos, officii nostri provocemur instinctu: in speculis à Deo constituti, ut vigilantiæ nostræ diligentiam comprobantes, & quæ coërcenda sunt resecemus, & quæ observanda sunt sanciamus. Circa quamvis longinqua spiritualis cura non deficit; sed sè per omnia, quà nomen Dei prædicatur, extendit.*

13. Denique anno 860. quo tempore Antistites Gallicani pro suis juribus cum summis Pontificibus frequenter altercabantur, sic tamen alloquebantur Nicolaum Primum, *Apostolicis documentis, & Pontificalibus Decretis multipliciter informamur, ut vestri sanctissimi Apostolatus apicem, Principis Apostolorum fide, & nomine consecratum,* QVOTIES S. ECCLESIA ALIQVA NOVITATE PVLSATVR, HVMILITER ADEAMVS, IBIQVE VERI CONSILII SALVBERRIMA INSTITVTA SINCERITER HAURIAMVS, *ubi mitis Magister Christus, & summum Caput nostrum, fundamentum Ecclesiæ posuit.* Apud Sirm. tom. 3. pag. 158.

CAPUT XII.

Quæ sint vera justitiæ libertatum Ecclesiæ Gallicanæ fundamenta.

1. SUas libertates Galli sæpiùs autoritate, & exemplis tuentur, quàm ratione, licet aliquibus etiam videantur rationibus posse defendi. Remissis ad librum sequentem exemplis satis erit hic observare legitimas illarum libertatum causas nonnisi duas esse posse.

2. Etenim vel nova lex justa est, quod, ut diximus, de Conciliorum Canonibus, ac summi Pontificis Decretis sentiendum est, quoties contrarium evidenter non apparet; ac tunc acceptanda est, nec sine peccato repudiari potest, nisi de expresso, vel saltem tacito legislatoris consensu: vel lex injusta est; Hanc autem ex ipso jure naturali licet non acceptare. Itaque duplex est justitiæ titulus, scilicet expressus, vel tacitus Ecclesiæ consensus, quantùm ad leges justas, & jus naturale, quantùm ad injustas; Quanquam in istis etiam non deest Ecclesiæ consensus. Quis enim credat Ecclesiam, aut summum Pontificem in rebus etiam injustis obedientiam exigere.

3. Hoc autem interest inter utrasque leges, quod si justæ sint possit Ecclesia etiam invitos adigere, ac reluctantes ligare. Licet enim ab exercenda tota sua potestate prudentissimè abstineat, cùm majora prævidet ex rigore consecutura mala, & scandala, quàm ex observatione legis bona, & commoda; ideoque recusationem, ac inexecutionem dissimulet, nec ea de causa fidelium, eorum præsertim penes quos nulla est autoritas, quibusque difficillimum esset ab aliorum usu recedere, conscientias illaqueari patiatur: tamen si instaret, intenderetque omninò legem observari, puta satiùs judicans scandala permittere, quàm malitiæ, ac contumaciæ cedendo, veritatem, aut justitiam deserere, parendum certè foret, nec qui tunc resisterent, aut non obtemperarent, peccati reatum evaderent, quantumvis consuetudine, sæcu-

lari poteſtate, aut alia quavis ratione ſe tuerentur. At verò ſi lex injuſta eſſet, quod, ut diximus, præſumendum non eſt, nec requireretur Eccleſiæ conſenſus, nec noceret ejus diſſenſus.

4. Recurrit circa juſtitiam libertatum Eccleſiæ Gallicanæ difficultas, circa earum definitionem orta; nihil ſcilicet differre Gallicanam Nationem à cæteris in acceptandis, vel recuſandis legibus Eccleſiaſticis; Siquidem nulli non licet legum executioni ſuperſedere, ſi vel annuat Eccleſia, vel penſatis rerum, locorum, ac perſonarum conditionibus, injuſtum ſit, ejus mandatis ad litteram ſervire. Verùm diſcrimen illud à Gallicanis Autoribus notatur, quod cùm cæteræ nationes ſeſe ſummorum Pontificum Conſtitutionibus ſubmiſerint, Gallia verò ſuâ etiamnum fruatur libertate, difficiliùs ſit illis impoſitum jugum excutere, quàm Franciæ nondum ſuſceptum recuſare.

5. Attamen ſi res attentiùs conſideretur, ac æquiter penſetur, repetendum ſemper eſt duplex, quod diximus, fundamentum. Si enim ſine cauſa repudiatæ ſunt à Gallis Conſtitutiones ab aliis receptæ, non niſi ob tacitum Eccleſiæ conſenſum ab inobedientiæ peccato immunes ſunt. Si autem is erat in Gallia rerum ſtatus, ut ei, ſicut cæteris Provinciis Orbis Chriſtiani leges illæ non convenirent, jure naturali, & ipſa Legiſlatoris intentione ab earum executione liberi extiterunt. Nec enim nocet diſciplinæ diverſitas, dum eam exigit morum diſſimilitudo.

6. Cæterùm magnoperè cavendum eſt, ne leges Eccleſiæ eo tantùm nomine injuſtæ reputentur, quod commodis, & rationibus temporalibus non ſint accommodatæ, *tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis.* Gal. 5.

LIBER TERTIUS

De Propugnatoribus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ ; occasione illorum verborum, *Libertates à Majoribus nostris tanto studio propugnatas.*

INcredibile est, quantùm valeat exemplum ad confirmandas hominum voluntates in conceptis desideriis, quamque à censura se tutos arbitrentur, qui aliorum, præsertim Antiquorum, facta similia possunt allegare. Id si quando aliàs, maximè in defendendis Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus usurpatum est à plerisque, qui licet eas antiquorum Canonum observatione definissent, nunquam tamen ferè antiquis Canonibus, sed ubique exemplis, quorum etiam plurima non ita vetera sunt, conati sunt eas suffulcire. Itaque illorum examinanda sunt facta, qui à scriptoribus Gallicanis tanquam suarum libertatum propugnatores laudantur. Sed quærendum primùm est, quæ sit factorum, seu exemplorum vis in ferenda de justitia rerum sententia?

CAPUT PRIMUM.

An exemplis judicandum sit de justitia Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ.

1. ILluſtriſſimus Petrus de Marca, materiam libertatum Gallicanarum exemplis commodiùs tractari arbitratus eſt; *Relicta*, inquit in admonitione ad Lectorem art. 2. *diſcuſsione juris, tutior eſt planè facti inquiſitio, quæ fines veterum poſſeſſorum demonſtrare poſsit; cujus cognitionem aſsequemur, ſi antiqua monumenta revolventes, quid utriuſque poteſtatis Principes in re controverſa aliquando egerint, accuratè expendamus.* Habet tamen illa diſputandi ratio ſua incommoda, eaque maxima, ut præſenſit idem Autor: *Attamen*, inquit, *diſsimulandum non eſt viam iſtam publicam multis inſidiis, & veluti latronum prætenturis expoſitam eſſe: quia ſcilicet in expanſa illa ſæculorum ſerie, varia occurrunt exempla, hinc & inde uſurpatæ juriſdictionis; quæ ancipitem animum ad deſperationem inveniendæ veritatis adigant.* Has tamen difficultates ſuperari poſſe ſubjungit, adhibitis nimirùm temperamentis à prudentia præſcribendis.

2. Ego certè utiliùs judico non oriri contentiones, quàm ortas componi, nec illarum ortum præveniri efficaciùs, quàm ſi ſuis quæque finibus contenta ſit poteſtas; Non poſſe autem intra fines illos contineri, ſi eos ignoret; atque adeò concordiæ inter Sacerdotium, & Imperium meliùs conſuli ab iis, qui utriuſque poteſtatis jura elucidaverint, quàm ab iis, qui varia congeſſerint exempla, & plerumque contraria, præſertim ſi quid factum fuerit, non autem quid fieri debuerit, examinent. Niſi enim facta juſta ſupponantur, qui poterunt in exemplum trahi? Quomodo autem juſta ſupponentur, niſi aliunde ſtatuantur regulæ, quibus de illa juſtitia ferri ſententia queat? Regulæ autem illæ quid aliud ſunt, quàm partium jura, quæ conſequenter noſſe primùm oportet? At verò ſi cognita fuerint, faciliùs erit ea non prætergredi.

3. Cæterùm pugnat non ſolùm cum Dialecticæ legibus, ſed etiam cum rectæ rationis judicio, ut ex factis ſingularibus,

bus, qualia ferè sunt omnia, ob diversas, quibus vestiuntur, circumstantias, generales regulæ concludantur. Ex axiomatis, seu principiis generalibus eliciuntur singulares conclusiones, non ècontra. Ex eo solo, quod res aliqua semel facta est, non sequitur, ut semper fieri possit. Imò rarò hinc probatur eam rursus fieri posse. Vix enim contingit, ut quæ concurrerunt ad efficiendam rem justam, iterùm omnia recurrant, quamobrem jure civili rectè cautum est, non exemplis, sed legibus judicandum esse l. nemo judex quæ est 13. ff. de sent. & interloc.

4. Sua quidem autoritate non carent exempla, cùm ferendum est de similibus factis judicium; sed ità si adsint, & consentiant necessariæ conditiones. Oportet primò, ut exempla conformia sint, & consentientia, cùm enim contraria non minus illustria, opponuntur, vel illorum, vel utrorumque robur concidit. Secundò necesse est ut justitia eorum probata sit, à quibus petuntur exempla; Nec enim in tanta Regum Franciæ, & Regiorum Officialium, ac in longè majori Pontificum Romanorum, aut Episcoporum Gallicanorum serie, deesse potuerunt aliqui, quorum desideria, vel etiam res gestæ justitiæ limites non transcenderint, quorum exemplis, ut legibus, uti velle iniquum omninò esset. Tertiò opus est, ut ab iis, quorum intererat, improbata non fuerint, imò nec ignorata, saltem si illorum consensus intercedere debuit ut plerumque necesse est. Quartò non debent exempla legibus esse contraria, maximè Divinæ, aut naturali; Alioquin enim, ut Juris textus, glossa, & Doctores monent, non leges abrogant, sed per leges corrigenda sunt. Quintò suspecta sunt semper exempla eorum, quorum ita facere plurimi intererat, præcipuè si, ut in secunda conditione diximus, pietatis, ac justitiæ laude non floreant.

5. Quæ ultima conditio, cùm in plerisque deficiat exemplis, quæ in materia libertatum Gallicanarum adducuntur, nisi suppleatur à secunda, vix indè validum trahetur argumentum. Constat exemplo Summorum, sanctissimorumque Pontificum, quales v. g. extiterunt S. Innocentius, S. Leo, S. Gregorius, & alii, sicut, & Antistitum Gallicanorum doctrina, & sanctimonia illustrium, quales fuerunt S. Ire-

næus, S. Avitus, S. Cæsarius, &c. maximi ponderis esse, atque autoritatis. Cùm enim Divinæ, & Ecclesiasticæ scientiæ peritissimi fuerint, potestatis suæ fines non ignorarunt; cumque sanctissimi extiterint, positos à Christo limites excedere voluisse non facilè præsumendi sunt. Sed de aliis minori sapientia, vel pietate præditis non ita facilè idem posset judicari.

6. Quod de exemplis diximus, ad possessionem accomodandum est. Licet enim possessio antiqua, constans, publica, bonum sit justitiæ argumentum, ac taciti eorum, quorum refert, consensus: Tamen si partes adversæ semper restiterint; si per facta, vel protestationes contrarias sese opposuerint; possessio ex jure, non ex possessione jus estimandum est.

7. Sed & illud quoque animadvertendum est, possessionem & exempla, quò recentiora sunt, eò valere minus ad probandam rei justitiam. Ex quo enim tempore fervere cœperunt contentiones, unaquæque pars, ut in omni genere disceptationis mos est, iniquum fortè petiit, ut æquum auferret; unaquæque juris principia sibi statuit; Unde contigit etiam, ut Doctores plerique alterutri parti impensiùs faverint, nec facilè illorum credatur autoritati, nisi fortè cùm in ejus partis præjudicium loquuntur, cujus jura tuentur. Cùm enim ea diligentiùs inquisierint, adversus ea vix quidquam temerè concedunt.

8. Ergò ex Canonibus, maximè ex antiquioribus, ut in generalibus quæstionibus, sic in singulis difficultatibus, controversiæ dirimendæ sunt; in quo periculum quidem est, ne humanum ingenium rationum, & responsionum, cùm proprio commodo invitatur, feraciſſimum, modum suggerat eludendarum sacrarum legum, aut etiam contra proprium, illarum sensum in suum favorem detorqueat: tamen præterquam quod in cæteris omnibus idem metuendum est, si desit bona fides; Canones Ecclesiastici, vel ex se ipsis, vel ex comparatione cum aliis, in rebus capitalioribus ita perspicui sunt, ut judicio publico damnentur, qui relucentem in eis veritatem obscurare nitantur. Verùm quia, ut diximus, non omninò contemnenda sunt argumenta, quæ ab exemplis ducun-

ducuntur, præcipua ex iis, quæ circa libertates Gallicanas expendenda supersunt, in hoc libro discutiemus. Jam enim occasione illarum originis aliqua in primo libro tractata sunt.

CAPUT II.

De sancti Gregorii Episcopi Turonensis in propugnandis libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ studio.

1. SAnctus Gregorius Episcopus Turonensis laudatur à Joanne Launoio Doctore Parisiensi epistolarum par. 6. ep. 5. quod fuerit *vir fide dignus, & libertatum Ecclesiasticarum Assertor, & vindex acerrimus.* Huic ego laudi libens subscribo. Videamus igitur, quæ fuerint libertates, quas tanto studio propugnavit sanctus ille Antistes Gallicanus.

2. Anno 577. cum Rex Chilpericus, incitante Regina Fredegunde, Prætextatum Episcopum Rothomagensem de crimine læsæ Majestatis falsò accusatum vellet opprimere, solus restitit Gregorius. Rem narrat ipse histor. Francor. lib. 5. cap. 18. aut, ut alii distingunt, 19. Ejus narratio ibi legetur cum voluptate. En quomodo Episcopos Parisiis congregatos, ac Regis voluntati reniti non audentes alloquitur; *Attenti estote quæso sermonibus meis, ò sanctissimi Sacerdotes Dei, & præsertim vos, qui familiariores esse Regi videmini. Adhibete ei Concilium sanctum, atque Sacerdotale, ne exardescens in Ministrum Dei pereat, ac ira ejus, & Regnum perdat, & gloriam.* Illis verò silentibus, adjecit; *Mementote, Domini mei Sacerdotes, verbi Prophetici, quod ait, si viderit speculator iniquitatem tuncinis, & non dixerit, reus erit animæ pereuntis. Ergò nolite silere, sed prædicare, &* PONITE ANTE OCULOS REGIS PECCATA EIUS, NE FORTE EI ALIQUID MALI CONTINGAT, ET VOS REI SITIS PRO ANIMA EIUS.

3. Regem autem de servandis Canonibus seriò monet; HABES LEGEM, ET CANONES. HÆC TE DILIGENTER RIMARI OPORTET. *Et tunc quo præceperint, si non observaveris, noveris tibi Dei judicium imminere.* Ac deinde; *Tu verò qui alios de justitia culpas, pollicere prius quod legem, & Canones non omittas: Et tunc credimus, quod*

justi-

justitiam prosequaris. Quid apud Regem effecerit vigor ille, ac libertas Episcopalis statim declarat idem Gregorius; *Ille verò porrectâ dexterâ juravit per omnipotentem Deum, quod ea, quæ lex, & Canones edocebant, nullo prætermitteret pacto.* In ea tamen voluntate Rex diù non perseveravit, urgente præsertim Fredegunde, quæ cum Gregorii animum per Nuncios promissis 200. argenti libris corrumpere tentaret, respondit ipse; *Si mihi mille libras auri, argentiq; donetis, nunquid aliud facere possum, nisi quod Dominus agi præcipit? Unum tantùm polliceor, quod ea, quæ cæteri secundùm Canonum statuta consenserint, sequar.*

4. Denique cùm Prætextatus crimina, quorum reus non erat, confessus fuisset, spe veniæ, hac confessione sibi fraudulenter suggesta, consequendæ, ad graves eum pœnas damnari Rex enixè postulavit. *Quibus conditionibus ego*, inquit Gregorius, *restiti juxta promissum Regis, ut nihil extra Canones gereretur.* Oppressus quidem fuit Prætextatus, sed Gregorius animam suam liberavit, magnamque propugnatæ cum libertate Canonicæ disciplinæ apud Deum, & apud homines laudem consecutus est. Utinam hodiè plurimos haberet Ecclesia Gallicana similes libertatum Ecclesiasticarum, & Canonum propugnatores!

5. Recessit tamen aliquando Gregorius à Canonibus; Id ipse fateri videtur lib. 5. histor. Francor. cap. 49. ubi narratâ falsâ accusatione contra se anno 580. in Concilio Brennacensi instituta, scribit; *Restitit ad hoc causa, ut, dictis Missis in tribus altaribus, me de his verbis exuerem Sacramento. Etlicet Canonibus essent contraria, pro causa tamen Regis impleta sunt.* Sed posset fortassis ea purgationis forma ob gravem necessitatem excusari, cùm Juri Divino non videatur adversari.

6. Illud verò quod idem Gregorius de se refert eodem libro cap. 14. difficiliorem habet excusationem, nec apparet quomodo Divinam legem non violaverit; Quod scilicet Meroveo Chilperici Regis filio Divinam Eucharistiam ministravit apertissimè indigno. Quis enim ignorat publico peccatori publicè sacramenta petenti deneganda esse? Id olim sancti Patres, id modò Theologi communiter docent. *Et ad vos*, inquit S. Joannes Chrysost. homil. 60. ad populum Antiochenum, Eucharistiæ Ministros alloquens, *sermonem convertere necessa-*

rium

rium est, ut multo cum studio hæc dona distribuatis. Non parva vobis imminet ultio, si quemquam illius culpæ conscii, hujus mensæ participem esse concedatis: sanguis ejus de manibus vestris exquiretur. Sive quis Dux militiæ sit, sive Præfectus, sive PRINCEPS DIADEMATE CORONATUS, INDIGNE, AUTEM ACCEDAT, PROHIBE: *majorem illo potestatem habes. Hoc vestra dignitas est, hoc securitas, hoc corona.* Nota erat Meroveo à professione Religiosa apostasia: mortem minabatur aliquibus ex populo se illaturum, si sibi denegaretur communio: Ex quibus manifestum fiebat quantum esset eo Sacramento indignus. Gregorii tamen culpam multa minuunt. Nam præterquam quod Meroveus liberè habitum Religiosum non assumpserat, sed à Carcere ad Monasterium ductus fuerat (quæ tamen excusatio juxta illius temporis disciplinam levis reputabatur) Gregorius solùm suum judicium non sequebatur; idem sentiebat Ragnemodus Episcopus Parisiensis, qui tunc aderat; Prætereà non propriorum, sed populi sui malorum metu ducebatur.

7. Atque, quod certum signum est ipsum non ex Canonum contemptu, sed potiùs ex nimio Canonum studio deliquisse, putabat se ad concedendam communionem Meroveo à Canonibus adstringi; Quod his verbis testatur loco citato; *Quod cùm refutaremus, ipse clamare cœpit, & dicere, quod non rectè eum à communione sine fratrum conniventia suspenderemus. Illo autem hæc dicente cum consensu fratris* (Episcopi Parisiensis) *qui præsens erat, contestatâ causâ canonicâ, Eulogias à nobis accepit.* Ubi vides id factum, contestatâ causâ canonicâ, ut duobus illis Episcopis videbatur. Factum narrat Gregorius cum ea sinceritate, quæ dubitare non sinit, ipsum gravis culpæ sibi non fuisse conscium, quamvis gravissima ex propria natura sit.

8. Subjungit Gregorius aliud eximium magni sui in propugnandis libertatibus Ecclesiasticis, & custodiendis Canonibus studii specimen. Postulabat Chilpericus Rex prædictum filium suum Meroveum ab Ecclesia, ad quam confugerat, ejici, sed nullo metu Gregorium adigere potuit, ut loci sacri violaret immunitatem, expulso Meroveo. *Igitur*, inquit *Chilpericus Nuntios ad nos direxit, dicens; Ejicite Apostatam illum de Basilica: sin autem aliud totam regionem illam igni succendam. Cumq; nos rescripsissemus, impossibile esse, quod temporibus Hæreticorum non fuerat, Christianorum*

rum temporibus nunc fieri, Ipse exercitum commovet, & illuc dirigit. Receſſit ſpontè Meroveus, ne tantorum malorum eſſet occaſio.

9. Hodiè illa ſacrorum locorum immunitas inter libertates Eccleſiæ Gallicanæ non computatur, & in Francia minus quam in aliis Provinciis obſervantur editi ea de re Canones.

CAPUT III.

De Hincmaro Archiepiſcopo Remenſi.

1. QUia libertates Eccleſiæ Gallicanæ juxta traditam earum definitionem in obſervatione antiquæ diſciplinæ, maximè Canonum à ſanctis Conciliis œcumenicis editorum aut confirmatorum collocantur, plures Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem prædicant, quaſi nemo antiquos Canones tam manifeſtè tamque conſtanter defenderit. Cumque Præſul ille inter Gallos celeberrimus ſit, tùm propter Canonicæ juriſprudentiæ notitiam, tùm propter egregiam apud Reges, & Præſules Gallicanos gratiam, & autoritatem; ideoque illius ſententia, & exemplum magni putetur eſſe ponderis, operæ pretium eſt ea, quæ ab illo Præſule, vel geſta, vel dicta ſunt, proſequi: Atque quid in eis probandum ſit, expendere.

2. Equidem ſi ejus cum Romanis Pontificibus, quibuſcum ei res fuit, inſtitueretur comparatio, & non ſolùm ex dignitate, ſed ex perſonarum etiam meritis geſtorum juſtitia decerneretur, in favorem ſummorum Pontificum judicandum eſſet. Antiſtitem illum doctrinâ, prudentiâ, & fortitudine præditum fuiſſe non negabo; ſed ejus doctrina in cavillationes, prudentia in aſtutiam, fortitudo in pertinaciam frequenter deceſſerunt; Præſertim ubi privatæ illius cauſæ interfuit. Undè, quod magnum eſt adverſus illum, & Epiſcopos, quos ſecum traxit, præjudicium, in pleriſque cum ſancta Sede contentionibus viros bonos, quos aut depoſuerat, aut deponendos curaverat, ad remedium appellationis con-

confugere prohibebat, licet ex eventu constiterit, illos iniquè fuisse damnatos.

3. Quatuor præcipuè fuerunt illæ contentiones. Prima occasione Clericorum ab Ebbone ordinatorum. Secunda occasione Rothaldi Episcopi Suessionensis. Tertia occasione Hincmari Episcopi Laudunensis. Quarta occasione Regni Lotharii. De prima in hoc capite, de aliis in sequentibus.

4. Cùm Ebbo Remensis Archiepiscopus depositionis Ludovici Pii Galliæ Regis, & Imperatoris in Conventu Compendiensi anno 833. præcipuus Autor, Architectus, & Inventor fuisset, in criminis pœnam à sua dignitate se ipse deposuit in Concilio apud Theodonis Villam anno 835. quam depositionem Concilium confirmavit. Sed cùm Ebbo dignitatis, quam nonnisi invitus dimiserat, desiderio teneretur, eam resumere pluries tentavit, ac re ipsa Lotharii, ejusdem Ludovici filii, & in Imperio successoris, cujusque potissimùm gratiâ Ebbo peccaverat, autoritate restitutus est à pluribus Episcopis, & Pontificales functiones exercuit, ordinatis quibusdam Clericis, ut narrat post Flodoardum Willielmus Marlot. Metrop. Remens. histor. lib. 3. cap. 21. Ebbone defuncto anno 851. Kalendis Aprilis, Hincmarus, qui ei adhuc viventi substitutus fuerat in Concilio Beluacensi anno 845. Concilium Suessionense anno 853. celebrari curavit, ut & sua confirmaretur, & Clericorum ab Ebbone promotorum infirmaretur ordinatio, quod utrumque obtinuit.

5. Clerici autem suæ dejectioni non acquiescentes, ad sanctam Sedem appellarunt, & ad Nicolaum primum Papam posteà confugerunt, qui eorum causam justam esse cognoscens, Hincmarum hortatus est, ut eos ipse solus restitueret, ne, si major adhiberetur solemnitas, ejus injustitia detegeretur; sin autem nollet, Concilium ad causam retractandam indicebat Suessione ab omnibus, qui convenire possent, Galliarum Episcopis habendum. Qua de re scripsit etiam ad Herardum Archiepiscopum Turonensem, & ad cæteros in hæc verba: *Jam verò si hunc* (Hincmarum) *flecti ad hoc munda conscientia non permittit, præcipimus vos, una cum cæteris Archiepiscopis, & Episcopis Galliarum, & Neustriæ, quibus tamen possibilitas est, in id ipsum,*

cum prædicto fratre, & Coepiscopo nostro Hincmaro, & suffraganeis apud Suessonicam Vrbem pariter convenire. Ad quorum venerandum Conventum Wlfadum quoque, cùm jam præsignatis paribus ejus, vos accersere procul dubio volumus. Hincmaro Clericos illos restituere recusante, Concilium congregatum est Suessione anno 866. in quo probata est Clericorum ordinatio, & nihilominus causa cum Epistola Synodica ad Nicolaum remissa. Scripsit etiam Rex Carolus de eodem argumento, & eodem ferè modo, ac stylo, ut utriusque epistolæ Autorem judices esse ipsum Hincmarum.

6. Nicolaus Episcopis Concilii Suessionensis, Carolo Regi, & Hincmaro rescripsit, quibus omnibus Epistolis graviter perstringebat Hincmarum, quod in ea causa callidè, ac dissimulanter egisset. Episcopos iterum convenire, & Clericorum historiam accuratè perscribere, Clericos verò interim in suis gradibus stare jussit. Restitutos monuit ne injurias ulciscerentur, & ut Hincmaro præsertim reverentiam exhiberent. Iidem Episcopi, qui anno 866. ut diximus, Suessionem convenerant, anno sequenti Trecis congregati sunt, Epistolamque Synodicam, quam primus subsignavit Hincmarus totam Ebbonis, ordinatorumque ab eo Clericorum historiam continentem Romam miserunt juxta præceptum Nicolai, ac pro uno eorum Wlfado scilicet, jam Bituricensi Episcopo creato, pallium postularunt. Aliam etiam misit Carolus Rex.

7. Eam epistolam, cùm jam Nicolaus decessisset, Romam delatam recepit ejus Successor Hadrianus II. Ea perlecta Clericorum causam justam declaravit, & Wlfado pallium ab Episcopis & à Rege postulatum concessit.

8. Enituerunt in illo processu justitia, prudentia, & charitas Nicolai. Primò, ut patet ex ejus ad Hincmarum epistola, Clericorum ab illo Archiepiscopo, vel eo instante depositorum querelâ auditâ, non antè quicquam decrevit, quàm monumenta de hoc negotio in Archivis Pontificiis recondita perquiri jussisset, eaque simul cum iis, quæ ab Hincmaro missa fuerant, diligenter perlegisset. Secundò licet ex omnium illarum scripturarum lectione colligeretur, injustam fuisse depositionem, judicium ferre noluit; *Sed his omnibus*, inquit, *ideò*

ideſt tàm illis monimentis, quæ penès nos habentur, quàm his, quæ ſanctitas tua nobis deſtinavit, ritè collectis enucleanterq́, recenſitis nondum liquidò patet, eoſdem Clericos regulariter gradu proprio caruiſſe. Verùm nos nec hasinterim juſtificamus, nec per hoc quemlibet condemnamus, nec facilè vocem iſtorum ſperninus, nec reverentiam tuam improvidè reprehendimus. Tertiò cum ſuſpicetur Hincmarum aliquo iræ, vel odii metu ad eam dejectionem fuiſſe impulſum, nec ejus animum facilè flecti poſſe, velit tamen illius honori conſulere, ad clementiam illum hortatur, ſuadetq́ue, ut ipſemet miſericorditer cum dejectis agens, eos reſtituat, ne injuſtè fuiſſe depoſitos ſolemnius negotii examen patefaciat; *Proinde neceſſariò præſentis Epiſtolæ ſalubribus fraternitatem tuam hortamur affatibus, uti commemoratos viros VVlfadum ſcilicet, Collegaſq́, ipſius clementi animo, & tranquillâ ſtudeat ad ſe magnanimitate vocare, depoſitaq́, omni funditùs animoſitate, de reſtitutione ipſorum ſecum fraternè tractare, atque miſericorditer conſummare contendat. Laudabiliùs quippè judicavimus, ac coram Deo acceptiùs eſſe credidimus, ſi reſpectu Divinitatis interrogatâ conſcientiâ ſolus illorum reſtaurationem ſine quavis ipſe refragatione adniſeris, quam ſi priùs renitens, detectâ tamen juſtitiâ, cum multis hanc poſtea fueris amplexatus.* Quartò ſi quod ſummus Pontifex monet, recuſaturus ſit Archiepiſcopus Remenſis, ejus recuſationem benignè interpretatus, eamq́ue timoratæ conſcientiæ tribuens, Concilium indicit ab omnibus, qui convenire poterunt, Galliarum Epiſcopis, habendum Sueſſione, ubi res ordine judiciario tractanda ſit. *Jam verò ſi flecti ad hoc te munda conſcientia non permittit, præcipimus fratrem noſtrum Remigium Lugdunenſem, Adonem Viennenſem, VVenilonem Rothomagenſem una cum cæteris Archiepiſcopis, & Epiſcopis Galliarum, & Neuſtriæ, quibus tamen poſſibilitas eſt, in idipſum cum Beatitudine tua, & ſuffraganeorum tuorum apud Sueſſionem Urbem Diœceſeos tuæ pariter convenire. Ad quorum venerandum Conventum VVlfadum quoque cum præſignatis paribus ejus vos accerſere procul dubio volumus, &c.* Quintò renuente Nicolai conſilium Hincmaro, indicta eſt Synodus Sueſſionenſis, miſſis litteris Pontificiis à Remigio Epiſcopo Lugdunenſi, cui hæc cura demandata fuerat. Dum tempus expectatur, Carolus Rex Nicolaum rogat, ut interim Wlfado Eccleſiam Bituricenſem committere liceat, ſed Pontifex reſpondet, nihil ante Synodi definitionem innovandum. Sextò cùm Concilium Sueſſionenſe cauſam ad ſummum Pontificem remiſiſſet, eam ipſe diffinire Romæ noluit,

luit, antequam iidem Episcopi rursùs congregati totam rei gestæ seriem misissent. Septimò Clericos, ut jam diximus, hortatus est, ne de victoria illa consolescerent, sed Hincmaro humiliter subjacerent.

9. Nihil in tota illa Nicolai agendi ratione non laude dignum, nihil libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ adversum. Econtra verò quot usus sit artibus (ne fraudes appellem) Archiepiscopus Remensis, aperiunt & ipsiusmet ad Nicolaum, & Nicolai ad ipsum, ad alios Episcopos Gallicanos, & ad Carolum Regem epistolæ apud Philippum Labbæum tom. 8. Concil. apud Jacobum Sirmondum tom. 3. Concil. Gall. ac in 2. tomo operum Hincmari ab eodem Sirmondo collectorum. Obtemperavit tandem Hincmarus Nicolai judicio post longam resistentiam, eique suam obedientiam epistolâ submissionis plena significavit, quæ habetur tom. 2. ejus operum num. 22. & adhuc alia, quæ extat ibid. sub num. 26. in qua notandæ sunt præcipuè ista verba; *Ne contra vestram jussionem, ac dispositionem agam modis omnibus devitare cupio, qui* APOSTOLICÆ SEDIS DECRETIS IN OMNIBVS PARERE DESIDERO: utinam hæc verè ab iis dici possint, qui autoritatem Hincmari tanti faciunt.

CAPUT IV.

De contentionibus Hincmari Archiepiscopi Remensis cum summo Pontifice occasione Rothaldi Episcopi Suessionensis.

1. EXagitatis, ut in superiori capite vidimus, ab Hincmaro Clericis ab Ebbone, in cujus locum ipse suffectus fuerat, ordinatis, Rothaldum Episcopum Suessionensem, qui unus fuerat ex iis Episcopis, à quibus, ut in superiori capite diximus, restitutus fuerat Ebbo, congregatis plurium Provinciarum Episcopis in Villa Convicino propè Sylvanectum dignitate privare moliebatur. Quamobrem Episcopus Suessionensis sanctam Sedem appellavit, sed eam adire prohibitus est; Quin etiam congregato alio Concilio in suburbio Civi-

Civitatis Sueſſionenſis pro ea, quâ Hincmarus apud Regem tunc præſentem, & apud Epiſcopos, pollebat gratiâ, & autoritate, damnatus, dejectuſque eſt, ac in Monaſterium relegatus, altero in ejus Sede collocato. Denique tamen Nicolai Papæ autoritate, crebriſque litteris, ut Romam perveniret, conſecutus eſt. Ibi fruſtrà expectatis per plures menſes accuſatoribus, Nicolaus Primus Papa in Eccleſia S. Mariæ Majoris, approbante Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum Conventu, veſtibus Pontificalibus eum indui juſſit, ea lege, ut ſi comparerent Accuſatores, eis reſpondere teneretur, nec Officia Divina celebrare, niſi aliquanto poſt tempore permiſſus eſt. Tandem plenè abſolutus ad ſuam Sedem remiſſus eſt cum litteris ſuæ abſolutionis, & multis commendatitiis ad Regem, ad Hincmarum Metropolitanum, ad Epiſcopos Galliæ univerſos, ad Clerum, & plebem Sueſſionenſem. Interfuit cum ipſo Hincmaro Concilio Sueſſionenſi III. anno 866. & Tricaſſino anno 867. quod evidens ſignum eſt ejus reſtitutioni neminem non acquieviſſe.

2. Sed in eo negotio ut vult Petrus de Marca lib. 7. cap. 23. diſſentiebant Epiſcopi Gallicani à ſententia Nicolai Papæ. Dicit enim Hincmarum in ea epiſtola, quam ſcripſit Summo Pontifici, quæque refertur à Flodoardo lib. 3. hiſto. Remenſ. cap. 13. evulgaſſe quinque *arcana* Epiſcoporum Gallicanorum quoad depoſitiones Epiſcoporum, ſupponens illum reliquorum Antiſtitum fuiſſe Interpretem. *Arcana* illa totidem eſſe Gallicanarum libertatum capita crederem, niſi libertates illas in Jure communi, ac in conſtanti Canonum obſervatione, quæ res arcanæ non ſunt, à Gallis conſtitutas meminiſſem. Primum, ex illis arcanis erat, Synodos Provinciales poſſe Epiſcoporum, vel Clericorum cauſas ſine Summi Pontificis interceſſione definire. Secundùm, accedendum eſſe ad Sedem Apoſtolicam, ſi cauſa tractetur, quam ex Canonibus decidere nequeat Synodus unius, aut plurium Provinciarum: Tertium, Epiſcopum depoſitum poſſe, ſi voluerit, poſt ſententiam, non autem anteà interponere appellationem ad ſanctam Sedem. Quartum, non poſſe à Judicibus electis appellari. Quintum, Metropolitanos, qui pallium à Summo Pontifice receperint,

perint, judicandos non esse ab Episcopis Provincialibus absque autoritate Sedis Apostolicæ.

3. Verùm quoad primum cùm ipsemet Marca post quintum addat, *certum esse potuisse Papam*, si ità existimaret, *sibi reservare judicium Metropolitanorum, idque facilitatum à Cœlestino, Leone & Hilaro*: quæro quâ autoritate id facere potuerit? si eâ quam accepit à Christo; quidni etiam potuisset, saltem in certis casibus, videlicet cùm Episcopi à Synodo Provinciali opprimendi forent, ut Rothaldo, de quo nunc agimus, contigit, & Hincmaro Laudunensi, de quo in capite sequenti, eorum sibi judicium reservare? Nec enim Christus, cùm Petro suas oves commisit; Metropolitanos ab Episcopis distinxit. At inquies, Metropolitanis fieret injuria, quibus Ecclesia sua jura semper salva esse voluit, si Episcoporum eis judicia subtraherentur. Sed nonne Ecclesia majorem Conciliis Provincialibus contulit autoritatem in Metropolitas Canonibus antiquioribus, atque adeò secundùm Gallorum doctrinam præstantioribus? Nam Can. 1. Ephesino Metropolitæ, saltem in casu hæresis Episcoporum Provinciæ judicio subjacent. Si ergò Conciliis non fit injuria cum sancta Sedes evocat ad se judicium Metropolitanorum, qui ex illo Canone à Conciliis essent judicandi, quæ fiet injuria Metropolitanis, dum Episcoporum, Confratrum invidiâ, vel Principum potentiâ opprimendorum, causas ad se trahet; præsertim cùm ipsi Metropolitani non possint soli, sed cum Concilio Provinciali hujusmodi controversias definire? Gregorium IV. & Leonem etiam IV. triginta ferè annis ante id tempus in gratiam omnium Episcoporum constituisse, ut eorum judicio supersederetur, si Sedem Apostolicam appellassent, fatetur ipsemet Petrus de Marca, quamvis istas Constitutiones non fuisse receptas, probet ex eo quod Hadrianus privilegium illud concesserit Actardo Episcopo Nannetensi; quasi non soleant privilegia, quibus quis gaudet ad majorem securitatem pluries confirmari, aut Actardo privilegium concessurus fuisset Hadrianus, quod jam antea in favorem omnium Episcoporum editum robur obtinere non potuisset. 2. & 5. verissima sunt, quintùm contrarium est juri evocationis, quod nec ipse Hincmarus summo Pontifici negavit.

4. Quæ-

4. Quartum urgebat vehementer Hincmarus ; & eo prætextu Clericos ab Ebbone ordinatos , quos ipse deponendos curaverat, vetabat appellare , licet ipsemet eis Judices eligere suasisset ; *Istorum fratrum* , inquit in Concilio Suessionensi 2. anno 853. act. 1. sententia manifestè me tangit , qui si contra aliquem Coepiscoporum nostrorum clamassent , ad nostræ humilitatis autoritatem ab eo provocare debuerant. Nunc autem quia de judicio nostro queruntur , oportet , ut libellari subscriptione ad electos provocent Judices , quatenus causa illorum debitum , & certum finem accipiat. Eodem prætextu Rothaldi Episcopi Suessionensis appellationem ad sanctam Sedem impedire contendebat ; Sicut plurimùm valet doctrina , & peritia legum , præsertim Ecclesiasticarum , dùm quis rectè affectus est : ita eâ quis perniciosè abutitur , cùm odio , vel alia perturbatione animi movetur. Certè si Hincmarus Remensis à Judicibus electis damnatus fuisset , appellationem à Canonibus sibi permissam , nedum non prohibitam , & clarè intellexisset , & probasset efficacissimè. Africana Concilia , quibus nitebatur Hincmarus hujusmodi appellationes , etiam in casu manifestæ oppressionis , vetuisse præsumi non potest. Etsi ea fuisset illorum mens , numquid potuissent illi condendis Canonibus , aut Gallicani acceptandis, vel etiam summi Pontifices probandis , autoritatem futuris Pontificibus in persona B. Petri à Christo collatam adimere ? Verùm non de Episcoporum , imò etiam nec de Clericorum depositione , sed de negotiis civilibus intelligendos esse Canones Africanos probat contra Petrum de Marca Joannes David Doctor Parisiensis in lib. de Judiciis Canonicis Episcoporum cap. 12. art. 1. Prætereà in eo compendio Canonum quod aliqui ab Hadriano Papa , Carolo Magno traditum asserunt , quodque ab Henrico Canisio Noviomago , deinde à Severino Binio tom. 5. Concil. editum est , ante Canones Sardicenses sic habetur : *Sunt etiam Ecclesiæ regulæ , quæ in Africanis regionibus frequentissimè Synodali Concilio conscriptæ sunt ; sed in his omnibus illa sequi debemus , quæcunque à Nicæno Concilio , & à sancta , atque Apostolica Ecclesia Romana non discrepare videmus.*

5. Hincmarus ipse jus illud sanctæ Sedis agnovit , ut significat tota epistola 22. quæ est ad Papam Nicolaum occasio-

ne Clericorum ab Ebbone ordinatorum, quos Papa reſtitui juſſerat; OBTEMPERARE CVRAVI RESERVATO PER OMNIA SENTENTIÆ AC IVRIS PRIVILEGIO EIVSDEM APOSTOLICÆ SEDIS, ET SALVA DEFINITIONE, AC CONFIRMATIONE EXPECTATÆ VESTRÆ DISCRETIONIS, ATQVE AVTORITATIS. Et inferiùs; *Quæ verbis, & ſcriptis mihi per iſtum Religioſum Archiepiſcopum exinde ſequenda atque tenenda mandaveritis, pro ſcire, & poſſe, obedire & conſervare curabo, ſicut hactenus ea, quæ inde fuerant ſtatuta, & confirmata ſervavi.* Et alia multa his ſimilia. Idem ſatis profeſſus antea fuerat, à Benedicto III. & ab eodem Nicolao confirmationem Concilii Sueſſionenſis 2. in quo Clerici illi depoſiti fuerant, poſtulans, & per ſubreptionem obtinens, ut Nicolaus epiſtola 46. quæ eſt ad Epiſcopos Concilii Sueſſionenſis 3. ſcribit. quæ confirmationes habentur apud Sirmondum tom. 3. Concil. Gall.

6. Imò ipſiuſmet Rothaldi occaſione ſcripſerat ad eundem Nicolaum; *Nullam poſſemus habere verecundiam de reſtitutione illius, ſi foret facta à veſtri ſummi Pontificatus pietate, quia omnes ſenes cum junioribus* SCIMVS NOSTRAS ECCLESIAS SVBDITAS ESSE ROMANÆ ECCLESIÆ, ET NOS EPISCOPOS IN PRIMATV B. PETRI SVBIECTOS ESSE ROMANO PONTIFICI tom. 2. epiſt. 17.

CAPUT V.

De contentionibus Hincmari cum ſummo Pontifice occaſione Hincmari Laudunenſis, & Regni Lotharii.

1. ANno 869. Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis nepotem ſuum etiam nomine Hincmarum Epiſcopum Laudunenſem, cui erat infenſus, in Concilio apud Vermeriam deponi facere conabatur, ſed ille ad Sedem Apoſtolicam appellavit. Hadrianus II. Papa pluribus litteris urgebat, ut Laudunenſis Romam accederet, ſed non obtinuit. Hic rurſus in Concilio apud Attiniacum anno 870. accuſatus rurſum ad ſanctam Sedem appellavit. 3. iterum accuſatus in Concilio Duſiacenſi anno 871. Epiſcopali gradu dejectus eſt. Narrat ipſe in libello proclamationis, quem Joanni Papæ VIII. obtu-

obtulit, quomodo fuerit ad hanc Synodum perductus, quàm acerbè in ea tractatus, & ab Officio Episcopali remotus, deinde in exilium missus, ferro vinctus, ac denique oculis privatus.

2. Institit vehementer Hadrianus, ut miserabilis ille Præsul, & ejus Accusatores Romam venirent. Sed mortuo illo Pontifice, Joannes VIII. ejus successor deceptus litteris Caroli Calvi, Hincmaro Remensi, qui, ut conjicere licet, verus erat earum autor, scripsit, ut in Ecclesia Laudunensi alius ordinaretur Episcopus. Sed congregato ab eodem Pontifice Concilio Tricassino anno 878. Hincmarus Laudunensis libellum obtulit, quas, à Patruo præsertim, injurias perpessus fuerat, enarrantem. Quare summus Pontifex, veritate cognita, ei Ordines exercere, ac etiam cæco Missam celebrare, nec non partem redituum Ecclesiæ Laudunensis retinere concessit, quo audito ejus amici ad Ecclesiam eum duxerunt, & Benedictionem populo dare coegerunt, ut refert Continuator Aymoin. lib. 5. cap. 37.

3. Circa depositionem Episcopi Laudunensis duæ potissimùm contentiones inter summum Pontificem, & Hincmarum Remensem exortæ sunt. Prima quod Laudunensis majorem quàm par esset autoritatem tribueret epistolis, quibus se tuebatur, quæque à veteribus Pontificibus scriptæ dicebantur, qua de re in primo libro, & infra cap. 6. Secunda quod post interpositam appellationem ad sanctam Sedem depositus fuisset: Contendente Remensi non valere appellationem à Judicibus electis, quod cap. 4. confutavimus.

4. Cùm anno 869. Lotharius Austrasiæ Rex decessisset, Hadrianus Papa scripserat ad Proceres ejus Regni, ut fideles essent Imperatori Ludovico, Lotharii fratri, & ad Proceres, & ad Episcopos Regni Caroli Calvi, ut eum ab invadendo prædicti Lotharii Regno deterrerent. Scripsit etiam seorsim Hincmaro Archiepiscopo Remensi, ut operam suam interponeret, ne quis ditionem illam usurparet. At verò Hincmarus qui Caroli Calvi ope Archiepiscopatum Remensem retinuerat, à quo eum Lotharius senior junioris Pater, & Episcopi in istius Regno constituti, deturbare conati fuerant, ut illic reponeretur Ebbo, quique Carolum in multis, iisque

gravibus negotiis, propitium expertus fuerat, partes ejus sequi maluit, eumque Regem illius Franciæ portionis, quam Lotharius Junior obtinuerat, coronavit in Synodo Metensi Quintò Idus Septembris anno 869. quæ Synodus Prælatoria dicta est, quòd injustè usurpatum à Carolo Lotharii Regnum non dubitaretur.

5. Hadrianus eam coronationem, apertam justitiæ violationem, & suarum litterarum contemptum interpretatus, aliis Epistolis Carolum increpuit, quod Lotharii Regnum invasisset, & Sedis Apostolicæ Legatos contempsisset, mandavitque ut Regno illo excederet, & alios Legatos benignè susciperet: Episcopos, & Proceres Regni Caroli hortatus est, ut eum ab illa usurpatione revocare conarentur; sed præsertim Hincmarum Remensem arguit, quod Regem à pervasione illa non avertisset, nec sibi rescripsisset, eumque rursus hortatus est, ut in id muneris incumberet; præcipiens ut si Rex parere recusaret, ab eo recederet: *Si*, inquit, *in obstinatione suæ perfidiæ Rex post vestram conventionem persistere maluerit, quam resipiscere, ab illius vos consortio sequestrate; si Communionis nostræ vultis esse participes.* Respondit Hincmarus epist. 41. tom. 2. edit. Sirmond. Carolum asserere illam sibi Regni partem à Patre Ludovico datam, & à Lothario Imperatore confirmatam, atque adeò ut suam assumere, non ut alienam rapere; nec contrarium per confessionem, aut convictionem constare; *Reverentiæ vestræ debita humilitate respondebo; quoniam etsi ita esse, ut scribitis, scirem, cum ipse Rex Carolus ità esse non confiteatur: nec vel legali, vel regulari judicio inde convictus appareat, & multis attestantibus fateatur hanc Regni partem sibi à Patre Ludovico Augusto consensu tam Episcoporum, quàm cæterorum Procerum totius Imperii traditam, & à fratre Lothario Sacramento publicè confirmatam, sequendum tamen mihi arbitrarer quod præmisso judicio dicit Africanum Concilium, ut magis caveat Episcopus, ne dicat in quemquam quod aliis documentis convincere non potest.*

6. Cumque aliunde nec à sua Urbe abesse posset Hincmarus, nec Carolo subsidia denegare, rogabat Pontificem, ut mandatum revocaret: *Quæ*, inquit, *ut non ad accusandum, sic nec ad excusandum in advocatione præfati Regis, ætatem enim habet, depromo,* NEC AD RESISTENDVM VESTRÆ AVTORITATI, SED CONSVLENDVM *qualiter nos Episcopi, & ego præcipuè, in quem tantam commina-*

minationem intentatis, erga Regem nostrum gerere debeamus. Quapropter Domine Pater Reverendissime consulite secundùm privilegium Sedis vestræ subjectioni nostræ, ne talia nobis cujuscunque suggestione mandetis, unde inter Episcopalem autoritatem, & Regalem potestatem, inter Ecclesiam, & Rempublicam scandalum possit oriri. An negotium ulteriùs cum Hincmaro processerit, antiqua monimenta non docent. Solida fortassis visa est illi Hincmari ratio.

CAPUT VI.

Quâ ratione Hincmarus libertates Ecclesiæ Gallicanæ defendisse videatur.

1. IN negotiis, quæ suprà retulimus non ità laudabiliter se gessit Hincmarus Remensis, ut Ecclesiæ Gallicanæ gloriandum sit talem habuisse suarum libertatum defensorem. Sed hanc illi Prælato laudem tribui puto, quod Canonum autoritatem Summorum Pontificum Decretalibus prætulisse videatur, eoque prætextu tam pertinaciter suorum consiliorum executionem prosecutus sit, prohibentibus licet Romanis Antistibus.

2. Acerrimè quidem Canonum executionem prosequi visus est, sed nescio an laudandus sit in eo ejus zelus. Ut enim propriæ securitati consuleret, aut fortè livori faceret satis, Canones, quos desideriis suis accomodabat, observari pertinaciter postulabat. Præcipuum ejus studium fuit circa Canonem Africanum prohibentem appellationes à Judicibus, quos partes elegissent; quia scilicet hæc appellationis prohibitio, quam, ut diximus cap. 4. perperam affingebat Concilio Africano, viam omninò præclusisset Ebbone, ne propriam Sedem resumeret, & ab ea ipsum Hincmarum sibi suffectum expelleret; Rothaldum, qui cum aliis Episcopis, & Lothario Imperatore Ebbonem restituerat post mortem Ludovici Pii, quemque idem Hincmarus deponendum curaverat, Clericos item ab Ebbone post suam restitutionem, & antequam rursùs deponeretur, ordinatos, atque urgente Hincmaro dejectos, omni spe recuperandi gradus privasset, eo quod Judices, à

quibus damnati fuerant, elegissent, ut eis objiciebat; *Secundùm Canonicam institutionem elegit sibi* (Ebbo) *per consensum Synodi Episcopos Judices peccatorum suorum, quos Canones electos appellant. De quibus scriptum est in Concilio Africano cap.* 36, *ut ab electis Judicibus provocare non liceat.* Hincmarus opusc. 2. contra Gothesc. cap. 36. *absque dubitatione confido quia illud, quod in præfato Carthaginensis Concilii Capitulo sine ulla interpellatione subsequitur Decretum vestri moderaminis nequaquam præteriret; sanè, inquit, si ex consensione partium electi fuerint Judices, etiam à pauciore numero quam constitutum est, non liceat provocare. Qui numerus constitutus in* 12. *superiori Capitulo demonstratus, & consensus partium expetitus in dijudicatione Rothaldi constat fuisse completus.* Hincmarus tom. 2. n. 17. epist. ad Nicolaum Papam.

3. Eo prætextu, vel alio simili multoties, diuque Summis Pontificibus reluctatus est, sed tandem eorum præceptis cessisse negari non potest; æquiusque esset ejus obedientiam imitari, quàm contumaciam laudare; *Semper*, inquit epist. ad Nicolaum Papam, quæ est 26. tom. 2. editionis Sirmondi, *& Apostolicæ Sedi, & ejus Rectoribus, postquam me nosse potui, pro meo scire, & posse fidelis, & devotus, & humilis, ac* SVBIECTVS EXTITI, *sum, &, adjuvante Domino, permanebo.* Multa his similia, tum in illa epistola, tum in quibusdam aliis leguntur, ex quibus intelligitur, illum, etiam cùm supremo Christi Vicario repugnaret, ejus potestatem agnovisse, illique parêre videri voluisse. Sed quæ fuerit ejus circa Canones sententia videamus.

4. Decoquere non poterat, ut Jura Metropolitanorum imminuerentur prætextu Decretalium, quæ suppositæ antiquis Pontificibus ante annos circiter 80. & in lucem emissæ fuerant. Ideoque illis Canones ab Ecclesia universa, præsertim à Summis Pontificibus receptos opponebat, insinuans potiùs parendum Canonibus, qui diuturno usu, ac Præsulum Romanorum Decretalibus comprobati fuissent, quàm Decretalibus aliis, quæ cum illis pugnabant. *Si illa*, inquit scribens ad Hincmarum Laudunensem opusc. 55. Capitum cap. 43. *quæ de præfatorum Pontificum Apostolicæ Sedis Epistolis dicis recipiendos venerandos Canones esse, qui quod vis dicis sanctum & licitum, & quod non vis non sanctum, & illicitum, ac si in voluntate tua cuncta sint posita, & non sit qui tua possit resistere voluntati, pande nobis quæsumus, quid censeas de eorum Decretis, qui*

post

post Nicænum Concilium, & alia Catholica Concilia observanda Decretalia constituta de eisdem Sacris Canonibus promulgata sanxerunt, sicut Siricius, Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Celestinus, Leo, Hilarius, Symmachus, Gelasius, Hormisda, Gregorius, & quique alii, quorum Decreta Ecclesia Catholica, & Patres, ac Prædecessores nostri servanda tenuerunt & venerati sunt. Et quoniam in quibusdam à præfatis, quos appellas Canones dissonant, magistrali censurâ decerne, quæ ex his sequi, & quæ refutare debeamus. Et tom. 2. n. 36. epist. ad eundem Hincmarum Laudunensem; *Ego Decretales Epistolas Sedis Apostolicæ diversis temporibus pro diversorum Patrum consolatione vel consultatione ab ejusdem Sedis Pontificibus datas & venerabiliter suscipio, & venerabiliter suscipiendas dico & scribo, & Sacrosanctorum Conciliorum Canones* CVM DECRETIS APOSTOLICÆ SEDIS *ex ejusdem Sacris Canonibus promulgatis, & recipiendos, & custodiendos, & servandos, sicut suprà ostendi, profiteor.* Suppositas igitur antiquiorum Pontificum Epistolas, quarum tamen falsitatem non omninò perspectam habebat, confert cum Canonibus ubique receptis, & per Epistolas veras Summorum Pontificum confirmatis; At non disputat utrùm Summi Pontifices possint, interveniente legitimâ causâ Canones temperare.

5. Inanis erat subtilitas Hincmari Remensis, cum Gelasium Papam Decretalibus Summorum Pontificum reverentiam, non autem exactam obedientiam præstandam voluisse interpretabatur, adverbium *venerabiliter* magis attendens, quàm participium *recipiendas*. Ista enim sunt verba Gelasii in Concilio Romano anno 494. *Item Decretales Epistolas, quas Beatissimi Papæ diversis temporibus ab urbe Romana pro diversorum Patrum consultatione dederunt* VENERABILITER RECIPIENDAS. Quod autem hæc vox *venerabiliter* obedientiam, ac subjectionem non solùm non excluderet, sed etiam eximiam requireret, apertissimè colligitur ex eo quod Gelasius paulò ante de Epistola S. Leonis ad Flavianum, quæ veluti fidei regula circa Mysterium Incarnationis ab Ecclesia universa semper fuit habita, sic statuit; *Item Epistolam B. Leonis Papæ ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum destinatam, cujus textum quispiam si usque ad unum iota disputaverit, & non eam in omnibus* VENERABILITER RECEPERIT; *anathema sit.* Hinc infer quid sit VENERABILITER RECIPERE Decretales Summorum Pontificum ex sensu Gelasii.

6. Fortassis etiam quia Hincmarus alicubi pro *consultatione* lege-

legerat *consolatione*, putabat illas Decretales, non tanquam disciplinæ regulas exequendas, sed quasi pro consolandis afflictis scriptas, cum veneratione tantùm suscipiendas.

7. Imò licet Canones tantopere commendaret, ubi suis consiliis suffragabantur, illis per Sedem Apostolicam aliquando derogari curabat; Quod certissimum est argumentum ex ipsius mente Summum Pontificem non ità esse Canonibus subjectum, ut ab iis recedere, vel ab iis alios solvere non possit. Etenim Hincmarus à Benedicto III. & à Nicolao Primo privilegium postulavit, quo solius Romani Pontificis judicio reservaretur, licet ex primo Canone Concilii generalis Ephesini à Concilio Provinciali, saltem in certis casibus posset deponi; *si quispiam Metropolita Provinciæ* (verba sunt Canonis Ephesini) *derelictâ sanctâ, & œcumenicâ Synodo, aut accesit ad illorum defectionis consessum* (qui se à Concilio sejunxerant) *aut accedet inposterum, sive cum Celestio sensit, aut sentiet, ipse nihil amplius poterit agere adversùs Provinciæ Episcopos, ut qui jam indè à Synodo totius Ecclesiasticæ communionis expers sit factus, & prorsùs inutilis, sed & Episcopis illius Provinciæ, circumque vicinis Metropolitis recta sentientibus subjacebit, ut omninò dejectus sit à Sede Episcopatus.* Verba verò privilegii à Nicolao Primo concessi Hincmaro sunt ista; *nullius excommunicationis, vel obligationis, seu condemnationis sententia* SINE DECRETO ROMANI PONTIFICIS *tenearis adstrictus; sed si à quocunque, vel undecunque fueris compellatus, ut debeas judicari, Apostolici Papæ judicio te reservari nostrâ, imò B. Petri autoritate decernimus: nec alterius cujuscunque Juri, vel judicio te subjici,* EXCEPTA POTESTATE SEDIS ROMANÆ PONTIFICIS, *nec ad alterius Provinciæ Primatis Synodum, nisi ex communi placito posse convocari mandamus.* Similia continet datum à Benedicto III. privilegium.

8. Hanc privilegii partem defendit Hincmarus epist. 44. quæ est ad Episcopos Diœcesis Remensis cap. 24. autoritate S. Leonis epist 84. quæ Anastasium Thessalonicensem Episcopum sanctæ Sedis Vicarium monet, non potuisse sine sua autoritate deponi Metropolitanum; *sed etiam si quid grave, intolerandumque committeret* (Nicopolitanus Metropolita) *nostra erat expectanda censura; ut nihil priùs ipse decerneres, quam quid nobis placeret agnosceres.* Fuit autem hæc Epistola scripta post Concilium Ephesinum, cujus Canon mox relatus Metropolitanorum judi-

judicium Episcopis Provinciæ, & vicinis Metropolitis permittit ; sed ante Concilium Chalcedonense, cuivis Canones nonus & decimus septimus Primati, aut Episcopo Constantinopolitano illud judicium tribuunt ; ne putes ideò S. Leonem, eumque secutos Pontifices ideò Metropolitanorum judicium sibi reservasse ; quod Concilium Chalcedonense Ephesino derogasset ; sed quod hanc à Christo facultatem accepisset, cui non possit à Canonibus quidquam detrahi.

9. Sed quis magis impugnat, quàm Hincmarus regulam illam quâ volunt aliqui libertates Gallicanas niti, quod scilicet summus Pontifex Conciliorum Canonibus ita subsit, ut ei resistere liceat, si quid adversus Canones moliatur. Licet enim Hincmari referret ad tuendum suum privilegium non subeundi alterius quàm Romani Pontificis judicii, Canones 9. & 17. Chalcedonenses defendere, ut illud cùm jam esset Concilii œcumenici autoritate munitum, non cogeretur sanctæ Sedi acceptum referre : Tamen in opusc. 55. capitum scilicet cap. 23. & cap. 24. Canones illos vi carere affirmat ex eo quod à Romanis Pontificibus non fuerint recepti, quod probat testimoniis sanctorum Leonis, Gregorii, & Gelasii. Prolixiora sunt illa capitula quàm ut hic exscribi debeant. Videantur, si lubet, apud ipsummet Autorem loco citato.

CAPUT VII.

De praxi libertatum Ecclesiæ Gallicanæ circa Canones octavæ Synodi.

1. ILlustrissimus Petrus de Marca lib. 2. cap. 17. num. 1. argumentum in favorem libertatum Gallicanarum trahit à non acceptatis, & non observatis statim aliquibus Canonibus octavæ Synodi Constantinopoli habitæ sub Hadriano II. Colligit autem non fuisse receptos, tùm ex eo quod Hincmarus illorum in suis litteris non meminerit, tùm quod Ademarus tradat constituta inibi fuisse aliqua Canonibus antiquis adversa ; tùm denique quod Concilium illud variis Ca-

nonibus mores in Gallia receptos, & jura Regia offendat. Sed etiamne tempore octavæ Synodi Conciliorum generalium Canones prætextu libertatum Ecclesiæ Gallicanæ respuebantur ? Mira libertas, quæ cùm in Canonum custodia posita sit, rejiciendorum Canonum Conciliorum generalium facultatem tribuit. Quæcunque igitur illa Synodo recentiora, qualia sunt ferè omnia, quæ à Puteano collecta sunt, vel ab aliis citantur ejus materiæ tractatoribus, libertatum Gallicanarum fundamenta non sunt, quippè quibus illæ longè antiquiores sint : Et tamen si recentiora illa corruant, nescio quo fulcimento sustentabuntur libertates.

2. Verùm enim verò licet Episcopi Gallicani Canones illos statim recusassent, non continuò libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ adscribenda esset recusatio, quæ poterat ex multis aliis causis oriri : v. g. ex eo quod Ludovicum sui Legati non Italorum solùm, sed etiam Francorum Imperatorem in Concilio Constantinopolitano appellaverant, quod Carolus Calvus, & Antistites Gallicani probare non poterant ; Quippè cum ille Lotharii nepotis sui defuncti partem Regni Gallici usurpasset in injuriam prædicti Ludovici, ad quem utpote mortui fratrem hæreditario jure pervenire debuerat : isti usurpationem illam confirmassent, præsertim Hincmarus, qui Carolum illius Regni partis Regem coronaverat in Concilio Metensi, ut in quinto capite dictum est. Quæ ratio eò verosimilior evadit, quod Canones octavæ Synodi recitati fuerant in sess. 10. in qua Ludovicum sui Legati Italorum, atque Francorum Imperatorem dixerant. Intererat igitur & Caroli, & Hincmari, quem Carolus speciali benevolentia prosequebatur, & à quo vicissim colebatur, specialiter morosos se in recipiendis, & exequendis illis Canonibus præbere.

3. Si qua verò in hoc Concilio circa disciplinam antiquam facta est immutatio, & parva fuit, & necessaria. Quantam enim antiquitati reverentiam tribueret, & quantùm ei inhæreret passim demonstravit, vel in ipsis etiam Canonibus, quos citat Dominus de Marca. Duodecimus sic incipit. *Apostolicis, & Synodicis Canonibus concordantes, &c.* Decimusseptimus antiquis Canonibus innititur : *cùm nusquam sacri Canones sanxerint, &c.* In vi-

vigesimo secundo habentur hæc verba : *Concordans prioribus Conciliis sancta hæc, & universalis Synodus definit, &c.*

4. Sed quis credat octavam Synodum antiquorum Canonum autoritatem non satis fuisse veneratam, lectis his ejus verbis act. 10. cap. 1. *Regulas, quæ sanctæ, & Apostolicæ Ecclesiæ tam à sanctis famosissimis Apostolis, quàm ab Orthodoxorum universalibus, nec non, & localibus Conciliis, vel etiam à quolibet Deiloquo Patre, ac Magistro Ecclesiâ traditæ sunt, servare, & custodire profitemur, his, & propriam vitam regentes, & omnem Sacerdotii cathalogum, sed & omnes qui Christiano censentur vocabulo, pœnis, & damnationibus, & è diverso receptionibus, ac justificationibus, quæ per illas prolatæ sunt, & definitæ, subjici canonicè decernentes; tenere quippè traditiones, quas accepimus sive per sermonem, sive per epistolas Sanctorum, qui antea fulserunt, Paulus admonet apertè magnus Apostolus.*

5. Canones illius Concilii *mores in Gallia receptos, & jura Regia* non ità offendunt, ut hinc inferre liceat ad repudiandos eos adhibitas fuisse Ecclesiæ Gallicanæ libertates, ut ex summario eorum examine liquebit.

6. Duodecimus Canon, inquit Dominus de Marca, *Principum suffragia ab Electionibus arcet*, cùm tamen absque Regis consensu, etiam post octavam Synodum Electiones in Gallia non fierent : sed non penitùs excludit Canon ille ab Episcoporum Electionibus Principum suffragia. Damnat tantummodò factas PER VERSVTIAM, ET TYRANNIDEM PRINCIPVM. An libertatis Ecclesiæ Gallicanæ dixerit partem esse, ut per versutiam, & tyrannidem Principum Episcopi eligerentur ? An etiam libertas Ecclesiæ violaretur, si usquequaque Principum suffragia ab electionibus arcerentur ?

7. Decimusseptimus, ut supponit idem Autor, *Episcopos omnes sistere se Concilio Patriarchæ jubet, neque Principum jussu impediri, cùm tamen à Regno discedere* & Synodo interesse absque consensu Principis vetitum esse Gallicanis Episcopis doceat Hincmarus, &c. An de jure, an de facto loquebatur Hincmarus ? causabatur Archiepiscopus ille à Regno discedere ob prohibitionem Regis se non posse. Jus autem prohibendi Regi non tribuebat. Imò epist. ad Nicolaum Papam, quæ decimumseptimum locum occupat in tom. 2. editionis Sirmondi satis apertè declarat, teneri quemlibet Episcopum à summo Pontifice Romam

vocatum accedere ; *Dignum, & juſtum eſt, ut quemcumque Epiſcopum Romanus Pontifex ad ſe Romam venire mandaverit, ſi infirmitas, vel gravior quæcunque neceſsitas, vel impoſsibilitas, ſicut ſacri præfigunt Canones, eum non detinuerit, ad illum venire ſtudeat.* Atqui ſacri Canones jus Regibus non concedunt, ſed potiùs negant, Epiſcopos, quominus à Regno propter Eccleſiaſtica negotia exeant, prohibendi; Nam v. g. Concilium Aurelianenſe III. anno 538. Epiſcoporum excuſationem rejecit, qui à Conciliis abeſſent eo prætextu quod haberentur in loco alteri Principi ſubjecto, quaſi non liceret Epiſcopis ob cauſas Eccleſiaſticas proprii Principis territorio excedere. Hanc Eccleſiæ ſeu Epiſcoporum libertatem acerrimè vindicaverat Concilium Turonenſe II. anno 567. can. 2. cujus hæc ſunt verba ; *Bis ad Synodum quolibet anno Epiſcopi Comprovinciales cum Metropolitano conveniant, aut ſaltem ſemel, ſine cujuſlibet excuſatione perſonæ, id eſt Regiæ, vel privatæ... ſed ſicut dictum eſt neque per impedimentum ordinationis Regiæ, neque ſub occaſione utilitatis.... debeat à Concilio ſeparari, Apoſtolo prædicante : Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, tribulatio, an perſecutio, an gladius, &c. ... NON DEBET SPIRITALI OPERI ETIAM REGALIS PRÆFERRI PRÆCEPTIO, cum primum in Eccleſia ſit mandatum: Diliges Dominum Deum tuum ex tota, &c. Unde non debet præcepto Domini perſona cujuslibet hominis anteponi, neque debet terrenæ conditionis actio, vel perſona terrere, quos Chriſtus ſpe Crucis armavit.* Addit pœnam excommunicationis. Vide S. Bernardum epiſt. 131. eximium ſummi Pontificis jus ad vocandos ad ſe Epiſcopos declarantem.

8. Sed ſuam mentem aperit ipſe Hincmarus. Statim enim poſt verba jam jam relata iſta ſubjungit ; *Et quicunque viderit, vel audiet quod Rex, & Epiſcopi Apoſtolicæ Sedis ſummum Pontificem promptè obaudiunt, & honorant, & promptiùs, & humiliùs eis ſubjecti ſui obediant.* Debent ergo & Rex, & Epiſcopi ſummo Pontifici obedientiam in hujuſmodi rebus præſtare.

9. Adde Canonem illum eò præcipuè ſpectare non ut Principibus prohibeat, ne Præſules ab adeundo Concilio Patriarchali deterreant, ſed ut Metropolitani Concilio intereſſe nolentes excuſationem illam falsò non prætendant. *Sed quoniam ſunt quidam Metropolitanorum* (verba ſunt Canonis) *qui ne ſecundum vocationem Apoſtolici Præſulis occurrant, à mundi Principibus ſe detineri ſine ratio-*

ratione causantur, PLACVIT TALEM EXCVSATIONEM OMNIMODIS ESSE INVALIDAM ..... *licet tale impedimentum & fictam prohibitionem Metropolitanorum suggestione diversis modis fieri didicerimus.* Eum dixi præcipuum esse Canonis scopum. Nam damnat etiam Principes qui Episcopis obstant (intelligo sine justa causa,) ne accedant ad Concilia, ut enim culpandi non essent Reges qui Episcopos congregari non sinerent, quos certò scirent, aut non temerè judicarent aliquid contra Regnum, aut Reges ipsos injustè moliri: ita impietatis rei essent, ut notat idem Canon, si Congregationem Synodorum, dùm Ecclesiæ necessariæ sunt, impedirent: Rationem exprimit his verbis; *Cum enim Princeps pro suis causis Conventus frequenter agat*, IMPIVM EST, *ut summos Præsules ad Synodos pro Ecclesiasticis negotiis, &*, ut jam in exordio legitur, *urgente necessitate celebrandas impediant, vel eosdem à Conciliis eorum prohibeant.* Tantùmque abest ut statutum illud Ecclesiasticam libertatem violet, ut ipsa etiam Gallicana Concilia declaraverint, quod supra notavimus, non esse justam absentiæ à Concilio causam, quod Episcopi in alterius Regis ditione constituti sint.

10. Eodem Canone 17. prohiberi putat prædictus Autor; *ne Synodus fiat præsente Principe; quod moribus Gallorum adversabatur, qui Synodos in Palatio ut plurimum celebrabant, etiam sub Carolo Calvo post octavam Synodum.* Verùm finis quoque præcipuus istius Canonis est, docere, Principis præsentiam non esse necessariam, ut ex ejus verbis colligitur, quæ sunt ista: *Illud autem tanquam perosum quiddam ab auribus nostris repulimus, quod à quibusdam imperitis dicitur, non posse Synodum absque Principali præsentia celebrari: cùm nusquam sacri Canones convenire Principes sæculares in Conciliis sanxerint, sed solos Antistites; Unde nec interfuisse illos Synodis, exceptis Conciliis universalibus, invenimus.* Subjungit quidem ista: *neque enim fas est sæculares Principes spectatores fieri rerum, quæ Sacerdotibus Dei nonnunquam eveniunt:* Sed hæc dictorum potiùs rationem quàm expressam continent prohibitionem.

11. Sed quid ista omnia Ecclesiasticam libertatem juvant? Nunquid tunc libera est Ecclesia, cùm ei dominantur Principes sæculares? Quando Reges non eo moventur Ecclesiasticæ disciplinæ zelo, quo flagrabant Carolus Magnus, Carlomannus, Ludovicus Pius, & alii quidam, nonne me-

tuendum est, ne illorum præsentia suffragiorum libertatem tollat potiùs, quàm procuret, præsertim si quid eis displiceat, aut incommodum sit?

12. Necfuit in Gallia mos constans, ut Principes Conciliis interessent. In prima Dynastia Clodoveus aberat à Concilio Aurelianensi, quod, cùm primum fuerit in Gallia sub Regibus Christianis, ceu exemplar intuendum vult alibi Petrus de Marca. Cùm Charibertus Prætextatum Rothomagensem Archiepiscopum in Synodo Parisiensi judicari postulavit, tradito Episcopis Canonum Codice recessit ante causæ discussionem, ut notat Gregorius Turonensis. Verum quidem est Regem tunc partem fuisse.

13. In secunda Dynastia Reges sæpè in Conciliis præsentes extiterunt, at non solùm annuentibus, sed etiam interdum hortantibus Summis Pontificibus, quibus perspecta erat illorum Religio, & Ecclesiasticæ disciplinæ zelus; & quia illorum autoritas Ecclesiæ tunc temporis maximè necessaria erat. At fuit aliquoties in Conciliis Carolus Calvus etiam post octavam Synodum, quæ id prohibuisse videbatur. Egò quidem arbitror aliquando Hincmarum Atchiepiscopum Remensem, qui, ut jam diximus in Regis animum magnâ pollebat autoritate, operam dedisse, ut Regis præsentia intercederet in Conciliis, in quibus obtinere aliquid cupiebat, ut depositionem Nepotis in Concilio apud Attiniacum anno 870. mense Maio. Aliquando Carolus proprias rationes curaturus interfuit, ut Ticinensi, & Pontigonensi anno 876. in quibus confirmatum illi fuit Imperium, scilicet à Joanne VIII. Pontifice in Ticinensi, & à Sedis Apostolicæ Legatis in Pontigonensi. Ergò sanctæ Sedis, vel saltem Episcoporum consensus Regis præsentiam probavit.

14. In tertia Dynastia, sive quod octavæ Synodo parere vellent Reges Galliæ, sive aliis de causis rarò interfuerunt Conciliis, nisi fortè à Summis Pontificibus invitati, ut Ludovicus Crassus Concilio Remensi, cui præfuit Calistus II. aut ex alia occasione admodum rara.

15. Denique supponere videtur Autor, qui supra, Canonem 22. octavæ Synodi Laicos ab Episcoporum electionibus omninò excludere. Verùm eis permittit Canon, ut ab Ecclesia

clesia invitati accedant ; *si verò quis Laicorum ad concertandum, & cooperandum ab Ecclesia invitatur*, licet *huiusmodi cum reverentia, si fortè voluerit, obtemperare se assistentibus.* In hoc autem quod liberam, & indefinitam facultatem Laicis non concedit, libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, ut communiter definiuntur, consentit. *Concordans prioribus Conciliis*, ut verbis ipsiusmet Canonis utamur.

CAPUT VIII.

De Regibus Christianissimis libertatum Ecclesiæ Gallicanæ defensoribus, & de Universitate Parisiensi earum propugnatrice.

1. PEtrus de Marca, & Petrus Puteanus, qui ad libertates Ecclesiæ Gallicanæ pertinere volunt, ut Rex Franciæ in temporalibus Romano Pontifici non subjaceat ; varia veterum Regum exempla Summis Pontificibus resistentium in rebus ad dominium, aut regimen temporale spectantibus, referunt, sed quid de illis sentiendum sit ex dicendis circa primam propositionem in libro sequenti intelligetur.

2. Hîc tantùm animadvertendum est Principes, dum jura sua se tueri profiterentur, libertatem quidem Regni obtendisse, non autem libertates Ecclesiæ, sed potiùs adversùs illos, has libertates fuisse allegatas : *Quando*, inquit Gotfridus in opusc. ad Callixtum Papam cap. 6. *Ecclesia Sæculari Potestati subjicitur, quæ ante Domina erat, ancilla efficitur, & quam Christus Dominus dictavit in Cruce, & quasi propriis manibus de suo sanguine scripsit, chartam libertatis amittit.* Dixerat autem cap. 4. *Rex, & Romanus Pontifex cùm unus contra alium, alter pro Regni consuetudine, alter pro Ecclesiæ libertate erigitur*, REGNVM ILLAM CONSVETVDINEM OBTINERE NON POTEST, NEC POTERIT ; *& Ecclesia suæ libertatis amittit plurimùm.* Non à Philippo IV. sed à Bonifacio VIII. Ecclesiæ libertas allegabatur. Rex tantum libertatis nomen ad significandam liberationem à jugo legis Mosaïcæ, aut à Diabolica tyranide institutum volebat, ideoque illam Laicis cum Ecclesiasticis esse communem.

3. In

3. In alio ſenſu Reges Galliæ dicuntur à Clero Gallicano libertatum illius Eccleſiæ Protectores, quia ſcilicet autoritate Regia impediuntur, vel reparantur injuriæ, quæ à Curia Romana illius Regni Eccleſiæ inferri prætenduntur. Sed quàm duram ſervitutem induxerit illa libertatis protectio, & jam in primo libro inſinuavimus, & adhuc magis demonſtrabimus, ubi de appellationibus tanquam ab abuſu diſſeremus.

4. Nuſquam autem in antiquis monumentis legitur, Reges Franciæ Protectorum, aut Defenſorum Eccleſiæ, vel libertatis Eccleſiaſticæ, titulo inſignitos, quod Summis Pontificibus reſtitiſſent, etiam prætextu amovendæ à Clero Gallicano injuriæ à Curia Romana illatæ. Rariſſima ſunt vetera hujuſmodi tuitionis exempla, niſi fortè aliquando Reges Epiſcopis, quos diligebant, nomen ſuum commodaverint, ut Carolus Calvus Hincmaro Remenſi in virulentis illis ad Hadrianum II. litteris, quæ extant in 2. tom. operum dicti Hincmari ſub num. 42. edit. Sirmondi, & in litteris ad Joannem VIII. quæ ſunt ibidem num. 47.

5. Illuſtris libertatum Eccleſiæ Gallicanæ propugnatrix eſt Academia Pariſienſis, cujus olim maxima erat in illo Regno autoritas. Ex præſcripto S. Pauli 1. ad Timoth. 3. *Oportet Epiſcopos eſſe Doctores, & illi legitimi, ac proprii ſunt magiſtri à Spiritu ſancto poſiti, non ſolùm, ut autoritate ſua regant Eccleſiam, ſed etiam ut prædicatione ac doctrinâ paſcant.* Unde, ut notat S. Hieronymus in hæc verba epiſtolæ ad Epheſios cap. 4. verſ. 18. *Alios autem Paſtores, & Doctores; Omnis Paſtor Doctor: non omnis qui Doctor, eſt & Paſtor.* Et S. Auguſtinus epiſt. 59. *Paſtores autem, & Doctores, quos maximè ut diſcernerem voluiſti, eoſdem puto eſſe, ſicut & tibi viſum eſt, ut non alios Paſtores, alios Doctores intelligamus; ſed ideò cùm prædixiſſet, Paſtores, ſubjunxiſſe Doctores, ut intelligerent Paſtores ad officium ſuum pertinere doctrinam, &c.* Tamen multiplices illorum curæ vix tempus concedunt ſtudendi rebus, quibus indigent, *ut potentes ſint exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt arguere*, quemadmodum præcipit Apoſtolus ad Titum 1. in adjutorium advocandi fuerunt Doctores, *qui ſapientiam omnium antiquorum exquirentes in Prophetis vacantes, narrationem virorum nominatorum conſervantes, in verſutias parabolarum ſimul introeuntes, occulta proverbiorum exquirentes, & in abſconditis parabola-*

bolarum conversantes in medio Magnatorum ministrarent, ut de sanctis Doctoribus canit Ecclesia ex Ecclesiast. 39. Ex quo factum est, ut maximus honor rerum Divinarum Doctoribus meritò tribueretur.

6. Inter cæteras non solùm Galliæ, quibus sine dubio præeminet, sed etiam totius Europæ Universitates celebris semper extitit Parisiensis fama, & in negotiis omnibus Ecclesiasticis autoritas, ut in ejus historiâ non ità pridem editâ legenti cuique licet advertere. Summa fuit ejus in propaganda fide, in extirpandis schismatibus, atque componendis controversiis diligentia, & industria.

7. Extirpandi schismatis desiderium olim illi suasit præponendum esse Summo Pontifici Concilium Oecumenicum, dum quis esset legitimus Pontifex non satis constaret, quæ sententia certissima videtur, deinde etiamsi legitimum esse Pontificem non dubitaretur, Concilio postpositus est. Posteà verò non esse infallibile Pontificis judicium, etiam circa Jus Divinum, & Ecclesiasticum assertum est à multis ejus alumnis contra antiquorum, & multorum etiam ex Recentioribus ejus Facultatis Doctoribus sententiam, quos libro 7. referemus.

8. Cùm vel Pontifices, vel Pseudo-Pontifices exactionibus, ac Beneficiorum reservationibus Ecclesiam Gallicanam opprimerent, Universitas studii Parisiensis, & quantùm potuit restitit, & Principis, ac Senatûs potestatem implorandam duxit. Atque hinc evenit, quod suprà dicebamus, ut paulatim Magistratus sæculares rerum, & negotiorum ferè omnium Ecclesiasticorum judicium sub prætextu conservandæ libertatis, corrigendi abusus, tuendæ possessionis, &c. usurpaverint.

9. Absit à me, ut florentissimæ illius Academiæ famæ aliquid detractum velim, quippe qui sciam quantùm doctrinâ suâ Christianæ Reipublicæ conferat, tamen dissimulari non potest celebrem illam Academiam ad Principum voluntatem nimium aliquando deflexisse. Id fateri videtur etiam Cæsar Egassius Bulæus in historia Universitatis Parisiensis tom. 4. ad annum 1379. tempore Schismatis accidisse. Nam licet electio Urbani VI. magis canonica videretur, ejusque partes secuta primùm fuisset, tamen ad Clementem VII. accessit, eo quod

Rex Carolus Quintus, & Regni Magnates ejus partes amplexi fuissent. *Fatendum tamen est*, inquit Bulæus, *plus ipsam Gallicani status intuitu adductam, quàm causæ Clementinæ bonitate convictam consensisse, futuramque fuisse neutrius partis, si Respublica id ferre potuisset, cujus interest in iis præsertim rebus, in quibus de Religione agitur habere consensum saltem publicum, si non animorum.* Papæ judicium infallibile non esse tunc Facultas Parisiensis decrevit, cùm Reges à Romano Pontifice dissiderent; Qua in re Principum potentissimorum, ac præsentium, desiderio aliquid concessum est.

10. Nec abfuit fortassis proprii honoris, & utilitatis studium à posterioribus Doctorum deliberationibus. Primò infallibile Papæ judicium, sibi injuriosum declararunt in censura Amadæi Guimenii anno 1665. quasi non pari ratione possent Oecumenicorum Conciliorum infallibilitatem suæ injuriæ adscribere. Nec in causis Fidei, & Religionis Judices à Deo instituti sunt, sed Consultores tantum adhibiti Doctores Episcopali charactere non illustrati, & à Summis Pontificibus, sicut à Conciliis Oecumenicis perinde consuli possunt in difficultatibus, quæ studium, & animi perspicaciam desiderant.

11. In Beneficiis laborabant illi, ut arbitror, pro Dei honore, & Ecclesiæ utilitate, suspectus nihilominus erat illorum zelus, cum ea suis conferri curabant, qua in re coacti sunt agnoscere scrupulosam Canonum observantiam aliquando Ecclesiæ obesse. Beneficiorum enim dispensationem liberam Episcopis dimitti, quibus ex jure communi competit, tam ægrè tulerunt, ut à Lectionibus cessaverint, donec illa libertas, antiquis Canonibus confirmata abrogaretur: *Eodem anno*, inquit Bulæus supracitatus ad annum 1399. *per totam quadragesimam cessatum est à Lectionibus in Universitate teste Joanne Juvenale de Ursinis:* PROPTEREA QVOD EDICTO REGIO REDDITA FVERAT ORDINARIIS *omnimoda Beneficiorum Ecclesiasticorum* DISPOSITIO, ET DISPENSATIO. Videbat Universitas Prælatorum in distribuendis Beneficiis injustitiam: *Experta autem anteà fuerat Universitas eos famulis, & famulorum amicis ea conferre solitos potiùs quàm doctis, & litteratis; Quæ res plurimas turbas excitasset inter partes nisi satisfactum fuisset Universitati.*

12. Uu-

12. Undè patet quàm incongruè libertates Ecclesiæ Gallicanæ in illibatâ antiquorum Canonum custodiâ eorumque adversùs Summum Pontificem propugnatione collocentur: quandoquidem Universitas Parisiensis antiquis Canonibus, Beneficiorum collationes Episcopis adscribentibus, derogandum censebat; urgebatque, teste eodem Bulæo, ut illa collatio Summo Pontifici reservaretur, quem sperabat æquiùs illa dispensaturum. Sunt alia quamplurima in historia prædicta, ex quibus constat Universitatem Parisiensem in suum commodum Canonibus per privilegia derogari à Summis Pontificibus impetrasse.

13. Donentur sanè Beneficiis viri graduati, dummodò Universitates nonnisi capaces ad gradus promoveant, iisque aliundè Beneficiis digni sint. Consulantur in rebus obscuris, & difficilibus Doctores pietate, ac doctrinâ celebriores, sed supremæ Romani Pontificis autoritati antiqua reverentia, & debita restituatur obedientia; salva sint Universitatibus sua privilegia, sed autoritas à qua emanarunt, ut par est, excolatur.

CAPUT IX.

De Joanne Gersonio Cancellario Parisiensi.

1. SI libertates Ecclesiæ Gallicanæ doctrinâ Illustrissimorum Antistitum Conventus Parisiensis continerentur, non immeritò earum præcipuus Autor laudaretur Joannes Gersonius Universitatis Parisiensis Cancellarius, vir pro sua pietate, doctrinâ, & zelo plurimùm commendandus. Ipse enim Primus ex Theologis Catholicis Summum Pontificem Concilio generali inferiorem, & errori, etiam cùm tanquam supremus Pastor aliquid toti Ecclesiæ fide Divinâ credendum proponit, obnoxium esse docuit; Quæ duo capita principaliora sunt; alia etiam tradidit, sed non adeò absolutè.

2. Non potuit tamen Gersonius ab antiquorum doctrina ità recedere, quantumvis adversùs immensos sui temporis abusus stomachatus, quin plures supersint in ejus operibus

ſententiæ propoſitionibus Comitiorum Cleri Gallicani adverſæ, ut ſuis locis oſtendemus.

3. Multa concurrerunt, ut Gerſonius ſuæ doctrinæ plurimos in eo Regno Diſcipulos habuerit. Remiſſus aliquantùm avitus ſanctæ Sedis cultus à tempore diſſidii inter Bonifacium VIII. Papam, & Philippum IV. Franciæ Regem, nec non ob aſperum à vicinis Pontificibus tum legitimis, tum ſchiſmaticis, aut dubiis impoſitum circa Beneficia, & redditus, jugum: confuſio Eccleſiaſtici regiminis, & corruptio diſciplinæ, ob diuturnum & pertinax ſchiſma; ipſius Gerſonii fama, nec non ejus in extinguendo ſchiſmate zeli proſper eventus, naturalis hominum propenſio ad imminuendam ſuperiorum, quorum præceptis promptiùs, ac frequentiùs urgentur, autoritatem: adhæſio ſuccedentium Doctorum ſententiis, quas Academiæ ſuæ proprias, & nihilominus inſignes, arbitrantur.

4. Verumtamen, ſi Gerſonii autoritatem ſpectes, etſi non contemnenda ſit, propter eas quas diximus ipſius dotes, eſt tamen aliorum ejuſdem Academiæ alumnorum contraria ſentientium, v. g. S. Thomæ, & aliorum, quorum teſtimoniis utimur, autoritate, minoris in Eccleſia exiſtimationis: ſi ejus doctrinæ fundamenta ſolo veritatis amore diligenter ſcruteris, minùs quàm contrariæ, quæ in libris ſequentibus proferentur, ſolida comperies. Si ergò autoritate metienda eſt doctrinæ dignitas, plus eſt iis tribuendum, quorum & perſona, & ſcripta publicè tota veneratur Eccleſia: ſi ſolis cedendum eſt probationibus, priùs exuendus eſt privatus affectus, & dimittenda præjudicia: Quæ conditiones in omni contentionum genere mutuò ab utraque parte poſtulantur, ſæpiùs à neutra præſtantur, hic omninò neceſſariæ ſunt.

5. Edmundus Richerius antequam adverſus ſanctæ Sedis Dignitatem ſtylum apertè convertiſſet, Gerſonium Apologia indigere ſenſit. Quamobrem in ejus vita, quam cum hoc titulo ejus operibus editionis anni 1606. præfixit (ejus enim editionis autorem ſe ipſe prodit in præfatione ad ſuas vindicias, quod obſcurè tantum indicaverat Illuſtriſſimus Cardinalis Perronius in Oratione ad tres Ordines Regni Franciæ

ciæ an. 1614.) *Vita Joannis Gersonii Doctoris, & Cancellarii Parisiensis ex ejusdem operibus collecta an.* 1606. Illic objicit sibi Richerius; *At inquies, lib. de auferibilitate Papæ edidit.* Respondet. *Verum id quidem est, sed attende ad schisma, quo bacchante lucubratum fuit, tùm omnia benè concordabis. Enimverò Parisiensis Academia, cum duos Antipapas de Ecclesiæ autoritate sic inter sesè colludentes cerneret, ut neque actu neque habitu, uniendæ, & concordandæ Ecclesiæ rationem retinerent, &c.* Et infrà; *Cæterùm qui libellum de auferibilitate cum titulo comparavit, omniaque benignè examinavit, animadvertet tractatum hunc eruditissimum non id velle quod hæretici cavillantur, aut invidiosum illud lemma præsefert: Quoniam Ecclesiæ autoritatem non absolutè, & formaliter, sed* CASUALITER TANTUM *quoad abusum, & exercitium autoritati Pontificiæ antecellere demonstrat Gersonius.*

6. Certè Gersonium zelo suo contra abusus, quos & in Ecclesiastico, & in politico regimine invaluisse cernebat, longiùs quàm par erat, abreptum fuisse, nemo sapiens, ac justus negabit. Audi enim quid scripserit de summis Pontificibus Tomo secundo in regulis moralibus tit. de præceptis Decalogi. *Casus multi esse possunt, in quibus aliquis se gerens pro Papa, & pro tali habitus ab Ecclesia, poterit à subdito licitè vel occidi, vel incarcerari, vel per medum quendam appellationis ab eo, vel subtractionis à sua obedientia, declinari, nisi fortè obstare monstretur constitutio aliqua non humana solùm, sed Divina* atque revelata, huic naturali juri præjudicans.

7. Nec mitiùs egit erga Principes Politicos. Ait enim opusc. contra adulatores. Consid. 7. *Error est dicere terrenum Principem in nullo suis subditis dominio durante obligari, quia secundùm jus Divinum, & naturalem æquitatem, & verum dominii finem, quemadmodùm subditi debent fidem, subsidium, & servitium domino, sic etiam dominus subditis suis fidem debet, & protectionem, etsi eos manifestè, & cum obstinatione in injuria, & de facto prosequatur Princeps, tunc regula hæc naturalis: Vim vi repellere licet locum habet, & id Senecæ in Tragediis. Nulla Deo gratior victima, quam Tyrannus, &c. Adidem est Tullius* 3. *de Officiis.* Vide serm. ad Regem nomine Universitatis Parisiensis.

8. Sed si in communi Gallicanarum libertatum definitione stemus, non poterit Gersonius earum fautor censeri, qui Canonibus, præsertim in favorem Litteratorum, & maximè Theologorum, derogandum pluries sensit. *Status Prælationis* (inquit in opusc. de statibus sub titulo de statu Prælatorum

consid. 14.) *si fiat limitatio sui usus in Beneficiis conferendis, vel in exemptionibus, non debet rationabiliter conqueri, dùm hoc manifestè fit propter studium litterarum, præsertim sacræ doctrinæ.*

9. Credo equidem Gersonium, & Universitatem ipsam, ut jam anteà dixi, litterarum profectum, & fructum in Ecclesiam à viris doctis proventurum spectasse, in procurandis beneficiis, ac exemptionibus, Magistris, & Alumnis suis contra juris communis dispositionem. Sed cur Regularibus, aut alterius conditionis hominibus bonum similiter finem propositum in petendis privilegiis non tribuamus? Cur Universitas Parisiensis tot favoribus à sancta Sede donata, similia beneficia cæteris invideat? Cur verò supremum Ecclesiæ Pastorem erga nos tantùm fidelem, & prudentem dispensatorem, erga alios prodigum dissipatorem judicabimus? Cur Canonum tantùm nobis commodorum violatio, servitus intoleranda reputabitur, minus commodorum dispensationem non solùm tanquàm licitam, sed & ferè ut debitam impetrare enitemur?

10. Fateor, & sæpè profitebor sanctis illis Ecclesiæ legibus esse strictè inhærendum, quandiù gravissima causa recedere ab illis non cogit; sed propter quosdam abusus potestatem ipsam negandam non esse defendo, præsertim ab illis, qui frequenter ad eam recurrunt.

CAPUT X.

De quibusdam aliis Scholæ Parisiensis Doctoribus.

1. POst Gersonium, schisma inter Eugenium XVIII. Papam & Concilium Basileense, occasionem præbuit scholæ Parisiensi sese in celebris illius Cancellarii doctrina firmandi, ac nonnullis Doctoribus pro ea scribendi. Deinde orto dissidio inter Julium II. summum Pontificem, & Ludovicum XII. Franciæ Regem, Joannes Major, & Jacobus Almain in Ludovici defensionem eandem doctrinam adhibuerunt. Eam ferè sopitam initio hujus sæculi suscitavit Edmundus Richerius; alii identidem promoverunt, donec Illustris-

Juſtriſſimi Præſules Pariſiis congregati; ſua declaratione, ac Regis brachio adverſus renitentes invocato, eam ita ſtabilire conati ſunt, ut ab ea nemo diſſentire auderet, & ex modernis aliis eam palam profitentibus, aliis impugnare non audentibus, ad poſteros tanquam indubitata tranſmitteretur.

2. Sed non defuerunt unquam in Gallia, nec in ipſa quidem ſchola Pariſienſi, qui ſummi Pontificis cauſam tuerentur: &, quæ veritatis vis eſt, ſperandum eſt non defore, qui abſque præjudicio, & privato affectu de rebus judicent, & contemtis pollicitationibus, & minis, quod ſentiunt, liberè promant.

3. Non eſt autem hic de ſingulis dicendum, qui prædictam doctrinam, vel propugnarunt, vel impugnarunt. Cùm enim ejus defenſorum opuſcula collegerit in ſuis vindiciis Edmundus Richerius, illa ſimul cum ejus Libello *de poteſtate Eccleſiaſtica, & politica* in libro noſtro octavo recenſebimus: eorum autem, qui contra ſenſerunt teſtimonia circa quamlibet propoſitionem referemus.

4. Sed non idem fuit omnium illius doctrinæ propugnatorum aut ſcopus, aut affectus. Quidam enim, alii aliis modeſtiùs, Patronorum tantùm ſeu Advocatorum perſonam ſuſtinuerunt. Quidam nebulonum more pacem turbare ſtudebant: alii injuriam ſibi, ut putabant, illatam ulciſcentes, dolorem hac ratione lenire conati ſunt: alii vel eximii ingenii laudem, vel præmium aucupati ſunt; alii, ut credere par eſt putabant obſequium ſe præſtare Deo, ac veritati teſtimonium perhibere. Quæ autem, cujuſque mens fuerit, Deus ſcit. Nobis judicare non licet, niſi quantùm eorum verba, & ſtylus ſignificant. Duorum tantùm, utpotè magis inſignium ſpecialis nunc temporis facienda eſt mentio, ſcilicet Edmundi Richerii in hoc capite, & Joannis Launoii in ſequenti.

5. Ne quis autem putet nos temerè dixiſſe aliquos eam in partem pravo affectu impulſos, præmittendum eſt quod ſcribit Henricus Spondanus ad an. 1627. num. 2. occaſione cenſuræ libri Antonii Santarelli. *Cæterùm*, inquit, *quoniam hæc Doctorum Sorbonicorum diſſidia non aliundè procedebant, quàm ex occultis ſchiſmatis*

tis seminibus, quæ à multis fovebantur; occasione inde sumta, Eminentissimus pietate, & doctrina Franciscus Cardinalis Rupifocaldus pro suo in conservationem unionis Ecclesiæ, quam isti discerpere studebant, zelo, libellum scripsit in schismaticos, quem Regi dicavit, hortans, ut tanto malo autoritate sua praveniret.

6. Sed ad Richerium. Prodiit an. 1611. liber. *De Ecclesiastica, & politica potestate* suppresso autoris nomine. Die nona Mensis Martii proximè sequentis damnatus est à Concilio Provinciæ Senonensis, Præside Illustrissimo Cardinali Perronio; *Ob multas*, verba sunt Decreti, *quas continet propositiones, expositiones, & allegationes falsas, erroneas, scandalosas, schismaticas, & ut sonant, hæreticas.* Simili censura notatus est die 24. Mensis Maij etiam proximè sequentis à Concilio Provinciali Aquensi, scilicet ut continens *propositiones, allegationes, & doctrinas falsas, scandalosas, schismaticas, hæreticas, & impietatem, gravemque errorem sapientes.* Utrumque Decretum refertur à Patre Labbeo tom. ult. Conciliorum.

7. Condemnationem illam narrat Spondanus ad annum 1612. n. 3. & addit; *Idemq; Richerius autoritate Regiâ, & Decreto Facultatis depositus est à Syndicatu ejusdem Facultatis, quem gerebat. Fuerunt etiam multi, qui contra eundem libellum scripserunt: plenissimè confutavit Andreas Duvallius insignis Doctor Sorbonicus, & Regius Theologiæ Professor in Universitate Parisiensi primarius: haud tamen propterea cessante Richerio à suis* MOLITIONIBVS, QVIBVS *multos alios in suas partes allegit,* CVM VEHEMENTI SVSPICIONE SCHISMATIS. Illius libelli præcipuum fundamentum confutavit validissimè doctissimus Pater Petavius Aurelianensis è Societate Jesu Theologicorum Dogmatum tom. 3. lib. 13. cap. 14. 15. & 16.

8. Fuit etiam Romæ damnatus Richerii libellus, primùm sine nomine autoris, deindè nominato Autore, ut videre est in Decreto Sacræ Congregationis Indicis 2. Febr. an. 1622.

9. Illustrissimus Cardinalis Perronius in ea, quam habuit ad tres Ordines Regni Franciæ an. 1614. oratione; tacito Richerii nomine, illius consilium in curanda nova operum Gersonii, cum ejus effigie, cum elogiis, & inscriptionibus editione, detegit, quod scilicet Gersonius adversùs Romanum Pontificem scripsisse videretur. Licet enim, ut diximus, Car-

Cardinalis Perronius de induſtria Richerii nomen ſubticuerit, prodit ſe ipſemet Richerius in ſuarum vindiciarum præfatione ad Lectorem his verbis; *Cardinalis Perronius eidem* (Richerio) *in Conventu trium Ordinum Regni Galliarum anno* 1615. *grandi vitio dederit, quod Joannis Gerſonii Doctoris Chriſtianiſſimi opera de integro novis typis excudi procuraſſet anno* 1606. Tot ſunt in Gerſonii vita ejus operibus editionis prædictæ præfixâ, ſententiæ in aliis Richerii operibus iiſdem verbis repetitæ, ut tacente etiam Richerio ſtylus ipſe ſatis eum indicaſſet.

10. Accuſat autem Illuſtriſſimus Purpuratus eum, vel eos (loquitur enim in numero plurali, fortè ut invidiam minuat) qui Gerſonii opera de integro novis typis excudi procuraverant, quod Autores deindè fuerint propoſitionis illius, contra quàm tùm perorabat, quæque Romano Pontifici omnem prorſus juriſdictionem, tùm directam, tùm indirectam in temporalia Regum adimebat; Cùm antea, ſcilicet tempore Henrici III. Franciæ Regis, quandò bellis civilibus flagrabat Gallia, ipſi quaſi anteſignani, aut potiùs faces extitiſſent ſeditioſæ doctrinæ, quam adverſus Regem defendebant, & vulgabant in theſibus diſputatis ac typis excuſis. Ex quibus theſibus duas iſtas refert; „Certiſſimum eſt „comitia, ſeu ſtatus de jure Divino, ac naturali Regibus „eſſe ſuperiores. Licitum fuit cunctis Franciæ populis arma „capere adverſus tyrannum, quo nomine intelligebant Hen„ricum III. Addit autem prædictus Cardinalis, putaſſe illos culpam poſſe diluere, ſi ad alteram partem, & quidem extremam ſe transferentes in ſummum Pontificem ſtylum converterent, ac decertarent.

11. Qua in re, ſubjungit idem Cardinalis, quoniam cum hoſtibus Eccleſiæ conſentiebant, aut ſaltem propè ad illos accedebant, multos nacti ſunt adjutores, ac fautores, à quibus inducti ſunt, ad emittenda, prætextu obſequii Regi præſtandi, ſchiſmatis ſemina. Undè conſtat quam parum famæ ſuæ conſulant, qui à Richerio præſidium accerſunt.

CAPUT XI.

De Joanne Launoio Theologo Parisiensi.

1. JOannes Launoius Doctor Parisiensis Richerianæ doctrinæ sectator fuisse videtur. Vir quidem eruditus, sed Censor nimis subtilis, sæcularis potestatis acrior vindex, Pontificiæ ferè impatiens, præsertim ex quo ejus quoddam opusculum sacræ Congregationis indicis censurâ notari meruit. Hanc ille graviter sentiens (quæ enim in Gallorum animis supersunt avitæ erga sanctam Sedem reverentiæ semina ejusmodi censuras contemnere non sinunt, licet aliud aliquandò verbis significetur) aliisque causis impulsus ad imminuendam summi Pontificis autoritatem se denique ferè totum contulit, congestis in ejus defensores, quos in summario Epistolæ 4. primæ partis *Curiæ mancipia* vocat, injuriis. Sed ea est illorum præsertim Baronii, & Bellarmini, quos præcipuè insectatur, doctrinæ, ac pietatis celebritas, ut illius Doctoris scriptis minimè obscurandam putem, maximè cùm styli acrimonia exulceratum ejus animum prodat; ac Romani Pontificis, ejusque Officialium parùm æquum Judicem demonstret.

2. Insciticæ, ac imprudentiæ accusationes præclara Bellarmini, quem sæpiùs impetit, opera repellunt. Malæ fidei suspicionem arcet eximia pietas, ut injuriæ Launoii sibi, ac suis operibus plusquàm Bellarmino, vel ejus doctrinæ detrahant. Ego quidem, si quid illi Purpurato minùs exactum exciderit (ut res adeò difficiles prolixè tractanti contingere aliquando potuit) juramento, quod edidit *jam senex, & morti proximus* plenam fidem non habere crimen putarem, *scripsi*, inquit in præfatione ad recognitionem suorum librorum, *Deo teste, quod verum esse existimavi, non gratiam hominum, vel propriam utilitatem, sed honorem Dei, & Ecclesiæ commodum respiciens. Neque in scriptis meis aliquid à Divinis litteris, aut sanctorum Patrum regulis alienum sciens posui.* Hoc juramentum plus apud me habet autoritatis, quàm quod lego apud Launoium Epistolarum parte prima epist.

epist. ultimâ, ubi cùm conatus esset probare autoritate Clementis VII. Pontificem Conciliis subesse, subjungit. *Nos Clementem, & Sedem Apostolicam sequimur, non Rainaldum, non Curiam: Absit per Deum immortalem.*

3. Præcipuum, ac ferè unicum Launoii principium est; in rebus Theologicis, scripturâ, & traditione agendum: quod omnes Catholici libentissimè amplectuntur; Scripturæ autem sacræ verba juxta unanimem consensum Patrum accipi vult. Hoc etiam juxta mentem Concilii Tridentini, quod citat, nullus Catholicus inficiabitur.

4. Sed eâ doctrinâ plurimùm abutitur, verba Concilii Tridentini ad alium sensum inflectens: hæc enim sunt verba Concilii sess. 4. *Ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat.* Vetat Concilium Scripturam interpretari contra sensum, quem tenuit, & tenet Ecclesia, aut contra unanimem consensum Patrum; sed non declarat falsa esse censenda quæcumque ab Ecclesia non sunt, ut vera declarata, vel aliquem Scripturæ sensum non esse verum, nisi eam omnes Patres ita interpretati fuerint. Omnia quidem, quæ circa fidem, & mores Scripturâ sacrâ contineri tenet Ecclesia, vel docet traditio Patrum omnium testimoniis comprobata, vera sunt, & certa; sed omnia, quæ vera sunt, & certa, & in Scriptura sacra continentur, non declarabit particulatim Ecclesia, nec unanimis Patrum consensus; atque sine hac declaratione, vel consensu nihil velle admittere tanquam verum, aut certum, etiamsi legitimâ consequentiâ ex aliquo Scripturæ loco deducatur, vel aliis solidis argumentis confirmetur, prorsus absurdum est.

5. Iniqua est igitur Launoii censura contra Bellarminum, quando ejus sententiam rejicit, eò quod non probetur Scripturæ sacræ testimoniis unanimi Patrum consensu expositis. Satis enim est, ut ex Scripturæ locis, quæ Bellarminus citat, sequatur conclusio, quam ex illis deducit, licet sancti

Patres eam, quia non ſeſe obtulit neceſſaria occaſio non deduxerint, modò contrariam nunquam intulerint, ut certè non intulerunt. Alioquin enim ſequeretur ex innumeris Scripturæ locis nihil Theologicè concludi poſſe, cùm pauca ſint, quæ ſancti Patres varii variè interpretati non fuerint, ut animadvertere licet: v. g. in illo loco, quem diſcuſſit Launoius initio Epiſtolæ primæ 6. parte, quique ad aſtruendam Conciliorum autoritatem proferri ſolet; *ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Matth. 18. Quas enim affert ſanctorum Patrum interpretationes, illæ inter ſe diſcrepant, nec poteſt aliquis adduci Scripturæ locus ad conſtituendam autoritatem Conciliorum generalium ad decidendas infallibili judicio controverſias de Fide, aut aliud quid ſimile præſtandum, qui ab aliquo ex Patribus non fuerit in alio ſenſu acceptus.

6. Quantùm ad traditionem; cùm traditionum multa ſint genera, ſi eam ſolam intellexit argumentis Theologicis inſervire poſſe, quæ Divina cùm ſit, eâdem, quâ Scriptura ſacra pollet autoritate, ipſe nullum argumentum Theologicum opponit Bellarmino: v. g. ut probet jus convocandorum Conciliorum non pertinere ad ſolum Pontificem. Quæ enim decem primis epiſtolis in parte 6. Epiſtolarum collegit teſtimonia, ut octo prima Concilia fuiſſe ab Imperatoribus indicta, oſtendat, traditionem Divinam nec faciunt, nec ſignificant; nec circa jus Divinum, ſed circa factum non revelatum à Deo verſantur. Si traditiones humanas intelligit, non ſolùm ex ſe infallibili certitudine non gaudent, ſed & ſi alter Launoius inveniatur, eas in diſcrimen adducet omnes, aut ferè omnes.

7. Cæterùm Launoius, qui vel Scripturæ locum per unanimem Patrum conſenſum explicatum, vel traditionem conſtantem requirit, ut alicui propoſitioni aſſenſum dare permittat, quomodò præſtat ipſe, quod ab aliis petit? ſine ullo Scripturæ loco, ac ſine ulla certa traditione, imò ſine ulla ratione poſitiva unico argumento negativo, ac fortè levibus quibuſdam conjecturis, teſtimonia communi omnium conſenſu recepta paſſim evertere conatur: vultque Autori fide digno aliquid aſſerenti non credi, poſtquam ipſe plu-

rium

rium aliorum idem neque affirmantium, neque negantium verba congesit, quasi unius, aut paucorum assertio, aliorum etiam in majori numero silentio non præponderet.

8. Argumenta Philosophica, & à vera Theologia aliena nuncupat, quæcumque à Scriptura, vel traditione non petuntur: Cùm ipse aliquando rationibus utatur, quæ nec Theologo, nec Philosopho, imò nec viro gravi digna sint. Quem enim vel mediocris ingenii virum non pudeat istius, v. g. Launoii ratiocinationis Epistolarum parte prima, epist. ultima. Alexander VII. in Constitutione, quam in favorem sententiæ asserentis Deiparam ab originali peccato fuisse præservatam edidit, utitur his verbis; *Accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis.* Inter Academias celebriores est Parisiensis. Academia Parisiensis non habet aliud fundamentum suæ opinionis præter Decretum Concilii Basileensis sess. 36. *Itaque si Alexander VII. Academias celebriores Parisiensem, & Coloniensem ex eo approbat, quod Immaculatam Virginis Conceptionem propugnaverint,* BASILEENSE *Concilium approbet necesse est,* Notat autem (ut videas quo judicio ratiocinationem suam componat) sessionem 36. *depositio Eugenio, substituto in illius locum Felice V. & beato Ludovico Cardinali Arelatensi Præside celebratam esse.* Quasi Alexander VII. non solùm approbaverit Decreta Concilii Basileensis Summum Pontificem Concilio subjicientia, sed etiam Eugenium IV. ritè depositum, & Amedeum legitimum Pontificem declararit in constitutione circa Conceptionem B. Virginis, in qua ne verbum quidem de illis facit, quæque necessaria omninò non fuisset, si Concilii Basileensis rem eandem statuentis sess. 36. recepta fuisset autoritas.

9. Alia, prout feret occasio, adducemus. Hæc nunc sufficiant ut qui Launoii opera legunt, præsertim ejus Epistolas, quæ omnes, pauciſſimis exceptis contra Pontificiam autoritatem tendunt, agnoscant in styli acrimonia, censuræ suis opusculis inustæ dolorem; in argumentis frequentiùs ab eo tractatis, ac ferè in omnibus ejus epistolis, Jurium sanctæ Sedis extenuandorum studium, in probando argumentorum, plerumque negativorum debilitatem, aut conjecturarum argutias, atque ità non ei plus fidei tribuant, quàm obtinere ejus probationes mereantur.

10. Quæ cautio eò est magis necessaria, quod ut Doctoribus, quos impugnat, conflet invidiam, non solùm falsa, sed & incredibilia affingit, quis enim ei fidem habeat : v. g. cum epist. penult. tom. 1. pag. 7. sic scribit ; *Eugenius III. epistola octava ad Episcopos Germaniæ tradit contra Deum, & Sacrorum Canonum sanctiones nulli omninò petitioni possumus præbere consensum. Novi & corrupti Doctores tradunt. Romani Pontifices contra Deum, & Sacrorum Canonum Sanctiones petitioni cuilibet possunt præbere consensum.* An Bellarminus, aut alius similis Scriptor tradidit *Rom. Pont. contra Deum petitioni cuilibet posse præbere consensum.*

CAPUT XII.

De aliis libertatum Ecclesiæ Gallicanæ defensoribus.

1. TRactatus omnes, ut in primo libro diximus, aut ferè omnes circa materiam istarum libertatum Gallicanarum ante se scriptos in unum volumen collegit Petrus Puteanus, Gallicè *Du Puy*, &, quia nuda ferè inibi continebantur dogmata, probationes in alio volumine protulit. Cùm autem utrumque malè fuisset exceptum, & quandam injecisset futuri schismatis suspicionem, magnamque libertatibus illis invidiam peperisset, Illustrissimus Petrus de Marca tunc Ordinarius in Sacro Regis Christianissimi Consistorio Consiliarius, & in Navarræ Parlamento Præses, quatuor libros edidit sub titulo *Dissertationum de Concordia Sacerdotii, & Imperii, seu de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, quibus post ejus mortem Stephanus Baluzius ex manuscriptis ejusdem Autoris, ut asserit, quatuor alios adjunxit. Carolus Fevret deindè, aliique Causidici, ac varii generis Scriptores Gallicani nullam prætermiserunt occasionem extollendarum ; & multiplicandarum suarum libertatum.

2. Primum volumen Petri Puteani novemdecim Tractatus, seu Acta complectitur ; in quibus nullum est, quod vel ab Officialibus Regiis, vel à Causidicis, aliisve Laicis conscriptum non fuerit, ut mirum videri non debeat, si Potestates sæculares in detrimentum Ecclesiasticæ attollant, quan-

quandoquidem hujuſmodi Autorum rationes temporales creſcere putantur, decreſcente autoritate Eccleſiaſticâ, ut etiam qui Clericali charactere inſigniti ad officia ſæcularia promoventur, ſæpè laicalem juriſdictionem protendere magis nitantur, quàm ſpiritualem, ut deberent, illæſam ſervare. Inſerta quidem eſt primo volumini quædam deliberatio Cleri Gallicani, ſed occaſione tantùm apologiæ à Carolo Faye Senatore Pariſienſi compoſitæ, undè in Actorum indice non fit illius diſtincta mentio, quaſi quæ ab Eccleſia emanant, ad libertates Eccleſiæ Gallicanæ non pertinerent, niſi quatenus ad Regem, aut ad Magiſtratus ſæculares ordinantur.

3. Fuerant autem ſcripti omnes illi Tractatus, aut ferè omnes tempore diſſidiorum inter Romanam Curiam, & Gallicanam, omnes poſt ſchiſma inter Pontifices Romanos, & Avenionenſes, Ab Autoribus Poteſtati Eccleſiaſticæ parùm æquis, imò ſi Optato Gallo credimus, quod ipſe affirmare non auſim, plerique ab hæreticis. Quamobrem quæcunque ibi continentur, cùm & ab Autoribus ſuſpectis profecta ſint, & ab antiquitate non commendentur, non majorem merentur fidem, quàm quæ probationibus elicitur, quæ tamen aut nullæ ſunt, aut raræ, ac debiles.

4. Alterum volumen in quadraginta capita diſtinctum edidit Puteanus, ut hunc defectum ſuppleret. Sed eò tendunt omnia, ut dignitas, & autoritas Regis, Regiorumque officialium contra Eccleſiæ jura extollantur. Nullum enim eſt, in quo de illis principaliter, vel ſaltem, quamvis rariſſimè, minùs principaliter non agatur. Ut intelligas non hic veras Eccleſiæ libertates exponi, ſed viam indicari, quâ illa in ſervitutem redigenda, vel reducta jam ſit à ſæcularibus poteſtatibus.

5. Videtur voluiſſe Puteanus Regi Chriſtianiſſimo, ut alio volumine plura Regna, plurimaſque Provincias, ità iſtis libris Eccleſiam ipſam omninò ſubjicere, ut ei ſupremo dominio uti liceat, in Eccleſiam quidem Gallicanam, quando, & quantùm libuerit, in alias verò ditiones cùm viribus ſuperior extiterit.

6. Non ſemel demiratus ſum libros Petri de Marca de Concor-

cordia Sacerdotii, & Imperii tantam apud Clerum Gallicanum eximiâ doctrinâ, & sapientiâ præditum existimationem obtinere potuisse. Licet enim doctrinam à Puteano exscriptam, & consarcinatam nonnihil temperaverit, jurisdictionem tamen Ecclesiasticam plurimùm depressit, quanquam subtiliori ratione. Facta profert, vel apertè injusta, vel dubia, nec improbat, quasi Historicum tantùm agere decrevisset, sed avidè suscipiuntur exempla quælibet iniquis desideriis consentanea, cùm ità proponuntur, ut nihil proferatur, quod ab eorum possit imitatione avocare?

7. Difficillimum sæpè est illius Autoris consilium perspicere, adductis enim exemplis, vel testimoniis rem illum confeciſse putes, cum adductis exemplis, vel testimoniis contrariis, vel appositis modificationibus, aut exceptionibus in alteram partem declinat, quam etiam aliquando rursùs extenuat. Omnia statim concedit, omnia deindè sensim retractat, ità tamen ut bilancem in partem laicæ potestatis semper inclinet, quod ipsemet satis apertè confessus videtur in Epistola ad Innocentium X. anno 1646. 7. Kal. Octobris scripta, cujus fragmentum refert Stephanus Baluzius in ejus vita illi operi præfixa: FATEOR, inquit, EO IN LIBRO PRINCIPIS PARTES PRO MVNERIS MEI RATIONE FOVISSE, PRÆSIDEMQVE POTIVS IMPLEVISSE, QVAM EPISCOPVM. Et paulò inferiùs; *ne libri publicati invidia desideriis meis obesset libello alteri Barcinone edito, quem huic chartæ adjunxi, hallucinationes meas deprecatus sum;* OPVS CENSVRÆ B. V. SVBMISI, *quam plenâ mente amplexurum me veto, & Assertorem, vindicemq; libertatis Ecclesiasticæ futurum.*

8. Erat quidem vir, ut ejus opera testantur; magna doctrinæ suppellectile instructus (quæ fortasse causa est, cur ejus opus de Concordia Sacerdotii, & Imperii tanti fiat, etiam ab iis, quorum jura imminuit) sed erat ingenii Aulæ desideriis nimiùm indulgentis. Pacis sese studiosum nusquam non exhibet, sed itaut, vitandorum dissidiorum causa, velit Ecclesiam de jure suo semper aliquid remittere.

9. Satisfecit variis libellis, epistolis, aliisque operibus, sanctæ Sedi, cujus autoritatem violarat. In schedula etiam à Stephano Baluzio libris de Concordia præfixâ, declarat; *Quidquid præter Canonum, & Decretalium mentem in Gallia circa res Ecclesiasti-*

fiasticas agitur, id fieri ex privilegiis Apostolicis, non autem mero Jure Regio, ut quidam autumabant Marcæ persuasum esse, hunc libellum typis mandari curavit, ut publica esset doctrinæ, quam in hac parte sequitur, professio, Itaut si quem dissertationum ejus editio laserat, hujus libelli editione curaretur. Verba sunt ipsiusmet Petri de Marca, licet in tertia persona, ut in schedulis fieri solet, ab eo prolata

10. Sanata etiam videntur hac declaratione vulnera Jurisdictioni Episcoporum illata, quandoquidem ex Canonum, & Decretalium mente, quam Marca, exceptis Privilegiis, salvam esse debere insinuavit, potestas Episcopalis à laica prorsus libera est. Cæterum enim Episcoporum jura non parum offenderat v. g. ut hoc tantùm exemplum adducam, cùm lib. 4. cap. 7. num. 7. Episcopos in rebus Ecclesiasticis Ministerii Regii adjutores tantùm exhibet; ipsos verò Reges Episcoporum non solùm monitores, sed si deliquerint, etiam ultores; Ait enim, *Mirum nemini esse debet, si adeò diligenter rebus Ecclesiasticis se Reges Francorum impenderent, cùm eas ad ministerium suum pertinere existimarent, scilicet ut admonitores se præstarent, quo Episcopi ministerium suum juxta Canones peragerent, & in eo capite ministerii Regii adjutores essent. Monitionis autem ea vis erat, ut effectus verba sequeretur, & pœna in contumaces.*

11. Non minùs infesta sunt Ecclesiæ juribus, quæ in aliis ejusdem argumenti libris sparsa reperiuntur, imò & posterioribus Autoris sensibus, ut ex ultimis ejus operibus conjicitur, valdè contraria; Ut Baluzius illos libros, cum aliis in lucem emittens Potestatibus sæcularibus magis placuisse, quàm Ecclesiæ rem utilem præstitisse videatur.

12. Sunt adhuc alii prædictarum libertatum defensores, sed adeò Ecclesiæ infensi, ut plurima scripserint ab hæresi, vel schismate non longè remota, in quibus examinandis, & confutandis, aut damnandis laudabilius operam collocassent Antistites Gallicani, quàm in formandis de universæ Ecclesiæ autoritate Decretis ad remittendam Ecclesiæ Gallicanæ cum Romana necessitudinem, quàm ad firmandam, & restituendam concordiam, aptioribus. Ex illis est Carolus Fevret, qui disciplinam Canonicam non ignoravit quidem, nec dissimulavit, sed ut Jurisprudentiæ, ac Politiæ

Francorum subderet. Passim enim in suo tractatu de abusu; Canonibus, Decretalibus, aliisque autoritatibus Ecclesiasticis satisfeciſſe sibi videtur dum eis Senatus-consultum opposuit.

CAPUT XIII.

De Episcopis Gallicanis libertates suas defendentibus, præsertim in Comitiis Parisiensibus.

1. VEra, ut libro primo diximus, libertatum Ecclesiæ Gallicanæ origo fuit; cùm Clerus illius Regni Beneficiorum reservationibus, exactionibus, aliisque gravissimis oneribus à Pontificibus, vel pseudo-Pontificibus tempore schismatis oppressi; cœperunt, invocato sæculari auxilio, jugum illud excutere, tanquam servitutem antiquæ libertatis, Canonibus consentaneæ, contrariam. Nec aliud erant illæ libertates in sua origine, quàm libera Beneficiorum, & redituum Ecclesiasticorum dispositio adversus Pontifices illos, eorumque Officiales vindicata. Quæ quidem defensio, quia necessaria, & in se justa videbatur, maximas statim vires adepta est, & sensim sine sensu ad alia excurrit, in quibus minus erat justitiæ.

2. Hactenus tamen nunquam Clerus Gallicanus Ecclesiæ suæ libertates obtenderat adversus Curiam Romanam, nisi quando ab ea se nimis premi, ac juribus suis spoliari arbitrabatur. Modò autem cùm summus Pontifex Ecclesias Gallicanas à gravissima Regaliæ servitute liberas servare contendit, Ecclesiæ Gallicanæ libertates illi objiciuntur, ac gravissimorum dissidiorum semina sparguntur. Quovis colore suam declarationem Antistites Parisiis congregati obducant, eam sapientibus non probabunt; multò minus ejus edendæ consilium. Quis enim obtusi adeò ingenii reperiri queat, qui actum illum eò spectare non animadvertat, ut Curia Romana odiosis illis propositionibus perturbata, cogitationes suas à Regaliæ negotio avertat, eoque conferat, ut in tanti momenti rebus autoritas sua tam grave detrimentum non patiatur, sed

sed malit Ecclesias Gallicanas libertate, quàm Sedem Apostolicam autoritate, ac dignitate sua carere.

3. Equidem licet illa declaratio hoc tempore non prodiisset, quo unicuique facillimum est, quis ejus fuerit scopus perspicere, quæ ad probandam illius necessitatem adducuntur rationes, fidem facere nullatenus possent.

4. Metuendum scilicet erat, ne Innocentius XI. in consiliis præceps, ad nova molienda proclivis, Principum Christianorum autoritati infensus, bellorum, ac dissidiorum amans, Regem Galliæ, consilii, & virium inopem à Throno deturbaret, Regnumque opprimeret, nisi tanto malo Clerus Gallicanus quamprimùm occurreret, primamque propositionem veluti aggerem impetuosissimo huic torrenti opponeret. Metuendum scilicet erat, ne summus Pontifex suis, suorumque commodis intentus Ecclesiasticum regimen in tyrannidem converteret, neve præ desiderio parentes divitiis, aut potentiâ sæculari augendi, Ecclesiasticam disciplinam pessundaret, omnium inferiorum Prælatorum jurisdictionem ad se traheret, Ecclesiæ denique statum universum confunderet, nisi œcumenici Concilii autoritas Pontificiæ modum adhiberet. Metuendum scilicet erat, ne Romanus Antistes Canonicæ disciplinæ hostis, antiquos Canones, præsertim Conciliorum œcumenicorum, & Patrum traditionem, quæ sunt Gallicanarum libertatum fundamenta, convelleret, nisi tertia propositione in tuto posita fuissent. Metuendum scilicet erat, ne fides ab Innocentio XI. labefactaretur, & Fideles in errorem sacris Scripturis, aut constanti traditioni contrarium conjicerentur, nisi quartâ propositione docerentur, non esse irreformabile summi Pontificis judicium.

5. *At Ecclesiæ Gallicanæ Decreta, & libertates multi diruere moliuntur.* Ne unus quidem Catholicus id moliatur, siquidem de illis libertatibus est sermo, quarum fundamenta *Sacris Canonibus, & Patrum traditione nituntur.* Si autem libertates appellantur, quæ veram Ecclesiæ libertatem perimunt, quæ decreta Ecclesiæ minus commoda quantumvis justa, & antiquæ disciplinæ consentanea, respuunt; quæ innocentes iniquis desideriis sese accomodare recusantes crudelissimè persequendi facultatem præbent; quæ Vicarii Christi mandata contemnunt,

prætextu non servati judiciorum ordinis, quem impossibile sit observare, nisi partes ipsæ judices esse sinantur, & innocentes interim patiantur, aut pereant; Certè hujusmodi libertatibus obsistere tam est laudabile, quàm eas propugnare turpe, ac Religiosis Præsulibus indignissimum. Porrò si libertates Ecclesiæ Gallicanæ antiquâ disciplinâ continentur, ut communiter tradunt Gallicani scriptores, quomodo defenduntur editis propositionibus, quæ ut infrà demonstrabimus, postremis tantùm temporibus natæ sunt!

6. Verissimum est quod subjungunt Illustrissimi Antistites, *Nec desunt qui earum* (libertatum) *obtentu Primatum B. Petri ejusque Successorum Romanorum Pontificum à Christo institutum, iisque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, Sedisque Apostolicæ, in qua fides prædicatur, & unitas Ecclesiæ servatur, reverendam omnibus gentibus majestatem imminuere non vereantur.* Verissimum, inquam, illud est, & ex illorum, qui hæc præstare non verentur, numero, esse Antistites ipsos, lectâ illorum declaratione, Primatui Romani Pontificis, debitæ illi obedientiæ, ac Sedis Apostolicæ majestati infensâ plerique suspicantur.

7. Mirum videri non debet *si Hæretici potestatem summi Pontificis invidiosam, & gravem Regibus, & Populis ostentent*, cùm capititalissimi illius hostes sint, & paratiores ad dimittendam Religionis observantiam, quàm ad deponendum erga Ecclesiasticam Monarchiam, odium: sed mirum est Catholicos Præsules in deprimenda potestate Pontificia hæreticis excusationem subministrare. At numquid satis apertè declararunt hæretici, quam essent etiam civilis Monarchiæ impatientes? Quis credat eos vero erga Principes sæculares studio adduci ad ferendam graviter Ecclesiæ in Reges jurisdictionem? Num æquiores erga summum Pontificem, aut Principibus obedientiores fore, sperandum est, si, ut eis prætextus ille præripiatur, Reges Ecclesiasticæ potestati subtrahantur? Ne illi utramque potestatem impatienter ferunt, & si sæcularis jugum excutere perinde illis facile esset, Ecclesiasticæ ope libenter uterentur, eamque tunc, utpotè minus gravem, magis extollerent.

8. Dubitari posset in primis, an legitima fuerit Illustrissimorum Antistitum Gallicanorum congregatio, quandoquidem

dem se *mandato Regio* congregatos profitentur, nullâ Ecclesiasticæ potestatis factâ mentione. Equidem si autoritas aliqua requiritur in convocante Cœtum, necesse est, ut ille superior sit, habitâ ratione non solùm personarum, sed etiam negotiorum in Cœtu tractandorum. Non concederetur Episcopo potestas convocandorum Comitiorum ad expedienda negotia politica, sine autoritate Principis, vel tùm, vel jam olim concessâ. Dum ergò congregandi sunt Episcopi ad definiendas controversias Ecclesiasticas, non sufficit autoritas Regis, cùm in huiusmodi rebus Episcopis ipse, non ei Episcopi subsint.

9. Ut igitur Antistitum Gallicanorum decreta universos Regni fideles obligarent, cùm nullus inter eos cæteris omnibus superior sit, non sufficeret, ut Regio mandato convenissent, sed saltem ad ligandos illos, qui vel non consensissent omninò, vel liberum consensum non præstitissent, requireretur consensus summi Pontificis, quem tùm Ecclesiæ universæ caput esse sine hæresi negari non potest, tùm totius Occidentis singularem Patriarcham ipsa etiam Gallia fatetur.

10. Id suadent plurima antiquitatis monimenta, præsertim facultates à summis Pontificibus, Vicariis Apostolicis ad congreganda Concilia ex universa Gallia concessæ; Legati frequenter missi, &c. Id etiam apertè declaravit Nicolaus I. in Concilio Romano anno 865. scilicet *Concilium generale* (de Concilio Episcoporum Gallicanorum intelligebat, & loquebatur) *sine Apostolicæ Sedis præcepto nulli fas esse vocandi.*

11. Multa objecta sunt à Vicario generali Diœcesis Appamiensis adversus Cœtum Parisiensem, quæ illegitimum esse comprobarent. Præcipuè quod ademptâ Conciliis Provincialibus libertate eos eligendi, qui ad Comitia generalia deputandi erant, ab eorum, qui à Curia præscripti fuerant, deputatione Electores abstinere ausi non fuerint; Videntes scilicet severè habitos, qui Curiæ desideriis non acquieverant in negotio, cujus potissimum causa congregandus erat ille Cœtus. Secundò quod contra jus excluſi fuissent aliqui à Comitiis Provincialibus, quos Curia metuerat liberè pro Ecclesiæ juribus vota sua deprompturos. Tertiò quod justis de

cauſis ipſe Vicarius Generalis illius Cœtus Congregationi ſeſe oppoſuiſſet, Sedemque Apoſtolicam appellaſſet.

12. Hæc, & fama publica ſuadent Curiam, & Aulicos præcipuas habuiſſe partes in hoc Cœtu, exquo decretorum ejus autoritas plurimùm nutat, etiamſi aliorum Eccleſiaſticorum Virorum illius Regni conſenſus accederet. Quis enim neſciat quàm paucorum ſit perſeverantia, & conſtantia adverſùs potentiam ſæcularem Philippum IV. adverſùs Bonifacium Octavum egregiè defendiſſe ſibi viſus eſt Petrus Putdanus, congeſtis plurimis inſtrumentis, quibus totum ferè Regnum illius Principis appellationibus, & proteſtationibus adhæſiſſe perhibetur. Cùm hinc potiùs manifeſtum fiat non ratione ſimul omnes, ſed metu ſucceſſivè, prout deficiebat animus, Regis partes ſecutos, quod etiam confirmant Hiſtorici.

13. Verùm cùm potuerit Rex Epiſcopos convocare, non quidem ut Concilium conſtitueret, ſed ut conſilium peteret. Imò potuerint, ſicut ſeorſim ſingula Concilia Provincialia congregari à propriis Metropolitanis, ità & ſimul plura Concilia Provincialia, vel ad Regis invitationem, ut loquebatur Concilium Pariſienſe anno 555. vel ex communi conſenſu, convenire, ut diligentiùs & maturiùs res diſcuterentur, non tantoperè laborandum eſt in inquirendo, an legitimè congregati ſint Archiepiſcopi, & Epiſcopi, quàm utrùm negotia, quæ definierunt, ejuſmodi ſint, ut de illis judicium ferre potuerit etiam legitimum Concilium Nationale; nec non utrùm verum, ac juſtum ſit eorum judicium.

CAPUT XIV.

Utrùm Cœtus Pariſienſis potuerit definire quæſtiones generales circa Poteſtatem Eccleſiaſticam.

1. QUæ Cœtus Pariſienſis declaravit, ejus ſunt conditionis, ut ſi vera eſſet Gallorum doctrina de poteſtate Concilii Oecumenici ſupra Papam etiam extra caſum ſchiſmatis,

matis, à Concilio Oecumenico, non autem à Comitiis Cleri Gallicani, vel à Concilio Nationali fuissent determinanda.

2. Nam agitur de jure non solùm Summi Pontificis, sed etiam Concilii generalis, imò de Ecclesiæ universæ securitate, nempè ad quem pertineat autoritas Decreta irrevocabilia circa fidem edendi; an potestas Ecclesiastica habeat aliquam potestatem in temporalia Regum, & Principum, &c. Quomodò ergò potest Ecclesia Gallicana, ubi de fide, de moribus, ac generalibus disciplinæ capitibus est quæstio, sententiam, inauditis etiam partibus, proferre. Numquid causæ istæ inter majores referri non merentur?

3. Respondebunt fortassis se, quod jam à Concilio Constantiensi definitum fuerat, declarasse, ne à Fidelibus ignoraretur. Sed primò quoad potestatem Ecclesiæ supra temporalia Principum Concilium Constantiense contrarium sensit, ut inferiùs ostendetur. Secundò, quoad autoritatem Concilii supra Summum Pontificem, non solùm plurimi Pontifices (quorum fortasse sententia in suspicionem traheretur, licet non minus suspecti sint Episcopi, cùm sibi non quidem divisim, sed conjunctim supremum Pontificem subjicere conantur) sed etiam quamplurimi Doctores ex universis Ecclesiæ partibus decreta Concilii Constantiensis de casu schismatis dumtaxat interpretantur. An ergò ad Ecclesiam Gallicanam pertinet obscurum Concilii generalis sensum interpretari? Decretum, inquies, clarum est, verum secùs aliis videtur; ad quem pertinet hujus controversiæ judicium?

4. Nec juvat reponere, Antistites Gallicanos materiam, quæ ad Ecclesiam universalem videtur spectare, pro suis tantùm gregibus declarasse, non autem toti Ecclesiæ articulos Fidei, aut disciplinæ Canones proposuisse. Hoc, inquam, non juvat. Nam primò declarationes illæ generales sunt, & terminis communibus conceptæ. Non enim v. g. declaratur Reges, Galliæ in temporalibus non subesse Potestati Ecclesiasticæ; sed Reges, & Principes absolutè, &c. Secundò, causas illas majores, aut etiam maximas esse Galli negare non possunt. Nonne ergò ad sanctam Sedem, vel si suspecta erat, ad Concilium generale ex antiquis Decretis, & ex ipsis etiam Francorum legi-

legibus erant referendæ. Sed ſuſpectum etiam foret Oecumenicum Concilium, cùm ejus quoque interſit, niſi ei Summus Pontifex præſideret. Ideò ſcilicet debuit Eccleſia Gallicana, tanquam ſuprema inter Romanum Pontificem, & Concilium Oecumenicum arbitra, controverſiam dirimere.

5. Non adeò faciles erant hujuſmodi controverſiæ, ut omiſsâ Romani Pontificis, aut, ſi mavis Concilii œcumenici conſultatione definiri poſſent; decebatque ut Epiſcopi Gallicani apud Curiam his S. Petri Chryſologi Epiſcopi Ravennatis verbis ſeſe excuſarent; *Nos enim pro ſtudio pacis, & fidei extra conſenſum Romanæ Civitatis Epiſcopi cauſas fidei audire non poſſumus*, Epiſt. ad Eutychem inter Acta Concilii Chalcedonenſis par. 1. num. 15. Si quid interim, &, ut vulgò dicitur, proviſionaliter ſtatuendum fuiſſet longè majoris erant ponderis rationes, quæ in alteram partem ſuadebant declinare.

6. Quin etiam hæc declaratio Eccleſiæ Gallicanæ, vel Clero Gallicano tribui non debet, cùm qui Comitiis interceſſerunt, procuratione caruerint, quæ ad res adeò arduas, & difficiles ſpecialiſſima requirebatur; Conſenſus autem, qui fortè ab aliis quibuſdam præſtabitur vix liber habebitur, cum intentatis pœnis, & jam quibuſdam inflictis, exigatur.

7. Accedendum jam ad ſingularum propoſitionum examen. Quocirca niſi demonſtravero propoſitiones in declaratione Cleri Gallicani contentas univerſaliter, ut jacent, acceptas eſſe apertè falſas, ſaltem conſtabit longè minus eſſe probabiles, minuſque tutas, quàm earum contradictorias. Atque adeò Comitia Pariſienſia maximam injuriam illius Regni Fidelibus erga ſummum Pontificem benè affectis intuliſſe, dum Edicto Regio, pœniſque adjectis, ad aſſentiendum doctrinæ adminus de falſitate plurimùm ſuſpectæ, atque aliunde ſanctæ Sedi adverſæ, cogendos curarunt. Tantumque abeſſe, ut illa agendi ratio libertas Eccleſiæ Gallicanæ nuncupari poſſit, ut duriſſima, & Chriſtianæ libertati infenſa ſervitus vocari debeat.

8. Nec puto reperiri quenquam, qui hac declaratione ſperet revocandos ad gremium Eccleſiæ hæreticos; quippe qui arbi-

arbitrentur, ut eorum aliqui non sine opprobrio nostræ Religionis jam significarunt, Comitia Cleri Gallicani non parùm ad ipsorum doctrinam accessisse, jam plurimum summi Pontificis, cujus obedientiæ sese ipsi usquequaque subduxerunt, autoritatem imminuere cœpisse, potiusque Catholicos à visibili Ecclesiæ Capite defecturos, quàm ei sese conjungere illi meditentur. Ego quidem sic habeo Regem Christianissimum, qui tam gloriosè in reducendis ad Christi ovile Regni sui hæreticis incumbit, ex ea declaratione ad tàm præclarum opus, parum accepisse subsidii. Etenim cùm summus Pontifex sit centrum unitatis, qui arctiùs illi adhæret intra sinum Ecclesiæ arctiùs stringitur. Imò, ut notavit Hincmarus supra cap. 7. relatus, Rex, & Episcopi Christi Vicario obedientes, illo exemplo debitam sibi à propriis subditis obedientiam faciliùs obtinent.

9. Utar autem, ut cœpi nudis ferè autoritatibus Conciliorum, & Sanctorum Patrum, Doctorumque vel Gallorum, vel in Gallia educatorum, quia illis nixæ dicuntur Gallicanæ libertates, rarò autem aliorum Doctorum testimonio, nisi fortè à Gallicanis scriptoribus citati fuerint, aut alia speciali occasione. Rationes etiam adhibebo, sed prout è rebus nasci videbuntur, non cum animi contentione inventas, quia rarò hæc materia rationibus à Gallis tractatur; sed plerumque exemplis, aut consuetudine, minusque cavillationibus, & disputationibus obnoxia est autoritas, quàm ratio.

LIBER QUARTUS

De potestate Ecclesiæ in temporalia Principum occasione primæ Propositionis Cleri Gallicani ; scilicet

BEato Petro, ejusque Successoribus Christi Vicariis, ipsiq; Ecclesiæ rerum spiritualium, & ad æternam salutem pertinentium, non autem civilium, ac temporalium à Deo traditam potestatem, dicente Domino, Regnum meum non est de hoc Mundo, & iterum, Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Ac proinde stare Apostolicum illud, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt à Deo ordinata sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Reges, ergo, & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati subjici, neque autoritate clavium Ecclesiæ directè, vel indirectè deponi, aut illorum subditos eximi à fide atque obedientia, ac præstito fidelitatis sacramento solvi posse, eamque sententiam publicæ tranquillitati necessariam, nec minùs Ecclesiæ, quàm Imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis consonam omninò retinendam.

CA-

CAPUT PRIMUM.

An hæc Propositio spectet ad libertates Ecclesiæ Gallicanæ.

1. DIfficile intellectu est, qua ratione Illustrissimi Antistites Gallicani libertates Ecclesiæ illius Regni defendendas suscipientes à propositione auspicati sint, quæ Juri Ecclesiæ potiùs adversatur. Cùm olim, ut jam notavimus, Philippus IV. adversus Bonifacium VIII. contenderet, Regnum Franciæ à summo Pontifice non pendere, libertatem quidem Regni tueri se profitebatur, non tamen libertatem Ecclesiæ, licet libertatis illius, qua Christus nos liberavit, se quoque participem esse affirmaret. Bonifacius autem libertatem Ecclesiæ adversus Regaliam, & ejus jura circa alia puncta propugnare se contendebat.

2. Petrum Pithœum in Senatu Parisiensi Advocatum in Tractatu de libertate Ecclesiæ Gallicanæ, qui primum in collectione Petri Puteani locum obtinet, imitati sunt. Hic enim singularia illarum libertatum Capita ad duo axiomata refert, quorum primum est, „summos Pontifices nihil præ„cipere, vel ordinare posse, sive in communi, sive in par„ticulari circa temporalia quantùm ad loca supremo Regis „Christianissimi dominio supposita; ac si præcipiant, vel „ordinent, Regis subditos, etiam Clericos, ad obediendum „in his nequaquam teneri. Petro de Marca lib. 2. de Concord. cap. 1. n. 1. satis visum fuit, si secundum istud libertatum fundamentum poneret, *supremam*, scilicet *Regis Christianissimi per Gallias autoritatem*; Illud tamen *non minoris momenti* esse duxit, quàm primum, quod in *suprema Romanæ Ecclesiæ autoritate constituit*.

3. Immutata fuit natura, vel idea libertatum Ecclesiæ Gallicanæ postremis his temporibus. Puto enim Clerum Gallicanum libertates suas defendisse (impugnasse certè nemo dixerit) cùm anno 1329. coram Philippo VI. Rege convenit, ut querelis Ministrorum Regiorum responderet. Tunc enim

Episcopi contendebant Ecclesiasticam Jurisdictionem sese ad temporalia extendere, saltem ratione peccati, quod pluribus probavit Electus Senonensis in prima responsione; *Praterea*, inquit, num. 34. *nullus dubitat, quin* COGNITIO DE PECCATO AD PERSONAS ECCLESIASTICAS PERTINEAT; *Cùm ergo talia non perpetrentur sine peccato alterius partis, patet, quod Ecclesia cognoscere potest, & hoc satis deducitur, extra de judiciis cap. novit.*

4. Nullus revera de hoc dubitabat, quandoquidem Petrus de Cugneriis acrior Jurisdictionis Regiæ Patronus fatebatur Decretalem *novit* locum habere in Rege Franciæ, utpote superiorem non agnoscente, tantumque negabat de Judicibus Regiis, quippe qui à Rege corrigi possent; *Item dicebat* (in replica Petri de Cugneriis pro Rege) *quod ratione peccati non poterat ad eos pertinere, quia Decretalis novit loquebatur de facto Regis Francia, qui superiorem non habet, sed in aliis dicebat secus.*

5. Si conferantur Acta illius altercationis, quæ habentur in Bibliotheca Patrum tom. 13. & edita sunt anno 1664. post praxim Beneficiariam, & alia opera Petri Rebuffi, cum iis, quæ nuper gesta sunt à Clero Gallicano, maximum sanè discrimen observabitur: Nec video, quomodo hodiernæ libertates Ecclesiæ Gallicanæ antiquas non destruant. Dicent fortasse moderni Præsules, Antecessores suos propriæ potestatis terminos longiùs transtulisse in detrimentum Jurisdictionis Regiæ. Jurisdictionis ergò Regiæ, non libertatis Ecclesiasticæ partes se suscipere saltem profiteantur.

6. Sed aliane hodie est Ecclesia Gallicana ab ea, quæ anno 1614. tam generosè restitit tertio Regni ordini propositionem hanc primam, aut certè simillimam statuere conanti. Nec enim egregia illa oratio à doctissimo Cardinali Peronio tunc habita ipsius erat propria. Illam quippe se totius „Cleri, imò & nobilium Regni nomine pronunciare affir„mabat; Non enim, inquit, ego hac in causa oro, sed „totus ordo Ecclesiasticus, & totus ordo Nobilium ipsi „conjunctus, &c.

7. Cæterùm doctrinam suam, idest propositioni modernorum Antistitum contrariam, asserit omnibus Ecclesiæ Catholicæ Partibus esse communem, imò & toti Ecclesiæ Gallicanæ à tempore, quo institutæ sunt inibi scholæ Theologicæ

gicæ usque ad Calvini adventum. Dignissima est illa oratio quæ legatur. In ea, ut inquit Petrus Frizon, Doctor Theologus Parisiensis, & in magna Franciæ Eleemosinaria Vicarius Generalis, in sua Gallia Purpurata, sapientissimè se gessit Autor, *distinguens utramque potestatem, & spiritalem Ecclesiæ, & Regnorum temporalem, prudens it.i ac modestus, ut privilegia Cleri defendendo de Regia nihil detraheret majestate, & autoritate, atque hanc asserens, Ecclesiastico Juri nihil etiam derogaret.*

8. Eandem fuisse mentem Ecclesiæ Gallicanæ postremis etiam temporibus, & usque ad ultimum Cœtum manifestum inditium est, quod hæc oratio tanquam proprium Ecclesiæ Gallicanæ monimentum inserta est inter Acta Cleri Gallicani à Joanne le Gentil, qui ea edidit anno 1673. jussu Comitiorum generalium Cleri. Ego quidem tantam esse arbitror hujus orationis vim, ut nullâ aliâ ratione infringi queat, quàm quæ ab aliquo proposita dicitur, scilicet ut suppfimatur, quod tamen difficillimum esset propter varia ejus exemplaria.

9. Distinctas esse potestates Regum, & Pontificum nemo Catholicus negat: sed major esset necessitas Regiam ad suos limites revocandi, quam Pontificiam intra suos concludendi. Confessi sunt in suo processu verbali Episcopi Parisiis anno 1681. congregati, extinctam propemodum esse in Gallia Jurisdictionem Ecclesiasticam. Novis indies vulneribus affligitur sæcularium Scriptorum libris, & Regiorum Judicum placitis, & tamen libertates Ecclesiæ non opponuntur à Prælatis; quin & illæ servitutes inter libertates numerantur à multis. Cùm autem Romanus Pontifex oppressis Ecclesiis manum porrigit, etiam ab Episcopis, objectis libertatibus arcetur.

CAPUT II.

An invidiosa, & gravis Regibus, & populis fiat potestas Ecclesiastica, si circa temporalia Principum in certis casibus exerceri posse affirmetur.

1. QUantùm Ecclesiæ ad conservandam fidem, propagandam Religionem, reformandos mores, & constituendam disciplinam utilis sit, & ferè necessaria Regum, ac Principum opera, & comprobavit omnium sæculorum experientia, & suadet aperta ratio. Verissimum est quod trito illo versu exprimitur:

Regis ad exemplum totus componitur Orbis.

Quamobrem magnoperè cavendum est, ne quid, sine gravi necessitate aut fiat, aut dicatur; quod Principum erga Ecclesiam studium possit remittere. Eâ ratione adductos se fuisse ad statuendam hanc primam propositionem significant Illustrissimi Præsules his declarationis verbis, quæ huc sine dubio respiciunt; *Hæretici quoque nihil prætermittunt quo eam potestatem quâ pax Ecclesiæ continetur, invidiosam, & gravem Regibus, & populis ostentent, iisque fraudibus simplices animas ab Ecclesiæ Matris, Christiq; adeò communione dissocient.* Videndum est igitur, an doctrina eorum, qui Ecclesiam circa Regum, & Principum temporalia potestatem aliquam in certis casibus exercere posse asserunt, potestatem illam *invidiosam, & gravem Regibus, & populis efficiat.*

2. Malis certè non potest invidiosum non videri quidquid eorum pravis cupiditatibus obsistit: At boni licet suaptè sponte ad virtutem ferantur, gaudent sibi pluribus obicibus viam ad crimen præcludi. Timent, aut etiam oderunt potestatem Ecclesiasticam Principes; illi scilicet, qui Ecclesiam non ut Matrem, cui parere velint, sed ut ancillam habent, cui dominari cupiant. Non oderunt, neque timent, qui Religionem Principatui, non Principatum Religioni anteponunt, qui ab Ecclesia fidem, ac vivendi normam accipere studeant, non ejus opibus ditari, libertatem infringere, ac jurisdictionem usurpare moliuntur.

3. Qua

3. Qua in re gravissimam Regi Christianissimo injuriam fecisse mihi videntur Regni ejus Antistites, dum Ecclesiasticæ potestati Principes quantum ad temporalia omninò subtrahere tentarunt. Significarunt enim aliquo pacto se suspicari, fore ut potentissimus ille Rex à fide Catholica, quam professi sunt, quotquot in eodem Throno à duodecim ferè sæculis sederunt, brevî non solùm esset ipse discessurus, sed etiam subditos avocaturus, vel commissurus aliquid hujusmodi tanta cum obstinatione, ut Ecclesia præmissis frustrà precibus, monitionibus, comminationibus, censuris, illud tandem extremum ac in desperatis tantùm malis, & maxima cum cautela usurpandum remedium adhibere cogeretur, ut scilicet ejus subditos à præstituto fidelitatis juramento absolveret.

4. Si tam siniſtram de tam Religioso Principe suspicionem mente non conceperant, quid necesse erat doctrinam spargere, ex qua certò secutura erat magna in Ecclesia perturbatio, piorum Christianorum offensio, ac quoddam schismatis genus? sed si de Rege Christianissimo ità sentiebant, ejus Religionem quomodo non offendebant? Accedit quod si Religiosissimus ille Princeps ità malè fuisset affectus, eum ad casum impulisset, potiùs quàm labantem confirmasset Cleri sui doctrina impunitatem promittens.

5. Ut enim excelsis animis antiquiùs nihil est, quàm Imperium non habitum adipisci, obtentum servare, ac propagare, amissum recuperare; ita nihil est quod timeant magis quàm Principatûs amissionem, vel in ejus assecutione impedimenta. Itaque si supremi Principes ex fidei desertione, vel etiam impugnatione damnum aliquod temporale sibi accidere non posse confidant, & spiritualia non satis pertimescant, faciliùs ortâ vehementi tentatione in præcipitium corruent, & innumerabilem hominum turbam secum trahent. Cùm è contrà si Principatûs privatione se plecti posse sentirent, illo veluti fræno cohiberentur.

6. Si autem jam Principes à fide defecerint, tantùm abest ut illa Ecclesiæ autoritas à repetendo piæ matris gremio avertat, ut ad reditum potiùs invitet. Vel enim Ecclesia jam usa est in illos autoritate prædicta, vel ad eâ utendum est

est parata, vel omninò uti non meditatur; si jam illam adhibuit, aut adhibere proposuit, resipiscentiâ huic malo occurretur. Si ab ea usurpanda omninò abstinere deliberavit, cur gravem futuram filiis obedientibus potestatem Matris pertimescant, quæ nec inimicis nocere voluit?

7. Miror potuisse Illustrissimos Antistites Gallicanos hanc Ecclesiæ potestatem negare, ex qua tantam utilitatem totum illud Regnum non ità pridem percepit. Ut enim prætermittam quæ sub Henrico III. in Gallia gesta sunt, quia licet labantem, & ferè labentem fidem confirmarint, quorumdam temeritas sub specie zeli, longiùs quàm par erat progressa est; Quis scit quam cladem perpessura erat Catholica Religio in eo Regno, nisi obstitisset Ecclesia Henrico IV. quominus Regnum adipisceretur, donec hæresim Calvinianam abjurasset? Quis scit utrùm ejus filius, aut nepos hodie regnans, & hæresim ipsam Calvinianam tam gloriosè à sua ditione exterminans, Patris aut Avi errorem secuti fuissent, & in eum maximam subditorum partem, ad quem plures videbantur propensi, suo exemplo, & autoritate impulissent.

8. Necessaria est aliundè populis, præsertim Francis, doctrina hæc de potestate Ecclesiæ in Principes. Cùm enim à majoribus suis Regnum ab una stirpe in aliam non semel translatum fuisse meminerint, expedit ut certò sibi persuadeant id sine præstiti juramenti solutione, ac sine autoritate Ecclesiæ tentare nefas esse, nec interventuram unquam illam autoritatem, nisi fortè gravissimæ causæ, deficientibus aliis omnibus remediis, & adhibitâ cautelâ quàm maximâ, illuc adigerent; adeoque favente rerum concursu nihil sibi temerè aggrediendum.

9. Quod si populi hæresi sint infecti, cùm Ecclesiam non audiant, parùm fortasse illis prodest hæc doctrina; sed ideò minùs secura est Principum dignitas ab illorum perfidia. Nam præterquam quod faciliùs est, ut qui datam Deo fidem frangunt, Principibus, si occasio tulerit, eam negent, hæreticorum est ingenium, quod postrema præsertim sæcula docuerunt, ut Principum sæcularium perinde atque Ecclesiæ, jugum excutere pro viribus conentur. *Dominationem spernunt, majesta-*

majestatem autem blasphemant ut ait B. Thaddæus. Nec Principibus, nisi scandali vitandi causa, parendum eorum plerique arbitrantur. Itaque illis necessarium, & Principibus tutum esset, ut Ecclesiæ ductum sequerentur, quæ & Dominis obsequi præcipit, etiam ex regulis conscientiæ, & tamen, si ipsi Regem Regum, & Dominum Dominantium impugnent, eos coercere conatur.

10. Quos igitur ab Ecclesia potest alienos efficere illa ejus autoritas? Paganos fortassis. De illis Antistites Gallicanos cogitasse non puto. Sed numquid facultas censurarum adimenda etiam erit Pastoribus Ecclesiasticis, ne illarum metus in Fideles à suscipiendo Baptismo retardet? Num inermis esse debet omnis Superior, ne pœnarum timor ab ejus obedientia deterreat?

11. At, inquies, possunt Ecclesiastici Superiores eâ potestate abuti. Possent fortassis, sed difficillimè. Sed nonnè Principes sua sæpiùs abutuntur? Ideone illâ spoliandi sunt? Certè minùs metuendum est, ne Ecclesia Regnum Principibus immeritis auferat, quàm ne illi auferri sibi mereantur.

CAPUT III.

An verbo Dei consona sit sententia, Reges in temporalibus ab omni Ecclesiastica potestate omninò subducens.

1. MEum non est certos limites præfigere alterutri potestati: hoc tantùm probare contendo, non posse Principes, etiam in temporalibus, prout ordinem habent ad spiritualia omninò Ecclesiasticæ potestati subduci. Contrarium declarant Præsules Gallicani, ac verbo Dei asserunt consonam esse suam sententiam. Sed qui veras olim libertates Ecclesiæ Gallicanæ coram Philippo VI. Rege Francorum anno 1329. tantâ cum laude propugnavit Petrus Bertrandi Episcopus Eduensis tractatu de origine Jurisdictionum quæst. 3. respondet; *Ad tertiam rationem*, inquit, *de Christo, qui abjecit à se, ut dicunt, omnem jurisdictionem temporalem, dicendum est, quod qui dicit Christum non habuisse omnem potestatem secularem, seu temporalem & spiri-*

tualem contradicit ejus verbo, Matth. ult. cap. DATA EST MIHI OMNIS POTESTAS IN CÆLO, ET IN TERRA. *Et Apocal. 1. dicitur;* PRINCEPS REGVM TERRÆ. Et infrà; *Verumtamen quia principaliter venerat nos redimere, & salvare, quasi omnes actus ejus versabantur circa eruditionem nostram, & pauci, aut nulli circa exercitium cujuscumque jurisdictionis; non quod utramque potestatem non haberet, sed ut saluti nostræ totaliter impenderet, sicut dicit Joann. 3. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Expleto autem Sacramento nostræ salutis per mortem Christi, & ejus Resurrectionem, Christus commisit Petro regimen Ecclesiæ tantum, quantum necessarium erat, & expediebat, cum regimine Ecclesiæ. Et quia utraque potestas temporalis, & spiritualis est ad hoc necessaria,* IDEO VTRAMQVE POTESTATEM COMMISIT PETRO.

2. Qui ergò dixit Joann. 18. quod primo loco in declaratione refertur; *Regnum meum non est de hoc mundo*, dixit Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in Terra: Euntes ergò docete omnes gentes.* Itaque cùm verum vero contrarium non sit, multò minùs prima, & suprema veritas, sibi ipsi; duo hæc oracula ità concilianda sunt, prout utriusque circumstantiæ postulant. Christus cùm hæc verba proferret, *Regnum meum non est de hoc mundo*, ad mentem Pilati respondebat interrogantis, an esset Rex Judæorum, ejusmodi scilicèt quales extiterunt Saul, David, & alii, qui per se ipsos populum regebant in rebus politicis, bella gerebant, & cætera omnia implebant Principis sæcularis munia. In eo igitur sensu negavit Christus Regnum suum esse de hoc mundo. At verò cum Apostolis officium imponeret docendi, & baptizandi, ne dubitarent, collatam cum officio plenam autoritatem, quæcumque ad spirituale regimen necessaria essent, præstandi, non solùm in cœlo, sed & in terra datam sibi omnem sine exceptione potestatem asseruit. Ex primis enim verbis, *data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra* quasi concludendo infert: Euntes ergò, &c. quia potestas Ecclesiastica directè, ac præcipuè circa spiritualia versatur, circa temporalia autem nonnisi, quatenus spiritualia requirunt.

3. Itaque Apostoli, eorumque successores ex Dei ordinatione Regalia officia non exercent, atque adeò rectissimè cum Christo dicunt; *Regnum meum non est de hoc mundo.* Hinc tamen

men nullâ legitimâ consequentiâ infertur, non posse Christi Vicarios, & Apostolorum successores, Reges, & Principes, præsertim cùm jam per characterem baptismalem Ecclesiæ filii facti sunt, eique subditi, si fidei, ac Religioni perniciem afferunt, monere, compescere, ac mediis congruentibus, & efficacibus impedire, ne potestate temporali abutantur contra Supremi Regis cultum, & obsequium. Nec in hoc Reges, sed Apostolos & Pastores agunt. Unde qui hanc Ecclesiæ potestatem impugnant, æquivocatione colorem suæ sententiæ obducunt, quasi potestas Ecclesiæ ad arcendos ab evertenda Religione Principes sibi per baptismum subjectos; etiam per absolutionem subditorum à juramento fidelitatis, deficientibus aliis remediis, idem esset quod posse Regna sibi adscribere, atque instar Principum ipsorum regnare.

4. Addunt secundò, Illustrissimi Antistites dictum esse à Domino *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo* Matth. 22. vers. 21. sed illius oraculi primam partem secunda exponit. Quis enim negat reddenda esse *quæ sunt Cæsaris Cæsari*, dummodò reddantur *quæ sunt Dei Deo*, quorum alterum alteri contrarium non est, licet hominum vitio intervertantur. Verum si Cæsar non solum quæ Dei sunt, Deo non reddat, sed subditos etiam suos à fide solemniter Deo promissa revocet, ac per vim retrahat, nonne poterit qui Dei vice fungitur, nisi aliundè mala graviora timeantur, fidelibus declarare *obediendum Deo magis quàm hominibus* juxta oraculum Principis Apostolorum. Act. 5.

5. At, inquies, hinc tantum sequi, non esse parendum Principi aliquid contra Deum præcipienti, non autem propterea in aliis ab ejus obedientia recedendum, cùm utrique satisfieri possit; si ut Christianos decet, bonorum, aut etiam vitæ jacturam patiantur, ne vel Deum offendant, vel à Principe desciscant. Laudabile quidem id foret. Sed quotusquisque nunc est, qui tanto Christi amore incensus, tanto rerum temporalium, ac vitæ contemptu præditus sit, ut paupertatis, exilii, ac mortis metu à Dei servitio non deterreatur, cùm tot videamus minora mala reformidantes, aut caduca bona sperantes ad Principum, quàm ad Dei mandata promptiores. Nonne igitur, ut innumerorum hominum ruinæ

næ occurreretur, liceret Eccleſiæ, Chriſtiano Principi, pluries monito, contumaci, & incorrecto poteſtatem nocendi adimere, ac populos ab ejus tyrannide ſubducere, ſi hoc ſine majorum malorum periculo fieri poſſet?

6. Profertur 3. caput 13. Epiſtolæ B. Pauli ad Romanos, *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &c.* Sed ſe ipſemet Apoſtolus explicat, addens; *Nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali, Vis autem non timere poteſtatem bonum fac; & habebis laudem ex illa: Dei enim Miniſter eſt tibi in bonum, &c.* Quid ergo ſi Principes ſint timori boni operis non mali? Si timenda ſit poteſtas bonum facienti? ſi Diaboli miniſter ſit in malum?

7. Loca Scripturæ ſacræ præcipua, quæ ſententiæ Illuſtriſſimi Cœtus Pariſienſis adverſantur, in Doctorum autoritatibus, quas ſuo loco referemus, continentur. Interim adverto non defuiſſe ſcriptores, etiam in Gallia, ut infrà videbimus, ſpeciatim cap. 8. §. 5. Quibus ſententia illa ita verbo Dei conſona non viſa ſit, ut eam hæreticam cenſuerint. Unde valde iniquum eſſet eos, qui ejus ſententiæ momentis convicti fuiſſent, ad contrariam metu pœnarum adigere.

CAPUT IV.

Utrum poteſtas Regum immediatè à Deo ſit.

1. PLurimum probo Doctorum illorum inſtitutum, qui Regibus ſubditorum reverentiam, & obedientiam conciliare conantur, adductis non ſolùm politicis, & naturalibus, ſed etiam Divinis rationibus. Ea enim eſt hominis ad libertatem propenſio, ut niſi omni vinculorum genere ſe adſtrictum ſentiat, facilè datâ occaſione jugum excutere tentet. Depravatâ per peccatum naturâ, dum quiſque nimium, ac ferè ſolum ſe diligit, ubique ſibi ſoli conſulit, aliorum parva, vel nulla ratione habita, unde infinitæ naſcuntur injuriæ, innumera pullulant diſſidia, quibus confunditur, ac perit civilis omnis conjunctio, niſi præſtò ſit qui, & pro ſua

sua sapientia leges præscribat, & pro tradita sibi autoritate illarum executionem urgeat; illarum violationem ulciscatur, ac unicuique quod ejus est conservans, pacem foveat, & confirmet; sed illa ipsa depravatio, quæ hominem ad malum inclinat, fræni est impatiens, nec facilè patitur ab alio se cohiberi. Quamobrem Divinâ simul, & humanâ est autoritate obliganda.

2. Itaque certum est teneri Christianos ex Divino etiam præcepto legitimos Principes colere, debitaque illis obedientiæ, Tributorum, aliaque id generis officia persolvere; indubitatum est etiam Divinam voluntatem ad cujuslibet Principis electionem, sive institutionem intercedere, & corda hominum in electionibus, sive institutionibus quodammodo dirigere: gravitérque perduelles, ac inobedientes plectere. Id docent sancti Patres, quorum adducuntur testimonia ad confirmationem autoritatis Regiæ. In eo sensu rectè dicitur potestas Regum in communi, vel etiam cujuslibet Regis à Deo esse.

3. Sed altiùs aliqui Dignitatem Regiam pervehunt, docentes eam æquè à Deo institutam fuisse, ac spiritualem, & singulis Regibus à Deo immediatè conferri. Dissimulanda esset hæc opinio, quantumvis falsa, si eò tantùm spectaret, ut populi libentiùs Principibus subjacerent, debitamque illis fidem religiosiùs servarent; Licet enim error nunquam ex se bonus sit, neque probandus; utilis tamen ex occasione interdum est, atque tolerandus. Sed qui Regiam autoritatem nimis extollunt, hoc tantùm sibi videntur proposuisse, ut Ecclesiasticam Dignitatem tantumdem deprimant, ac Principum Ecclesiastica jura invadentium injustitiam eo prætextu excusent, quod, ut inquit Petrus de Marca lib. 2. cap. 1. §. 1. *Perinde in Reges singulos, ac in Episcopos autoritas à Deo immediate derivatur.* Perfectam inter illos æqualitatem tribus primis §§. hujus capitis adstruere nititur: Primus sic incipit: *E collatione duarum potestatum egregiè conficitur Regiam æquè à Deo institutam fuisse ac Spiritualem, & solidam humanarum rerum administrationem illi demandatam.* Et infrà; *Certum, & constantissimum esse debet apud pios, & devotos Regum cultores unicuique Regum potestatem Regiam immediatè à Divino numine conferri.*

4. Hæc si seorsim considerentur, falsa quidem sunt, sed neminem lædere videntur. At verò si conferas quæcunque Autor in illo opere, aliique Gallicani Scriptores in suis libris, Principibus in Ecclesiam permittunt, ratione protectionis, tuitionis, seu custodiæ Canonum, quam asserunt Regibus à Deo commissam, comperies ex ipsorum mente in multis paulò minorem Pontificali, in aliquibus æqualem, & in nonnullis etiam majorem esse, & quidem à Deo datam laicis viris, circa res Ecclesiasticas potestatem. Itaque prætermitti omninò non potuit quæstio, ex cujus neglectu tandem populo persuaderetur, quæcunque à laicis patitur Ecclesia, non injurias esse, sed jura Divinitùs tradita.

5. Audi Renatum Choppinum de Sacra Politia lib. 1. tit. 7. §. 9. expressis verbis tribuentem Regibus autoritatem in res Ecclesiasticas, ex quodam jure Divino, Numinis afflatu, ac sacrâ quâdam unctione; *Hoc certè litterarum monumentis proditum legimus Regium nomen in terris haud quaquam ortum fuisse, sed Cælitùs à Diis emissum, Regesque ipsos ità institutos, qui Numine afflati, & sacro delibuti oleo, Divinum quid præferrent, penes quos etiam sacrorum potestas foret Autore Eusebio Historiæ Eccles. volum. 1. Exin Gallicus Orator Ægidius Romanus libris editis asseruit Sacrorum Beneficiorum erogationem ad Reges, ac Cæsares pertinere Philippi IV. Regis temporibus.* Quid ampliùs dixisset de Episcopo, qui Spiritum sanctum accipit, dum ex Institutione Christi per impositionem manuum Presbyterii, per sacram unctionem, aliosque mysticos ritus consecratur ad gubernandam Ecclesiam?

6. Ut aliquid à Deo immediatè esse dicatur, alterutrum ex his duobus requiritur, ut scilicet potestas, quæ confertur non possit ab alio dari, quàm à Deo; vel, etiam si ab alio concedi posset, Deus ipse solus de facto velit elargiri. Alium modum non video, nisi quis de verbis contendere, non de rebus quærat disputare. Sacerdotum potestas ad conficiendum in Sacrificio Missæ Corpus Christi, vel ad dimittenda peccata, non potest ad alium quàm ad Deum immediatè referri; quamvis accipiatur per impositionem manûs Episcopi: Quia nemo potest peccata dimittere, vel Corpus Christi conficere, nisi solus Deus tanquam causa principalis, & ejus Ministri tanquam causæ instrumentales, & minus principales. Majùs

jùs autem est illa efficiendi potestatem communicare, quàm illa per se efficere. Potest verò quilibet homo liber, Principis regimini sese subjicere, ad ei parendum sese adstringere, fidem spondere, denique ad omnia illa officia obligare, quæ Principes à subditis exigunt. Undè nihil opus est ad Divinam omnipotentiam recurrere pro rebus illis, quæ ab hominibus præstari possunt, & quæ saltem ex parte quotidiè præstantur.

7. Solùm igitur, si non expectato hominum consensu, atque sine ulla illorum opera, Deus ipsis Regem præponeret, iste à Deo immediatè suam potestatem haberet. Id aliqui Doctores de Saule, & de Davide opinantur, quamvis negantibus aliis; sed nemo ità constitutos in Gallia Reges somniavit.

8. Mutationes, quæ in Principatu Gallicano contigerunt, satis indicant illum non esse immediatè à Deo, sed à populorum consensu. Quæ enim ratio Divina postulabat, ut modò à Clodovei familia, modò à familia Pippini, denique ab Hugonis Capeti posteris regeretur. Ut primò Reges per electionem, alii per successionem Regnum adipiscerentur, ut principio admitterentur etiam illegitimi, deindè tantùm legitimi, iique masculi?

9. Maneat igitur potestatem Regum à Deo esse, illisque ex Divino præcepto parendum: non tamen illorum potestatem æquè ac Ecclesiasticam immediatè à Deo conferri. Utrumque probatur ex iis autoritatibus, quæ à Domino Marca proferuntur, vel citantur, & ex aliis, quas poterat adducere. Cùm enim B. Augustinus lib. 5. de Civit. Dei cap. 21. ait. *Qui Augusto, ipse & Neroni: Qui Vespasianis, vel Patri, vel filio suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo* (Regnum dedit.) Et Tertullianus Apolog. cap. 30. *Indè Imperator unde & homo antequam Imperator; Inde potestas illi, unde & spiritus.* Et S. Irenæus lib. 5. adversus hæreses cap. 24. *cujus jussu homines nascuntur, hujus jussu & Reges constituuntur:* Et S. Epiphanius hæresi 40. *Videsne ut hæc mundi potestas à Deo stabilita sit, gladiúq; jus obtineat? Neque verò id aliunde quam à Deo ad vindicandum accipit.* Hi inquam, Patres nihil aliud intendunt, quam Principatum non à Diabolo, seu à falsis Diis, ut volebant ii, quos contra disputabant, sed à Deo

vero

vero dari. Utrum autem immediatè vel per populi electionem, aut consensum, non definiunt, ut patet Textus integros legentibus. Tertulliani consilium est ostendere falsos Deos pro Imperatoribus non esse orandos, sed verum Deum: S. Augustini, non à falsis Diis, sed à providentia Divina Imperia distribui; S. Irænæus hoc argumentum tractat, *de Diaboli perpetuo mendacio, potestatibus, quibus nos parere oportet, atque Imperiis terrenis quatenus à Deo, non à Diabolo constituantur.* S. Epiphanius Hæreticos Archonticos impugnat, Principem Sabaoth septimo in orbe collocantes, tyrannidem ibi exercentem, blasphemantes Deum, ac dominationem ejus spernentes.

10. S. Isidorus Pelusiotes Epist. 216. *Potestatem*, inquit, *hoc est Imperium, & Regnum à Deo formatum, atque institutum esse profitendum est, ut ne ornatus in statum inornatum degeneret.* Verum (quod etiam de supracitatis, & aliis dici posset) hoc ad Divinam providentiam referendum est, quæ Principatum quidem approbat, & confirmat, vultque Principibus legitimis etiam discolis obtemperari; Non tamen singulis potestatem aliquam supernaturalem, quemadmodum Sacerdotibus Deus infundit, imò aliquos Principes, impios scilicet regnare permittit, quamvis non approbet, ut subjungit idem S. Isidorus; *Quod si quis impius, aut sacrilegus in illud irruperit, haud quaquam scilicet hunc à Deo creatum, ac designatum esse dicimus, verùm permissum esse.* Quod de tyrannico usurpatore tantum non intelligit. Prosequitur enim; *Quo nimirum aut Pharaonis in modum improbitatem omnem suam evomat, atque ita extremo supplicio excrucietur, aut eos, qui crudelitate opus habent, ad meliorem mentem revocet, quemadmodum Rex Babylonis Judæos.*

11. Idem clariùs explicat S. Joannes Chrysost. homil. 23. in Epist. ad Romanos in hæc verba; *Non est potestas nisi à Deo*, quæ sic interpretatur; *Quid dicis? Omnis ergo Princeps à Deo constitutus est? Istud*, inquit, *non dico. Nec enim de quovis Principe nihi sermo nunc est, sed de ipsa re. Quod enim Principatus sunt, quodque hi quidem imperant, illi verò subjecti sunt, quodque non simpliciter, ac temerè cuncta feruntur, nec fluctuum instar populi huc, atque illuc circumaguntur, Divinæ sapientiæ opus esse dico. Propterea non dicit; Non enim Princeps est, nisi à Deo,* SED DE RE IPSA DISSERIT, *dicens, non enim potestas est nisi à Deo.* Quid potest his verbis luculentiùs desiderari?

12. Au-

12. Autoritatem Justiniani (qua toties utitur D. de Marca, cùm deprimenda est Ecclesiastica jurisdictio, & Principum voluntati subjicienda) hic repudiat, quasi B. Pauli, & aliis Divinarum Scripturarum oraculis contrariam, quibuscum si pugnaret, ab omnibus sanè Christianis esset rejicienda. Sed quis sibi persuadeat Justinianum adeo tractandarum rerum Divinarum, & Ecclesiasticarum cupidum, & gloriæ avidum, rem Imperiali Dignitati tantum splendorem conferentem ignorasse? Qui tam sæpè Episcopum agebat, nescisset suam autoritatem æquè ac Sacerdotalem à Deo immediatè profectam? Novit certè Justinianus potestatem Regiam à Deo esse; sed in eo, quem diximus, sensu. Ait ille ff. de orig. jur. l. 2. §. 9. *Quia difficile plebs convenire cœpit, populus certè multò difficiliùs, in tanta turba hominum: necessitas ipsa curam Reipublicæ ad Senatum deduxit.* §. 11. *novissimè sicut ad pauciores juris constituendi via transisse, ipsis rebus dictantibus, videbatur: per partes evenit, ut necesse esset Reipublicæ per unum consuli. Nam Senatus non perinde omnes Provincias gerere poterat. Igitur constituto Principe datum est ei jus, ut quod constituisset, ratum esset.* Item ff. de constit. Princ. l. 1. *Quod Principi placuit legis habet vigorem, utpote cùm lege Regia, quæ de Imperio ejus lata est,* POPVLVS, EI, ET IN EVM OMNE SVVM IMPERIVM, ET POTESTATEM CONTVLERIT. Oritur ergo immediatè à populorum consensu autoritas Regia: sed à Deo tanquam à primo fonte proficiscitur, ab eo consensus hominum confirmatur, ab eo Regum contemptus vindicatur, idque Justinianum non latuit, ut significant ejus verba nov. 6. *Maxima quidem in hominibus sunt dona, à supremâ collata clementiâ, Sacerdotium, & Imperium; & illud quidem Divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens; ex uno eodemque principio utraque procedentia, humanam exornant vitam.*

13. Rejectâ Justiniani autoritate, non miror Aristotelis non haberi rationem; Illud tantum miror, quod addit Dominus de Marca loc. cit. §. 2. quod de Regibus *opiniones in Aristotelis officinâ constatæ magno studio etiam à Christianis arreptæ sunt.* Siquidem, ut ille vult, erant sacris Scripturis contrariæ, quomodo potuerunt magno studio à Christianis arripi? An Christiani minus Spiritus sancti, quàm Aristotelis autoritati tribuunt? Docent communiter Patres nullam gentem sinceriùs Reges

colere, eorumque mandata, Divinæ legi non repugnantia, fideliùs exequi, quàm Christianum populum: Quomodo ergo arriperent opiniones non minus legi Divinæ, quàm Principum potestati infensas? Sed illa Divinæ Scripturæ testimonia non aliud suadent, quàm à Divina providentia constitui Principes; Divinæ ordinationi resistere, qui eis resistit; eumque sibi damnationem acquirere, qui justis eorum mandatis non obtemperet. Hæc Christiani omnes fatentur: *Regiam potestatem æquè à Deo institutam fuisse ac spiritualem; & perinde in Reges singulos, ac in Episcopos autoritatem à Deo immediatè derivari*, nec sacræ Scripturæ docent, nec Christiani rerum Theologicarum periti credunt.

14. Sed, ne in re tàm aperta tempus teramus, id unum ab eis peto, qui docent potestatem Regiam æquè à Deo institutam fuisse ac spiritualem, & unicuique Regum potestatem Regiam immediatè à Divino numine conferri, quodnam sit Sacramentum, quo potestas illa traditur, ubi, à quo, quando, & quomodo institutum?

CAPUT V.

An Patrum traditioni consona sit doctrina Præsulum Gallicanorum, Reges Ecclesiasticæ potestati in temporalibus omnino subducentium, ac primò de Patribus in Conciliis sedentibus?

1. PAtres appellantur, vel Episcopi in Conciliis congregati, vel ii, quos propter eximiam doctrinam Ecclesia tanquam fidelium parentes in Christo agnoscit, sive Episcopali dignitate fuerint insigniti, sive non fuerint. Utrosque audiamus, ac primùm in Conciliis sedentes.

2. In Concilio Romano tertio sub Gregorio VII. anno 1076. sententia depositionis contra Henricum IV. Germaniæ Regem pronunciata fuit, atque ejus subditi à juramento fidelitatis absoluti, rursusque in Concilio Romano septimo anno 1080. depositio, & absolutio confirmatæ sunt. Solent Galli objicere tentatum id fuisse à Gregorio VII. nimis au-

audacter, verum secus suadent tanti Pontificis pietas, ac in revocando ad meliorem frugem Henrico diligentia; ab aliis tamen Conciliis petenda sunt exempla, quorum aliqua irrefragabilis sunt autoritatis.

3. Concilium Lateranense sub Alexandro III. anno 1168. Fridericum primum Imperatorem excommunicavit, ejusque subditos à fidelitatis juramento absolvit. Quæ legitimè præstita fuisse agnovit Fridericus, quandoquidem Pontifici se humiliter subjiciens sententiam revocari exoravit.

4. Concilium generale etiam Lateranense sub eodem Alexandro III. cui plurimi Gallicani Præsules interfuerunt, can. ult. hanc pœnam decernit in Dominos certum quoddam prædonum genus foventes; *Relaxatos autem se noverint à debito fidelitatis, & hominii, ac totius obsequii, donec in tanta iniquitate permanserint* (Domini) *quicumque illis aliquo pacto tenentur annexi:* In ipsos autem prædones; *confiscentur eorum bona, & liberum sit Principibus hujusmodi homines subjicere servituti.*

5. Concilium Lateranense anno 1215. quod, ut notat Illustrissimus Cardinalis de Perron, Jure universalissimum dicitur, quippè cui præter Summum Pontificem, & Patriarchas Constantinopolitanum, & Hierosolymitanum interfuerint Patriarcharum Alexandrini & Antiocheni Legati, septuaginta Archiepiscopi, 412. Episcopi, & plusquàm 800. alii Prælati, nec non omnes Reges, & Monarchæ Christiani per se, vel per Legatos, scilicet Imperator Orientis, Imperator Occidentis, Rex Hierosolymorum, Rex Galliæ, Rex Angliæ, Rex Aragoniæ, &c. cap. 3. sic statuit; *Si verò Dominus temporalis requisitus, vel monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate,* PER METROPOLITANVM, ET CÆTEROS COMPROVINCIALES EPISCOPOS EXCOMMVNICATIONIS VINCVLO INNODETVR, *&, si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc Summo Pontifici;* VT EX TVNC IPSE VASSALLOS AB EIVS FIDELITATE DENVNCIET ABSOLVTOS, ET TERRAM EXPONAT CATHOLICIS OCCVPANDAM, *qui eam exterminatis hæreticis sine ulla contradictione possideant, &c.*

6. In hoc Concilio plenè concessum fuit Comiti Montifortis dominium Tolosæ, aliorumque locorum Comitatûs Tolosani, in pœnam favoris à Comite Tolosano hæresi

Albigenſium præſtiti ; quæ conceſſio paulò ante decreta fuerat à Concilio apud Montempeſſulanum habito , & confirmata à Summo Pontifice uſque ad tempus Concilii generalis proximè congregandi dumtaxat. Rem narrat Petrus Vallis-Sarnenſis Monachus in hiſtoria Albigenſium , & alii. Decretum Concilii refert Lucas Dacherius ſpicileg. tom. 7. in quo maximè notanda ſunt verba iſta ; *Sacro conſulto Concilio ita duximus providendum : ut Raymundus Toloſanus Comes , qui culpabilis repertus eſt in utroque , nec unquam ſub ejus regimine terra poſſit in fidei ſtatu ſervari , ſicut à longo tempore certis indiciis eſt compertum* , AB EIVS DOMINIO , *quod utique grave geſſit* , PERPETVO SIT EXCLVSVS.

7. Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi anno 1245. ſententiam depoſitionis decrevit in Fridericum II. & abſolutionem ſubditorum à juramento fidelitatis : *Memoratum Principem , qui ſe Imperio , & Regnis , omniq; honore ac dignitate reddidit tam indignum , quiq; propter ſuas indignitates , à Deo , ne regnet , vel imperet , eſt abjectus , ſuis ligatum peccatis , & abjectum , omniq; honore , & dignitate privatum à Domino oſtendimus , denunciamus , ac nihilominus* SENTENTIANDO PRIVAMVS : *Omnes , qui ei juramento* FIDELITATIS TENENTVR ADSTRICTI , A IVRAMENTO HVIVSMODI PERPETVO ABSOLVENTES *autoritate Apoſtolicâ firmiter inhibendo , ne quiſquam de cætero ſibi tanquam Imperatori , vel Regi pareat , vel intendat.*

8. Concilium Conſtantienſe , quod à Comitiis Cleri Gallicani in ſecunda propoſitione laudatur , & in Gallia maximi fit ſeſſ. 17. hanc pœnam decrevit in eos , qui Sigiſmundo Regi Romanorum , & Hungariæ in Aragoniam proficiſcenti aliquam inferrent injuriam ; *Quicunque cujuſcunque ſtatûs , aut conditionis exiſtat , etiamſi* REGALIS , *Cardinalatus , Patriarchalis , Archiepiſcopalis , Epiſcopalis , Ducâtus , Principatus , Comitatus , Marchionatus , ſeu alterius cujuſcumque dignitatis , ſeu ſtatûs Eccleſiaſtici , vel ſæcularis exiſtat , qui Sereniſſimum , & Chriſtianiſſimum Principem Dominum Sigiſmundum Romanorum , & Hungariæ , &c. impediverit* , ET OMNI HONORE , ET DIGNITATE , OFFICIO , BENEFICIO ECCLESIASTICO , VEL SÆCVLARI , SIT IPSO FACTO PRIVATVS. Et in ſententia contra Benedictum XIII. quæ habetur ſeſſ. 37. *Omnibus , & ſingulis Chriſti fidelibus inhibet ſub pœna fautoriæ ſchiſmatis , & hæreſis , atque privationis omnium Beneficiorum , dignitatum , & honorum Eccleſiaſticorum , & mundanorum , & aliis pœnis Juris , etiamſi Epiſcopalis ,*

& Patriarchalis, Cardinalatus, REGALIS *sit dignitatis, aut Imperialis, quibus, si contra hanc inhibitionem fecerint, sint autoritate hujus decreti ac sententia ipso facto privati, & alias Juris incurrant pœnas, ne eidem Petro de Luna schismatico, & hæretico incorrigibili, notorio declarato, & depositio tanquam Papæ obediant, pareant, vel intendant, aut eum quovis modo contra promissa sustineant, vel receptent, sibiq; præstent auxilium, consilium, vel favorem.*

9. Hanc sententiam cum pœnis adjectis renovavit, & confirmavit Concilium Senense anno 1423. *Inhibitionem factam omnibus singulis Christi fidelibus sub pœnis fautoriæ hæresis, & schismatis, ac privationis omnium Beneficiorum, dignitatum, & honorum Ecclesiasticorum, ac mundanorum, & alias pœnas Juris infligendo, ut dictâ sententiâ præfati Concilii, cujus totum tenorem hic haberi vult pro expresso, latius continetur, ratam, & gratam habens ejus executionem, continuationem continuare volens, decernit, statuit, & declarat omnes, & singulos post obitum dicti Petri de Luna continuantes, seu perseverantes in credulitate, vel observantia erroris, & schismatis ejusdem Petri sic (ut præmittitur) damnati, vel jus aliquod ab eo in eas directè vel per indirectum derivasse, aut derivari potuisse prætendentes, seu in vice ejus succedentes, eorumque receptatores, defensores, & fautores cujuscumque status, præeminentiæ, vel conditionis existant, etiam Pontificali, Cardinalatus, Imperiali, vel* REGALI, *aut aliâ quacumque Ecclesiasticâ vel sæculari præfulgeat dignitate..... fore obnoxios, & ligatos pœnis, & censuris in dicta sententia contentis.*

10. Constantiense, & Senense secutum est Basileense, quod prætermitterem, quia Illustrissimi Antistites Gallicani ejus autoritate non utentes ad confirmandam secundam propositionem, licet Constantiensis Decreta, quæ citant, semel atque iterum renovasset, videantur fateri eam ad minus esse dubiam; nisi scirem quampluribus Gallis secus videri, ac Basileense Concilium maximo in honore tanquam legitimum, & generale ab eis haberi: Concilium igitur Basileense in salvoconductu dato in Congregatione generali die 18. Julii anno 1432. Legatis Pontificiis, sic loquitur; *Exhortatur omnes, & singulos Christi fideles cujuscumque dignitatis, status, gradus, aut præeminentiæ existant spiritualis, & temporalis, etiamsi* REGALI, *Ducali, Archiepiscopali, Episcopali, vel aliâ quavis præfulgeant dignitate, Universitates, & Communitates, cæterosque, quibus præsentes litteræ exhibitæ fuerint, eique in virtute sanctæ obedientiæ mandat, ut si per eorum dominia, terras, Territoria, Civitates, Oppida, Castra, Status, Villas, Castella, aut alia*

loca vos, & quemlibet vestrum transire contingat sub pœnis, sententiis, & censuris tam in Constantiensi, & Senensi, quam hujus sanctæ Synodi sacris decretis contentis, & fulminatis districtè injungendo, quatenus vos, & vestrum quemlibet cum Comitiva hujusmodi securos, liberos, & tutos cum rebus, & bonis vestris universis, ire, stare, & redire sine molestia, & impedimento permittant, de securitate, & conductu à nobis requisiti, quoties opus fuerit, favorabiliter providendo. Patet igitur Episcopos Galliæ, qui magno in numero aderant in Concilio Basileensi, magnaque ibi autoritate pollebant, aliter quam modernos sensisse de potestate Ecclesiæ in Principes.

11. Concilium Tridentinum sess. 25. de reform. c. 19. privatos declarat dominio Civitatis, Castri, aut loci, ea concedentes ad Monomachiam, &, si feudalia sint, directis Dominis acquisita decernit. IMPERATOR, REGES, DVCES, PRINCIPES, *Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in Terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione, & dominio Civitatis, Castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur; Et si feudalia sint, directis Dominis statim acquirantur.* In ipsos autem decertantes profert omnium bonorum proscriptionem. *Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ut homicidæ juxta sacros Canones puniri debeant, &c.* Vide Duvallium 2. 2. q. 17. Respondebitur fortasse Concilium Tridentinum non esse receptum in Gallia, sed de illa receptione tractabimus alibi. Satis hic est, ut notemus Concilii œcumenici sententiam ad minus Comitiorum Cleri Gallicani declarationi esse anteponendam.

12. Sed quæ opponetur responsio & Concilii Constantiensis in Gallia recepti tanquam generalis, & aliorum Conciliorum ubique receptorum, ut indubitatè œcumenicorum autoritati? Mirum est quomodo doctrinam, tot, tamque augustorum Cætuum sententiæ adversam, Illustrissimi Præsules Parisiis congregati declarare ausi sint *publicæ tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiæ, quàm Imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis consonam omninò retinendam.*

13. Hæc ex Conciliis sufficiant. Audiamus jam Patres, Episcopos, aliosque Doctores seorsim loquentes.

CA-

CAPUT VI.

An doctrina in prædicta propositione Cleri Gallicani contenta, sit consona menti S. Gregorii Magni?

1. SAnctus Gregorius Magnus lib. 11. Epist. 10. concessis privilegiis Xenodochio à Brunichilda Regina, & Theodorico ipsius nepote Rege constructo subjungit; *Si quis verò* REGVM, *Sacerdotum, Judicum, personarumque sæcularium hanc Constitutionis nostræ paginam agnoscens contra eam venire tentaverit*, POTESTATIS, HONORISQVE SVI DIGNITATE CAREAT. Quæ clausula continetur etiam in duabus Epistolis sequentibus.

2. Hujus autoritatis vim cum aliàs eludere non posset Joannes Launoius, tres illas Epistolas suppositas, aut saltem interpolatas ostendere conatus est Epist. par. 7. Epist. 1. & 6. sed cùm ab undecim ferè sæculis nemo in dubium eas revocaverit, nec solùm à Gregorio VII. allegata fuerit prima earum, sed etiam omnes à pluribus Gallicanorum monimentorum collectoribus exscriptæ, ut ab Andrea Ducheſne Histor. Francor. tom. 1. & à Patre Jacobo Sirmondo Concil. Gall. tom. 1. & ab innumeris illius Nationis scriptoribus citatæ, nisi argumenta proferat meridianâ, ut ita dicam, luce clariora, non videtur audiendus. Quæ sint igitur ejus fundamenta videamus, & primò in Epist. 6. ubi ex professo illas impugnat.

3. Primum petit ex eò quod Gregorius in concedendis similibus privilegiis, similem pœnam non adjecerit, ut probat adductis octo Epistolarum fragmentis. Secundò ex eo quod contra simoniam agens à simili etiam pœnâ inferendâ abstinuerit, idque probat quindecim aliarum Epistolarum locis. Tertium ex eo quod subsequentes Pontifices, scilicet Nicolaus I. & Joannes VIII. qui similem clausulam longè post illa tempora primi usurpare cœperunt, Regum mentionem non fecerint; sed Nicolaus Ecclesiasticarum tantum personarum; Joannes Sacerdotum, Judicum, &c. At certè argumenta illa negativa, veritatem prædictæ autoritatis concutere nequeunt; cùm

multis

multis de causis contingere potuerit, ut S. Gregorius hæc privilegia intentatâ speciali pœnâ communienda duceret. Plurimas inveniſſet Launoius ejuſmodi cauſas, ſi prædictæ Epiſtolæ conſilio ſuo faviſſent, & quidem veriſimiliores, quàm rationes, quibus illas impugnat. Illuſtriſſimus Petrus de Marca Principum dignitatis vindex, non minus ſtudioſus, quàm Launoius, Regiæ autoritati ſatis eſſe putavit, *ſi ea privilegia*, de quibus agitur, *ad petitionem Brunichildæ Reginæ, & Theodorici Regis indulta* dicerentur; de Concord. lib. 3. cap. ult. n. 4. Hanc certè petitionem innuunt ipſæmet Epiſtolæ impetitæ, ſed apertiſſimè docent duæ, quæ iſtas antecedunt, in quarum prima, quæ eſt octava libri 11. ad Brunichildam Reginam ſic ſcribit S. Gregorius; *Privilegia locis ipſis pro quiete, & munitione illic degentium, ſicut voluiſtis, indulſimus.* Et infrà. *Nos itaque pro munitione locorum, de quibus Excellentia veſtra ſcripſit, omnia, ſicut voluit, ſancire ſtuduimus.* Et in Epiſt. 9. quæ eſt ad Theodoricum Regem; *Omnia, quæ Excellentia veſtra voluit citiùs, ac libenter implevimus.*

4. Sed cùm duæ iſtæ Epiſtolæ tres alias confirment, cur eas etiam Launoius falſas, & interpolatas non dixit, & ſeptimam etiam ejuſdem libri, cujus argumentum idem eſt, quod unius articuli Epiſtolæ prædictæ ad Brunichildem? Fortaſſe quia clauſulam ſuprà relatam expreſsè non referunt. At illam multùm veriſimilem efficiunt; cum quod illa clarè diſtinctèque exprimit, iſtæ in genere ſignificent. Nec ſine cauſa bis in una Epiſtola dixit S. Gregorius ſe rem feciſſe, ſicut Regina voluerat, qua repetitione indicare videtur, ſe rem conceſſiſſe valdè peculiarem.

5. Sed cùm plurium ſæculorum poſſeſſio Epiſtolis ſuffragetur, quas Launoius falſitatis, aut interpolationis ſuſpectas efficere nititur, non noſtrum eſt illarum veritatem probare, ſed accuſationem repellere. Veniamus igitur ad alia Launoii argumenta. Ridiculum certè illud eſt, quod tamen ipſe pluries admovet in hac Epiſtola 6. & in 1. & meminit etiam in ultima ejuſdem partis ſeptimæ; nimirùm, ſi hæc clauſula vera eſſet, S. Gregorium hæreticum fore, ſiquidem, inquit in hac Epiſtola 6. *Reges, qui non nihil Xenodochio malè ablatum, aſſes puta duos, non reſtituerint, deponit, & Eccleſiaſticâ communione privat:*

vat : Pœna duplex est , eaque omnium gravissima , quæ levi , ut apparet , culpæ irrogatur , alioquin indissimulabili veritate fatendum est , S. Gregorium credidisse pares esse culpas omnes ; cum Regibus , qui Decalogum violassent totum , pœna gravior non imponeretur. Quo pacto hic Pontifex in Joviniani , & Stoicorum hæresim incurrisset. Deus bone ! Quot habuit hæreticos non solùm Romana Ecclesia , sed & Gallia ipsa , si in hæresim incurrerunt quicumque Antistites pœnam omnium maximam , excommunicationem scilicet decreverunt in eos , qui res ad loca sacra pertinentes , aut usurparent , aut retinerent injustè. Quot enim edita sunt à Conciliis , quot à summis Pontificibus , Decreta contra hujusmodi sacrilegium ? Videri possunt apud Canonum Collectores v. g. apud Antonium Augustinum in Juris Pontificii veteris epitome lib. 6. tit. 9. & lib. 15. tit. 30. 31. 32. 33. & 34.

6. Denique ex comparatione Gregorii VII. Henricum ab Imperio deponentis , & excommunicantis , cum Gregorio I. simili pœna plectentis Reges , Sacerdotes , & Judices privilegia supradicta violantes , infert Gregorium I. quem ut mitissimum laudat septimus , immitissimum futurum fuisse , si pro privilegiorum illorum violatione , quæ sine dubio minus crimen fuisset quam ea , de quibus reus dicebatur Henricus , æqualem pœnam irrogasset ; quasi verò flagitia omnia , quibus per leges civiles indicta est pœna mortis , aut per Canones censura excommunicationis , æqualia sint ; ac inter hæreticos Joviniani , & Stoicorum sectatores censendi sint omnes Ecclesiæ Pastores , si pœna excommunicationis afficiant crimina diversæ speciei , seu inæqualis malitiæ. Ergone , cum in eodem peccati genere alius alio graviùs peccet , pro conditione personæ , cognitionis modo , & aliis , quæ concurrunt , ille tantùm qui omnium gravissimè peccabit , erit excommunicandus , ne fortè æqualitas pœnæ Judicem arguat injustitiæ , si pro inæquali culpa æqualem pœnam imponat , aut hæresis Joviniani , & Stoicorum suspectum reddat , si peccata verè inæqualia , esse arbitretur æqualia. Accedit , quod pœna declarata , & executioni demandata ob crimen jam admissum , qualis fuit illata Henrico à Gregorio VII. major censenda est , quàm quæ alicui prohibitioni adjungitur adversus eum , *qui agnoscens contra eam venire tentaverit* , ut loquitur Gregorius I.

7. Præter illa argumenta quædam alia jam protulerat Epist. 1. ejusdem partis 7. quorum unum est *eadem trium Epistolarum contextio, quæ falsitatis nota est*; sed quid mirum, si tria ejusdem omninò generis privilegia, eodem tempore ab iisdem personis petita, eodem tempore concessa, iisdemque omnibus circumstantiis, eâdem formâ exprimantur; variatis tamen iis, quæ ad personas, ad quas dirigebantur, spectabant.

8. Sequitur argumentum negativum, sumptum à silentio Joannis Diaconi vitæ S. Gregorii scriptoris, qui rem *Gregorio, & Sedis Apostolicæ rationibus conducentem quamplurimum* non prætermisisset, si in Epistolis ejus extitisset. Debile ubique argumentum negativum, sed hic maximè; Cùm Joannes ipse in præfatione sui operis declaret se multa, etiam memoratu digna, brevitatis causa prætermisisse; *Quamquam*, inquit, *multa, & varia memoratu digna studio brevitatis omiserim, nihil memini me posuisse, quod scriptorum veterum autoritate defendi nequeat.* An suspectæ habebuntur argumento Launoii S. Gregorii Epistolæ de rebus magni momenti tractantes, quotquot à Joanne Diacono prætermissæ fuerint?

9. Aliud argumentum mutuatur ab Epistola Petri Damiani ad Alexandrum II. quæ est 12. libri primi; Verùm ibi Petrus non conqueritur de usu censurarum, sed de frequenti nimis ac indiscreto; *Cunctis ferè Decretalibus paginis*, inquit, *anathema subjungitur.* Quare optimè notat S. Gregorium hunc morem in suis non observasse Decretis; Tam enim aberat à *cunctis ferè Decretalibus paginis anathemate subjungendo*; ut Launoius privilegia, de quibus est quæstio, ex eo etiam capite impugnet, quod pœna excommunicationis illis adjecta fuerit, quâ in similibus privilegiis, aut contra simoniam uti non solebat S. Gregorius. Quamvis hic petitio Regis, ac Reginæ fundatorum, vim illius consequentiæ, aliàs illegitimæ, elidat.

10. Rationem illam, de qua sibi tantùm applaudere Launoius videtur, nimirùm Pontifices futuros hæreticos, si pro levibus criminibus graves pœnas constituissent, quia cum Joviniano, ac cum Stoicis (quanquam hæresis de Stoicis impropriè dicitur) peccata æqualia esse supposuissent, à Petro Damiani sine dubio mutuatus est; sed ineptè, ac in sensu ab ejus Autoris mente valde alieno adhibuit. Rectè quidem

Petrus

Petrus Damiani de indiscreto, ac frequentissimo usu anathematis conquerebatur his verbis; *Cunctis ferè Decretalibus paginis anathema subjungitur..... quam sit salutis immane periculum, & infinitè patens vorago labentium, ac pernicies animarum, Clementiæ vestræ pietas non ignorat. Dicitur enim quisquis hæc, vel illa non fecerit, sive certè quisquis hoc quod superiùs statutum est, irritum duxerit, vel in aliquo violaverit, anathema sit.* Et aptè deinde addidit; *Non enim secundùm Stoicos omnia peccata sunt paria, atque idcirco indifferenti sunt ultione plectenda.* Non infert cum Launoio, vir aliàs satis austerus, hæreticos esse censendos, qui pœnas æquales pro omnibus peccatis indiscriminatim imponerent, sed monet, cùm omnia peccata paria non sint, pro omnibus anathema, maximam omnium pœnarum, non esse passim infligendum.

11. Accedit quòd Launoius, ut prædictæ rationi aliquem obducat colorem verbis S. Gregorii ridiculam affingit sententiam, quasi, dum vetatur usurpatio, aut injusta detentio bonorum ad pia loca, de quibus est sermo, pertinentium, sensus sit, cùm, qui rem modicam, puta, inquit Launoius Epist. 6. asses duos, Epist. 1. asses quindecim, usurpaverit, aut detinuerit, pœnas gravissimas illic appositas incursurus sit. Pari ratione in ridiculum sensum deflectentur omnes Conciliorum Canones, prohibentes sub pœna excommunicationis sacrilegam bonorum Ecclesiasticorum usurpationem. Quot enim reperies, qui taxaverint pretium rerum subtractarum ad incurrendam excommunicationem necessarium? Ex gravitate pœnæ Doctores inferunt, non sufficere, ad eam contrahendam, materiam adeò levem, non autem arguunt cum Launoio pœnam injustam esse, vel Legislatores hæreticos.

12. Aliud argumentum trahit ex inscriptione Epistolarum 10. & 12. quia in illa Senator, in ista Lupo Presbyteri & Abbates nuncupantur, cùm tamen S. Gregorius lib. 3. epist. 11. Presbyteros Monasteriis præfici vetet, fatetur quidem tacitè Launoius S. Augustinum, & quosdam alios Patres aliud observari voluisse, atque aliud etiam in Ecclesia post S. Gregorium observatum fuisse; sed cùm de S. Gregorio agatur ejus solius praxim vult hic esse attendendam. At nonne præstaret, S. Gregorium cum S. Augustino, & aliis Patribus, ac cum Ecclesiæ usu mox subsecuto concordare?

Res non erit admodum difficilis; satis enim est, ut ad S. Gregorii verba mediocris adhibeatur attentio. Non enim præcipit ut qui Presbyter est ordinatus, sive antequam Religionem ingrederetur, sive in Religione ipsa, Ordinum exercitio spolietur, statim ut Abbas fiet; sed prohibet, ne qui alicujus Ecclesiæ servitio addictus est, Monachis præficiatur, nisi dimissâ Ecclesiâ suâ transeat ad Religionem; quod nimirùm utrique officio satis esse non possit. Hæc sunt ejus verba istuc pertinentia (nam quæ his præmittit Launoius, accum istis etiam punctuatione conjungit, ex qua conjunctione sensus obscuratur, non ita tamen ut adhuc satis clarè non perspiciatur, ad aliud pertinent) *Presbyteros, Diaconos, cæterosq; cujuslibet Ordinis Clericos, qui in Ecclesiis quoquo modo militant, Abbates per Monasteria esse non permittas; sed aut admissâ Clericatûs militiâ Monasticis non provehantur Ordinibus, aut si in Abbatis loco permanere decreverunt, Clericatûs nullatenus permittantur habere militiam; satis enim incongruum est, si cùm unum ex his pro sui magnitudine diligenter, qui non possit explere, ad utrumque judicetur idoneus; sicq; invicem & Ecclesiasticus ordo vitæ Monasticæ, & Ecclesiasticis utilitatibus regula Monachatûs impediatur.* Verba illa, *qui in Ecclesiis quoquo modo militant..... admissâ Clericatûs militiâ..... Clericatûs nullatenus permittantur habere militiam*, mentem S. Gregorii significant, nempè nolle illum, ut qui alicujus Ecclesiæ servitio tanquam Clerici mancipati sunt, Monasterio præsint. Sed hunc S. Doctoris sensum manifestè pandit ratio, quam affert; *Cùm unum ex his pro sui magnitudine diligenter non possit explere, &c.* Quæ ratio nihil valet ad probandum, eum, qui ante Pontificatum S. Gregorii, vel qui tempore ipso ejus Pontificatûs ante ingressum in Religionem, vel etiam post ipsum ingressum, in loco satis ab urbe Roma remoto, Presbyteratûs ordine fuisset initiatus, non fuisse vocandum Presbyterum à S. Gregorio, sed habendum ut Laicum.

13. Prætereà argumentum Launoio ministravit diversitas Codicum; sed hujus varietatis in promptu est ratio, nimirùm quod tanta sit trium Epistolarum similitudo, ut omnes exscribere satis visum fuerit aliquibus amanuensibus; sicut in omnibus ferè Codicibus impressis prima tantùm integra est, reliquarum ponitur solum initium, cum, &c. ut observavit ipse Launoius, qui etiam propter illam magnam simili-

militudinem, illas de falso suspectas efficere conatus est, licet frustrà, ut suprà ostendimus. Adde quod in omnibus Codicibus etiam manuscriptis habetur prima, quæ est ad Senatorem, quæ sola citata est à Gregorio VII. à Cardinali Perronio, & aliis. Deindè cùm, ut suprà notavimus, illa privilegia tribus locis piis, ab iisdem Principibus fundatis, in eadem Civitate, aut ejus suburbio, eodemque tempore indulta fuerint, facilè amanuenses effugere poterit illorum distinctio. Denique ut Launoius tot Codices manuscriptos, & antiquos, totque impressos, falsi posset arguere aliquem deberet proferre illis antiquiorem, & ante tempus, quo admissam falsitatem supponit, exaratum. Quam etiam varietatem unius, & ejusdem Epistolæ, in diversis Codicibus animadvertit, præterquam quod ad clausulam, de qua agimus, non pertinet, nihil mirum est, si ob tantam similitudinem, aliquando Xenodochii, & Monasterii, aliquando Ecclesiæ tantùm fiat mentio. Cæterùm quando variatio substantiam instrumenti non attingit, veritatis potiùs, quàm falsitatis inditium est in monimentis antiquis. Signum enim est multoties illa fuisse exscripta, atque à magna amanuensium multitudine ortam esse illam diversitatem. Quàm enim variæ sunt Lectiones operum, quæ nullâ falsitatis laborant suspicione? Valeret argumentum Launoii, si in his tantùm S. Gregorii epistolis referendis non consentirent omninò Codices, ac in aliis ejus, aut aliorum operibus indubitatis non reperiretur similis, vel major diversitas: Idem etiam dicendum de mendis ab amanuensium negligentia vel inscitia profectis.

14. *Ex eo quod Andreas Monachus Gregorii viventis scripta quædam falsavit, & nonnullos illi sermones supposuit*, rectè concludit Launoius, *sic & alius Monachus, aut Clericus tres istas Epistolas, seu tria hæc Augustodunensia privilegia Gregorio viventi, vel vita functo potuit supponere, vel falsare, & Epistolarum Codici ante Joannis Diaconi tempus inserre*; sed ex eo quod fieri potuerit, si concludatur revera factum fuisse, vitiosissima erit consequentia. Nec enim faciunt homines malum omne quod possunt; si legitima esset illa consequentia, non solùm aliæ S. Gregorii Epistolæ, sed omnia omninò scripta, præsertim antiqua, vel falsa, vel dubia essent habenda. Ita-

que licet tres aliæ Epistolæ, quas citat Launoius, suppositæ fuissent, ut contendit ob diversitatem illarum hinc in editione Romana, illinc apud Ivonem, Grátianum, & Petrum Cluniacensem; non rectè inferretur illa conclusio, quam his verbis exprimit Launoius: *Non dubito quin Monachi fuerint Andreæ Monacho similes, qui Sammedardense, & Augustodunensia privilegia, vel supposuerint, vel falsaverint.*

15. Ultimum argumentum, quod ut cumulum adjungit, est exemplum repulsæ, quam Constantina Imperatrix à Gregorio tulit, postulans B. Pauli Caput, aut membrum aliud, quod in ejusdem Apostoli Basilica Constantinopoli apud Palatium ædificata collocaret. Excusavit enim se Pontifex lib. 3. epist. 20. quod Imperatrix illa præciperet, quæ ipse facere nec posset, nec auderet. Undè Launoius infert S. Gregorium, qui Constantinæ, cui debebat & jure Reipublicæ, & privato parere, negaverat Reliquias, quia Ecclesiæ Romanæ mos obtinuerat, ne suis ex locis extraherentur, multò magis privilegia Synodo Chalcedonensi, quàm ut Librum Evangelii venerabatur, contraria non concessurum. Ac re ipsa lib. 11. epist. 8. ad Brunichildam scribit de quodam bigamo, se vetuisse, ne ad Sacrum Ordinem accederet, ac subjungit; *Absit enim ne vestris temporibus in quibus tam multa pia, ac religiosa agitis, aliquid contra Ecclesiasticum institutum fieri permittatis.* Non igitur permissurus, nedum decreturus erat, ut ea fierent, quæ in ejusdem libri epistolis Augustodunensia privilegia continentibus statuuntur. Omnes illæ conjecturæ Launoii testimonio ipsiusmet Epistolæ S. Gregorii ad Brunichildem Reginam, quam citat, scilicet 8. libri undecimam confutantur. Sic enim legitur paulò ante finem; *Nos itaque pro munitione locorum, de quibus Excellentia vestra scripsit, omnia sicut voluit, sancire studuimus. Sed ne fortasse ab eorum locorum Præpositis eadem decreta nostra quoquo tempore supprimantur, pro eo, quod eis quædam interdicta esse noscuntur, hæc eadem constitutio gestis est publicis inserenda; quatenus sicut in nostris ita quoque* IN REGALIBVS SCRINIIS TENEATVR. Illi enim locorum Præpositi, quibus per illa privilegia quædam erant interdicta, erant sine dubio Prælati Ecclesiastici; Nam Præpositis sæcularibus secundùm principia Launoii, non Papa, sed Regina, vel Rex interdicere debuisset; & inutilis

lis fuisset factarum prohibitionum in Scriniis Apostolicis asservatio. Non videntur etiam intelligendi locorum illorum Abbates, seu Præfecti; quia vel illud interdictum juribus Episcoporum favebat; & tunc nihil opus erat, ut in Scriniis Apostolicis simul, & Regiis asservaretur; satis enim conservandis suis juribus consulturi erant Episcopi; vel Episcopalibus juribus adversabatur; & sic S. Gregorius non ità Jurium Episcopalium religiosus erat Custos, ut, dum occurrebant causæ rationabiles, dispensationem non concederet. Si denique Episcopis nec suffragabatur, nec adversabatur, non erat tanti momenti, nec tantam requirebat cautionem, ut Episcoporum, quibus Monachi plenissimè fuissent subjecti, curæ relinqui non posset: Erant ergo illi Prælati locorum Episcopi, quibus erant quædam interdicta. Notanda est hæc vox *quædam*; quia per hæc privilegia non fit omnimoda subtractio Monachorum à jurisdictione Episcopali, ut observavit Dominus de Marca lib. 3. cap. ult. n. 4. Itaque non recessit Gregorius à mente Concilii Chalcedonensis, ea privilegia indulgens, quæ ad fovendam regularem disciplinam & quietem in prædictis locis piis conducebant; nec Canonicæ disciplinæ, cujus sanctus ille Pontifex erat studiosus, adeò adversabantur, ut falsa esse concludamus.

CAPUT VII.

Prædictam propositionem Cleri Gallicani non esse consonam doctrinæ S. Bernardi aliorumq; Sanctorum Doctorum.

1. SAnctus Bernardus de consid. lib. 4. cap. 3. sic Eugenium III. alloquitur; *Quid tu denuò usurpare gladium tentes quem semel jussus es ponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic; Converte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo, & ipse tuo forsitan nutu, & si non tua manu evaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret, & is, dicentibus Apostolis; Ecce gladii duo hic, non respondisset Dominus, satis est, sed nimis est. Uterque ergo Ecclesiæ,* ET SPIRITVALIS SCILICET GLADIVS, ET MATE-

TERIALIS, *sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exercendus est. Ille Sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis, & jussum Imperatoris.* Ex quibus S. Bernardi verbis, quæcunque adhibeatur interpretatio, necessariò resultat Ecclesiasticam potestatem, saltem indirectè, ad temporalia Principum ex mente S. Bernardi pertingere. Docet enim apertissimè summum Pontificem habere jus imperandi ut bellum geratur adversus Ecclesiæ hostes. Si ergo Princeps Christianus non solùm à fide ipse descisceret, sed etiam subditos averteret, nec alia posset ratione comprimi, posset Ecclesia contra eum alios ad bellum inducere, ac ita eum à dominio deturbandum curare. Hanc tantùm Ecclesiasticæ partis potestatem adstruere visum est S. Bernardo pro temporis sui conditione, nimirùm ob expeditiones Christianorum Occidentalium in Terram Sanctam contra Infideles. Fulconis Archiepiscopi Remensis, & Ivonis Episcopi Carnotensis sententiam referemus cap. 11.

2. Doctrinam illam magis explicat S. Thomas Universitatis Parisiensis Alumnus 2. 2. quæst. 12. art. 2. in corp. *Infidelitatem illorum, qui fidem susceperunt potest (Ecclesia) sententialiter punire, & convenienter in hoc puniuntur, quod subditis fidelibus dominari non possint. Hoc enim vergere posset in magnam fidei corruptionem, &c.*

3. S. Bonaventura ejusdem Universitatis Parisiensis Alumnus tom. 7. par. 2. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 1. *Patet*, inquit, *quod dignitas Clericalis, quæ in sua radice considerata, est penitus spiritualis, meritò est consona Ordini dominationis, quæ sic præcedit alios inferiores Ordines, quod illos illuminat, perficit, & purgat, & tamen ab illis non illuminatur, nec perficitur, nec purgatur. Quia sicut spiritus dignitate, & officio præcellit corpus, sic potestas spiritualis dignior est, quàm sæcularis, & ideò bene sortitur nomen dominationis.* Unde REGALIS POTESTAS SVBIACET POTESTATI, ET AVTORITATI SPIRITVALI, *sicut in prima Canonica Petri* dicitur: *Vos estis gens sancta, Regale Sacerdotium, &c. nam* TEMPORALE REGNVM VELVT QVODDAM ADIECTVM SVBIACET SACERDOTIO IN NOVO TESTAMENTO; *sed in veteri Testamento Sacerdotium suffuit Regno, unde dicitur in Exod. Elegi vos in populum peculiarem, in Sacerdotale Regnum, ubi Regnum ponitur substantivè, sed Sacerdotium adjectivè.* Hæc fortè de sola dignitate, & excellentia potestatis spiritualis supra sæcularem intelligi possent

possent, sed continuò addit; *Et ideò Reges tunc poterant amovere Sacerdotes, sicut Salomon amovit Abiathar. Jam verò* POSSVNT SACERDOTES, ET PONTIFICES EX CAVSA AMOVERE REGES, ET IMPERATORES, SICVT SÆPIVS ACCIDIT, ET VISVM EST, *quando scilicet eorum malitia hoc exigit, & Reipublicæ necessitas sic requirit. Summus verò Pontifex, penes quem prima in terris residet autoritas, non à Rege, non à Principe sæculari, non ab homine judicatur, sed solius Dei judicio reservatur.*

4. Augustinus Triumphus sanctorum Thomæ, & Bonaventuræ Parisiis discipulus, vir doctrina, & pietate insignis, & à plerisque cum Beati titulo nuncupatus, Magistrorum suorum doctrinæ suffragatur, quod adeò est evidens, ut excessisse aliquibus videatur.

5. Difficillimum est, ne dicam impossibile, ut autoritates paris cum jam adductis momenti, proferantur ad confirmandam Cleri Gallicani primam propositionem. Nec video quomodo etiam universim accepta probabilis possit evadere doctrina, Conciliorum œcumenicorum sententiâ, & praxi, & sanctorum Patrum, ac Doctorum calculo improbata; Multominus quomodo possit, prætextu libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, quæ Canonibus & Patrum traditione niti dicuntur, toti Galliæ credenda proponi, advocatâ Principis potestate, ut etiam eam profiteri ac docere pœnis indictis Theologi cogantur.

CAPUT VIII.

Ecclesiæ in temporalia potestas probatur autoritate aliorum Theologorum Gallorum, vel in Gallia educatorum.

1. ALexander Alensis Doctoris irrefragabilis epitheto celebris, in schola Parisiensi Professor, S. Thomæ, ac S. Bonaventuræ Præceptor, summæ Theologiæ par. 4. quæst. 10. tract. de offic. Miss. par. 2. super hæc verba; *Et Regem nostrum*; Ugonem de S. Victore lib. 2. Sacrament. par. 2. cap. 4. ferè ad verbum exscribens, *Spiritualis*, inquit, *potestas terrenam potestatem instituere habet, ut sit, & judicare habet, si bona non fuerit.*

Spiritualis autem potestas primùm instituta est, & cùm deviat, à solo Deo judicari debet. Unde spiritualis judicat omnia, & ipsa à nemine judicatur. Quod Regalis potestas ordinata est, & instituta per spiritualem, patet per hoc, quia adhuc in Ecclesia Sacerdotalis Dignitas Regalem potestatem sacrat, & sanctificans per benedictionem, & formans per institutionem. UNDE REGALIS POTESTAS IVRE INFERIOR EXISTIMATVR.

2. Umbertus ex Diœcesi Viennensi, Parisiis educatus serm. 70. cujus titulus est; *Sermo in solemni depositione Magnatum sæcularium per Ecclesiam facienda; Ista autem autoritate magna utitur Ecclesia in depositione Principum, non solùm illorum, qui sunt ei subjecti in temporalibus de quibus clarum est, quod potest, sed illorum,* QVI SVBSVNT EI SOLVM IN SPIRITVALIBVS, *in quibus propter culpas eorum habet potestatem, quia ratione delicti sunt ei omnia subjecta. Quod autem sic possit facere patet ex tribus. In mundo enim majori spiritualia scilicet Angelicæ creaturæ sunt super corporalem & eam regunt. Similiter in minori mundo, scilicet in homine est spiritus super corpus & ipsum regit. Eâdem ergo ratione & in Ecclesia Pontificalis potestas quæ est spiritualis debet esse super omnem potestatem sæcularem. Præterea Papa, qui est super omnes potest deponi ab Ecclesia, quæ tota subest ei in casu, ergo multò fortius* QVICVNQVE REX DEPONI POTEST A PAPA CVI OMNES SVBSVNT. *Præterea si Rex aliquis qui nihil tenet nisi à Deo non posset deponi à Papa,* CVM INTERDVM EXPEDIAT EVM DEPONI, *ut ostensum est, ergo non reliquisset Deus sufficientem potestatem in Ecclesia ad regimen mundi, quod est inconveniens.*

3. Henricus à Gandavo, qui diu Parisiis docuit, ibique scripsit. Quod lib. 6. quæst. 23. pag. 244. *Reddet*, inquit, (Papa) *rationem tanquam superior Judex de rebus etiam temporalibus hominum, si dimittat eas* A REGIBVS *malè, & injuriosè tractari; non quia jurisdictionem habeat ordinariam in temporalibus Regibus commissis, sed quia in certis casibus jurisdictionis suæ habeat liberam, imò necessariam executionem, juxta illud quod legitur Extravag. qui filii sint legitimi per venerabilem. Ubi dicitur non solum in Ecclesiæ patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem, verùm etiam in aliis Regionibus, certis casibus inspectis temporalem jurisdictionem casualiter exercemus ..... non potest deponere Papa Principes, nisi ratione delicti, aut insufficientiæ. Quod bene exprimitur in illo cap. Alius. Ubi dicitur, Romanus Pontifex Zacharias Regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quàm pro eo* QVOD TANTÆ POTESTATI INVTILIS ERAT, A REGNO DEPOSVIT, *& secundùm hoc Sacerdos Apostolicus se habet ad Reges, & Principes, sicut Architector civilis ad*

alios artifices in Civitate. Sicut enim Architectonici est, præcipere, qui, & quales debent exercere scientiam medicinalem, Rhetoricam, & sic de aliis in Civitate, & quosdam admittere, quosdam repellere: sic Sacerdos Apostolicus debet considerare qui, & quales Regna, & Principatus regere debeant, & bonos honorare, MALOS AVTEM, ET MALE REGENTES DEPONERE, ET ALIOS LOCO ILLORVM SVBSTITVERE..... *Ad argumentum in hoc positum; quod dignitates distinctæ sunt: dicendum, quod verum est propter Divinam dispositionem, sed non ex natura rei, sicut dictum est, & hoc non penitùs distinctè, quin superior jurisdictio remaneat penes Papam.*

4. Eandem doctrinam statuit Petrus Paludanus in 3. sentent. distinct. 40. quæst. 2. concl. 4. eamque tum aliis, tum istis præcipuè rationibus confirmat; *Major potestas includit minorem in ordinatis secundùm ordinem finis. Sicut enim in artibus ars quæ est de fine, imperat illi, quæ est de eo, quod est ad finem 1. Ethic. sic debet esse in Principatibus. Unde cùm corporalia ordinentur ad spiritualia,* VNIVERSALIS PRINCEPS IN TEMPORALIBVS DEBET SVBESSE VNIVERSALI IN SPIRITVALIBVS. *Præterea talis ordo est inter Prælatos, sicut inter subditos. Sed spiritualia, quibus præest Papa, præsunt corporalibus, quibus præest Imperator: ut anima spiritui:* ERGO PAPA IMPERATORI PRÆEST. *Præterea in domo Patris familias non debet esse nisi unum Caput, si domus est una. Si diceretur quod Caput Ecclesiæ non est Papa, sed Christus. Sed tamen videtur, quod universalitas Hierarchiæ Ecclesiasticæ melius regatur, si sit unus Princeps tantùm respectu omnium, quàm si sint duo æquales. Unde divisio inter Papam, & Imperatorem multùm turbavit Ecclesiam. Unde videtur voluntas Christi, qui est Rector sapientissimus, quod non æqualiter hi duo principentur, sed unus sub alio, quod absurdum esset dicere de Papa, quod scilicet subesset Imperatori.* Videri etiam potest in tract. *de causa immediata potestatis:* art. 4. ubi eandem statuit sententiam.

5. Herveus Natalis citatur ab Illustrissimo Cardinali Perronio ferè quasi nimiùm potestatem Pontificiam extollens; sed eam non minus efferunt plures alii Doctores Gallicani. Franciscus Mayronus in Schola Parisiensi Professor insignis ob inductum morem, ut qui Doctoris Lauream in Sorbona esset adepturus à sexta matutina, usque ad sextam vespertinam continuò argumentantibus responderet, cui tempori additæ sunt adhuc duæ horæ, in 4. lib. sent. dist. 19. quæst. 4. inter alia multa de summi Pontificis autoritate, hanc quartam

conclusionem ponit; *Plenitudo potestatis secundùm utramque jurisdictionem concurrit in eandem personam. Hoc patet autoritate Christi dicentis; Quodcunque ligaveris, &c. Dices fortè quod verum est in spiritualibus sed tunc arguo sic. Quia in subordinatis quidquid potest inferior, potest & superior; sed Papa est superior ad Imperatorem: ergo, &c.*

6. Petrus Bertrandi, aut, ut alii volunt, Durandus Episcopus Meldensis in tract. de orig. jurisdict. seu de Jurisdict. Ecclesiast. quæst. 3. hæreseos damnat eos, qui negant cognitionem de rebus temporalibus ratione peccati ad Ecclesiam spectare. *Et sic*, inquit, *potest intelligi illud, quod habetur in Decretis dist. 21. c. 1. ubi dicitur, quod Christus commisit B. Petro jura Cælestis Imperii, & Terreni. Et qui hoc privilegium Romanæ Ecclesiæ detrahit, in haresim labitur, & hæreticus est dicendus.* Deinde pluribus explicat, & probat regimen temporale spiritualis directioni, & correctioni subesse.

7. Ipsimet Theologi, qui causam Principum adversus summos Pontifices propugnarunt, non absolutè, ac in omni casu potestatem Ecclesiasticam à temporalibus Regum excluserunt, ut animadvertere licet in illis ipsis opusculis quæ nuper in lucem revocata sunt sub titulo. *Vindiciæ doctrinæ majorum, &c.* de quibus in libro nono. Nam Autor quæstionis disputatæ, quæ illic Ægigio Romano, Archiepiscopo Biturienſi tribuitur art. 4. sic scribit; *causæ mixtæ, sunt causæ temporales, quæ connexionem quandam habent cum spiritualibus: sicut causa feudalis, quæ de se temporalis est, connexionem potest habere cum juramento, vel pacto; sicut patet de dissensione mota inter Reges Franciæ, & Angliæ super Comitatu Pictavienſi: Papa quia non poterat directè cognoscere de causa feudali, indirectè ratione juramenti vel pacti intromisit se de illa, Extravagant. de judiciis. cap. Novit. ubi dicit Hostiensis in Glossa super verbo de feudo; non intendimus cognoscere de feudo, sed tantùm ratione pacti, inducendo illum ad pœnitentiam, quia illam non potest agere, nisi satisfaciat. Item causa dotis per se temporalis est, & ad sæcularem Judicem pertinet, si de ipsa tantùm agatur: tamen quando Judex Ecclesiasticus cognoscit principaliter de matrimonio, si incidat causa dotis tanquam accessoria cognoscet de illa, sicut de principali, cui est annexa, ut patet Extravag. de Donatio. inter virum, & uxorem, cap de prudentia. Ubi dicit Glossa. Quia si non est matrimonium, nequit dos, & ita dos accedet matrimonio: Ideò qui cognoscit de principali debet cognoscere de accessorio, ut habetur Extravag. de officio delegati cap. Prætetà,*

&

& cap. prudentiam. Sic etiam de hæreditate cognoscit Judex Ecclesiasticus ratione incidentis. Extravag. qui filii sunt legitimi, cap. Per tuas, & cap. Ex tenore. Alii sunt plures casus speciales, in quibus Judex Ecclesiasticus cognoscit de temporalibus, quos enumerat Hostiensis. In Glossa Extravag. de Judiciis cap. Novit. Sic ergo regulariter verum est, quod de causis merè spiritualibus solus Papa, & alii Judices Ecclesiastici habent cognoscere: de causis verò merè temporalibus habent cognoscere Reges, Imperatores, & alii Judices sæculares. Et sic Rex Franciæ secundùm jura non subest Summo Pontifici, nec ei tenetur respondere de feudo sui; POTEST TAMEN EI SVBIACERE INCIDENTER, ET CASVALITER RATIONE CONNEXIONIS ALICVIVS CAVSÆ SPIRITVALIS, *sicut habetur Extravag. de Judiciis cap. Novit. & Extravag. Qui filii sunt legitimi. cap. Per venerabilem.*

8. Joannes de Parisiis, quem Cæsar Egassius Bulæus in hist. univer. Paris. tom. 4. ad annum 1303. pag. 61. dicit scripsisse pro Philippo IV. Rege Francorum adversùs Bonifacium VIII. Papam, quantumvis Principibus faveat in Tractatu de potestate Regia, & Papali, non potuit tamen aliquam in eos potestatem Pontificis non reservare his verbis cap. 14. *Si esset hæreticus & incorrigibilis & contemptor Ecclesiæ censuræ,* POSSET PAPA ALIQVID FACERE IN POPVLO, VNDE PRIVARETVR ILLE SÆCVLARI HONORE, ET DEPONERETVR A POPVLO. *Et hoc faceret Papa in Crimine Ecclesiastico, cujus cognitio ad ipsum pertinet, excommunicando scilicet omnes, qui ei, ut Domino obedirent; & sic Populus ipsum deponeret, & Papa per accidens.* Auctoris Tractatus de utraque potestate sæculari & Ecclesiastica, qui *Somnium Viridarii* inscribitur, verba capite sequenti referemus.

9. Joannes Gersonius Doctor & Cancellarius Parisiensis tract. de potest. Eccl. considerat. 12. *Potestas Ecclesiastica Papalis,* inquit, *non ita habet dominia, & jura terreni simul, & Cælestis Imperii, quod possit ad libitum suum de bonis Clericorum, & multò minus Laicorum disponere, quamvis concedi debeat, quod habet in eis dominium quoddam regitivum, directivum, regulativum, & ordinativum.* Et infrà: *Postremò suis terminis ita potestas Ecclesiastica se coerceat, ut meminerit potestatem sæcularem etiam apud Infideles sua habere propria jura, suas dignitates, suas leges, sua judicia, de quibus occupare se Ecclesiastica potestas non præsumat, vel usurpet,* NISI DVM REDVNDAT ABVSVS POTESTATIS SÆCVLARIS IN IMPVGNATIONEM FIDEI ET BLASPHEMIAM CREATORIS, ET IN MANIFESTAM ECCLESIASTICÆ POTESTA-

TIS INIVRIAM, *tunc enim attendere convenit ultimam hujus considerationis* 12. *particulam, quod in his Ecclesiastica potestas habet dominium quoddam regitivum, directivum, ordinativum, & regulativum.*

10. Jacobus Almain Doctor Parisiensis Ludovici XII. Regis Franciæ, juxta Richerium defensor tract. *de potestate Ecclesiastica, & Laica* cap. 9. *Non dedit* (Deus) *potestatem* (Petro) *Laicos suis proprietatibus, & dominiis privandi,* NISI IN CASV, *si contingeret Principem secularem abuti re suâ in perniciem Christianitatis, vel fidei; ita quod ille abusus esset in maximo nocumento pro consecutione felicitatis æternæ.* Non negat quin in tali casu Papa possit eum deponere, etsi alii Doctores hoc negent, qui tamen docent, Papam habere potestatem declarandi ipsum Principem esse deponendum. Et q. 2. cap 5. ad caput octavum Guilielmi Occam; *Verumtamen, dicit Doctor, quod Papa potest Imperatorem deponere, in duobus casibus: Primus pro crimine purè spirituali, ut est hæresis: Secundus quando illi ad quos spectat jure ordinario sunt negligentes ipsum deponere. Undè dicit Doctor* 3. *parte Dial.* 2. *lib. quod universaliter si negligat Judex secularis exercere jurisdictionem laicam pro loco & tempore devolvitur potestas exercendi ad Judicem Ecclesiasticum, &c. resolutio Doctoris in hoc argumento est cum apparentia, quod nunquam potest Papa Principem secularem (seclusis suis vassallis) deponere nisi in duobus casibus prædictis.*

11. Joannes Major Doctor Parisiensis alter prædicti Regis ex Richerio defensor in 4. sent. dist. 24. ad quartum argumentum contra tertiam conclusionem; *Si dicatur quod habet* (Papa) *Dominium in temporalibus casualiter, & quod multum potest agere ad depositionem Regum suadendo, consultando, imò alios provocando in eos gladio manuali, quando Reges sunt labefactores fidei, & Reipublicæ Christianæ totaliter inutiles: hoc mitiùs ferendum est,* & NON ESSET REMOTA OPINIO A DICTIS NOSTRIS.

CA-

CAPUT IX.

Eandem esse de illa Ecclesiæ potestate juris, tum Canonici, tum Civilis peritorum sententiam.

1. JUris præsertim Canonici Interpretes, aut tractatores Ecclesiasticam potestatem in temporalia Principum magis adhuc, quàm Theologi, explicuerunt. Ex quorum infinito propemodum numero paucos tantùm Gallos profero.

2. Guilielmus Durandus Episcopus Mimatensis in specul. Jur. particula prima, tit. de Legato §. Nunc ostendendum, qui est 6. n. 17. de autoritate Papæ ità scribit; DEPONIT IMPERATOREM PROPTER IPSIVS INIQVITATES, *ut Extravag. de re judicata ad Apostolicæ lib. 6. & etiam Reges, ut 15. quæst. 6. Alius. Et dat eis Curatores ubi ipsi sunt inutiles ad regendum. Vt extra de suppl. neglig. Prælat. grandi lib. 6. n. 32. Item ipse renovat leges Imperiales, ut in Constitutione Gregorii X. Properandum.*

3. Joannes Monachus è Gallia oriundus in cap. Grandi de supplen. negl. Prælat. n. 4. sic scripsit; *Sed quid ad Papam de Regibus, & eorum Regnis? videtur immittere falcem suam in messem alienam, quod esse non debet, supra de electio. venerabilem, in princip. sed dic quod Papa in quemlibet habet jurisdictionem,* NEC EST DVBIVM RATIONE PECCATI *infra de judiciis. Novit. & in spectantibus ad pacis reformationem 90. dist. per tot, &c.* Vide etiam n. 5. In cap. autem ad Apostolicæ de sent. & re judic. n. 9. notat, *quod* PAPA DEPONIT IMPERATOREM PROPTER CRIMEN: *ut hic: Etiam* PROPTER INVTILITATEM REGES DEPONIT *15. q. 6. Alius: Etiam ipsis Regibus malè administrantibus Coadjutores & Coadministratores dat. supra hoc lib. de supplen. negl. Prælat. Grandi. Ecclesia etiam Principes compellit exhibere justitiam 23. q. 5. administratores. Etiam jurisdictione utitur ex eorum negligentia sup. de foro compet. Ex tenore. Oportet enim ponere unum Principatum, ad quem omnes recurrant 6. q. 1. In apibus.*

4. Etiam à tempore dissidii inter Bonifacium VIII. & Philippum IV. Regem Franciæ, in quo maximè controversa fuit jurisdictio Ecclesiastica in temporalia Regum, non solùm Doctores Ecclesiasticos, sed ipsos etiam Officiales Regios hanc po-

potestatem confessos fuisse patet ex Tractatu *de utraque potestate sæculari & Ecclesiastica*, qui *somnium Viridarii* est inscriptus, quemque alii Cancellario, alii Consiliario Caroli V. Regis Franciæ tribuunt, & certè in favorem potestatis laicæ scriptum fuisse constat. In eo tractatu defensor autoritatis sæcularis sub nomine Militis sic loquitur; *Concedendum est, quod Principatus Papalis concernit temporalia prout de necessario concernit spiritualia, cùm ab eorum usu, vel abusu surgit peccatum, prout dicunt Textus, ratione peccati omnes causæ spectant ad forum Ecclesiasticum cap. novit. de judiciis, & cap. Per venerabilem qui filii sint legitimi. Tamen principaliter disponendo, & autorizando nihil spectat ad Papam quantum ad temporalia.* Et alibi. *Nec debet se (Potestas Ecclesiastica) de depositione Imperatorum, seu Regum temporalium intromittere, prout in prioribus plenius fuit dictum, quantumcumque Rex, vel Imperator sit dignus depositione propter defectum quemcunque, vel crimen, quod non est inter spiritualia crimina computandum. Et ideò si Imperator, vel Rex committit crimen dilapidationis, vel destructionis Imperii, seu Regni, aut damnabilis negligentiæ Imperii, vel Regni, vel Tyrannidis, vel quodcunque aliud propter quod non immeritò deponi meruit, Papa non deberet eum deponere, sed populus à quo suam recipit potestatem tacitè vel expresè;* Excipit, *nisi illi, ad quos pertinet, nollent, aut non possent facere justitiæ complementum.* Posteà adducens exempla Pontificum deponentium Imperatores, varias affert responsiones; & allatâ opinione improbantium quod factum fuerat ab eis, addit; *Fatentur tamen quod Papa potest transferre Imperium, vel Regnum casualiter, ut quia non est alius superior; vel aliter aut Imperium, vel Regnum est transferendum de gente in gentem propter aliquod crimen spirituale gentis, puta si gens illa inficiatur hæretica pravitate, vel ad legem Judæorum, vel ritum Gentilium, vel sectam aliam converteretur, vel propter aliud simile, vel propter crimen sæculare, ut propter negligentiam, aut defectum alium, propter quod etiam judicio sapientium Gentilium, vel Christianorum gens illa non esset digna alias gubernare. Si transferendum esset Imperium, vel Regnum propter crimen spirituale, dicunt quidem, quod Papa potest jure Divino transferre Imperium, seu Regnum, quia ipse in spiritualibus, & annexis eis habet plenitudinem potestatis quantùm ad ea, quæ sunt de necessitate facienda. Alii dicunt, quod Papa in hoc casu non potest transferre Imperium, sivè Regnum nisi laici fuerint damnabiliter negligentes, vel faventes genti, à qua necesse est transferri Imperium, vel Regnum, sed in hoc casu spectat ad Papam de crimine spirituali cognoscere, & denunciare illis, ad quos spectat, ut ipsum deponant. Quod si noluerint, vel non potuerint.*

JURE

JVRE DIVINO EST DEVOLVTA POTESTAS AD SVMMVM PONTIFICEM: *& hoc quia ipse habet plenitudinem potestatis quantum ad omnia, quæ sunt de necessitate facienda. Si verò Imperium transferendum esset de gente in gentem propter crimen aliquod sæculare, vel defectum alium, Papa authoritate propria talem translationem non posset facere, nisi illi, ad quos spectaret, damnabiliter essent negligentes.* Fatetur ergò Autor, & quidem frequenter, Ecclesiam posse Principes deponere, saltem pro criminibus spiritualibus, & etiam pro aliis culpis, si negligant ii, ad quos jus illud spectat.

5. Joannes de Selva tract. de Benef. par. 3. quæst. 8. num. 31. ita censet, PAPA SOLVS POTEST DEPONERE IMPERATOREM *cap: Ad Apostolicæ de sent. & re judic. in 6. & no. doc. post. gloss. in cap. Venerabilem de elect. & in Clement. Romani de jurejur. Præterea facit, quod Papa potest deponere Regem, ut aliàs* DEPOSVIT REGEM FRANCIÆ, *quia erat effœminatus cap. Alius. 15. quæst. 6.* Ita ille, licet in Senatu Parisiensi Præses.

6. Consentit, & ampliùs illam potestatem explicat in Senatu Tolosano Præses Stephanus Anfrerius tract. de potest. Eccles. super laicis eorum, ac prærogativis Ecclesiæ, num. 32. *Facit, quod notat Baldus in c. Imperialem §. fin. 1. col. de prohib. feud. alien. per feder. ubi dicit, quod si Dominus Feudi non recognoscit superiorem, prout est Rex Franciæ, & Pares Curiæ ei nimis savent, Papa cognoscet. Sed dictum hujusmodi debet intelligi in causa ardua, quia sic loquitur allegatum cap. Per venerabilem num. 52. 113. Papa deponere potest Laicum à sua dignitate gloss. in cap. nullus 11. quæst. 1. 114. Papa potest absolvere Laicos Vassallos à subjectione Principis temporalis cap. gravem de excess. Prælat. 115. Papa ex causa potest absolvere aliquem ab obligatione quæsita Laico, qui ei non subest quoad temporalem jurisdictionem, si talis obligatio solùm contrahitur ex fidei præstatione, ut in cap. 4. de jurejur.*

7. Joannes Faber in Senatu Parisiensi Causarum Patronus in l. 1. Codicis de summ. Trinit. & fid. Cathol. num. 10. *sed de Papa*, inquit, *non est dubium, quin sit superior omnibus Christianis, & in temporalibus, & in spiritualibus: ut plenè probat Hostiensis dicto cap. Per venerabilem verb. Paulus. Et idem Innocentius dicto cap. super verbo, non recognoscit, quod aliter probari potest; nam cum Papa sit Vicarius Domini, cujus est plenitudo, &c. & qui est Princeps Principum, & Rex Regum secundùm Apostolum in princ. & cui data est omnis potestas Matth. 7. ridiculosum esset dicere quin in omnibus temporalibus haberet superioritatem, & po-*

teſtatem 12. *quæſt.* 1. *cap. præcipimus. Et num.* 11. *Et cùm omnis juriſdictio in Vicarium tranſeat extr. de offic. Vicar. quia infra de offic. ejus, qui vic. alter. obtinet l.* 1. *Nuſquam enim reperitur quod Dominus concedendo poteſtatem Petro reſtrinxit ad ſpiritualia. Nullus enim negare poteſt quin Jeſus haberet omnimodam ſuperioritatem ſi exercere voluiſſet, cùm ſit Creator, & ſit Dominus. N.* 12. *Tamen ſatis credo quod Papa non ſe debeat intromittere de temporali juriſdictione. Imò debet tenere gladium in vagina: niſi in caſibus qui tangunt præjudicium animæ, vel juſtitiæ ſubverſionem, vel aliàs peccatum. Extr. de judic. c. novit. de foro competen. &c.* 13. *In caſibus tamen præmiſſis cum agitur de præjudicio animæ, vel populi,* PAPA POTEST, ET DEBET PROVIDERE: ET SI NECESSE SIT QVOSCVNQVE REGES DEPONERE, *vel interdicere eis adminiſtrationem, & ex minori cauſa quam privato: Cùm eorum fatuitas vel malitia plus lædat. Extr. de ſuppl. neglig. Prælat. c. grandi per Archidiac. & vide Innoc. dicto c. licet. Extr. de foro competen.* 96. *di. Cum ad verum Extr. de voto, & voti redem. c. licet in fin. Sic intellige, & determina quod no. in Authent. quomodo oport. Epiſc. & Clerc. in princ. coll.*

8. Ut inter Theologos ita & inter Juriſperitos Catholicos uſque ad hæc poſtrema tempora etiam qui juriſdictionem Eccleſiæ ſuper Reges, & Principes in temporalibus anguſtare conati ſunt, eam omninò negare auſi non ſunt. Petrus Gregorius Tholoſanus in variis Academiis Franciæ ſucceſſivè juris utriuſque profeſſor, de Repub. lib. 26. cap. 5. *Quamvis dicamus*, inquit, *Imperatorem poſſe privari tanquam inutilem ſuo Imperio per ſummum Pontificem, per Venerabilem de elect. & ſimil. Tamen non ſequitur Papam idem jus habere in alios Reges omnes*; DEMO TAMEN CAVSAM FIDEI. Et infra. EXCIPIO SEMPER, *ut aliàs dixi*, CAVSAS FIDEI, IN QVIBVS PRINCIPES CVIVSCVNQVE SINT LIBERTATIS, ET POTESTATIS SVBIICIVNTVR DIRECTE SEDI ROMANÆ, *& pro delictis in illis commiſſis puniri poſſunt. Sic tamen ut ſicut delicta ſunt perſonalia, & non tranſeunt perſonas delinquentes, ita nec pœna, quæ delicto debetur, non violet jus ſucceſſorum in Regno, vel ex conſuetudine recepta, vel ex lege Regni, qua proximi ordine poſt deficientes vocantur. Poteſt enim qui imperat per delictum ſuum ſibi nocere, & ſe indignum Imperio facere, at non poteſt præjudicare ei qui ſucceſſurus ei eſt etiam eo invito, cùm non habeat ab eo, ſed à majoribus vel ex lege familiæ.* Et oppoſitis ſibi autoritatibus Innocentii IV. in Concilio Lugdunenſi relato cap. 1. de homic. in 6. & Boni-

nifac. VIII. c. ſtatutum de hæret. in 6. & cap. felicis de pœnis etiam in 6. reſpondet. *Quamobrem reſponderem in prædictis conſtitutionibus in Principes quoque ſæculares ex cauſa peccati ſtatuere, ut in aliis.*

CAPUT X.

Exempla Poteſtatis Eccleſiaſticæ circa Regna temporalia, ac primò circa Reges Franciæ.

1. CHildericum III. Regem Galliæ, quantumvis ad Regni adminiſtrationem ineptum; non ante depoſuerunt Franci ut Pipinum ſibi præficerent, quàm interveniſſet Romani Pontificis autoritas. Id expreſsè tradit Eginhardus Caroli Magni Secretarius in vita illius Imperatoris, his verbis *Gens Merovingorum, de qua Franci Reges ſibi creare ſoliti erant uſque in Childericum Regem, qui juſſu Stephani Romani Pontificis depoſitus, ac detonſus, atque in Monaſterium truſus eſt, duraſſe putatur..... Pippinus autem* PER AVTORITATEM ROMANI PONTIFICIS *ex Præfecto Palatii Rex conſtitutus, &c.* Et in annalibus ad annum 749. *Burchardus VVirziburgenſis Epiſcopus, & Fulradus Presbyter Capellanus miſſi ſunt Romam ad Zachariam Papam, ut conſulerent Papam* DE CAVSA REGVM, *qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantùm Regis, ſed nullam poteſtatem Regiam habuerunt: per quos prædictus Pontifex mandavit melius eſſe illum vocari Regem, apud quem ſumma poteſtatis conſisteret, datâq; autoritate ſua juſſit Pippinum Regem conſtitui.* Et ad annum 750. *Hoc anno ſecundùm Romani Pontificis ſanctionem Pippinus Rex Francorum appellatus eſt, & ad hujus dignitatem honoris unctus ſacrâ Unctione manu S. memoriæ Bonifacii Archiepiſcopi, & Martyris, & more Francorum elevatus in ſolium Regni, in Civitate Sueſſonia. Childericus verò, qui falſo Regis nomine fungebatur, tonſo capite in Monaſterium miſſus eſt.*

2. Eginhardi fidem cùm dubiam efficere nequeat Joannes Launoius, in reſtringendam Summi Pontificis autoritatem ſemper intentus; quippè cùm ſciat illum Scriptorem & magnæ probitatis, & exactæ ſinceritatis fuiſſe, ac rem paulò antea geſtam, atque adeò ſibi notiſſimam narraſſe, vitam Caroli ab eo ſcriptam corruptam fuiſſe contendit; Annalium

autem verba multifariam versat, ut à proprio, & ut ità dicam, nativo sensu deflectat 6. par. Epist. 9. ac primò quidem affirmat contradictionem esse talem, quæ *vix dilui possit* inter loca vitæ Caroli Magni, & loca Annalium. Hæc contradictio, ni fallor, in eo esse illi visa est, quod in vita Caroli Magni Childerici destitutio, & institutio Pipini tribuantur Stephano Papæ, in Annalibus verò Zachariæ; sed mirum est quod vir adeò acutus non viderit, aut, qui sinceriſsimos Scriptores malæ fidei tam sæpè incusat, dissimularit, imaginariam illam contradictionem seipsâ evanescere, si verbis, quæ ipse retulit ex Libello *de Majoribus Domûs Regiæ*, addantur sequentia, quæ ipsæ omisit. Nam ex utrorumque conjunctione liquet, rem à Zacharia sub finem Pontificatûs sui inchoatam, à Stephano ejus successore fuisse perfectam; aut à Zacharia per S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum factam, Stephanum per seipsum confirmasse. Hæc refert Launoius; *His temporibus Hildricus in Regno Francorum substituitur, de quo Pipinus Dux Legatos ad Zachariam Papam dirigit interrogans eum; si ita manere deberent Reges Francorum, cùm penè nullius essent potestatis, solo Regio nomine contenti. Quibus Legatis Romanus Pontifex respondit, illum debere Regem vocari, qui Rempublicam gereret. Detonso igitur Hildrico, & in Monasterium detruso mox Franci Pipinum sibi Regem constituunt*; sequuntur autem ista; *Hic enim rebellantes sibi omnes subegerat, Griphonem videlicet fratrem suum, Tassilonem quoque ex sorore Nepotem; quorum alterum Austrasiorum, alterum Baivariorum Ducem instituit. Denique Zachariâ Pontifice defuncto, Stephanus succedit, qui in Franciam ad Pippinum urgente necessitate venit, eumq;, ac duos filios ejus Karolum, & Karlomannum pariter suæ benedictionis oleo perunxit.* Rem ita, ut diximus gestam, contigisse testantur alii Scriptores infrà referendi.

3. Addit Launoius Zachariam utpotè consultum, mentem suam aperuisse, ut Consultorum mos est, non autem potestatem interposuisse *Id*, inquit, *Eginhardi verba hæc* (*Pippinus more Francorum elevatus in solium Regni*) *omninò exigunt. Nam qui ante Hildricum, & Pippinum elevabantur in Regni solium autoritate Francorum, non Romani Pontificis elevabantur.* At certè verba illa, *more Francorum*, neque *omninò*, neque *ex parte* exigunt consilium tantùm à Zacharia datum. Illorum enim sensus apertus est de Ceremo-

nils

niis in Regum elevatione obſervari ſolitis, non autem de electionis jure. Ac ſicut ex iis concludi non debet, nec poteſt, Romanum Pontificem non fuiſſe conſultum, licet is anteà non fuiſſet *mos Francorum*; cùm Eginhardus conſultationis expreſſam faciat mentionem, ità inferri non debet, nec poteſt, Summum Pontificem conſilio non adjunxiſſe autoritatem, cùm contrarium luculentiſſimè teſtetur Eginhardus his verbis; *Juſſu Stephani Romani Pontificis, per autoritatem Romani Pontificis; datâq; autoritate ſuâ juſſit Pippinum Regem conſtitui; ſecundùm Romani Pontificis ſanctionem Pippinus Rex Francorum appellatus eſt.* Ita ſcilicet delicata evaſerat paucis abhinc annis Francorum conſcientia, ut nomen Regis ei tribuere non auderent, qui Regiam autoritatem jam erat adeptus, niſi Doctoris gravis opinione id ſibi licere cognoviſſent.

4. De antiquiorum Franciæ Regum unctione, quam hic negat Launoius, viderint Franci quid cenſendum ſit, qui ad miraculum in Clodovei primi Chriſtiani Regis Francorum gratiam factum, ejus originem referunt: mihi verba Eginhardi ſuprà relata Summi Pontificis autoritatem ſatis videntur ſignificare, etiamſi excluderetur Pippini unctio, quæ à Zacharia Pontifice per Bonifacium, & à Stephano per ſeipſum facta narratur.

5. Teſtimonium Eginhardi, quod ſolùm ſufficeret, quia, ut ſuprà innuimus, eo tempore vixit, quo rem narratam ignorare non potuit, & ea ſinceritate ſcripſit, ut fides ei negari non debeat, confirmant Aymonius in lib. 4. de geſt. Franc. cap. 61. Regino Prumienſis Abbas in lib. 2. Chronic. Marianus Scotus in lib. 3. Chronic. Otto Friſingenſis in lib. 5. hiſtor. cap. 21. Abbas Urſpergenſis in Chronico. Sigebertus in Chronico ad annum 750. Paulus Æmilius in lib. hiſtor. Franc. Fredegarius Scholaſticus in fine Chronici. Guillelmus Nanguis in Chronographia manuſcripta, Robertus Guaguinus in lib. 3. hiſtor. Franc. Carolus Sigonius in lib. 3. hiſtor. de Regn. Ital. quorum verba refert Launoius. Attamen ipſe ſuo more tot teſtimoniis, aliorum quorundam ſilentium anteponit.

6. Imò illi unius Scriptoris ſilentium ſufficit adverſus affirmativa plurimorum teſtimonia. Sic enim in hac Epiſtola

de Anastasio, Regnum Childerico abrogatum & Francos Sacramenti Religione solutos tacente, scribit; *De Anastasii*, inquam *silentio, quod si circumspectione, & accurata consideratione perpendatur, de falsitate rerum istarum dubitandi locum nullum relinquit. Quis enim prudens, & attentus crederet, virum Sedis Apostolicæ magnitudini, & commodis addictum, & in Romanorum Pontificum scriniis versatum id commemorare, quod Gregorius VII. Otto Frinsingensis, Abbas Urspergensis, Joannes Tritemius, & Recentiores alii tam cupidè commemorant, neglexisse? Quis, inquam, prudens, & attentus hoc crederet, tum ex aliis, tum ex eo quoque, quod antea simile nihil in Romana contigisset Ecclesia? Igitur Anastasius non tam silet, quàm eloquitur, non accidisse, quod illi accidisse narrant.*

7. Sed in quodcunque latus se vertat Launoius tot, & tam insignia sunt testimonia, quæ summi Pontificis autoritatem in Childerici destitutione, ac Pippini institutione intercessisse affirmant, ut lectis illis, etiam in ipsius Launoii Epistola, impossibile sit eis fidem non habere quantùm ad rem ipsam, quamvis ille suo argumento negativo ab Autorum silentio petito, vel aliis conjecturis, aliquas circumstantias validè confutaret, quod facere sibi immeritò visus est.

8. Misera enim cavillatio, quâ verba illa, *mandatum, jussus, autoritas*, & similia, quibus scriptores utuntur, cùm de summi Pontificis ea in re partibus loquuntur, denotare tantùm consilium, aut opinionem interpretatur, ex ipsorum locorum imperturbato mentis oculo, ac sine præpostero affectu lectorum, contextu dissolvitur. Præsertim si Autorum ipsorum conditio attendatur, cur enim v. g. Eginhardus, cùm dixisset; *Pontifex mandavit, melius esse illum vocari Regem, apud quem summa potestatis consisteret*, quæ opinionem, & consilium abundè significassent, addidisset; *datáq; autoritate sua jussit Pippinum Regem constitui*. quæ verba de potestate non possunt non intelligi, nisi fides historiæ hanc declarationem postulasset? An Eginhardi, jam à juventute in Aula Caroli Magni educati, intererat, cum hæc scriberet, summis Pontificibus abblandiri, vel eorum jurisdictionem ampliare in præjudicium Regum Francorum? An idem consilium fuit aliis scriptoribus Gallicanis tam multis?

9. An Sigibertus Gregorio VII. infensissimus, & Imperatoribus, quorum tempore scribebat, quorumque causa Pontifi-

tificibus tam parùm æquus fuit, addictissimus, depositioni Henrici autoritatem accersere ab exemplo Regum Franciæ non prætermisisset, si aut historiæ integritas, aut evidens rei gestæ veritas permisisset? An simplex Papæ consilium, seu responsum his verbis expressisset; *Pippinus verò Princeps Apostolica authoritate & Francorum electione à S. Bonifacio Moguntiæ Archiepiscopo in Regem ungitur, & consecratur.* Ad annum 750. An qui falsa non pauca in favorem Imperatorum, vel à se excogitata, vel saltem à Testibus fide indignis accepta, narravit, tam incautè locutus fuisset, ut opinionem pareret à suo affectu longè alienam, si eam dubiam habuisset.

10. An Otto Frisingensis, tot Imperatoribus sanguine conjunctus, quos inter, & summos Pontifices altercationes interceserunt, tam graves, tamque diuturnæ, ne Avi sui destitutionem à Gregorio VII. factam confirmaret, non abstinuisset verbis, quæ hanc summi Pontificis autoritatem clarè denotant, si absque historiæ legum violatione potuisset; *Anno* inquit, *ab Incarnatione Domini 752. reversis à Roma Nunciis authoritate Zachariæ Papæ Pippinus à B. Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, aliisque Regni Principibus in Suessiona Civitate ad Regnum eligitur* lib. 5. histor. cap. 22. *Anno Domini 754. Pippinus à Stephano Papa I. à fidelitatis Sacramento, quod Hildrico promiserat cum aliis Regni Francorum Proceribus absolvitur, ac detonso Hildrico, & in Monasterium detruso postmodum in Regem ungitur.* Ibidem cap. 23. Iterum in his verbis notare potes solutionem contradictionis, quæ à Launoio vocatur *pugna, quæ vix dilui possit.* Otto enim lucidissimè narrat Pippinum, & à Zacharia per Bonifacium Moguntinum, & à Stephano ipso unctum, ut dubitari non possit Eginhardum idem factum modò uni, modò alteri Pontifici non tribuisse, sed cuique suum.

11. Maximi ponderis est Ottonis testimonium, tùm propter egregium viri meritum, tùm propter accuratam in evolvendis historiis diligentiam, & in referendis fidem; Tùm denique quia cùm diu Parisiis versatus esset, sedulamque studio operam dedisset, facilè fuit ei veritatem addiscere. Pro suo erga Henricum IV. Avum suum affectu legerat, & relegerat Imperatorum gesta, ut sciret, an antea fuisset aliquis à Romanis Pontificibus excommunicatus, & depositus, negatque

gatque lib. 6. cap. 35 id antea factum in Romanorum Reges, aut Imperatores, sed tantùm Philippicum aliquandiu à Romano Pontifice inter Pœnitentes retentum, & Theodosium ab Ecclesia exclusum à Beato Ambrosio. Quis igitur credat eum temerè, ac sine examine recepisse illam de Regibus Francorum historiam, quandoquidem ipse post verba relata paucis interjectis subjungit; *Ex hoc Romani Pontifices Regna mutandi autoritatem trahunt.* Putasne rei ejusmodi originem sine discussione admissam ab Ottone.

12. Nonne Conradus Abbas Urspergensis, qui Gregorium IX. tam insolenter carpit, ut Frederico II. patrocinetur, suppressisset, si passa esset historiæ veritas, quæ autoritatem Papæ in Principes tam apertè præ se ferunt. Ait enim in Chronico ad annum 751. *Zacharias vero Papa super hujusmodi negotio consultus remandavit melius esse illum vocari Regem, apud quem summa potestas consisteret; dataque autoritate sua* PIPPINVM REGEM CONSTITVI IVSSIT. *Anno Domini 752. Pippinus per autoritatem Zachariæ Papæ more Francorum electus ad Regnum per manus S. Bonifacii Archiepiscopi Moguntiacensis elevatus est in Regni solium in Sueßionum Civitate..... Pippinus ex Præfecto Palatii autoritate Apostolicâ sublimatus, & unctus in Sedem Regni posteà regnavit annis quindecim, absolutus per Papam Stephanum à juramento quod Regi Hilderico cum cæteris Regni Primoribus fecerat.* Hic rursus vide compositam *pugnam*, *quæ vix dilui posse* Launoio videbatur.

13. Autoritatem suam in omnibus dubiam efficit qui facta adeò certa, & tot testimoniis comprobata negare, ut Launoius, audet, ac impugnare totis viribus enititur.

CAPUT XI.

Alia exempla potestatis Ecclesiasticæ in temporalibus.

1. IMperatoriam dignitatem Carolo Magno à Leone III. Papa collatam historici tum Græci, tum Latini, ac præcipuè Gallici perhibent. *Ipse autem* (Carolus) inquit Eginhardus in Annalibus, scilicet ad annum 801 *cùm die sacratissima Natalis Domini ad Missarum solemnia Basilicam B. Petri Apostoli fuisset ingressus,* &

& coram Altari, ubi ad orationem se inclinaverat, assisteret Leo Papa Coronam capiti ejus imposuit, cuncto Romanorum populo acclamante, Carolo Augusto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum vita, & victoria; post quas laudes à Pontifice more antiquorum Principum adoratus est, ac deinde omisso Patritii nomine Imperator & Augustus appellatus. Ne quis autem putet Carolum quidem Imperatoriam dignitatem armis obtinuisse, à Leone autem ei Coronam tantùm ex ceremonia, ut etiamnum in Gallia fit ab Archiepiscopo Remensi, fuisse impositam; scribit idem Eginhardus in vita illius Imperatoris, eum ab illo honore ambiendo ità fuisse alienum, ut si sibi deferendum præsentisset, abfuturus ab Ecclesia fuisset. *Quo tempore*, inquit, *& Imperatoris, & Augusti nomen accepit: quod primò in tantum aversatus est, ut affirmaret, se eo die quamvis præcipua festivitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse, si consilium Pontificis præscire potuisset.*

2. Summo Pontifici acceptam retulerunt Imperatoriam dignitatem successores Caroli Magni. Egregium est hujus professionis testimonium apud Andream du Chesne tom. 3. scilicet Epistola apologetica Ludovici II. Imperatoris Occidentis, Lotharii filii, Ludovici Pii Nepotis ad Basilium Orientalem Imperatorem missa anno 871. in qua sic eum alloquitur; *Cùm & ipsi Patrui nostri glorioси Reges absque invidia Imperatorem nos vocitent, & Imperatorem esse procul dubio fatentur, non profectò ad ætatem, qua nobis majores sunt attendentes, sed ad unctionem, & sacrationem, quâ* PER SVMMI PONTIFICIS MANVS IMPOSITIONEM *Divinitùs sumus ad hoc culmen provecti, & ad Romani Principatûs Imperium, quo superno nutu potimur aspicientes..... Matrem omnium Ecclesiarum Dei defendendam atque sublimandam suscepimus, ex quâ & regnandi prius, & postmodum imperandi autoritatem prosapiæ nostræ seminarium sumpsit.* NAM FRANCORVM PRINCIPES PRIMO REGES, DEINDE VERO IMPERATORES DICTI SVNT, II DVMTAXAT, QVI A ROMANO PONTIFICE AD HOC OLEO SANCTO PERFVSI SVNT..... *porrò si calumniaris Romanum Pontificem, quod gesserit, calumniari poteris & Samuël, quod spreto Saüle, quem ipse unxerat, David in Regem ungere non renuerit.*

3. Ad sanctam Sedem recurrerunt alii ad eandem impetrandam dignitatem, quæ ipsis ex sola sanguinis cum præcedentibus Imperatoribus propinquitate non debebatur, ut exem-

plum Caroli Calvi demonstrat apud Sirmondum inter Concilia Galliæ, & apud alios.

4. Fulco Archiepiscopus Remensis, natalibus, doctrinâ, ac pietate celeberrimus, & à Reginone, Baronio, & Molano Martyribus annumeratus, eo quod mors illi ob propugnata Ecclesiæ jura illata fuerit (ut rursùs videas doctrinam istam exemplis Sanctorum esse consonam) cùm audisset Carolum Regem Francorum vulgò Simplicem nuncupatum, cui alias strictè adhærebat, velle cum Northmannis inire societatem, gravissimam ad eum Epistolam scripsit, in qua hæc habet inter alia; *Deprecor vos itaque per Deum, ut tale desciatis consilium, ne velitis vos in æternum præcipitare interitum, & mihi, cæterisq;, qui secundùm Deum vobis fideles sunt, æterni doloris afferre dispendium. Melius enim fuerat vos non nasci, quàm Diaboli patrocinio velle regnare, & illos juvare, quos deberetis per omnia impugnare. Sciatis enim quia si hæc omnia feceritis, & talibus consiliis acquieveritis, nunquam me fidelem habebitis, sed & quoscunque potuero* A VESTRA FIDELITATE REVOCABO, *& cum omnibus Coepiscopis meis, vos, & omnes vestros excommunicans æterno anathemate condemnabo. Pro fidelitate, quam vobis servo, hæc gemebundus scribo.*

5. Ivo Carnotensis Episcopus, doctrinâ, & pietate illustris epist. 46. quæ est ad Urbanum II. supponit autoritatem Philippo Primo Francorum Regi per excommunicationem ademptam; quandoquidem scribit Summo illi Pontifici; *Hâc ratione ex parte usuri* (Philippi Nuncii) *Regem cum Regno ab obedientia vestra discessurum*, NISI CORONAM RESTITVATIS, NISI REGEM AB ANATHEMATE ABSOLVATIS.

6. Unde inerat, nisi à pietate, atque à Religione, antiquis Gallis illa erga Ecclesiæ in Reges autoritatem reverentia, quam illorum perhibent historiæ? Nam v. g. Regibus excommunicatis officia etiam vitæ aliquatenus necessaria, nedum alia Principibus exhiberi solita, negabant. An pios magis, magisque religiosos efficiet illius Regni fideles declaratio Cœtûs Parisiensis, dum eis suadebit Ecclesiam, neque directè, neque indirectè quidquam in Principes posse quantùm ad temporalia, quæ sola ferè (Proh dolor) ab hominibus hodie attenduntur.

7. Si Gallicanis externa addenda sunt exempla (quidni autem addantur cùm propositio Cleri Gallicani ad Principes om-

omnes generatim pertineat, nec sit ad Reges Galliæ restricta (qui fortè aliquo jure speciali, vel privilegio tueri sese posse obtenderent) alia non pauca suppetunt. Nam præter Romanos Imperatores, de quibus jam diximus, mortuo Zenone Imperatore, Ariadne ejus conjux, spreto Longino Zenonis fratre, Anastasium ad Imperium evehendum curavit, sed obstitit Euphemius Episcopus Constantinopolitanus, donec Anastasius fidem orthodoxam scripto professus est; *Cùm Ariadne haberet in animo Anastasium habitu induere purpureo, Euphemius Episcopus usque eò consentire noluit, quoad Anastasius chirographum jurejurando confirmatum ei dedisset, quod planè declararet eum si sceptra susciperet, Imperii fidem sinceram servaturum, nihilque rerum novarum introducturum in Sacrosanctam Dei Ecclesiam: quod chirographum Macedonio Sacri Thesauri Custodi tradidit. Factum autem est illud ab Euphemio, quod Anastasius putabatur à nonnullis errore Manichæorum infectus esse.* Evagrius histor. lib. 3. cap. 32. Idem Theodorus Lector collect. ex histor. Eccles. lib. 2.

8. Cumque iterùm Anastasius in hæresim lapsus esset, & Catholicos persequeretur, ei sese Symmachus Papa opposuit, ut in Epistola ejus apologetica videre est, in qua docet Summus ille Pontifex, quis sit verborum sensus, quæ Prælati Parisienses ex Divo Paulo attulerunt; *Fortassis dicturus es, scriptum esse: Omni potestati nos subditos esse debere; Nos quidem potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas erigunt voluntates. Cæterùm si omnis potestas à Deo est, magis ergo quæ rebus est præstituta Divinis. Defer Deo in nobis, & nos deferemus Deo in te. Cæterùm si tu Deo non deferas, non potes ejus uti privilegio, cujus ura contemnis.*

9. Eleonora primùm Galliæ, deinde Angliæ Regina Ep. 2. ad Celestinum III. Papam pro liberatione filii Richardi Regis Angliæ à Leopoldo Duce Austriæ capti, & Henrico V. Imperatori consignati, & traditi, quæ epistola est 145. Petri Blesensis, sic scribit, *Nonne Petro Apostolo, & in eo vobis à Deo omne Regnum, omnisq; potestas regenda committitur? Benedictus autem Dominus, qui talem potestatem dedit hominibus, non Rex, non Imperator, aut Dux à jugo vestra jurisdictionis eximitur; ubi est ergo zelus Phinees? Ubi est auctoritas Petri? Ubi est qui dicat zelus Domûs tuæ comedit me? Appareat quod non in vanum dati sunt vobis, & Coepiscopis vestris gladii ancipites in manibus vestris. Dicite iniquis, nolite iniquè agere, & delinquentibus nolite exaltare cornu. Non de-*

degeneret in hærede Petri Dignitatis Apoſtolicæ reverenda ſucceſſio. Veſtrum agnoſcite Principatum, probate zelum, accinginmini ad opus fortitudinis, & honorate miniſterium veſtrum. Gloria veſtra derivetur ad poſteros, & cognoſcat generatio altera, quam inaniter Tyrannus ille præſumpſerit, & quam potenter præſumptionem ejus Romana Sedes punierit.

CAPUT XII.

Exemplum Gregorii II. Leoni Iſauro Imperatori Tributa ſolvi vetantis.

1. LEoni Iſauro in hæreſim Iconoclaſtarum lapſo, & Catholicos in Oriente perſequenti, Gregorius II. pluries fruſtra monito à Romanis, & ab Italia Tributum ſolvi prohibuit ex Theophane in Chronologia. *Hoc anno*, inquit, *ſcilicet Gregorii II. primo irreligioſus Imperator Leo de proſcribendis, & deponendis Sanctis, & venerandis imaginibus primum tractatum habere cœpit: Comperto cujus propoſito, Gregorius Papa Romanus, ſcripta priùs ad ipſum Leonem decretali Epiſtola, qua de fide quicquam ſtatuere, & antiqua Eccleſiæ ſancita à ſanctis Patribus firmata innovare, aut convellere non decere Imperatorem commonet. Italiæ tandem, ac Romæ tributa ad ipſum deferenda prohibuit.* Idem teſtatur Zonaras in tom. 3. Annal. his verbis; *Qua de cauſa Gregorius, qui tum Romæ veteris Eccleſiam gubernabat, repudiata ſocietate Præſidis novæ Romæ, nec non eorum, qui illum ſequerentur, illos unà cum Imperatore Synodico anathemate obſtrinxit, & vectigalia, quæ ad id uſque tempus inde pendebantur inhibuit, icto cum Francis fœdere.* Et adhuc; *ſub Leone Iſauro temporis illius Papa Gregorius ob perverſam opinionem deſecit ab illo Imperatore impio, eiq; tributum pendere recuſavit, neque ſibi quicquam eſſe rei voluit cum impiis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Gubernatoribus, omiſſiſque bellis pacem cum Francis fecit.*

2. Nullum non movet lapidem Joannes Launoius, ut hujus quoque hiſtoriæ fidem evertat. Sed teſtibus tam clarè affirmantibus opponendi eſſent ſaltem alii teſtes æquè clarè negantes, aut certè rationes validiſſimæ. Id fruſtrà expectes ab illo Scriptore, qui cùm hiſtorias communiter receptas ferè ſemper impugnet, nonniſi teſtium de eadem re tacentium, vel ad ſummum aliâ, non tamen contrariâ, loquentium autori-

toritate, vel conjecturis ad dimittendam communem hominum sententiam parùm potentibus, causam suam tuetur.

3. Ac primò quidem Zonaram confutat, ex eo quod ille scriptor dicat Gregorium II. *Synodico anathemate* obstrinxisse Imperatorem, nullum autem tunc habitum fuerit Concilium Romanum. Sed quis asserit nullum tunc temporis celebratum Concilium? Joannes Launoius; Vicinior scilicet Gregorio II. quàm Zonaras. At contemporanei scriptores de illo silent. Argumentum esset sanè multùm verisimile adversus illum historicum, si ipse affirmaret, congregatam fuisse Synodum Oecumenicam, vel saltem totius Occidentis, vix enim fieri potuisset, ut ea de re nullum verbum reliqui Historici fecissent. Sed quis nesciat multa à summis Pontificibus fuisse gesta in Conciliis, quibus intererant tantùm cum Clero Romano, Episcopi aliis de causis Romæ versantes, aut ex vicinis Civitatibus convocati, quorum quidem Conciliorum nulla supersunt Acta, nulla memoria, nisi in scriptoribus fere solummodò ex occasione ea de re obiter tractantibus. Non pauca hujusmodi citantur in collectione Philippi Labbei.

4. Congerit deinde Launoius multa loca communia de officiis Regibus debitis, eisque à Romanis Pontificibus, aut ab Episcopis exhibitis. Sed hæc vera sunt, quandiu Principes Regi Regum bellum non indicunt, quandiù spes est emendationis, & quantùm ad subditos, quibus non licet autoritate privata in Reges etiam discolos rebellare: secùs autem est, dum summus Pontifex alio caret medio conservandæ Fidei, ac Religionis, ab aliquo Principe, Ecclesiæ per baptismum subdito, evertendæ.

5. Congerit etiam varias expositiones verborum illorum Christi ad Petrum; *Pasce oves meas*, quæ illa de potestate deponendorum Regum non interpretantur. At una scripturæ expositio aliis non contrariis, sed tantùm distinctis, non destruitur. Si unus, populi consensum ad Regis institutionem, explicet de potestate juris inter subditos dicendi, alius de gerendo pro patria tuenda bello, alius de alia quapiam re, prout temporum, personarum, aut negotiorum conditiones exegerint. Numquid variæ illæ interpretationes obstabunt,

quominùs dum nova emerget occasio, intelligatur adhuc aliud in ea contentum autoritate, si ad bonum populi regimen sit omninò necessarium? Suprema, & ampliſſima est, quantumvis eam invidi restringere conentur, summi Pontificis autoritas. Quid igitur mirum, si omnes ejus partes non fuerint statim, imò nec post longum tempus adeò clarè distinctæ: sed inter rerum Ecclesiasticarum tractatores hic unam, ille aliam explicuerit.

6. Improbat argumentum Bellarmini ductum à prædicto Evangelii loco. *Pasce oves meas*; Quod nimis probet, scilicet Episcopos etiam jus habere deponendorum Regum. Verùm injusta est reprehensio. Verba enim illa Petro soli dicta sunt, licet aliis etiam Pastoribus conveniant, quatenus Petri officio, ac Dignitati communicant. Sed quemadmodum ejus potestatis plenitudinem alii non assequuntur, ita non quidquid ille potest pro Ecclesiæ universæ bono, possunt illi, etiam in propriis Diœcesibus. Ideò enim clavium, quæ omnibus Apostolis simul promissæ sunt, Petro soli specialis facta est promissio. Ideò illi soli dictum est; Pasce oves meas, ut ipsi prærogativa quædam cæteris negata concedi significaretur, ne scilicet summis, & maximè arduis negotiis sine ipsius supremo judicio finis imponeretur.

7. Refert exempla nonnullorum Pontificum, & Episcoporum, qui verba suprascripta non opposuerunt Principibus, nec potestate usi sunt, quæ in illis contineri dicitur. Sed inde non colligitur defectus ille potestatis, cùm variis de causis, puta scandali vitandi causa, ob impotentiam, ob populorum affectum, prudentia suadere potuerit ab illius usu abstinendum, ut confessus est ipsemet Imperator Henricus à Gregorio VII. depositus, de quo in sequenti capite redibit sermo. Malè autem inter illa exempla Hadrianum II. recenset. Licet enim Carolo Calvo non objecerit verba illa, *Pasce oves meas*. Intellexit tamen in Pontificia potestate, quam hæc verba significant, comprehendi jus aliquod in temporalia Regum, saltem ratione peccati, quandoquidem Principem illum ab invadendo Lotharii Regno, intentatis censuris cohibere conatus est.

8. Denique Launoius, ut confirmet quod ex Gregorii Epistо-

Epistolis deduxerat, quarum antea prolixa exscripserat fragmenta, inutili labore confert plurimorum verba scriptorum, quos inter aliqui idem affirmant, quod Theophanes, & Zonaras, alii tacent, nullus planè negat. Itaque absurdum est ut jam suprà insinuavimus, claram, & apertam affirmationem solo silentio confutare. Præsertim cùm aliquorum ex illis, qui affirmant v. g. Theophanis, qui pro sacris Imaginibus exulare, ac Confessoris titulo donari meruit, & Sigeberti utpotè Principibus addictissimi testimonium minimè suspectum haberi queat.

9. Quin, etiamsi Launoius testes adduceret expressè negantes quod asserunt alii, non obtineret quod intendit. Ut enim, ex Jurisperitorum doctrina, jura cum juribus, ita & testimonia cum testimoniis concilianda sunt, dum inter se pugnare videntur, nec insolubilis est contradictio. Hæc autem concordia in hoc casu facillima esset. Certum enim est, Gregorium II. omni pacifica ratione Imperatorem ad sanam fidem revocare conatum; atque de illo tempore intelligendi essent scriptores, qui negarent summum illum Pontificem Imperatori tributa non negasse, sicuti de illo intelliguntur, quæ scribit Gregorius ipse; qui autem affirmant prohibitam illam solutionem, interpretandi sunt de ultimo tempore, cùm scilicet constitit nullam spem esse Imperatoris convertendi. Itaque tota illa, quæ apparere posset contradictio unico illo Theophanis verbo, *tandem*, solveretur.

10. Cæterùm quomodo potuit Launoius Gregorium II. tantis laudibus extollere, ut persuaderet ipsum non vetuisse solvi tributum Imperatori, & tamen interpretationem tàm scandalosam istis ejus verbis affingere; *Testis est Deus, quascunque misisti ad nos Epistolas, auribus, cordibusque Regum Occidentis obtulimus, pacem illorum tibi, ac benevolentiam conciliantes, teque laudantes ac mirificè efferentes prout te antea conversantem iuuebamur.* Quæ verba sic interpretatur Launoius, *Gregorius verò II. Imperatoriæ jussioni subditum se cùm sentiret, dedit operam, ut missæ ad se Leonis Isauri de subvertendis Imaginibus Epistolæ ad Occidentis Reges perferrentur, sed quia Epistolæ omnipotenti Deo minimè concordabant, has quoad ejus fieri potuit, refutavit, & Leonem à nefario consilio deterruit. Huc & non aliò spectant Gregorii Epistolæ verba, quæ proposuimus.* Quis credat Epistolas, quas Gregorius non solùm

auri-

auribus, sed etiam *cordibus Regum Occidentis obtulerat de subvertendis imaginibus* tractasse. Si is fuisset illarum scopus, non potuisset eas Gregorius, *auribus*, multò minus *cordibus Regum offerre*. Hoc enim fuisset impiæ Imperatoris intentioni in re de se mala cooperari. Cur potiùs illæ litteræ non intelligantur, quas scripsisset Imperator ad conciliandam sibi, aut retinendam Principum Occidentalium pacem. Id enim satis innuunt illa Pontificis verba; *pacem illorum tibi, ac benevolentiam conciliantes*, & alia multa quæ sequuntur. Secundò si Epistolæ Leonis à Gregorio missæ ad alios Principes, de subvertendis imaginibus fuissent, eas misisset, ut hortaretur illos ad revocandum à nefario consilio Imperatorem, non autem, ut ait Launoius quod *Imperatoriæ iussioni subditum se sentiret*. Quis enim in tanto scelere Summum Pontificem Principi subditum existimet? Cur non exhorruit Launoius hæc scribens?

11. Frustrà verò adducit exemplum S. Gregorii Magni, Legem Mauritii per diversas partes perferri curantis; sunt enim inter ejus, & quod Gregorio II. à Launoio tribuitur, factum, plurima discrimina, quæ persequi, & nimis esset longum, & à proposito nos longiùs averteret. Id unum notasse sufficiet legem Mauritii non extitisse de re ita mala, ut nullo pacto posset ab ea separari malitia: erat enim ad summum majori bono, scilicet libero in Religionem ingressui obex. Ac præterea S. Gregorius Magnus huic incommodo suâ prudentiâ poterat occurrere. At verò sacrarum imaginum conculcatio ita est impia, ut nullâ ratione liceat *auribus & cordibus Regum offerre Epistolas* hujusmodi contemptum suadentes. Denique multi Scriptores graves asserunt S. Gregorium Magnum non nisi correctas Mauritii leges misisse, idque videtur ex variis ejus epistolis colligi.

CA-

CAPUT XIII.

Principes ipsos aliquam Ecclesiæ in temporalia potestatem agnovisse.

1. DE illa Summi Pontificis autoritate non dubitabant Principes, de quibus in Capitibus superioribus. Non dubitabant etiam Ludovicus Germaniæ, & Lotharius II. Austrasiæ Reges, cùm Carolus Calvus Ludovici frater, & Lotharii Patruus pactis inter ipsos conventis stare recusans, de invasione aliorum Regnorum cogitabat. Illi enim ad Nicolaum Primum confugerunt, ut ejus autoritate hoc damnum propulsari curarent; *Oportet præterea*, inquiebant, *vestræ autoritatis jubar propter generalem sollicitudinem nostros invisere fines, ut, quos nulla pacis fœdera, nulla movent fraternæ charitatis viscera, nulla nectunt consanguinitatis ligamenta*, APOSTOLICA INVECTIO AD CENSVRAM ECCLESIASTICAM VENIRE COMPELLAT. Omitto quæ referunt Historici Gallicani de Philippo II. Anglorum Regi, à cujus obedientia subditos absolverat Romanus Pontifex, bellum indicente, atque Othonem Imperatorem à Papa deponi procurante, & de Philippo III. Petro Aragoniæ Regi, à cujus obedientia subditos exemerat Martinus IV. etiam bellum inferente.

2. Justinus II. Imperator Cosrohæ conquerenti de receptis Persarmenis Christianis ab eo sese subducentibus; *Quoniam*, ut ait Evagrius, qui rem narrat lib. 5. cap. 7. *à cæteris Persis miserè, & potissimùm Religionis suæ gratia vexabantur*, justam putavit excusationem afferre cùm respondit; *Præsinitum paci tempus effluxisse, nec fas esse ut Christiani Christianos in tempore belli ad se confugientes desertos esse patiantur.* Quid igitur? nonne melius est ut fideles Principibus non se subtrahant, etiamsi justam habeant causam (*ut si Religionis suæ gratia vexati Christiani ad Christianos confugiant*) nisi accedente Ecclesiæ autoritate?

3. Sed nunquid ita sentiunt Principes tunc tantùm, quando illa potestas Ecclesiastica sibi commoda est. Henricus licet irâ, ne dicam furore, correptus, adversus Gregorium VII.

cui ſcribit, fatetur ſe in cauſa hæreſeos Eccleſiæ ſubjacere, Hæc ſunt ejus verba; *Henricus non uſurpativè ſed piâ Dei ordinatione Rex Hiltebrando non jam Apoſtolico, ſed falſo Monacho . . . . . me quoque, licet indignus inter Chriſtianos ſum, ad Regnum vocatus, te teſte, quem ſanctorum Patrum traditio ſoli Deo judicandum docuit, nec pro aliquo crimine, niſi à fide (quod abſit) exorbitaverim, deponendum aſſeruit, &c.* Deinde notat Julianum Imperatorem licet Apoſtatam ab Epiſcopis non fuiſſe depoſitum, quod eorum prudentiæ, non poteſtatis defectui tribuit; *Cùm etiam Julianum Apoſtatam prudentia ſanctorum Epiſcoporum non ſibi, ſed ſoli Deo deponendum commiſerit.*

4. Atque ea ratio ſufficeret ad vindicandam Eccleſiæ ſuam autoritatem adverſus illius non uſum, quem aliqui objiciunt, negantes ullam ejus fuiſſe praxim per multa ſæcula. Id enim prudentiæ ſeu benignitati piæ illius matris, non autoritatis defectui, adſcribendum eſſet. Adeò periculoſa eſt Sacerdotii cum Imperio contentio, ut, illius vitandæ cauſa, multa mala minora ſæpè ſuſtinenda ſint.

5. Hæc, ut opinor, ſufficiunt, ut unuſquiſque pervideat non ſolùm non neceſſariam fuiſſe hoc tempore declarationem Cleri Gallicani circa iſtam Eccleſiæ poteſtatem, quippè cùm ne minimum quidem eſſet periculum, ne ſummus Pontifex ea uteretur; ſed etiam plurimorum Conciliorum praxi, ſanctorum Patrum, & Doctorum, Theologorum, & Juriſperitorum doctrinæ, Principum, eorumque Officialium profeſſioni contrariam, ut iterum mirer auſos fuiſſe Illuſtriſſimos Epiſcopos Cœtus Pariſienſis eam negare, ſuamque ſententiam *verbo Dei, Patrum traditioni, & ſanctorum exemplis conſonam* declarare.

6. Opportuna fortaſſis fuiſſet hæc doctrina Cleri Gallicani, etſi (abſit verbo injuria) minus vera, cùm Chriſtiani, martyrii deſiderio incenſi, ejus occaſiones avidè quærebant; At nunc ita refrixit charitas, ut ſi, quod Deus Optimus Maximus avertat, oriretur perſecutio, maxima futura eſſet Religionis ruina. Si enim tam multi injuſtis potentium deſideriis obſequuntur, ne illorum favore priventur, aut in aliqua temporalia damna incurrant: quid foret Principibus certam mortem intentantibus? Nonne Deus Chriſtianorum debilitati conſuluiſſe exiſtimandus eſt, qui, ne Judæi à vera Religione averterentur, vetuerat, ne ipſis Rex infidelis præficeretur, Deuteronom. 17. verſ. 15.

7. Nel-

7. Nescio an hodie pro Religione omnes Episcopi Galliæ B. Martini Episcopi pro disciplina constantiam imitarentur, de quo ita scripsit S. Severus Bituric. Archiep. *in vita B. Martini cap.* 23. *Atque ut minora tantis inseram (quamvis ut est nostrorum ætas temporum, quibus jam depravata omnia, atque corrupta sunt pœnè præcipuum sit adulationi Regiæ Sacerdotalem non cessisse constantiam) cùm ad Imperat. Maximum ferocis ingenii virum & bellorum civilium victoria elatum plures ex diversis partibus Episcopi convenissent, & fœda circa Principem omnium adulatio notaretur, seque degeneri inconstantia, Regiæ Clientelæ, Sacerdotalis dignitas subdidisset, in solo Martino Apostolica autoritas permanebat. Nam etsi pro aliquibus supplicandum Regi fuit, imperavit potiùs quam rogavit.*

8. Nescio an multi ex aliis ordinibus cum Divo Joanne Damasceno de sacris Imaginibus orat. 1. sub principium, verè dicerent; *Nec veritati Regiam amplitudinem prætuli. Loquebar enim, inquit Divinus ille pater David in conspectu Regum, & non confundebar. Quin etiam ob id magis sum incitatus. Nam ad subjectos populos decipiendos multum valet Regis autoritas. Pauci enim, nimirùm illi qui terrarum Reges Cœlestis Regis Imperio gubernari, & leges debere Regibus imperare sciunt, iniqua eorum jussa negligunt, & aspernantur.* Et sub finem ejusd. orat. *Regio non cedemus imperio patrum conanti evertere consuetudinem. Neque enim piorum est Regum Ecclesiastica instituta convellere; his de rebus statuere, atque decernere* NON AD REGES *pertinet, sed ad Concilia; Nam ubi duo, vel tres, inquit Dominus, congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio ipsorum. Ligandi, solvendique potestatem* NON REGIBVS, *sed Apostolis & eorum Successoribus Pastoribus, & Doctoribus Christus dedit.*

10. Si penes Rempublicam manet jus aliquando Principatum transferendi, ut manere fatendum est, nisi multos Principes Tyrannidis reos facias, quænam occurrere justior ratio potest eo jure utendi, quàm ubi regimen temporale ab æterna fælicitate avertit, ad quam referenda est pax, & tranquillitas civilis, qui proximus est Principatûs sæcularis finis? Id autem cùm contingit, nonne & Principum severitati, & subditorum saluti omninò necessarium est, ut à fidelitatis juramento absolutio petatur, sicut ab aliis?

11. Cùm autem mutua sit Principum, & subditorum obligatio ad exequenda pacta in institutione Regni conventa, nonne justa erit causa, ut Ecclesia præstitæ fidei vinculo

eximat subditos; si Princeps contra datam fidem eos in vera Religionis custodia servandi, à vera Religione deterreat?

CAPUT XIV.

An sententia Illustrissimorum Episcoporum Galliæ Sanctorum exemplis consona sit?

1. SEntentiam suam Illustrissimi Antistites Gallicani etiam tanquam Sanctorum exemplis consonam omninò retinendam, declarant. Omnibus sanè Christianis veneranda sunt Sanctorum gesta; imò plerumque imitanda. Ideò enim præter alias causas publico cultui proponuntur, quia eorum vita est quasi animata Evangelii interpretatio, quæ nobis, & quomodo Christi verba sint accipienda, & quomodo sectanda vestigia, demonstrat. Ad eam nos sæpè sancti Patres remittunt. Ità S. Augustinus de verbis Domini in Evang. secundùm Matth. ser. 18. cap. 20. *Attendite*, inquit, *in facta Sanctorum, ne fortè nostra videatur interpretatio. Quomodò hæc verba intellexerunt Sancti, sic utique intelligenda sunt.* Et cap. 21. *Videamus si hoc ipsi fecerunt.* Quæ Spiritus sanctus per os Sanctorum locutus, id per Sanctorum actiones est executus. Sicut illi Christum imitati sunt, ità nos ad ipsorum imitationem invitamur; *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*, clamat B. Paulus 1. Corint. 11.

2. Quæ sunt autem illa Sanctorum exempla, quibus sententia Comitiorum Cleri Gallicani consona dicitur? Per exempla non actiones Sanctorum, sed omissiones intelligi puto. Fatendum est enim aliquos ex Sanctis Tyrannos Ecclesiam persequentes non deposuisse, nec aliâ ratione potestatem Ecclesiasticam in temporalia Principum exercuisse. Verùm cùm illa omissio ex variis causis, ac circumstantiis procedere potuerit, puta ex impotentia Ecclesiæ, ex metu majoris mali, &c. ex ea juxta legitimas ratiocinandi regulas universim concludi nequit, id jure nunquam fieri posse, quod aliquoties à Sanctis quibusdam omissum sit.

3. Quemadmodum in Testimoniis unus Testis affirmans, cen-

centum negantibus, ut vulgò dicitur, plerumque preferendus est; validiusque animus Judicis inducitur ad credendum rem aliquam gestam esse, ex eo quod unus se illam vidisse asserat, quàm si centum, præsertim ab eo loco, vel eo tempore, quo gesta supponitur, absentes contrarium jurent: ita multò gravioris ponderis erit aliquorum Sanctorum, Principes Ecclesiæ per Christianæ fidei professionem subditos à persequendis fidelibus, & opprimenda Ecclesia, etiam subtractâ potestate temporali cohibentium, quàm aliorum illas injurias ferentium, & Christianos vel ad patientiam promptos Martyrii gloriâ privare, vel debiles in crudeliorum suppliciorum, aliorumve malorum discrimina certiora conjicere nolentium.

4. Adeò celebris, & conspicua est vita multorum ex iis, quorum doctrinam, vel etiam exempla declarationi Episcoporum Gallicanorum opposuimus, ut sacrilegus habendus sit, & blasphemus, qui eos à Sanctorum albo expungere tentaverit. Sed fortasse non eâdem religione prosequendi aliquibus videntur illi Pontifices, qui supradicto jure usi sunt majori cum autoritate ac constantiâ. Verum id ad minùs veritatis evidentia etiam à suspectis Judicibus extorqueat; plura scilicet eluxisse tum per vitam, tum post mortem sanctitatis indicia in illis Pontificibus, quàm in Principibus, quibuscum illis res fuit: nisi fortè vitam, moresque Imperatoris Henrici v. g. sanctiores quisquam existimet, quàm Gregorii VII. eum deponentis; judicetque istum à Sanctorum Cathalogo delendum, ut reponatur ille.

5. Nescio quo in Martyrologio recitentur nomina, vel in qua Ecclesia solemne officium celebretur Principum illorum, à quorum obedientiâ subditi per Ecclesiasticam sententiam exempti fuerunt. Legi autem in Martyrologio Romano die 13. Februarii; *Romæ S. Gregorii Papæ II. qui Leonis Isaurici impietati acerrimè restitit.* Item in appendice Adonis Archiepiscopi Viennensis: *Natalis Gregorii Papæ II. qui rexit Ecclesiam annos 16. Leonis Constantin. temporibus: hic vir castus, in Divinis Scripturis eruditus, &c.*

6. Legi pariter in Martyrologio Romano die 15. Martii; *Romæ Natalis S. Zachariæ Papæ, qui Dei Ecclesiam summâ vigilantiâ gubernavit, & clarus meritis quievit in pace.* Apud Adonem Archiepiscopum Viennensem; *Romæ Zachariæ Pontificis, qui Romæ sedit annos 10.*

7. Legi etiam in Martyrologio Romano die 25. Octobris; *Salerni depositio S. Gregorii Papæ VII. Ecclesiasticæ libertatis propugnatoris, ac defensoris acerrimi.* Extant etiam alibi sanctitatis ejus testimonia. Lambertus Schafnaburgensis de rebus German. ita de illo scribit; *Nam & Papa tam eximiè tamq; Apostolicè vitam instituebat, ut nec minimam sinistri rumoris maculam conversationis ejus sublimitas admitteret, & illa in urbe celeberrimâ, atque in tanta obsequentium frequentiâ obscœnum aliquid perpetrans, latere nequaquam potuisset.* Presbyter Pœnitentiarius sancti Anselmi Episcopi Lucensis in ejus vita de mitra ejusdem Gregorii VII. ait; *Præclara quædam fecit Deus per eandem mitram mirabilia. Inter alia enim Reverendissimus D. Ubaldus Mantuanus scilicet Episcopus, multis jam annis gravissimè Spleneticus toto corpore ulceratus, præsertim cruribus, sic ut vix quomodolibet stare posset, vix etiam jacere, vel sedere, qui & multa in Medicos erogaverat, nihilq; profecerat; appositâ eâdem mitrâ, ubi major ingruerat dolor, pristinæ redditus est sanitati.* In Chronic. Cassinens. lib. 3. cap. 54. refertur Joannem quemdam vidisse Columbam in dextro humero Gregorii VII. Missam celebrantis, eique præceptum; *Vade quantocius auribus Papæ hoc ipsum intimato, ut constanter vigore sancti Spiritûs cœptum opus peragat.*

8. In Breviario Romano ad usum Cleri Basilicæ Vaticanæ habetur. Die 12. Junii S. Leonis III. Papæ & Confessoris officium duplex, cujus lectio 6. sic incipit; *Cùm ab impiis erutis oculis, & confossus vulneribus semivivus relictus fuisset, postridie per insigne miraculum sanus inventus est, iisdemque parricidis vitam suis precibus obtinuit. Carolo Magno Francorum Regi Romanum Imperium detulit.* Die autem 13. Februarii S. Gregorii II. Papæ & Confessoris officium item duplex.

9. Eâdem ratione confirmari posset longè gravioris esse ponderis ob vitæ sanctimoniam, aliorum Pontificum auctoritatem, qui Sedis Apostolicæ in aliis Capitibus per declarationem Illustrissimorum Antistitum Gallicanorum impetitis defenderunt, quàm Episcoporum, aut aliorum illa impugnantium.

LIBER QUINTUS

Comparatio Summi Pontificis cum Concilio Generali occasione secundæ propositionis; scilicet:

Sic autem inesse Apostolicæ Sedi, ac Petri successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistant sanctæ Oecumenicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolicâ comprobata, ipsoq; Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetuâ Religione custodita Decreta de autoritate Conciliorum generalium, quæ sess. 4. & 5. continentur; nec probari à Gallicana Ecclesia, qui eorum Decretorum quasi dubiæ sint autoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.

CAPUT PRIMUM.

Summarium hujus secundæ propositionis examen.

1. ILlustrissimus Petrus de Marca quæstionem de comparatione Summi Pontificis cum Concilio generali à libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ alienam, & ad invidiam illis, quàm ad autoritatem conciliandam aptiorem, adeoque prætermittendam sentiebat; *Qui Romani Pontifices*, inquit lib. 3. cap. 7. num. 1. *odium in has libertates concitant, id præcipuè urgent, eas aliâ ratione constare non posse, quàm Apostolicæ Sedis dignitate in eo maximè immi-*

imminutâ, quod Pontifex Concilii generalis autoritati subjiciatur..... Non est quod hæreamus in ea regula, quæ Romanis stomachum movet, & quæ rebus nostris non prospicit, ut par est. Fruatur Summus Pontifex aut æquo jure cum Conciliis generalibus, aut superiori: Illud unum in foro expendetur, an nova Constitutio, vel novum Rescriptum rebus Gallicanis consulat, aut noceat. Illustrissimi Episcopi Gallicani ècontra hanc quæstionem inter libertates Gallicanas recensent. Ita scilicet oriuntur in dies novi libertatum illarum furculi, aut tempore schismatis, vel dissidiorum inter utramque potestatem nati, & cum schismate, & dissidiis extincti, reviviscunt, prout juvare possunt ad amovenda sanctæ Sedis Decreta, quantumvis justa, & utilia.

2. Mirari profectò libet Episcopos Gallicanos dignitatem Principum temporalium absque ulla necessitate tam fortibus stipasse præsidiis, ut Ecclesiasticæ potestati nullo unquam casu illam attingere permiserint; Dignitatem autem Pontificiam, absque ulla etiam occasione, libero Conciliorum generalium arbitrio concesserint, eâque ratione sanctiores Pontifices Concilii generalis convocationem omni diligentiâ, & industriâ devitandam docuerint; ne fortè, si in Concilium Basileensi simile inciderent, ab eoque deponerentur, non ità faciliter, ac fæliciter ut Eugenius IV. schismati finem imponerent.

3. Tot, tantæque sunt Conciliorum generalium utilitates, dummodò in Spiritu sancto legitimè congregentur, & congregata legitimè perseverent, ut Christianæ Religionis, & Ecclesiasticæ disciplinæ parùm studiosus sit, qui ea sæpe congregari ex intimo cordis affectu non exoptet. Verùm, ut diximus, qui odiosam illam quæstionem de comparatione summi Pontificis cum Concilio importunè movent, vel determinare audent, Conciliorum generalium autoritatem extollentes, illorum convocationi obicem ponunt, metuentibus scilicet summis Pontificibus, ad quos spectat autoritas, vel cura illa, ne Synodus legitimè inchoata in periculosum schisma desinat.

4. Sed ut ad propositionem ipsam propiùs accedamus; Quomodo non inter se pugnant illius partes? Quomodò inesset *Apostolicæ Sedi potestas plena*, si Conciliis generalibus subsunt Pontifices

tifices in ea ſedentes, etiam extra tempus ſchiſmatis; ſcimus B. Petro, & ejus Succeſſoribus commiſſam paſcendarum ovium curam; ſed in quo Scripturarum loco ipſe Petrus, ejuſque Succeſſores legitimi, Conciliorum œcumenicorum Juriſdictioni ſuppoſiti ſunt? Si Romani Pontifices *Chriſti Vicarii* ſunt, & quidem proximi, & immediati, ut definivit Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 43. adverſus art. 37. Joan. Wiclef, cui, niſi ei, cujus vices gerunt, ſubjacent? Quomodo eſt *plena poteſtas*, quæ ab alterius arbitrio, vel judicio, pendet? Ejus eſt qui facultatem confert, facultatis uſum præſcribere, aut ſi ab altero præſcribi voluerit, id clarè ſignificare. Poteſtatem Romani Pontificis à Chriſto collatam fuiſſe negare non audent Franci Catholici; eam plenam eſſe concedunt Epiſcopi Pariſiis congregati. Debuerunt ergò, ſicut in prima propoſitione, ita in iſta ſecunda, Evangelii loca referre, quibus ducti ſunt, ideſt in quibus Chriſtus B. Petri, ejuſque Succeſſorum poteſtatem, Divinitùs traditam, Conciliorum Juriſdictioni ſubdidit, quantùm ad uſum, & exercitium.

5. Plurima è contra ſunt, quæ ſuadent Concilia, à quibus abſit ſummus Pontifex legitimus, & indubitatus, autoritatem Pontificiâ ſuperiorem non habere, ſed potiùs inferiorem. Primò quidem quia ſecluſo ſummo Pontifice difficile eſt, ut definiatur Concilium generale. Secundò quia Concilium generale ſine aſſenſu Romani Pontificis congregari, vel ſaltem ſuis Decretis ſupremam autoritatem dare, non poteſt. Tertiò quia clariùs exprimitur in Scripturis ſacris ſummi Pontificis quàm Concilii generalis autoritas. Quartò quia hanc doctrinam Sanctorum teſtimonia validiùs confirmant. Sed hæc magis explicanda ſunt, atque confirmanda.

6. Quoniam autem poteſt Concilium generale illud intelligi, aut cui ſummus Pontifex cum reliquis Prælatis interſit, aut verò quod, ſine ſummo Pontifice, reliquis dumtaxat conſtet. Satis patet in declaratione Cleri Gallicani accipi hinc ſummum Pontificem ſine Concilio, illinc Concilium ſine ſummo Pontifice: cùm declaratio Decretis Concilii Conſtantienſis nitatur, quæ aliam ſententiam non admit-

tunt. Itaque in eodem sensu sumenda sunt, quæ in hoc libro dicentur.

7. Quæ tamen vel in hoc, vel in aliis tractabuntur, ejusmodi erunt, ut sufficiant ad ferendum de alia comparatione judicium. Sunt enim tria maximè, in quibus potest fieri comparatio, veritas fidei, ac morum disciplina, & judicia. Consentiunt Catholici adversus Panormitanum in cap. significasti de elect. Concilii œcumenici sententiam de rebus fidei, ac præceptis generalibus morum, infallibili certitudine gaudere. Idem de summo Pontifice in 7. libro probabimus. Nec ex eo quod Papa Conciliorum verè generalium definitionibus circa fidem derogare non possit, consequitur; Concilium esse Pontifice superius; Nam perinde sequeretur unum Concilium omnibus posterioribus præeminere, cùm quæ ab uno definita sunt, nequeant ab aliis immutari, utpotè quorum sit firmissima veritas. Collatio circa Decreta de disciplina, ex doctrina de dispensationibus colligi potest. Constat enim ex Gallorum praxi, qui plures, & à Canonica Conciliorum disciplina magis exorbitantes dispensationes postulant, eos in summo Pontifice autoritatem super Decretis Conciliorum dispensandi agnoscere. Quot enim mihi numerabis in Gallia Episcopos, qui, vel ad retinenda simul plura Beneficia, vel ad mutandas Sedes, vel aliis de causis, dispensatione non egeant? Denique quod spectat ad judicia, ex illa quæstione pendet, an possit à Papa ad Concilium appellari, quam etiam in hoc libro attingemus.

CAPUT II.

Quàm sit difficile Concilium generale sine summo Pontifice definire, ejusque autoritatem determinare.

1. CConcilium Provinciale aliquando perfectum, & plenarium dicitur ut in Can. 16. Concilii Antiocheni, ubi sic definitur, *Perfectum verò Concilium illud est, ubi interfuerit Metropolitanus Antistes.* Ferrandus pro *perfectum* interpretatus est *plenarium* n. 144. Breviar. Canon. quo loco Concilium Africæ vocat

vocat etiam universale. Hæc sunt ejus verba; *Ut Concilium universale non fiat, nisi causa communis, id est totius Africæ coëgerit; ut Synodus plenaria tunc dicatur, cùm Episcopus Metropolitanus adfuerit. Concilium Antiochenum tit.* 16. Vocatur etiam universale, Concilium ex tota Africa collectum cap. 19. Canonum Africanorum, *si autem ad Concilium universale accurrere noluerit, &c.* In Gallia simili nomine donatæ sunt Synodi ex pluribus Provinciis congregatæ, ut fidem faciunt Concilium Matisconense secundum, ac Tullense apud Saponarias anno 869. Hujus Canon. 13. his verbis concipitur; *Placuit omnibus, ut creditur, instinctu Divino, qui ad universale Concilium in vicinia Tullensium confluxerunt, &c.* In Epistola Synodica ad Wenilonem Archiepiscopum hæc etiam leguntur; *Episcopi, qui ad universale Concilium in suburbano Tullensi convenerunt, &c.* Et in indiculo quibus de rebus Salomonem commonere debeant. *Placuit universali Concilio, &c.* Concilium autem Suessionense tertium anno 866. Epistolâ Synodicâ 2. ad Nicolaum Primum Papam sic scripserat; *Sed neque ad generalitatis nostræ Synodum, si quando Apostolatûs vestri autoritas nostram fraternitatem pro quibuslibet emergentibus vel imminentibus negotiis aggregandam decernit, &c.*

2. Sed in alio sensu intelligitur Concilium generale, dum ei Summus Pontifex subesse dicitur, nimirùm pro Concilio verè generali, hoc est ex universis Orbis Christiani partibus convocatum, quod Joannes Gersonius tom. 1. tract. de potest. Eccles. & de origine juris, & legum edito Constantiæ tempore Concilii generalis, considerat. 12. sic definit, *Concilium generale, est congregatio, legitimâ autoritate facta, ad aliquem locum, ex omni statu Hierarchico totius Ecclesiæ Catholicæ, nullâ fideli personâ, quæ audiri requirat exclusâ, ad salubriter tractandum, & ordinandum ea, quæ debitum regimen ejusdem Ecclesiæ in fide, & moribus respiciunt.* Definitionem satis huic similem tradit Joannes Major Doctor Parisiensis in cap. 18. Matth. *Concilium est congregatio ex omni statu Hierarchico, quorum interest, convocata ab iis, quibus incumbit, ad tractandum communi intentione de utilitate publica Christiana.*

3. Quocirca plures nascuntur difficultates. Aliqui enim Generales Ordinum, & Abbates, alii alios necessariò vocandos existimant. *De Episcopis*, inquit Gersonius loco citato, *& superioribus Prælatis non est dubium, sicut juxta prædicta practicatum sæ-*

piùs invenitur in prioribus Conciliis, ſed neque videtur ambiguitas eſſe de minoribus Prælatis, qui ſunt Curati, & Hierarchæ, neque de illis, qui ad hunc duplicem Prælatorum Ordinem reducuntur, quibus non ex privilegio ſolo, ſed ex ſtatu, & ordinario jure competit animarum cura, quemadmodum ſunt multi Abbates, Decani, Præpoſiti, cum ſimilibus. Et ſanè in Concilio Hieroſolymitano, quod veluti primum atque aliorum exemplar proponitur, interfuerunt cum Apoſtolis Presbyteri, & utrorumque nomine conſcripta eſt Epiſtola, *Apoſtoli, & Seniores fratres, &c. Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, &c.*

4. Sed ſupponamus juxta communiorem, & veriorem ſententiam Epiſcoporum tantùm ſuffragia neceſſariò requiri; cæteros autem nonniſi ex privilegio, vel ad conſilium dumtaxat vocem habere: dubium ſupererit de numero Epiſcoporum. Licet enim juxta communem loquendi modum univerſale, ſeu generale non appelletur, quod majorem partem non complectitur: tamen aliqua Concilia reputata ſunt generalia, in quibus pauciores, quam in nonnullis particularibus interfuerant Epiſcopi. Exemplum habemus in Concilio Conſtantinopolitano tempore S. Damaſi Papæ, ac Theodoſii ſenioris Imperatoris.

5. Reſponderi poſſet non tam attendi ſingulorum Epiſcoporum, quàm Provinciarum numerum: ſed recurrit difficultas. Nam in dicto Concilio generali plurimæ Provinciæ, ſcilicet Occidentales, defuerunt. Quid ergo ſi major Provinciarum pars convenire, aut nolit, aut non poſſit. Sufficiet, inquies, ut omnes vocatæ ſint. Quis credat Galliam ita ſentire, quæ tam ægrè Concilia Florentinum, Lateranenſe quintum, imò & Tridentinum tanquam generalia agnovit, ad quæ certè ſciebat vocatos omnes Epiſcopos Catholicos; quæque conſtabant ex majori Chriſtianarum Provinciarum parte.

6. Repones Concilia ex acceptatione Eccleſiæ, generalia cenſeri, ſed hæc explicatio Concilii idæam confundit; hâc enim ipsâ ratione non ſolùm Concilia Nationalia, vel Provincialia, ſed etiam Diœceſana poſſent generalium nomine gaudere, accedente Eccleſiæ acceptatione: ac fruſtrà Conciliorum generalium poteſtas tantùm extolleretur. Omnis enim eorum autoritas in Eccleſiæ univerſæ conſenſionem,

nem, quæ sola, si adsit, sufficit absque cujusvis Concilii congregatione, resolveretur.

7. Ex iis, quæ de natura Concilii generalis dicta sunt, colligitur, quàm difficile sit exactam illius definitionem statuere, si ab eo excludatur Summus Pontifex. Quod ideo addo; quia in ea, quam tuemur, sententia, non multi refert, an universi omninò adsint Episcopi, an alii quàm Episcopi: Quinam ex jure; quinam ex privilegio: an per se, an per Procuratorem; an absint sine causa, an cum causa; an inviti impediantur absentes, an propriâ sponte abstineant; an consentiant omnes, an discrepent; & dum opposita sunt suffragia, an æqualis sit illorum numerus, vel quæ pars major aut minor, imò an Concilium sit verè generale: Cùm enim suprema, & infallibilis sit summi Pontificis sententia, eam, ceu regulam semper tutò sequentur fideles.

8. At verò si penes Concilium solum sunt suprema autoritas, & infallibilitas, incerta sunt omnia, quia dubium est per quos, & quomodo constitui debeat. Primò enim si opus est, ut omnes Episcopi conveniant, & unaquæque pars Ecclesiæ per suum Pastorem repræsentetur, & per universos Pastores, Ecclesia universalis; nullum unquam potuit, aut poterit haberi Concilium œcumenicum, ut evidens est. Imò difficillimum esset majorem partem congregari, ut dicemus alibi. Non repræsentaretur autem Ecclesia, ubi à nemine repræsentaretur pars ejus major.

9. Si vera esset Joannis Gersonii, Joannis Majoris, Jacobi Almaini, & Richerii sententia, scilicet Presbyteros omnes Curatos secundùm praxim Concilii Basileensis, cujus meminit testis oculatus Cardinalis à Turrecremata in summa de Ecclesia lib. 3. cap. 14. cujusque inconvenientia enumerat, jus habere non solum præsentiæ, sed etiam voti, & quidem decisivi; quandonam posset tanta Curatorum copia, cum tantâ Episcoporum multitudine in eundem locum confluere? Quid si præterea etiam Abbates, Canonici Ecclesiarum Cathedralium, & alii vocandi sint? Concedit quidem Gersonius Concilio, numerum suffragiorum augendi, vel minuendi facultatem. Sed hæc cautio difficultatem minimè tollit, quia sciendum in primis est quid sit illud Concilium, à quo

ſuffragia ad minorem numerum reducenda ſunt. Cumque iſtud incertum ſit, nunquam certi eſſe poſſumus, an Concilium verè ſit œcumenicum, niſi ex illis omnibus conſtet, qui aſſeruntur jus habere ſuffragii.

10. Supponamus autem rerum ſtatum adeò commodum, ut convenire facilè poſſint omnes, quos prædicti ſcriptores vocandos cenſent; ſi, ut incommoda vitentur, ne dicam abſurdâ, quæ in deliberando circa ſingulas controverſias ex immensâ illâ hominum multitudine naſcerentur, minuendus ſit ſuffragiorum numerus; cùm longè copioſior ſit Curatorum, non ita negligenter ſui ordinis cauſam illi agent, ut ſaltem ex qualibet Diœceſi unum ſupereſſe non velint, adeoque numero ſuperabunt Epiſcopos. Vix enim fieri poterit ut è centum, ducentis, aut multò pluribus Curatis cujuslibet Diœceſis unus adeſſe non poſſit, cum è contra facilè contingat, ut unus Epiſcopus impediatur. Tunc igitur prævalebit, ut numerus, ita & ſententia Presbyterorum, Epiſcoporum judicio. Licet enim concedamus, cæteris paribus, præferendum eſſe Epiſcoporum ſuffragium; ſi Curatorum ſuffragia conſona circa quandam de fide difficultatem longè plura ſint, quàm Epiſcoporum contrarium judicantium: Nonne major pars tunc Concilium eſſe cenſebitur, quantumvis Epiſcopalis Dignitas longè ſit Sacerdotali præſtantior? Nam ſolet in omnibus Cœtibus judicialibus, pro concluſione ſententiæ, non qualitas, ſed numerus ſuffragiorum, attendi, ſaltem ſi pars una maximo exceſſu aliàs ſuperet.

11. Si autem in Conciliis ſervandum ſit, ut non majoris abſolutè, ſed ſimul majoris, & ſanioris partis debeat ſententia prævalere, quemadmodum de aliis Cœtibus inſinuat Concilium Lateranenſe generale ſub Alexandro III. anno 1179. aut ſecundùm alios 1180. & expreſsè docet Textus Juris cap. *Eccleſia veſtra*, quod eſt 57. de elect. cum gloſſa, & Doctoribus ibi; quamquam ex hodierna praxi, & omnium ſcriptorum interpretatione, major pars cenſeatur etiam ſanior; quod inferri videtur ex Concil. Trid. ſeſſ. 23. de regul. cap. 6. an ea erit amplectenda ſententia, quam tuebuntur Patriarchæ, Primates, & Metropolitani, contradicentibus Epiſcopis multò pluribus? Nequaquam, inquies, quia dignitates ſunt iſtæ,

ab

ab Ecclesia institutæ, non à Christo; ità & ipse sentio; secus tamen alii. Illustrissimus Petrus de Marca antequam etiam Metropoliticam dignitatem esset adeptus lib. 6. de concord. cap. 1 n. 3. earum institutionem ad Apostolos referendam probare conatus est. Idem etiam statuerat lib. 1. cap. 3. num. 2. Arnulphus Rusæus tractatum de Archiepiscopali dignitate orditur ab hac præfatione, in qua de jure Divino esse demonstrare nititur. *Pro fausto, & felici hujus materiæ initio quærendum est, quo jure instituta est Archiepiscopalis autoritas, seu dignitas. Et ut exordiamur ab ovo, dicendum videtur, quod non humanâ adinventione, sed potiùs Divinâ quadam constitutione ordinati sunt hi Archiepiscopi Metropolitani respectu suorum suffraganeorum. Hoc probatur jure Divino, Civili, & Canonico.*

12. Denique in sententia Gersonii, quo gradu majores Prælati minoribus præstabunt in æstimatione suffragiorum? Quot Curatorum vota unius Episcopi sententiam æquabunt.

13. Ne quis suspicetur, nos animo minuendæ Conciliorum autoritatis, difficultates illas de novo excogitasse, quibus impossibile fermè demonstratur, in Gallorum sententia definire quid sit Concilium generale: videat Launoium tom. 8. epist. 11. quæ est ad Claudium Amelinum Parisiensem Canonicum, & Archidiaconum, magnoperè desudantem, ut numerum Conciliorum generalium hactenus habitorum assignet, varias eorum ex variis Scriptoribus conditiones exponentem; ac tandem interroganti Amico respondere coactum, difficilè rem posse determinari. Quæ igitur erit fidei nostræ regula, in illius Scriptoris, & aliorum Gallorum sententia, qui non errandi privilegium Summo Pontifici adimunt; & Concilium generale apud quod reponunt, certis nequeunt notis designare?

CA-

CAPUT III.

De convocatione Conciliorum. An pertineat ad Principes.

1. CONvocatio plures effectus habere potest. Primus est ut personæ ex quibus debet Cœtus constare, unum in locum conveniant. Secundus, ut licitus sit Cœtus. Tertius, ut ratum sit quod statuerit. Duobus etiam modis fieri potest. Primò per modum consilii vel supplicationis. Secundò per modum præcepti.

2. Equidem si hoc tantum spectetur, ut Episcopi conveniant, parvi refert à quocunque convocentur. Aliquando enim cùm ex alia occasione, puta dedicationis alicujus Basilicæ, simul essent, Concilium celebrarunt. Liciti sunt ut plurimùm Conventus omnes, qui boni publici causa fiunt, possunt tamen ex circumstantiis illiciti evadere, puta si rerum propriam autoritatem excedentium arbitrium usurpent; si justa legitimi Superioris prohibitio intercedat; si schismatis, seditionis, scandali, aut alterius mali periculum immineat. Itaque, si seclusis hujusmodi circumstantiis convenirent Episcopi ad tractanda quæcumque ad optimum Ecclesiarum suarum regimen conducunt, solus convocationis defectus culpæ non faceret obnoxios.

3. Verumtamen quemadmodum in statu politico rectum ordinem constare non posse judicatum est, nisi publici Cœtus Superioris alicujus autoritate convocarentur, scilicet in Civitatibus à Consulibus, aut aliis Magistratibus, in Provinciis à Præfectis, Comitia verò totius Regni, alicubi etiam unicæ Provinciæ, à solo supremo Principe: adeò ut qui prætermisso illo ordine sese in Cœtum quasi de Republica tractaturi congregaverint, seditiosi habeantur. Ita in Ecclesia, dum constituti sunt Metropolitani, Exarchi, & Patriarchæ, præcipua illis collata est autoritas, ut Episcopos intra Provinciæ, aut Diœcesis fines constitutos, ad Synodum evocarent, qua de re plures extant Canones. Constantinopolitani

litani primi Canon 2. Antiocheni 20. Chalcedonensis 9. Constantinopolitani quarti 17. &c. S. Augustinus epist. 218. excusat se Victorino ad Concilium vocanti, eumque rogat, ut priùs cum Xantippo super jure Primatus, & Concilii Episcoporum convocandi, placidè componat. Concilium quartum Constantinopolitanum can. 17. Patriarcharum in convocandis Conciliis jus validissimè confirmat. Huc etiam spectat Concilii Antiocheni Canon 20. Chalcedonensis Canon 9.

4. Quamobrem Deus (quod dictu nefas est) minùs perfectum in tota Ecclesia, quàm Ecclesia ipsa in Provinciis, & Diœcesibus, imò quàm Principes in Republica, regimen instituisset, si ordinem, promovendis utiliter vel minimis Cœtibus necessarium, pro omnium maximo, Augustissimo, & ad rectè gubernandam Ecclesiam utilissimo, scilicet Concilio Oecumenico, neglexisset; ut nempè ab aliquo Superiore ex officio convocaretur. Quantùm præstat uni Civitati, Provinciæ, aut Regno Ecclesia universa, tanto sapientiori, & ordinatiori regimine par est illam administrari. Postulat autem ordo quod diximus, & quod antiquissima comprobavit experientia, ut Conventus nonnisi annuente Superiore celebrentur.

5. Solùm igitur ambigi posset, quis sit ille Superior, cujus autoritate congregari omnium Episcoporum Cœtum oporteat. Imperatorem, seu Principem sæcularem solum hâc autoritate præditum docuerunt Hæretici recentiores. *Solum*, inquam, nam & illum hâc autoritate præditum esse scripserunt aliqui inter Catholicos. Sed multis absurdis obnoxius est ille Hæreticorum error.

6. Primò enim vel illa potestas pertinet ad Principes, in quantum Principes sunt, aut in quantum Christiani, aut in quantum Principes, & simul Christiani. Si in quantum Principes, eâ præditi erant etiam Pagani, Nero, Diocletianus, & alii Ecclesiæ hostes, ac sine illorum autoritate nefas erat congregare Concilium, quod nemo sanus senserit. In quantum Christiani sunt, Ecclesiæ Ministris, præsertim Episcopis subesse ac obtemperare debent, non præesse, aut imperare possunt. Conjunctio autem dignitatis Regiæ cum professione Christianâ id unum efficit, ut quâ tanquam Princi-

pes autoritate pollent), eam tanquam Christiani in exequendis Ecclesiæ, communis omnium fidelium Matris, Decretis insumant; non autem ut potestatem temporalem ad spiritualia officia extendant.

7. Secundò non est, nec fuit unquam à tempore, quo in omnem terram exivit sonus Apostolorum, totus orbis Christianus unico Principi subditus. Penes quem igitur ex multis erit convocandorum ex omnibus terræ partibus Episcoporum autoritas? Hanc certè uni, etiam Imperatori, alii non concederent.

8. Tertiò præterquam quod difficile esset, ut omnes consentirent Principes etiam Catholici ad convocandos eos, qui in sua cujusque ditione essent, quid fieret, si eorum plerique Infideles essent, aut hæretici, ut contigit, non solùm antequam Constantinus Magnus Christianam fidem amplecteretur, sed etiam longè posteà, v.g. in fine quinti sæculi, quando Clodoveus Francorum Rex Baptismum suscepit, quo tempore observant Historici nullum omninò in orbe universo Catholicum Principem extitisse. Quo igitur modo tunc compressa fuisset hæresis, si, quod erat facile, Principes non curassent, ut Episcopi de Religione inter se tractarent: et si aliundè, ut declararunt Episcopi Gallicani, judicium Summi Pontificis non erat infallibile? Nam difficile fuisset totius orbis Episcoporum seorsim sententiam rogare; cujus enim fuisset universa suffragia colligere.

9. Quartò patet adhuc evidentiùs autoritatem illam Principibus non competere, si convocatio Decretis robur aliquod tribuat. Aut enim neganda est distinctio inter utramque potestatem, Ecclesiasticam, & sæcularem, quam soli inficiantur Hæretici, admittunt Catholici, etiam qui sæcularem in Ecclesiasticæ fines longiùs inferunt, aut sicut sæcularia, & temporalia, sæculari; ita spiritualia, & Ecclesiastica, Ecclesiasticæ, tribuenda sunt. Sicut igitur distincta sunt negotia, ita distinctæ sunt potestates, etiam circa easdem personas. Non est Principum sæcularium Episcopos in regenda Ecclesia dirigere, sed ab eis regi. Nec satis est, quod Prælati Ecclesiastici sint in aliis rebus subjecti Principibus, nisi etiam tractandorum negotiorum ea conditio sit, ut in iis locum ha-

habeat sæcularis jurisdictio. Quia ergo congregandis Cœtibus non tam personarum, quàm negotiorum, habenda est ratio, alioquin liceret Summo Pontifici in omnibus Regnis Christianis, quorum est supremus Pastor, Comitia pro expediendis causis civilibus convocare, quod ægrè concederent Politici : Ecclesiasticæ potestatis est, pro Ecclesiasticis rebus Concilia congregare.

10. Quocirca observandum est, quàm iniqua sit illorum sententia, qui cùm reum læsæ Majestatis Regiæ arbitrentur eum, qui summum Pontificem hujusmodi autoritate præditum affirmaret pro negotiis sæcularibus, extra Ecclesiasticam ditionem ; Principibus tamen temporalibus Jus præter Romani Pontificis assensum Concilia Oecumenica convocandi adscribunt, quasi non solùm non distinxerit Christus utriusque potestatis limites, sed etiam Ecclesiasticas personas in negotiis Ecclesiasticis sæculari subjecerit, non verò sæculares spirituali in rebus sæcularibus, etiamsi frequenter aliqua Religionis ratio concurrat.

11. Possunt quidem Principes in rebus etiam Ecclesiasticis Episcopos monere, hortari, rogare, non autem cogere. Et si quando pii Principes propter suam dignitatem, vel Episcopi propter reverentiam, præcepta, jussiones, aut similibus nominibus, appellant litteras Principum ad Concilia Episcopos convocantium, non tamen significant specialem aliquam coram Deo imponi Prælatis obligationem, ex eo præcisè, quia Princeps jubet ; sed ex eo quod justum est, aut necessarium id, quod præcipitur ; quamquam ex occasione si præceptum illud prætermitteretur, majoris coram Deo culpæ essent Antistites, quia non sine majori negligentia prætermitterent officium, de quo moniti essent. Imò ipsa monentis dignitas majorem argueret negligentiam, adeoque graviorem culpam.

CAPUT IV.

Cur Imperatores olim Concilia convocáverint.

1. ETsi à facto ad jus non sit necessaria consequentia; non est tamen leve argumentum justitiæ, quod ab exemplo sapientum, & piorum virorum ducitur. Quamobrem concludunt aliqui, jus convocandorum Conciliorum penes Imperatores olim saltem extitisse, quod videamus eorum aliquos, non solùm æquitatis, sed etiam Religionis laude conspicuos, v. g. Constantinum, Theodosium Magnùm, & Marcianum, hujusmodi Cœtus congregasse, Ecclesiâ non repugnante. Verùm si usus illius originem, & causas diligentiùs inquiramus, comperiemus à facto Imperatorum, ad jus aliquod speciale Principibus sine assensu Ecclesiæ tribuendum, non valere consequentiam.

2. Usus ille à Donatistarum temeritate, ac pertinacia ortum habuit. Cùm enim usque ad tempora Constantini Magni Ecclesia per Concilia Provincialia, & Diœcesana, ac per sollicitudinem Pastorum suorum, præsertim summorum, emergentibus necessitatibus providere solita esset, quantùm per tempora licebat: Donatistæ schismatici à Constantino Imperatore Judices postularunt adversùs Cæcilianum Episcopum Carthaginensem, contra quem schisma conflarant. Imperator tres Episcopos ex Galliis Romam misit, ut cum Melchiade Summo Pontifice causam judicarent: quod factum est: habito Romæ Concilio anno 313.

3. Hoc primum Concilium est, cui se Princeps sæcularis immiscuerit, nisi fortè Imperatorem Aurelianum dixeris convocandi Concilii Romani anno 282. adversùs Paulum Samosatenum autorem fuisse. Qua de re ita scribit Eusebius histor. Eccles. lib. 7. cap. 30. vers. Vales. *Igitur cùm Paulus à recta fide simul, & Episcopatu excidisset, Domnus, ut dictum est, administrationem Antiochensis Ecclesiæ suscepit. Sed cùm Paulus è domo Ecclesiæ nullatenus excedere vellet; interpellatus Imperator Aurelianus rectissimè hoc negotium dijudicavit, iis Domnum tradi præcipiens, quibus Italici Christianæ Religionis antisti-*

tistites, & Romanus Episcopus scriberent. Hoc modo vir supramemoratus cum summo dedecore per sæcularem potestatem ab Ecclesia exturbatus est. Sed hoc Aureliani factum ad convocationem Concilii parùm videtur pertinere, cùm de ea nihil statuerit. Imploratum fuerat ejus auxilium adversùs Episcopum canonicè depositum, ipse autoritatem suam noluit adhibere, quousque de justitia certior factus esset, retracto particularis, scilicet Antiochenæ, Synodi judicio, per Synodum Romani Pontificis, & aliorum Episcoporum Catholicorum Italiæ, circa cujus convocationem, tempus, personas, aut modum nihil præscripsit. Sed judicium Romani Pontificis, & aliorum Episcoporum Italiæ curavit exequendum.

4. Ut igitur ad Constantinum redeamus, plura occurrunt in ejus Decreto notatu digna. Primò, non ipse propriâ sponte causam Donatistarum ad se, tanquam vel Judicem, vel Principem, vel aliquam circa Ecclesiastica negotia autoritatem habentem, traxit; imò illorum judicium ad se non pertinere significavit; nec nisi schismaticorum, qui primùm in Africa apud Anulinum Proconsulem, deinde in Galliis apud Imperatorem ipsum vehementer institerant, importunitate victus, ac pacis studio inductus, animum huic negotio admovit. Id testantur ejus ad Episcopos Concilii Arelatensis verba. *Quoties à me jam ipso improbissimis additionibus suis sunt condignâ responsione oppressi? Qui utique si hoc ante oculos habere voluissent, minimè hoc ipsum interposuissent. Meum judicium postulant, qui ipse judicium Christi expecto..... O rabida furoris audacia, &c.*

5. Secundò, etiamsi Donatistæ Judices de Gallia postulassent, ut perhibet illorum libellus supplex ab Optato Milevitano relatus. *Petimus ut de Gallia nobis Judices dari præcipiat pietas tua.* Tamen Constantinus causæ cognitionem ad Romanum Pontificem, ad quem pertinebat, remisit, adjunctis tribus Episcopis Gallicanis, qui Romam accesserunt.

6. Tertiò, Melchiades Romanus Pontifex Constantini mandato non ita se putabat obstrictum, ut cum solis, quos ipse miserat Episcopis, causam judicaret, sed Concilium ipse congregavit, convocatis ex Italia aliis Episcopis, quorum nomina, & Civitates recitat idem Optatus, ac cum iis simul, & cum tribus è Gallia missis, causæ facta est discus-

sio. Itaque constat suâ eum, non ab Imperatore delegatâ jurisdictione processisse.

7. Quarto, præcipuas partes in hoc judicio, ac præsertim in ferenda sententia Melchiades habuit, ut indicant hæc Optati verba; *Cæcilianus omnium suprà memoratorum sententiis innocens est pronuntiatus; etiam Melchiadis sententiâ*, QVA IVDICIVM CLAVSVM EST. Quæ fuerunt igitur Constantini partes in hoc judicio? ut scilicet illud ad legitimum Judicem remitteret. Qui enim Summo Pontifici, ne omnino despicerentur Donatistarum preces, adjuncti sunt, erant de Patriarchatu Romano.

8. Verùm, quæ Schismaticorum est pertinacia, non cesserunt huic sententiæ Donatistæ; sed ut ipsismet Constantini verbis Epistolâ ad Vicarium Africæ utar; *Cùm res fuissent apud Urbem Romanam ab idoneis, ac probatissimis Viris Episcopis terminata, obnixè, ac pertinaciter respondendum æstimaverunt; quod eorum omnis causa non fuisset audita.* Itaque Imperator, ne quis eis superesset conquerendi de parùm maturo negotii examine prætextus, numerosissimum Arelate in Gallia voluit haberi Concilium, Episcopis ex plurimis, remotissimisque Provinciis evocatis, quibus, quæcumque ad iter commodè peragendum erant necessaria, suis ipse sumptibus subministranda curavit anno 314. Hic quidem Constantinus aliquam in convocando Concilio autoritatem exercuisse visus est; id tamen de consensu S. Sylvestri, qui sancto Melchiadi in Pontificatu successerat, factum fuisse, quis dubitet, quandoquidem sanctus ille Pontifex suos Legatos ad Concilium misit.

9. Sed quæres, cur passus fuerit Sylvester Prædecessoris sui judicium retractari: respondeo eadem de causa, quâ motus est Constantinus; scilicet ut hâc benignitate frangeretur Donatistarum pertinacia. Constantinum enim non putasse necessariam illam retractationem, verba ejus suprà relata satis indicant, & apertiùs declarat S. Augustinus epist. 162. *Dedit ille*, inquit loquens de Constantino, *aliud Arelatense judicium, aliorum scilicet Episcoporum*, NON QVIA IAM NECESSE ERAT, *sed eorum perversitatibus cedens, & omnino cupiens tantam impudentiam cohibere.* Adde quod causa non est delata à Romano Pontifice ad Concilium per appellationem, tanquam ab inferiori Tribunali ad

su-

superius. Nam, ut notat Jacobus Sirmondus, *De Synodo Romana murmurasse victos Donatistas, illam accusasse, ac reprehendisse, de illa questos esse, multis locis docet Augustinus*: AB EA PROVOCASSE *nusquam proditum est.*

10. Non est tamen Arelatensis Concilii autoritate compressa Donatistarum pervicacia. Nam Imperatorem appellaverunt, eoque adegerunt, ut ipsemet causam judicaret. Quid igitur mirum si Constantinus eorum gratiâ circa Judicum convocationem aliquid egerit, quod Romani Pontificis juribus repugnare videatur, cùm etiam se Judicem causæ constituerit, licet id sibi non licere multifariam anteà significasset: Primò quidem in eo quod, ut inquit S. Augustinus epist. 162. *Non ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosas, & fallaces querelas suscipere, ut* DE IVDICIO EPISCOPORVM *qui Romæ sederant, ipse judicaret.* Secundò, in eo quod ut habet Optatus loco supracitato, & ut scripsit Constantinus ipse in litteris ad Episcopos Concilii Arelatensis, Donatistas appellantes à Concilio Arelatensi acerrimè perstrinxit; *O talida furoris audacia*, inquit, SICVT IN CAVSIS GENTILIVM FIERI SOLET, APPELLATIONEM INTERPOSVERVNT? Plura alia sequuntur in dictis litteris, quibus probat se Judicem competentem non esse. Tertiò, quia causæ cognitionem non suscepit, nisi *à sanctis Antistibus posteà veniam petiturus*, ut ait S. Augustinus epistolâ 162. jam citatâ.

11. Grassante nón ita post in Oriente Arianâ hæresi, tentatis frustrà aliis remediis, idem præstitit Constantinus in convocando Nicæam Concilio generali anno 325. quod antea in Arelatensi, ut tradunt communiter Historici. Itaque primum Concilium Oecumenicum convocavit, juvit, promovitque Imperator.

12. Quod ille pro suo erga Religionem, & pacem amore fecerat, Ecclesiâ gaudente, nedum consentiente, subsequentes Imperatores sæpissimè, mali quidem, aut boni hæreticorum fraudibus decepti in Ecclesiæ perniciem; Pii autem in fidei, ac disciplinæ profectum præstiterunt.

13. Causæ igitur, propter quas Ecclesia Imperatoribus Concilia convocantibus non obstitit, istæ fuerunt. Primò cùm tempore persecutionum ægrè potuissent celebrari Concilia,

cilia, quorum, si ritè fiant, maximæ sunt utilitates; ubi Christianus Imperator cœpit non solùm permittere, sed & juvare, ac promovere sanctissimos hujusmodi Cœtus, hoc bonum maximo Dei beneficio adscripserunt Antistites: ac fructum exinde provenientem magis attendentes, quàm quæ incommoda futuris temporibus consequi possent, non ita subtiliter inquisierunt, an eâ ratione Principes ultrà proprios limites excursuri forent, propriæque autoritati vindicaturi, quod à solo Constantini studio erga Religionem, ac publicam quietem cum Ecclesiæ consensu profectum fuisset. Secundò quia Hæretici, & Schismatici, legitimæ superiorum Ecclesiasticorum autoritati non satis subjecti, Imperatorum erant compescendi autoritate, quam ipsi vix adhibuissent, nisi negotia in Synodis à se indictis fuissent tractata. Tertiò quia propter Ecclesiarum paupertatem non potuissent Episcopi longa itinera conficere, præsertim ut ex universo Orbe in unum locum ad celebrandum Concilium generale concurrerent, nisi vecturæ, aliisque commeatui necessariis Principum liberalitas providisset. Quartò Principes ab omnibus Cœtibus admodum numerosis publicæ quieti, ac propriæ dignitati sinistrum aliquid metuentes, Episcopos, quorum magna erat in plebem potestas, sine suo assensu convenire non permisissent. Quintò Constantini Magni exemplum laudabiliter se imitari posse credebant. Ut id à bonis fieret, propter utilitatem, ut à malis, propter necessitatem, & impediendi difficultatem passa est Ecclesia.

14. Cæterùm enim liberam conveniendi facultatem Episcopis de rebus Ecclesiasticis tractaturis competere, nec à Principibus coarctandam esse declararunt, aliquando ipsi etiam Principes, ut capite sequenti videbimus.

CA-

CAPUT V.

Concilia generalia, dum certus est, & indubitatus Romanus Pontifex, sine illius assensu legitimè congregari non posse.

1. CUjuscumque autoritatis sit Concilium generale, Principum curâ, vel ex communi Episcoporum consensu, congregatum, dum nullus, aut incertus & dubius est Romanus Pontifex, qua de re infrà obiter agemus, occasione Concilii Constantiensis, ex professo enim illam tractare non ita pertinet ad susceptum argumentum, unam ex legitimi Concilii conditionibus esse dicimus, ut à legitimo Pontifice, dum talis existit, & agnoscitur, aut saltem non sine illius assensu convocetur.

2. Ea est D. Thomæ sententia, quam quæst. 10. de potentia art. 4. ad 13. exprimit his verbis; *Cujus* (Romani Pontificis) *autoritate solâ, Synodus congregari potest, & à quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur.* Et 2. 2. quæst. 1. art. 10. in corp. *Et ideò ad solam autoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum generalem.*

3. Joannes Gerson eorum Coriphæus, qui Concilii potestatem tantum extulerunt, lib. de vit. spirit. anim. lect. 3. postquam Papæ superioritatem supra totam Ecclesiam his verbis constituit; *Habet itaque Papa dominium superioritatis à Christo supra totam Ecclesiam, cum plenitudine potestatis in eis, quæ spirituale regimen Ecclesiæ propriè dictum respiciunt, &c.* Partes hujus potestatis assignat in hunc modum; *De hac potestate sunt* JUS CONVOCANDI CONCILIA UNIVERSALIA, *Jus determinandi cum Concilio quæstiones fidei per modum articulorum, omnes generaliter obligantium.* Deinde tamen aliquos casus excipit, de quibus inferiùs.

4. Acriter S. Antoninus hoc Summi Pontificis jus defendit Chronic. par. 3. tit. 2. cap. 3. §. 1. *Nec* CONCILIUM ALIUD GENERALE, inquit, POTEST CONGREGARI SINE AUTORITATE ROMANI PONTIFICIS; *nec aliquid valet ordinatum in il-*

lis, NISI ORDINETVR A PAPA, *ut patet distinct.* 17. *cap.* 21. *& per tot.* ..... *Omnia prædicta dixerunt, & crediderunt omnes sancti Doctores, & Pontifices tam Græci, quam Latini, & Concilia universalia, quæ celebrata sunt tam in Oriente, quam in Occidente, quæ fuerunt legitima Concilia, non Conciliabula, & Synagogæ Sathanæ, sicut Concilium Ariminense celebratum per Arianos, &c.*

5. Edmundus Richerius ob deprimendæ Romani Pontificis, & extollendæ Principum sæcularium autoritatis studium famosus, fatetur histor. Concil. cap. 1. n. 7. Quod *cum Primatus Petri sit Juris Divini quoad institutionem, certè regulariter, & ordinariè Synodi generales* ABSQVE CONSENSV PATRÆ LEGITIME PETITO CELEBRARI NON DEBENT. *Idq; praxis Ecclesiæ primitivæ demonstrat, & Canon Ecclesiasticus, quem Julius Papa commendat, &c.*

6. Hanc ad Summum Pontificem autoritatem ita pertinere, ut sine ejus assensu Concilia generalia congregari non possint, agnoscit Petrus de Marca lib. 5. cap. 5. num. 4. *Hoc flagitium*, inquit, *admiserat Dioscorus, quod sine Sedis Apostolicæ autoritate Synodum Ephesinam peregit.* Et cap. 14. num. 1. *In septima quoque Synodo Primatus Romani Pontificis emicuit. Etenim non solius consensus prærogativa, dignitasq; Sedis Apostolicæ, sed etiam summa illa autoritas admissa est, quæ conventibus Ecclesiasticis Concilii Oecumenici robur conferre debet.* Numero autem 8. ex Simeone Metaphraste ista refert: *Qui Oecumenicum Concilium istud vocari queat, quod nec Romanus Antistes, cujus autoritatem nullo modo fieri potest, ut res Ecclesiasticæ ad normam dirigantur, gratum habuit.* Idem Petrus de Marca lib. 6. cap. 28. num. 12. hanc tractat materiam, ac num. 15. varia Conciliorum genera distinguens, de universalibus disertè pronunciat, quod verissimum est NON POSSE CONCILIA CELEBRARI ABSQVE SENTENTIA EPISCOPI ROMANI.

7. Totius ovilis Christi curam B. Petro, ejusque successoribus commissam nonnisi Hæretici inficiantur; *Cunctis*, inquit S. Gregorius lib. 4. epist. 32. *Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominicâ sancto, & omnium Apostolorum* PETRO PRINCIPI APOSTOLO TOTIVS ECCLESIÆ CVRA COMMISSA *est; ipsi quippe dicitur; Petre amas me, pasce oves meas, &c. Ecce claves Regni cœlestis accipit, potestas ei ligandi, ac solvendi tribuitur; cura totius Ecclesiæ committitur.* Concilia igitur generalia, ut optimo Ecclesiæ regimini prospiciatur, convocare, ad supremum illum

lum Ecclesiæ Pastorem pertinet. Id enim Rectoris officio esse quasi innatum docent, & recta ratio, & omnium societatum tam civilium, quàm Ecclesiasticarum praxis, ut quisquis regimini præfectus est, is Cœtus convocet, dum publica res exigit, eique vocanti cæteri obsequi teneantur. Concilium generale ex ejus autoritate indicendum est, qui possit omnibus, qui congregandi sunt præcipere, suoque præcepto illos obligare. Alioquin enim plurimi adesse negligerent, aut contemnerent. Quis autem præter Romanum Pontificem omnes Episcopos sibi præsertim in rebus Ecclesiasticis, subditos habet?

8. Ideò ex S. Hieronymo inter Apostolos unus electus est, qui cæteris præesset, ut schismatis tolleretur occasio. Sed in congregandis, & celebrandis Conciliis majus est schismatis periculum. Impossibile enim est, vel saltem difficillimum (qui sunt hominum mores) ut Episcopi per totum orbem diffusi consentiant in idem tempus, eundem locum, eundem deliberandi ordinem, & alia, quæ ad prosperum Concilii exitum sunt necessaria, nisi multiplicia illa membra sic dispersa, uni capiti colligentur, ejusque motum sequantur. Si tempore magni schismatis aliud contigisse videtur, speciali Divinæ providentiæ dispositioni, ac quasi miraculo id tribuendum est, in gratiam Fidelium patrato; quorum maxima pars, quis esset legitimus Pontifex, ignorabat. Cæterùm enim tot fuerunt tunc temporis dissentiones, contentiones, & discordiæ, ut simile miraculum expectandum non sit, nec expetendum; præsertim dum constabit (atque utinam nunquam lateat) quis verus sit Pastor, & verum Ecclesiæ universæ Caput.

9. Jus illud Summi Pontificis declaratum est jam anno 501. Nam accusato de horrendis, licet falsis, criminibus Symmacho Papa, convocati ad Synodum Episcopi Theodorico Regi exposuerunt, Synodi convocationem ad ipsummet Pontificem, quamvis accusatum pertinere, *Suggesserunt ipsum qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum evocare; scientes quia ejus Sedi primùm Petri Apostoli meritum, vel Principatus, deinde, secutâ jussione Domini, Conciliorum venerandorum autoritas ei singularem in Ecclesiis tradidit potestatem.* Quid ad hæc Theodoricus? *Potentissimus Princeps, ipsum quoque*

PAPAM IN COLLIGENDA SYNODO VOLVNTATEM SVAM LITTERIS DEMONSTRASSE, *significavit.* Act. Synod. Rom. 3. sub Symmacho Papa anno 501. Certè si Concilium, in quo de Papæ accusatione tractandum est, ab ipsomet debet convocari, idque ob *Petri Apostoli meritum vel Principatum*, non video quâ occasione, quove pretextu possit illi hæc autoritas à Catholicis negari, quam Rex Arianus agnovit. Dices fortè non de Concilio generali, sed de Provinciali, vel ad summum de nationali, hæc dicta fuisse, sed præterquam quod de re agebatur, quæ Concilium generale postulasset, nec enim ab inferiori Concilio deponi posse Summum Pontificem contendunt Galli, rationes, quæ adducuntur, pro omnibus Conciliis æqualem vim habent, puta *Petri Apostoli meritum vel Principatus, Jussio Domini, singularis in Ecclesiis potestas.*

10. Cùm Imperator Valentinianus ab Episcopis rogaretur, ut liceret Concilium celebrare, respondit, ut refert Zozomenus lib. 6. cap. 7. *Mihi, qui sum in sorte plebis, fas non est, talia curiosius perscrutari: Sacerdotes, quibus ista curæ sunt, quocunque voluerint loco conveniant*, quibus verbis indicaverat, ad Ecclesiasticam libertatem spectare Conciliorum ad res sacras tractandas congregationem, nec posse Imperatores congregationem, sine justa saltem causa prohibere.

11. In Concilio Chalcedonensi, ut observavit Marca supra relatus, Dioscorus inter Episcopos sedere prohibitus fuit, quod Synodum generalem fecisset sine autoritate Apostolicæ Sedis, quod nunquam licuerat, nunquam factum fuerat. Acta Concilii Chalcedonensis act. 1. QVOD NVNQVAM FACTVM FVIT, NVNQVAM LICVIT.

12. Denique Concilium Lateranense V. sess. 11. soli Romano Pontifici hanc vindicat potestatem Constitutione, quæ incipit; Pastor æternus his verbis; *Cùm etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam autoritatem super omnia Concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, & potestatem habere, nedum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum nostrorum, sacrorumq; Canonum decretis, sed propriâ etiam eorundem Conciliorum confessione manifestè constat.*

13. Casus aliquos excipit Joannes Gersonius à necessitate fa-

faciendæ à ſummo Pontifice Conciliorum convocationis; *Congregatio*, inquit tract. de poteſt. Eccleſ. conſid. 12. *legitimâ autoritate facta* DICITVR REGVLARITER A PAPA, *ſicut ſonant Decreta, & Decretales innumeræ. Excipiuntur tamen tres caſus, ubi congregatio Concilii generalis ſit legitimè ſine Papa. Unus dum deſinit eſſe per mortem naturalem, aut civilem, ſeu Canonicam, quæ eſt depoſitio, vel ſi cadat in perpetuam maniam, aut ſi ad eum captivatum non pateat acceſſus. Alius dum ſufficienter requiſitus de convocando Concilium, renuit contumaciter in perniciem Eccleſiæ, præſertim ſi tangat ipſum. Tertiò ſi Concilium poſtquam eſt à Papa legitimè congregatum ſtatuat certum tempus, & locum pro celebrando generali Concilio, ſicut infra triennium vel de decennio in decennium, etiam ubi Papa renueret.* Fatetur Gerſonius regulam eſſe ut Concilium à ſummo Pontifice congregetur. Non ſunt ergo hinc alii caſus excipiendi, quàm quos vel lex Divina, vel evidentiſſimâ ratio præſcribit. Dum nullus eſt Papa vel incertus eſt, dare operam Epiſcopi poſſunt ut eligatur Paſtor, quem univerſa ſequatur Eccleſia. Nec aliud quidquam præſtari à Concilio poſſe, docent Autores non pauci. Ad ſummum igitur, ſi electione pendente, vel ſummo Pontifice impedimento inevitabili detento, quicquam occurreret, quod dilationem remedii non pateretur, Concilium providere poſſet. At verò dum legitimus, & certus exiſtit Pontifex, ad eum totius Eccleſiæ cura ſpectat, nec ſine illius autoritate, ſupremo, & infallibili judicio aliquid ſtatui poteſt.

14. Quid ergò, inquies ſi Papa per negligentiam, vel malitiam bonum Eccleſiæ peſſundari permittat? Nonne tunc eo invito congregari Concilium poterit? Poterunt tunc Epiſcopi monere, urgere, aliiſque convenientibus mediis uti, Concilium autem generale Papæ opponere, nihil aliud eſſet, quàm remedium malo pejus adhibere; ſtratâ ſcilicet ad ſchiſma, quo ſancti Patres docent nihil eſſe perniciosiùs, viâ procliviſſimâ. Ecquando enim utile fuit Eccleſiæ exiſtenti ſine ſummo Pontifice legitimo, & indubitato, Concilium ſine ipſo collectum, vel continuatum? Quo tandem deſiit Concilium Baſileenſe, ex quo tempore ſchiſma conflavit adverſus Eugenium IV.? Quis fructus Conciliabuli Piſani Ludovici XII. Francorum Regis curâ congregati adverſus Julium II. Pontificem, &c. Certè qui Eccleſiam ſuam ſuper Petrum ædifi-

catam promisit à portis Inferi non superandam, nunquam permisit, nec permittet unquam, ut ab ipsius Petri Successoribus ità concutiatur, ut nisi à Concilio generali sine illis, ac contra illos convocato, fulciatur, continuò ruitura sit. Nec video quî potuerint Antistites Parisienses eum casum tantoperè timere, ut & sine summi Pontificis, & sine Concilii generalis autoritate, remedium præparare festinaverint.

CAPUT VI.

Respondetur objectionibus Joannis Launoii.

1. ILlustrissimus Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 12. quærit, *cujus sit congregare Concilia*, qui titulus sanè significat, eum non de facto, sed de jure movere quæstionem. Et quia contra hæreticos disputat; *Igitur*, inquit, *convenit inter nos, & Adversarios, Concilia Diœcesana ab Episcopo, Provincialia ab Archiepiscopo, Nationalia à Patriarcha, vel Primate convocari debent.* Itaque de Conciliis generalibus disputationem instituit. Quo circa hanc conclusionem statim ponit; *Catholici munus convocandi Concilia generalia ad Romanum Pontificem propriè pertinere volunt, sic tamen ut possit etiam alius Pontifice consentiente, Concilia indicere; quin etiam satis sit, si indictionem factam, ipse postea ratam habeat, & confirmet. At, si nec ipse indicat Concilium, nec aliquis alius de ejus mandato vel consensu, nec ipse saltem approbet indictionem,* ILLVD NON CONCILIVM, SED CONCILIABVLVM FORE. *Hæretici autem hujus temporis eam autoritatem Imperatori attribuunt.* Jus illud deinde sex, aut septem argumentis probat.

2. Capite autem sequenti solvit Adversariorum argumenta ex eo præcipuè desumpta, quòd prima Concilia fuerint ab Imperatoribus non à Pontificibus indicta, factum non negat, imò satis apertè concedit. Sed primò respondet, argumento, quod vocant ad hominem, scilicet frustra traditiones, aut consuetudinem ab adversariis allegari, ut qui à traditione, & consuetudine argumenta efficacia duci posse non admittant, Secundò, consuetudini, consuetudinem opponendo; *Si enim*, inquit, *quatuor, aut quinque Concilia Imperatores indixerunt, plura quam duo-*

duodecim indixerunt Pontifices, ut Adversarii etiam fatentur. Tertiò, dicendo, *nullum esse Concilium generale Catholicum à solo Imperatore indictum, id est sine consensu, & autoritate Romani Pontificis*; quod intelligendum est juxta statutam initio conclusionem, ut Romanus Pontifex saltem approbaverit indictionem.

3. Joannes Launoius huic inter Bellarminum, & Hæreticos controversiæ se ingerens, non solùm contra Illustrissimum illum Cardinalem stat, sed eum etiam injuriis afficit, quarum illa videtur gravissima, quod Bellarminus malæ fidei fuerit in referendis testimoniis, quibus utitur. Sed videamus, an ille melioris sit fidei?

4. Decem primis sextæ partis Epistolis certat pro convocatione Conciliorum Imperatoribus asserendâ; sed quâ intentione, mihi perspectum satis non est. Potest enim quintuplex moveri quæstio. Prima de facto, scilicet, utrum Imperatores Concilia convocaverint? Secunda utrum habuerint à se autoritatem, & jus convocandi? Tertia utrum autoritatem illam habuerint non consentiente, vel etiam renitente summo Pontifice? Quarta utrum illius convocationis jus Romano Pontifici competat? Quinta utrum ea uti possit sine consensu Principum?

5. Si Launoius primum tantùm intendit, ut multiplices quas cumulat autoritates, suadent, frustra in Bellarminum insurgit, eumque injuriis lacessit. Fatetur enim Bellarminus pluries, etiam in verbis à Launoio relatis, Imperatores de facto prima Concilia convocasse.

6. Si secundum voluit Launoius, certè Theologi partes nullatenus explevit. Cum affirmanti incumbat onus probandi, debuit, ex regulis ab ipso sæpissimè repetitis, *aliquo Scripturæ loco juxta unanimem consensum Patrum accepto, aut traditione* probare, jus Concilia convocandi Imperatoribus competere, Scripturæ locus certè nullus est. Traditio Divina, vel Apostolica nulla est. Legimus è contra Apostolos plura Concilia habuisse, quorum convocationi absurdum est supponere interveniisse Principum Christianæ Religioni infensorum consensum, ut nullum sit apud Launoium argumentum negativum (qualia sunt apud ipsum ferè omnia) isto validiùs. Sed fortè traditionem appellaret longam illam testimoniorum seriem,

riem, quibus oſtendit, Concilia olim ab Imperatoribus convocata fuiſſe. Sed hæc traditio ad factum pertinet non ad jus, nec eſt illa traditio, quam intellexit Concilium Tridentinum, à quo ſuas illas regulas ſe mutuari paſsim profitetur Launoius. Loquitur enim Concilium de doctrina à Chriſto, vel ſaltem ab Apoſtolis ex inſtinctu, ac præcepto Spiritûs ſancti ad nos quaſi per manus tranſmiſsâ; Cujuſmodi non ſunt Hiſtoriæ convocationis Conciliorum ab Autoribus, quos citat Launoius, conſcriptæ. Accedit, quod traditio Launoii non eſt perpetua, & conſtans in favorem Imperatorum, ut ipſe epiſtolâ ad Raymundum Formentinum fateri cogitur his verbis; *Quin generalia Concilia, quæ ante Florentinum habita ſunt, cùm Romæ, tùm in Gallia, Lugduni, & Viennæ, tùm in Germania, Conſtantiæ, & Baſileæ, Romani Pontificis autoritate indicta, & convocata fuerint, dubitari meritò nequit.* Quibus quidem verbis non excludit expreſsè Imperatorum autoritatem: ſed hinc inferes, cujus affectus fuerit in ſanctam Sedem Scriptor ille, qui cùm in ejus favorem veritate cogente loquitur, totum quod vult dicere, dicere nequit. Scopus enim ejus epiſtolæ (vide quantum illi debeat ſancta Sedes ob prædictam confeſsionem) eſt oſtendere, Imperatorem conſenſiſſe Concilio Florentino, atque ita quodammodò compenſatam veterem diſciplinam, quâ Principes Concilia convocabant. Cùm igitur Launoius Concilium Florentinum anterioribus opponat, tacitè tantùm concedit, ſed verbis non exprimit, anteriora ſine Imperatoris conſenſu fuiſſe convocata, quod certiſſimum eſt, quodque ut Launoius apertè diceret, poſtulabat ejus inſtitutum. Denique traditio ſeu exempla à Launoio adducta, factum, non jus, de quo eſt quæſtio probant.

7. Tertium, nempè jus illud penes Imperatores fuiſſe, non conſentiente, vel etiam renitente Summo Pontifice, cùm falſum ſit, adhuc magis impoſſibile eſt, ut demonſtretur argumento Theologico, ſiquidem ex regulis Launoii petendum eſſet ex *Sacræ Scripturæ loco, juxta unanimem conſenſum Patrum accepto, vel ex traditione illa*, de qua loquitur Concilium Tridentinum.

8. Quæ ſit Launoii mens circa quartum, ſcilicet, an ſummus Pontifex habeat jus convocandorum Conciliorum, non ſatis

satis apparet. Videtur id planè negare sub initium primæ Epistolæ 6. tomi; *Præmittenda*, inquit, *atque expendenda mihi tria videntur. Et primum quidem num ex Scriptura sacra convocandarum Synodorum jus, & autoritas, cuiquam, Romano puta Pontifici, vindicari queat. Vindicari nequit: siquidem Scripturæ sacræ locus nullus est, qui juxta unanimem consensum Patrum acceptus, uti accipiendum esse Tridentinæ Fidei regula præscribit, cuiquam id juris & autoritatis asserat.* Sed fortasse his verbis id tantum intellexit, quod pag. 9. dicit; *Personam congregantis Synodum, & Synodi congregationem ad benè, vel malè gestam Synodum pertinere nihil*; Hoc est, ut ipse explicat, non referre à quo congregetur Concilium, ut rectè celebretur. Id adhuc apertiùs tradit Ep. 8. Ex quo tamen non sequitur, non posse summum Pontificem, dum Ecclesiæ universæ necessitas exigit, Episcopos ad Concilium convocare, illosque non teneri convocanti parere. Doctrina enim esset Religioni perniciosissima. Cùm enim aliunde doceat judicium Papæ in definiendis fidei quæstionibus non esse infallibile, quonam modo sisteretur hæresis grassantis cancer, si Papa non haberet jus, & autoritatem, imò, nec quisquam alius convocandi Concilii generalis, & Episcopi ut facilè contingere posset, si inter se dissentirent, aut etiam major pars convenire detrectaret? Quàm enim ægrè Galli ad Concilium Florentinum, ad Lateranense V. & ad Tridentinum accesserunt, quæ tamen propter suam, & fortè aliorum absentiam, generalia esse negabant, licet omnes generaliter convocati fuissent; Cujus difficultatis causa an in Principes, an in Episcopos referenda sit, non est hujus loci perscrutari. Hoc tantùm observo, facillimè impediendam esse Conciliorum congregationem, si nullum sit summo Pontifici convocandi jus, nulla convocanti parendi Episcoporum obligatio. Atque ità periclitaretur Fides, & Religio, inutilis, & otiosa evaderet omnis Romani Pontificis autoritas, apud eos, qui à Romano Pontifice ad generale Concilium appellare licere, vel sentiunt, vel fingunt, ut ejus Decretorum vim eludant, expectantes Concilium, quod sciant non habendum, quodque fortè ipsimet impedituri sint.

9. Verùm non solum jus illud penes Romanum Pontificem esse, ut possit Episcopos ad Concilium cogere, quod

neſcio an inficiaretur Launoius, ſed etiam, ut ſine ipſo Concilium cogi non poſſit, quod Launoius negat, aut ſaltem vim in tota Eccleſia non ſint habitura ejus Decreta, tum ex jam dictis colligitur, tùm ex dicendis in aliis hujus libri capitibus conſtabit.

10. Obſcura eſt etiam mens Launoii circa quintum. Cùm enim in loco ſupra citato fateatur, ſaltem tacitè, congregata fuiſſe plura Concilia generalia Romani Pontificis autoritate, ſine Imperatorum conſenſu, autoritatem illam à Principum conſenſu liberam eſſe agnoſcere videtur: ſed cur in eadem Epiſtola contendit in Concilii Florentini Decreto, quo Græci cum Latinis in mutuam reducuntur concordiam, ideò fieri mentionem conſenſus Imperatoris, quia ſine eo congregatum fuerat Concilium, unde concludit; *Igitur inſcriptione tali compenſata eſt diſciplina vetus, quâ generales Synodi octo in Oriente Imperatorum juſſu celebratæ fuerant.* Cur tantùm in octo primis Epiſtolis illius tomi deſudat in congerendis autoritatibus, quibus oſtendat octo prima Concilia fuiſſe ab Imperatoribus convocata. Quidquid ſit de mente Launoii, ego quidem; licet non ignorem vix poſſe de facto haberi Concilium repugnantibus Principibus, propter eorum potentiam temporalem, certiſſimum tamen habeo, nullum penes illos jus reponi poſſe impediendi; quominus dum Eccleſiæ neceſſitas poſtulat, Concilium à ſummo Pontifice congregetur, præſertim in eorum ſententia, qui Papam errori obnoxium faciunt, etſi deeſſent aliæ rationes, illa vel ſola me convinceret, quod cùm aliàs contigerit, & rurſus accidere poſſit, nullum exiſtere ſupremum Principem Catholicum, Eccleſia tunc careret medio convenientiſſimo ad confirmandam fidem adverſus inſurgentes hæreſes, ſi Principum infidelium, aut hæreticorum conſenſus ad Concilii celebrationem de jure requireretur. Contigit enim frequenter, ut magna Epiſcoporum pars ab alia diſſentiret, ac cum ea convenire detrectaret.

CA-

CAPUT VII.

Respondetur iis, quæ Launoius Bellarmino specialiter objicit.

1. SUpersunt expendendæ accusationes Launoii contra Bellarminum in epist. 1. tom. 6. contentæ. Hinc enim intelligetur quid de iis sentiendum sit, quæ in aliis Epistolis sparsæ sunt; cùm ejusdem ferè generis sint. Primò, Bellarminum arguit quod lib. 1. de Concil. cap. 12. statuerit *re vera esse Pontificis, non Imperatoris congregare Synodum generalem, idq; demonstrari posse ex Divinis litteris.* At subdit Launoius; *Gratis, & sine Theologica ratione id dicit; Nam suprà notavimus Scripturæ locum, nullum adferri posse, qui juxta unanimem consensum Patrum acceptus prout exigit Tridentina fidei professio, demonstret, quod Bellarminus demonstrandum suscepit.* Similia addit de traditione in secunda accusatione. Perpetuum est istud Launoii Sophisma, Concilii Tridentini sententiam invertens. Ex eo enim quod Concilium *contra unanimem consensum Patrum Scripturam sacram interpretari vetuerit*; Infert ipse, *gratis, & sine Theologica ratione dici, quod Scripturæ loco juxta unanimem consensum Patrum accepto non demonstretur.* Quasi idem esset, prohibere *Scripturam sacram contra* unanimem consensum Patrum interpretari: atque declarare, nulla esse argumenta Theologica, nisi à Scripturæ loco juxta unanimem consensum Patrum, accepto, quod jam lib. 3. cap. 11. confutavimus.

2. Commoda omninò est Launoio sua regula, quia cùm rarò aliquid ex professo adstruendum suscipiat; sed ferè semper aliorum asserta destruere conetur, scopum suum attigisse sibi videtur, ubi negavit extare locum Scripturæ sacræ juxta unanimem consensum Patrum acceptum, aut traditionem, atque adeò rationem ullam Theologicam, pro adversarii sui dicto. Idque facilè probat juxta suam methodum allatis plurimis locorum Scripturæ interpretationibus, & autoritatibus de re illa tacentibus, aut aliud, diversum quidem, sed non contrarium, affirmantibus.

3. Sufficit Theologo, ut nihil contra unanimem Patrum

consensum affirmet, ut generalibus Patrum effatis argumenta sua conformet, ut conclusiones in traditione, vel in Scripturæ locis, unde illas deducit, contineri, prudenter, rationabiliterque, ex Fidei ac Religionis analogiâ judicentur, qui plus aliquid exigit, Theologiam cum Fide confundit; idque quod à peritis habendum est tanquam certissimum, cum eo quod omnibus fide Divinâ necessariò credendum est. His autem officiis satisfeciisse hac in parte Bellarminum perspiciet, qui ejus doctrinam æquo animo expenderit.

4. Tertiò Bellarminum accusat, quod *contra Calvinum Ecclesiastica historiæ rudem, & ignarum in rebus seu veris seu falsis ad hominem disputatis præsidium omne constituat. Sed asserenda semper est*, inquit, *suis momentis veritas, quæ hominum mendacio nunquam indiguit.* Sed quod est Bellarmini mendacium à Calvino acceptum. Hæc sunt Bellarmini verba, quæ refert Launoius; *Argumenta Calvini, & Magdeburgensium sumuntur ex indictionibus primorum Conciliorum, quæ ab Imperatoribus non à Pontificibus indicta fuere.* Primam partem admittit Bellarminus, scilicet prima Concilia convocata fuisse ab Imperatoribus: Illudne mendacium à Bellarmino ex Calvini concessione acceptum vocat Launoius, in quo confirmando tantum laboris insumpsit? Secundam partem negat Bellarminus, scilicet prima Concilia non fuisse à Pontificibus indicta, eo nimirùm modo, quem exprimit in conclusione sua, capite præcedenti posita, *sic tamen ut posset etiam alius, Pontifice consentiente, Concilium indicere; Quin etiam satis sit si indictionem factam ipse postea ratam habeat, & confirmet.* Illud, mendacium non esse, probat Bellarminus, & probabimus nos in capitibus sequentibus. Et, si mendacium esset, non esset à Calvino acceptum, quandoquidem id à Calvino negatur. Quid autem in hac Bellarmini methodo reprehenditur? An quod utatur argumentis quæ vocantur ad *hominem*? Num optima illa sunt, dummodo veræ sumatur adversarii sententia, legitimèque deducatur consequentia? Optandum esset, ut prima conditio adeò sincerè observaretur à Launoio contra Bellarminum disputante, ut à Bellarmino Hæreticos impugnante. An non certior victoria, cùm suis se armis hostis perimit? Sed falsa sunt, quæ Adversarius concedit. Non licet certè falsum assumere ad adstruendum falsum: Congruenter tamen affirmationem falsam ab adversario factam disputans

ei opponit, ut aliam ejusdem falsam assertionem retundat. Neque hoc pacto falsitas approbatur, sed ex falsitatis veneno ab adversario submINistrato, adversus aliam falsitatem componitur remedium, quo ille sanetur, alii sani custodiantur. Quanquam ne istud quidem facit Bellarminus, quin falsitatem detegat, contradictionem hæreticorum demonstrans, & singulas falsitates patefaciens. Quod autem Launoius addit; Neque *enim Calvinum errare sufficit, sed præterea requiritur, ut Catholici quidam non errent, cùm utrimque errari potest*; Innuens falsa ab adversariis concessa ad alia falsa confirmanda usurpari, vel eadem, quæ conceduntur acceptari. In Bellarminum id non cadit; Quod ut pateat, reliquas ejus accusationes ordine prosequamur. Cæterùm si hæc Launoii contra Bellarminum accusatio refertur ad illud, quod Illustrissimus Cardinalis ex confessione Calvini supponit, Conciliorum Provincialium convocationem ad Metropolitanum, Diœcesanorum ad Patriarcham, aut Exarchum pertinere, atque indè concludit generalium congregationem ad Papam spectare, præterquam quod verissima est doctrina, fuit etiam ab Episcopis Gallicanis tradita. Hincmarus Archiepiscopus Remensis opusc. 55. Capitum 20. cap. ait; Sic igitur *universales Synodi specialiter Apostolicæ Sedis autoritate convocantur, & æquè Provinciales Canonicæ Synodi Decreto Sedis Apostolicæ à Metropolitanis, & Provinciarum Primatibus convocantur, sicut de conlatis clavibus Regni Cælorum, id est ligandi, & solvendi Pontificio specialiter S. Petro dato, & simul omnibus Apostolis, & in eis Catholicis Episcopis conlato sancta, & universa tenet Ecclesia, &c.*

5. Quartò arguit Bellarminum, quod initio capitis 13. dicat; *Superest argumenta solvere, ex quibus etiam magis confirmabitur veritas*, quasi jam probasset in superiori capite, Nicænum Concilium à Constantino congregatum, atque id tantùm ex contrariorum argumentorum solutione supereresset confirmandum, quamvis in superiori capite non solùm id non probaverit, sed ne verbum quidem de Concilio Nicæno fecerit. Justiùs nos hic adversùs Launoium, quàm ipse alibi adversùs Bellarminum, aut alios Scriptores; quos ipse *Curiæ Romanæ mancipia* vocat, possemus exclamare. Heu prisca fides! Bellarminus in capite superiori, hoc est 12. lib. 1. de Conciliis, ut ipsemet Launoius in accusatione prima notavit his ipsis verbis, *Quæstio-*

nem juris tractat, ſtatuitq; re vera eſſe Pontificis, non Imperatoris congregare Synodum generalem, Caput autem 13. ſic inchoat. *Supereſt argumenta ſolvere ex quibus etiam magis confirmabitur veritas*; Illa verba ſic accipit Launoius, ut ſi Bellarminus vellet tantùm ſolvere argumenta negantium Synodum Nicænam à Romano Pontifice congregatam, quaſi jam id demonſtraſſet in capite præcedenti, cùm ejus Synodi ne mentio quidem facta ſit in illo capite. Id nemo credat de viro prudente, qualis erat Bellarminus, ſed nec credere poſſit qui contradicendi ſtudio non ſit excæcatus, ſi attendat ad illa ipſa verba Bellarmini, quæ refert Launoius ante primam accuſationem. Sic enim ſcribit doctiſſimus Cardinalis; *Supereſt argumenta ſolvere, ex quibus etiam magis confirmabitur veritas. Argumenta Calvini, & Magdeburgenſium ſumuntur ex indictionibus primorum Conciliorum, quæ ab Imperatoribus non à Pontificibus indicta fuere. De Nicæno primo ait Ruffinus, &c.* Quis præter Launoium lectis his verbis non videat, vel, negare audeat, Bellarminum non argumentis contra convocationem Concilii Nicæni, ſed contra jus convocandi Concilia reſpondere velle? Primò capitis 12. titulus eſt; *Solvuntur argumenta Adverſariorum.* Initium autem iſtius capitis eſt; *Supereſt argumenta ſolvere, &c.* Secundò Bellarminus dicit, Argumenta Calvini, & Magdeburgenſium ſumi ex indictionibus primorum Conciliorum; non ergo de convocatione Nicæni, quod primum omnium generalium celebratum eſt, diſputat. Tertiò, Bellarminus ex parte adverſariorum enumerationem Conciliorum ab Imperatoribus habitorum inchoat à Concilio Nicæno: non ergo de illo ſolo eſt quæſtio. Quartò, Bellarminus huic objectioni ex convocatione Concilii Nicæni propoſitæ reſpondet, probans eam ex conſenſu ſancti Sylveſtri factam; Non ergò ſupponit id jam à ſe in capite præcedenti demonſtratum; ſolumque ſupereſſe, ut argumenta in contrarium ſolvantur.

6. Quintò, *Bellarmino*, inquit Launoius, *& illius Aſſeclis religio videtur eſſe quicquam, quod Calvinus, & Magdeburgenſes probent non improbare.* Verum id quidem ſi de rebus intelligatur, quæ ad illorum hæreticorum errores pertinent, non de iis, in quibus rectè ſenſerunt. Novit Bellarminus omnia probare; quod bonum eſt, tenere; quod malum improbare, ut in loco;

de

de quo Launoius loquitur, concedit sapientissimus Cardinalis Calvino, & Magdeburgensibus, prima Concilia ab Imperatoribus fuisse convocata; negat ex facto jus sequi, ita ut Summo Pontifici potestas auferatur, & Imperatoribus adjudicetur, congregandorum Conciliorum.

7. Rursùs circa sextam accusationem exclamatio Launoii adversùs Scriptores Romanos in ipsum retorquenda esset. *Heu prisca fides*; Cùm enim Bellarminus tribus autoritatibus, scilicet sextæ Synodi, Damasi, & Ruffini (de quibus omnibus simul dixit, quod à Launoio repetitur; *ex quibus habemus quod volumus*) probasset, Concilium Nicænum habitum fuisse cum consensu Romani Pontificis, Launoius ad ultimam tantùm, utpotè cæteris minus expressam, Bellarmini conclusionem refert, quò eam faciliùs impugnet; sic enim ejus verba glossatur; *Ex quibus habemus quod volumus*, sic Bellarminus. Addit Launoius; *Si Ruffini testimonio stetur*. Cùm dicere debuisset; si sextæ Synodi, si Damasi, si Ruffini testimonio stetur. Imo bene affectus Lector verba ista potiùs de aliis, quàm de Ruffino obscuriùs loquente accipiet. Hanc autem Ruffini autoritatem impugnat Launoius, primò quod Ruffinus non aliud dicat, quàm quod *Constantinus ex Sacerdotum sententia Concilium convocat*; Non exprimens qui fuerint Sacerdotes illi. Secundò quia Epiphanius Ruffino antiquior significat, qui fuerint illi Sacerdotes, Alexandrum Alexandriæ Episcopum nominans. Tertiò quia hæc verba Epiphanii *studio, & hortatu* declarant, quid sibi velint hæ voces apud Ruffinum, *Sacerdotum sententia*; scilicet simplex concilium à Sacerdotibus mandatum à Constantino, adhibitum ad congregandum Concilium. Quartò, quia Nicæna Synodus se Constantini Imperatoris mandato coactam esse simpliciter profitetur. Sed primò cur non licuisset Bellarmino Ruffini verba illa, *ex Sacerdotum sententia*, de Romano Pontifice intelligere, cùm ratio suadeat Constantinum Principem religiosissimum, & prudentissimum tanti momenti rem non fuisse aggressum, nisi communi consensu cum S. Sylvestro, quem totius Ecclesiæ Caput, & Episcoporum Principem esse non ignorabat; cùm sexta Synodus, quam simul cum Ruffino citaverat, dixerit; Constantinum, & Sylvestrum magnam Synodum apud Nicæam congregasse: Cùm Gregorius II. quem

Lau-

Launoius tom. 7. epist. 7. plurimum laudat, in illo ipso Epistolæ posterioris fragmento, quod ibi exscripsit, hæc habeat verba; *Constantinus Magnus, Theodosius Magnus, Valentinianus Magnus, & Constantinus Justiniani Pater, qui sextæ Synodo interfuit, Imperatores isti religiosè imperarunt, & cum Pontificibus uno consilio ac sententiâ Synodos congregantes, atque veritatem dogmatum perquirentes sanctas Ecclesias constituerunt, & ornarunt*; Secundò Epiphanius Alexandrum Alexandriæ Episcopum nominans, alios non excludit. Tertiò, laudabilis illa inter Pontifices, & Imperatores concordia, quam exprimit Gregorius II. in verbis mox relatis, non patiebatur, ut ità subtiliter sua quique jura distinguerent; cum utrique de Fide tantùm ac Religione soliciti essent. Vndè contingere potuit, ut etiam Scriptores non ità scrupulosè verba ponderarent, nec rebus significandis aptiora seligerent. Adde, quod vox, *sententia*, qua utitur Ruffinus, utrumque, & simplex suffragium & judicium cum autoritate apud probos Scriptores Latinos denotat; Verba verò Epiphanii, *studio, & hortatu* Alexandro, cujus specialem fecit mentionem, accomodata sunt. Cùm enim Arius Presbyter Alexandrinus ob suam hæresim ab Alexandro illius urbis Antistite fuisset excommunicatus, nec resipisceret, imò plurimos suæ perfidiæ socios haberet, etiam inter Episcopos; optavit Alexander efficacissimum huic malo remedium apponi; Ideoque hortatus est Constantinum, ut Concilium generale celebrandum curaret. Id autem à Constantino sine Sylvestri consensu factum, credere non sinunt, quæ supra diximus. Quartò, neque id consentiente Sylvestro factum negat ipsum Concilium Nicænum, licet sileat. Sophisma est à propositione absoluta, mòdalem exclusivam inferre; ex eo quod Concilium Nicænum, & Scriptores à Launoio citati, dicunt, Concilium illud à Constantino convocatum; aut, ut volunt Hæretici, ipsi soli sine assensu summi Pontificis jus convocandi fuisse.

8. Septimò contra Bellarminum retorquet hæc ejus verba; *Ac primùm de Nicæno primo legimus in sexta Synodo Act.* 18. *Constantinum, & Sylvestrum magnam Synodum apud Nicæam congregasse*; Quæ contraria esse dicit ei quod statuerat capite præcedenti; *Est revera Pontificis tantum, non Imperatoris congregare generalem Synodum.* Hic adhuc

adhuc desideratur bona fides Launoii. 1. An Bellarminus his verbis capitis 13. intendit probare, quod cap. 12. jam ostenderat; *Esse revera Pontificis tantùm, non Imperatoris, congregare generalem Synodum?* Nonne respondet objectioni Hæreticorum, Papam à jure convocandorum Conciliorum excludentium, eò quod Imperatores prima Concilia convocaverint? Cui quidem Hæreticorum argumento tres adhibet responsiones, quarum ultima hæc est; *Tertiò dico nullum esse Concilium generale Catholicum, à solo Imperatore indictum, idest sine consensu, & autoritate Romani Pontificis*, quod sic probat; *Ac primùm de Nicæno, &c.* quæ supra relata sunt. Undè clarè liquet, male opponi Bellarmino illa ejus verba; cum non ipse, sed hæretici, quibuscum disputat, argumententur à facto ad jus: Ipse autemècontra concedens Imperatores de facto Concilia convocasse, neget, id eos proprio jure, ac sine consensu Romanorum Pontificum fecisse, quod testatur apertè autoritas illa sextæ Synodi. Optimè autem respondet adversariis suis Bellarminus, etiamsi à facto ad jus valeret consequentia; quandoquidem testatur sexta Synodus Sylvestrum cum Imperatore, non autem solum Imperatorem congregasse Synodum Nicænam. Undè juxta ratiocinationem Hæreticorum, sequeretur saltem juris illius participem esse Romanum Pontificem. Cæterùm non attendit Launoius ad ea quæ paulò post refert ex Bellarmino, scilicet, *Concilium generale ab eo indici debet ex autoritate, qui potest omnes cogere: At nullus unquam Imperatorum totam Ecclesiam subjectam habuit.* Si Launoius ad ea attendisset, non puto ausurum fuisse, adhibitâ æquivocatione, Bellarminum exagitare, quasi negasset Imperatores Concilia convocasse, aut statuisset, eum, qui de facto convocat, jure suo convocare. Hæc enim verba *indici ex autoritate* mentem eruditissimi Cardinalis luculenter explicarent, si alias non constaret; nimirùm ipsum non de convocatione actuali, sed de jure, & autoritate convocandi agere. Quanquam adversariis suis negat, convocationem actualem sine consensu summi Pontificis fuisse factam. Itaque iniquum est illud convitium quod subjungit Launoius, *ut qui vivit in diem, quid sit futurum cras, non cogitat; sic Bellarminus priore paginâ scribens quid posteriore scripturus sit non prospicit. Exinde contingit, ut prior, & posterior recta, & versa pagina mutuis attritæ vulneribus concidant, & in eandem ruinam trahantur, &c.*

9. Denique testimonium Damasi Bellarmino non favere contendit ; quia hæc verba, *cum Sylvestri consensu*, non denotant autoritatem convocandi Concilii ; Quippè cùm cæteris omnibus Episcopis conveniant. Verùm ut supra notavimus, Illustrissimus Cardinalis jam cap. 12. autoritatem summi Pontificis in convocandis Conciliis demonstraverat. Hic, ideſt in cap. 13. respondet objectionibus ; ità tamen ut ex responsionibus interdum confirmet jam probata. Quamobrem licet hæc verba non ita essent expressa, non periclitatur causa, quæ defenditur, præsertim cum immediatè antè istam autoritatem positum sit perspicuum Concilii sexti testimonium. Sed ut quid Sylvestri solius fuisset facta mentio, si vox illa, *consensu* nihil aliud innueret, quàm nudam complacentiam, aut approbationem omnibus Episcopis communem ?

10. Aliud quod objicit Bellarmino Launoius ; Nempe quod hic tribuat Damaso Pontificale, quod ei in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis non tribuit, plus videtur habere coloris, non tamen plus habet justitiæ conclusio hæc, quam illinc elicit ; *Bellarminus igitur peccat dupliciter, & primò quidem contra propriam conscientiam, cùm Damaso tribuit librum, quem Damasi non esse novera. Deinde cùm liber ille causam non adjuvat.* Nam & Pontificalis autoritatem causam juvare, jam vidimus ; Et temerarium est aliquem damnare peccati contra propriam conscientiam, dum lapsus tribui alii causæ potest, & probabiliter debet. Unde scit Launoius peccasse contra propriam conscientiam Bellarminum Pontificale illud Damaso adscribentem in libro primo de Conciliis ? Fortassis enim cùm eum librum scriberet, nondum examinaverat an Damasus esset verus Pontificalis Autor. Fortè licet id jam antea noviſſet, memoriæ tunc non occurrit ; fortasse in ea denominatione vulgari modo loquendi sese accommodare debere credidit. Denique viro admodum pio, qualis ex omnium opinione extitit Bellarminus, seni, ac morti vicino, juranti se nihil falsi scienter scripsisse, fides sine injuria negari non potest, cum de conscientiæ suæ arcanis, quæ soli Deo judicanda reservantur, quorumque solus ipse conscius est, testimonium dicit. *At*, inquit Launoius, *in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis* Pontificale Damaso non tribuitur. Ita est, & quidem si eodem tempore Damasò Bel-

Bellarmino fuisset adscriptum, contradictio suspicionem ingereret : Tamen peccati contra propriam conscientiam certam probationem non efficeret, cùm potuisset diversitas ex diversis causis oriri ; quantò igitur minus cùm libri de Conciliis, & de Scriptoribus Ecclesiasticis diversis temporibus editi fuerint. Certè Bellarminus senex, & morti vicinus hunc lapsum reparasset, si ejus sibi conscius fuisset, quando tam accuratè opera sua, solo veritatis amore inductus, recognovit.

CAPUT VIII.

Concilia generalia sine consensu summi Pontificis habita non fuisse, vel robur non obtinuisse, ostenditur : & respondetur aliis objectionibus Joannis Launoii.

1. Mihi, ut capite sexto dixi, perspicuum non est quâ intentione Launoius tantoperè desudaverit, ut convocationem primorum Conciliorum generalium Imperatoribus vindicaret. Si enim facti tantum veritatem defendere voluit, inutili labore tempus detrivit ; cùm factum nec tanti sit momenti, nec à quoquam negetur. Si laborem hunc suscepit, ut Papæ jus esse negaret convocandi Concilia, dum ad universæ Ecclesiæ bonum opportuna viderentur, apertam illius Primatui intulit injuriam ; cùm nihil magis ad Prælati cujusvis sive Politici, sive Ecclesiastici dignitatem, & autoritatem pertineat, quàm ut eos, quibus præest, convocandi habeat facultatem, dum id recto suo regimini expedire judicaverit. Potestatem illam Metropolitis, Primatibus, Exarchis, Patriarchisque tribuunt passim Canones, ut non nisi injuriâ summo Pontifici auferri queat. Si in id tantùm nixus est quod Epistolâ primâ, & aliis declarat, ut convocationem ostenderet, non esse necessariò aliqua autoritate faciendam, cur tantam operam contulit, ut Pontifices à primorum convocatione arceret, & eam Imperatoribus solis vindicaret ? Accedit quod rem tentavit periculosam, factionibus faventem, quamque in regimen Politicum inferre ausus

non fuisset. Scio equidem Episcopos aliquando ex communi consensu convenisse, & ex occasione Concilia celebrasse; sed vel adfuit, vel saltem subsecutus est assensus eorum, ad quos convocatio pertinebat; aut factum præter ordinem, in omni rectè constitutâ Republicâ servari solitum, non debet in exemplum, vel in argumentum juris assumi.

2. Quidquid intenderit Launoius, & alii, quos secutus est, verum semper est, ob primorum Conciliorum generalium convocationem non posse excludi Summum Pontificem à convocandi jure; cùm nullum habitum sit sine ejus autoritate, vel assensu; eo scilicet modo, quem explicat Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 12. *Ut posit etiam alius Pontifice consentiente, Concilium indicere, quin etiam satis sit si indictionem factam ipse postea ratam habeat, & confirmet.*

3. Concilia generalia quæcunque in Occidente habita sunt, usque ad tempus diri, diuturnique schismatis inter Romanos, & Avenionenses Pontifices, solius Romani Pontificis autoritate indicta, convocataque fuisse neque ipse Launoius negat. Itaque hæc convocatio Summi Pontificis jus validius confirmat, quàm impugnari possit ex Orientalium convocatione. Cùm enim non minoris sint dignitatis posteriora, quàm prima, siquidem omnia Ecclesiam universam repræsentant, clariùs elucet Pontificis in Occidentalium, quàm Imperatoris in Orientalium convocatione, autoritas. Illa enim solus Pontifex congregavit, ista non sine Pontifice Imperator. Extant de pluribus simul probationes, qualis est ea, quam superiori capite adduximus ex Gregorio II. sunt etiam de singulis, sed aliæ aliis magis expressæ, quales sunt quæ sequuntur.

4. Concilium primum Nicænum à sancto Sylvestro cum Constantino congregatum fuisse probat testimonium sextæ Synodi Act. 18. sermone acclamatorio ad Constantinum his verbis. *Constantinus semper Augustus, & Sylvester laudabilis magnam, atque insignem in Nicæa Synodum congregabant.* Quantumvis Launoius conetur tom. 6. Epist. 1. hujus autoritatis pondus imminuere, nunquam poterit eam elidere. *Relata verba*, inquit, *illius sunt tantùm, qui Constantino Imperatori acclamavit anno post Nicænam Synodum* 355. Si tantùm adversarentur, quantùm favent Pontifici, non

non ſolius acclamantis, ſed totius Synodi eſſe animadvertiſſet, nec enim aliter ſentire poteſt, quicumque legit, quæ ſermonem acclamatorium, in quo continentur, præcedunt; Iſta ſcilicet; *Sanctum Concilium dixit: Piiſsime, & tranquilliſsime Domine, ſermonem acclamatorium ad Deo amabilem veſtrum Potentatum juxta morem compoſuimus, & ſi placuerit pietati veſtræ, hunc perlegi jubete. Conſtantinus pius Imperator dixit: Acclamatorius ſermo, qui compoſitus eſt à ſancto veſtro Concilio deferatur, & relegatur. Qui delatus eſt, & in his ſermonibus ita relectus eſt.* Concilium dicit, ſe ſermonem compoſuiſſe; Conſtantinus ut à Concilio compoſitum excipit; Quis mallet Launoio credere dicenti, *illius eſſe tantùm qui Conſtantino Imperatori acclamavit?* Hoc certè vel unicum teſtimonium ſufficit ad evertenda quæcunque contra ſummum Pontificem afferunt, qui ejus autoritatem à primorum Conciliorum generalium convocatione excludunt.

5. Si Concilium œcumenicum in ſermone, cujus non alius eſt finis, ut nomen ipſum indicat, quàm applaudere, ſatis ſibi videtur honoris Imperatori deferre, dum Imperatorem cum Romano Pontifice conjungit ad congregationem Concilii; Quis ab illa autoritate Romanum Pontificem audebit excludere? Certè ſi qua tunc fuiſſet opinio, quod pertineret ad ſolum Imperatorem Conciliorum convocatio, non defuiſſet vir aliquis prudens inter eos, qui ſermonem vel legerunt, vel audierunt, antequam coram Conſtantino pronunciaretur, qui prædicta verba ſupprimenda eſſe monuiſſet; nec ea Imperator, ejuſque Officiales neglexiſſent. At, inquit Launoius prolata ſunt 355. annis poſt Concilium Nicænum; Ergone per illam temporis intercapedinem nulla fuerant habita Concilia generalia, ut non recurrente occaſione oblivio deleviſſet ex omnium Epiſcoporum, & Imperatorum, eorumque Officialium memoria tam eximium Imperatorum jus? Solius ne Concilii Nicæni convocandi particeps fuit Romanus Pontifex? Adde quod etſi teſtimonium illud factum non probaret, jus tamen adſtrueret, & Concilii œcumenici hac de re ſententiam.

6. Chalcedonenſe Concilium juſſu S. Leonis congregatum fuiſſe declarat Epiſtola Epiſcoporum Mœſiæ ſecundæ ad Leonem Imperatorem, quæ eſt 32. in 3. parte Actorum ejuſdem

Concilii; *Quæ* (Fides) *ad peremptionem Eutichianæ vesaniæ de humanatione salvatoris in Chalcedonensium Civitate multis sanctis Episcopis convenientibus* PER IVSSIONEM LEONIS ROMANI PONTIFICIS, *qui verè caput est Episcoporum, & venerabilis Sacerdotis, & Patriarchæ Anatolii Concilio celebrato, sub duobus Imperatoribus confirmata est.* Licet autem Anatolius cum S. Leone jungatur; præcipua tamen autoritas huic tribuitur verbis illis, *qui verè Caput est Episcoporum.* Cujuslibet enim Capitis Politici est cætera ejusdem corporis membra colligere: id ipsum indicant Litteræ Imperatoris Marciani ad S. Leonem, quæ habentur in prima parte Actorum illius Concilii num. 34. his verbis; *Superest ut si placuerit tuæ Beatitudini in has partes advenire, & Synodum celebrare, hoc facere Religionis affectu dignetur.* Et S. Gelasius in Epistola ad Episcopos Dardaniæ, de Sede Apostolica ait; *Ut Synodus Chalcedonensis fieret, sola decrevit.* Ubi hæc vox (*sola*) aliorum Patriarcharum, non autem Imperatoris interventum excludit. Quin etiam in ipsomet Concilio Chalcedonensi Act. 1. Lucentius Apostolicæ Sedis Legatus, & Vicarius, asseruit; *Synodum sine autoritate Sedis Apostolicæ nunquam factam esse, nec fieri licuisse.* Paschasinus etiam Legatus addidit, *de his esse Ecclesiasticas regulas, & Patrum instituta.* Quâ fronte in tam numeroso, tamque augusto Cœtu hæc dixissent, nisi fuissent omninò certa. Nam, quod suprà observavimus, non loquebantur de re tam antiqua ut ex hominum memoria excidisset, aut coram hominibus adeò juris sui negligentibus, ut non curarent, aut adeò timidis, ut non auderent jus indebitum Romano Pontifici tribuentibus contradicere.

7. Octavam Synodum convocatam fuisse ab Hadriano II. Papâ testatur Anastasius Bibliothecarius, qui interfuerat. Quia, inquit in præfatione hujus Concilii, Hadrianum alloquens, *superna providentia, quæ singula singulis ita distinguit temporibus; ut sanctos suos veluti splendentia quædam astra, non pariter, sed vicibus discretis, ad illuminationem Ecclesiæ suæ proferat, Apostolatum vestrum nostris temporibus quasi quoddam fulgidum Sydus produxit, cujus tempore,* ATQVE AVTORITATE *sancta universalis, & magna Synodus octava celebraretur.* Et Concilium ipsum in Epistola ad eundem Hadrianum; *Omnipotens Deus*, inquit, *& Rex universorum, qui* PER SOLERTIAM VESTRAM, INTERVENTIONEM, AC IVDICIVM, SEV SYNODICAM

DICAM EXPOSITIONEM *tam magnam, & universalem Synodum congregare dignatus est.*

8. Illam Pontificis autoritatem præ se ferunt verba Epistolæ Hadriani II. ad Imperatorem Basilium respondentis, relata in Act. 1. *Hæc curare cupiens, Apostolicæ Sedis decreti remedium requisiti ..... Volumus ergò* PER VESTRÆ PIETATIS INDVSTRIAM *illic numerosum celebrari Concilium.*

9. Dum Launoius à consortio Imperatorum in convocandis Conciliis Pontifices verisimili ratione separari posse diffidit, hoc saltem efficere tentat, ut Imperator primas habeat. *Et quamvis* (sic inchoat Epistolam octavam tom. 6. *Ut Synodus haberetur octava, inter se penitùs consenserint Basilius Imperator, & Hadrianus Pontifex; tamen Synodus, & Hadrianus ipse, Imperateri convocationem tribuunt.* Si æquus esset inter Pontifices, & Principes Launoii animus, nonne hic octavæ Synodi, & Hadriani verba, maximæ erga Imperatorem reverentiæ, ejusque dignitati, non potestati tribuenda dixisset, quandoquidem Epist. 9. tom. 7. Zachariæ Papæ dignitati, & non ejus autoritati adscribit vocem ipsam *autoritas*, & alias huic affines, *ut jussio, mandatum, &c.* quibus utuntur quamplurimi Scriptores, ad significandas summi Pontificis in depositione Childerici à Regno Franciæ, & evectione Pippini, partes. Sed tot extant in ejus operibus, ac præsertim Epistolis, quarum pauciſſimæ sunt in octo voluminibus, quæ adversus Romanum Pontificem non dirigantur, aversi ejus animi signa, ut legendis illis nemo delectetur, imò Autori ferè non succenseat, nisi qui erga B. Petri Successores malè sit affectus, eorumve dignitatem graviter ferat; Nemo ejus doctrinam, nisi cum cautela, & cum examine, ac justè ponderatam, suscipiat, nisi qui decipi velit.

10. Licet autem non possimus omnia ejus dicta singulatim discutere; quia orationis cursus singulis, quibusque passibus esset interrumpendus, neque id necesse sit, cùm quæ jam attigimus, aut adhuc tractabimus, satis demonstrent, non dubia esse continuò habenda, quæcunque ille impugnaverit, nec, quæ profert, indiscussè amplectenda: tamen prætermittere non possumus ejus nonam primi tomi epistolam; quæ certè cum aliis quibusdam negati omninò ab eo Primatus

tus Romani Pontificis ſuſpicionem ingereret, niſi alibi, præſertim tomi ſexti epiſt. ult. animadverſione prima ſe in ea non eſſe ſententia, declaraſſet, quamvis ſive de induſtria, ſive alia intentione frequenter, ac multùm eum imminuerit.

11. Fortaſsè Launoius, qui tomi ſeptimi epiſt. 7. Gregorium II. *in traditione Patrum perquam verſatum fuiſſe*, ac Patrum doctrinæ, ac Sedis Apoſtolicæ traditioni *adhæſiſſe*, ſcribit: Et meritò ut *ſanctiſſimum virum laudat*, ut probet eum non prohibuiſſe tributa impio Leoni Iſauro perſolvi: eum traditionis ignarum dixiſſet, ſi attendiſſet ad illa verba, quæ ipſemet ex eo refert, quibuſque teſtatur ſanctus ille Pontifex; *Imperatores cum Pontificibus uno conſilio, ac ſententia Synodos congregaſſe*: ſed quid reſpondet autoritati jam citatæ Epiſcoporum, plusquam ducentis annis, traditionis origini viciniorum. Senſit maximi ponderis eſſe, ad confirmandum jus Romani Pontificis in convocandis Conciliis, Acta Synodi Romanæ tempore Theodorici Regis, propter Symmachum habitæ; unde ab eorum impugnatione abſtinere non potuit, ſed quas adhibuit machinas? Non accuſat falſi; Quæ illorum fortunata ſors eſt, id æquo Lectori ſufficere arbitror, ut de illorum fide nihil dubitet.

12. Actorum Synodi verba ſunt iſta; *Sancta Synodus apud Urbem Romam ex præcepto glorioſiſſimi Regis Theodorici diverſis ex regionibus congregata in Chriſti nomine dixit; Cùm ex diverſis Provinciis ad Urbem Romam convenire Sacerdotes Regia præcepiſſet autoritas, ut de his, quæ venerabili Papæ Symmacho Apoſtolicæ Sedis Præſuli ab Adverſariis illius dicebantur impingi, ſanctum Concilium judicaret legitimè, Liguriæ, Æmiliæ, vel Venetiarum Epiſcopis (quos ad præſentiam Principis ipſe itineris ductus attraxit) conſulendi Regem incubuit neceſsitas, quâ hos voluiſſet ætate fractos, debilitate corporis invalidos congregari: Reſpondit præfatus Rex piiſſimus bonæ converſationis affectu, plura ad ſe de Papæ Symmachi actibus horrenda fuiſſe perlata, & in Synodi oportere, ſi vera eſſet inimicorum ejus objectio, judicatione conſtare: Memorati Pontifices, quibus allegandi imminebat occaſio, ſuggeſſerunt ipſum qui dicebatur impetitus, debuiſſe Synodum convocare, ſcientes, quia ejus Sedi primùm Petri Apoſtoli meritum, vel Principatus, deinde ſecuta juſſione Domini Conciliorum venerandorum autoritas ſingularem in Eccleſiis tradidit poteſtatem, nec antedictæ Sedis Antiſtitem minorum ſubjacuiſſe judicio in propoſitione ſimili facilè forma aliqua teſtaretur.* His Actorum verbis addit

Lau-

Launoius ; *Memorati Pontifices , qui allegandi Provinciam ſuſceperant , pro Symmachi defenſione adferunt duo : convocandam ab eo , qui dicebatur impetitus , fuiſſe Synodum , & Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem minorum non ſubjacere judicio. Ratio prior nec probatur , nec Theologiæ , nec Iuris Eccleſiaſtici principiis probari poteſt. Theologiæ principia ſunt , Scriptura , & Catholicæ Eccleſiæ traditio , &c.*

13. Neminem fore arbitror qui credat veteres illos Liguriæ , Æmiliæ , vel Venetiarum Epiſcopos , minùs quàm Launoium , *Catholicæ Eccleſiæ traditionem* tenuiſſe ; minuſve penetraſſe quam *poteſtatem Romani Pontificis Sedi primùm Beati Petri Apoſtoli meritum , vel Principatus , deinde ſecuta juſſione Domini Conciliorum venerandorum autoritas tradidiſſet.* Adversùs Recentiores antiquorum autoritate deſtitutos traditionem neget Launoius ; ſed eam tam antiquis Pontificibus ignotam , neſcio quomodo auſus ſit dicere ; cùm hoc ſit traditionis indicium , aut ejus pars inſignis , teſtimonium ſcilicet antiquorum Epiſcoporum , in Conciliis expoſitum.

14. Hoc etiam ipſe ſenſiſſe videtur. Sed audi quid reponat; *Symmachi defenſores ea in re modum excedunt , cùm (dicis opinor gratia) ſibi ſumunt quod Symmachus , cujus refert , vel maximè , ſibi non ſumit.* Commoda reſpondendi ratio. De Launoio veriſſimè dici poteſt eum in multis *modum exceſſiſſe* , Epiſcopis autem de re graviſſima tractantibus cum Rege potente , id temerè tribuitur. Notanda eſt parentheſis (*dicis , ut opinor , gratia*) quâ poſſint omnia eludi teſtimonia ; reſpondendo ſcilicet *dicis gratia* fuiſſe pronunciata, id eſt fictè , aut perfunctoriè. At inquit Launoius , *non conqueritur* (Symmachus) *quod Synodum non convocaverit , aut quod eam Theodoricus convocaverit.* Egregia objectio ! Quomodo poſſet de congregatione Synodi conqueri , qui , ut congregaretur , Regis poſtulavit interventum.

15. Si de convocatione à Principe facta conqueſtus fuiſſet Symmachus , ejus , ut in propria cauſa loquentis teſtimonium vocaretur in ſuſpicionem : nunc autem rejicitur teſtimonium Epiſcoporum , etiam contra proprias rationes loquentium. Ad Epiſcoporum enim dignitatem pertineret , ut juxta Launoii ſententiam , à nemine pro incundis Conciliis penderent. At illi , de quibus eſt ſermo , ita jus illud ad ſe non pertinere cognoſcunt , ut officium indebito præferen-

tes honori, nolint etiam asserenti Principi, nisi scriptis confirmet, credere assensum Romani Pontificis datum fuisse, ut ab alio præter ipsum Episcopi convocarentur, quod Acta prædicta continent. Infelices illi qui Theologum Launoium non habuerunt; à quo sua jura ediscerent! ignavi, si ea non ignorantes, quod sibi servile jugum non imponeretur apud Regem hæreticum conquesti sunt.

16. *Præterea*, inquit Launoius, *quæ affertur ratio vitiosa est: à non distributo ad distributum procedit. At quis diceret Romanum Pontificem eò redactum esse ut ad dignitatis suæ tutelam accidentis indigeat falsitate.* Imprudentes Episcopi, qui de rebus Ecclesiasticis cum Principe disputare aggrediuntur, cùm Dialecticæ formulas non didicerint! vitiosè enim argumentantur ob ignorantiam legum Syllogisticarum. Nam eos sophismate Regem decipere voluisse, cum proprii juris dispendio, non apparet verisimile. Verum illi, & quidem meritò, ab universali ad particulare sub eo contentum argumentari sibi videbantur: à jure convocandi Synodos pro omnibus causis, ad jus convocandi pro illa causa, de qua tunc agebatur in singulari potestate, quam Romanus Pontifex ex Beati Petri merito vel Principatu, & Conciliorum autoritate habebat, utpotè plenâ, contineri sentiebant eam, quæ ad congregandas pro re maximè ardua Synodos requiritur, atque adeò non erat *accidentis fallacia.*

17. Quam deinde addit rationem Launoius, ea magis probaret non posse, quæ tunc facta essent in præjudicium adversùs Romanum Pontificem trahi, eo quod necessitate fuissent extorta, non liberè admissa. *Symmachus*, inquit, *à Theodorico Synodum cogi consensit, & consentire illius intererat plurimùm. Siquidem ab objectis criminibus purgatus fuisset nunquam, & eam ob causam Visitator Romanæ Ecclesiæ datus à Theodorico remansisset semper.*

18. Sed quomodo Romani Pontificis Primatum non lædit Launoius, cùm deinde probare conatur cæteros Episcopos Papa minores non esse? Si de ordinis potestate intellexisset, verum dixisset, sed de potestate jurisdictionis, seu judicandi loquitur. Respondet enim rationi petitæ ab eo quod dixerant Episcopi Theodorico, *nec antedictæ Sedis* (Romanæ) *Antistitem minorum subjacuisse judicio.* Si etiam ad Episcopos in Concilio

lio congregatos orationem restringeret, errorem quidem proferret, sed magis tolerandum, quàm dum ait; *Certum est ante omnia minores appellari non posse Antistites, quos, & Symmachus & Symmachi Decessores, Collegas, Fratres, Comministros, Consacerdotes, & Coepiscopos appellant*, quibus nominibus Romani Antistites donant etiam Episcopos singulares extra Concilia. Similia in aliis quibusdam epistolis, & magis perspicua habet, quæ quomodo Primatum omnem, nisi fortè honoris, Summo Pontifici non abrogent, atque adeò cum fide non pugnent, difficilè capitur, nisi quia ei alibi procurandæ Canonum executionis jus reservatur.

19. Nota hic rursus, qualia sint argumenta Launoii. Ex eo enim infert Episcopos Papa minores appellari non posse, quod illos Papa Collegas, Fratres, Comministros, Consacerdotes, & Coepiscopos nominet. Eâdem ratiocinatione concluderet non solùm Sacerdotes non posse dici Episcopis inferiores, aut Diaconos Sacerdotibus, quia Presbyteri ab Episcopis in Synodis Diœcesanis appellantur Consacerdotes, & Diaconi frequenter Comministri, sed etiam (quod blasphemum est) Apostolos non fuisse inferiores Christo, qui eos fratres vocavit.

20. Cæterùm inaniter cavillatur Launoius cùm ait; *Ad Clerum ergò, Senatum, Populumq; Romanum flectenda est illa propositio, qua dicitur Apostolicæ Sedis Præsul minorum non subjacere judicio.* Quasi verò Episcopi, quorum sunt illa verba, ullam Theodorico de Clero, Senatu, Populove Romano mentionem feciſſent, aut illos intelligerent nomine Synodi, quam à Symmacho convocari debere affirmabant.

21. Ennodius Diaconus Ticinensis Apologeticum edidit pro Symmacho, & pro Synodo, ejus occasione habitâ, in quo ea, quæ dixerant Episcopi, adhuc clariùs explicat, his verbis; *Aliorum fortè hominum causas Deus voluerit per homines terminare: Sedis istius Præsul suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit B. Petri Apostoli Successores* CÆLO TANTVM *debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam.* At Launoius non isto testimonio, quod lucidissimum est, illustrandam censet, quam in sensum alienum deflectere conatus est, Episcoporum doctrinam; sed postquam illam obscurare tentavit, ex ea

istius lumen obumbrare nititur. Episcopis objecerat, eos propositionem suam traditione non probare : nunc eos traditionem non ignorasse asserit, ut adstruat, Ennodium ignorasse traditionem. *Quis contenderet Laurentium Mediolanensem, Petrum Ravennatem & cæteros Antistites maturioris ætatis viros, senes alios Romanæ Ecclesiæ traditionem ignorasse, quam unus Ennodius in Gallia, vel in Liguria natus annos* 30. *sciviſſet.* Sed, quæcunque Launoius objicere potest Ennodio, eliduntur ipsâmet ejus confessione, quandoquidem ait ; *Romana Synodus quinta Ennodii libellum probando suum fecit.*

22. Sanctus etiam Avitus Episcopus Viennensis epistolam scripsit ad Faustum, & Symmachum Senatores, pro Symmacho Papa, in qua eandem tradit doctrinam, eodemque modo impugnatur à Launoio. Verùm quascumque adhibeat interpretationes, impossibile est, ut qui eam bonâ fide legit, non perspiciat, S. Avitum suo, & omnium Episcoporum Galliæ nomine scripsisse, non potuisse Synodum adversus Pontificem convocari, aut eum judicare ; *Intelligimus*, inquit, *S. Symmachum Papam, si sæculo primùm fuerat accusatus, Consacerdotum suorum solatium potiùs adsciscere, quam recipere debuisse judicium.* Quid clarius ? Et infrà ; *Quod Synodus ipsa venerabilis, laudabili constitutione prospiciens causam, quam, salvâ ejus reverentiâ dictum sit, penè temerè susceperat inquirendam, Divino potiùs servavit examini.* Ità non censet Avitus potuisse Synodum ex consensu Papæ convocatam, de eo ferre sententiam, ut etiamsi judicium Deo reservaverit, eam *penè temeritatis* accuset, quod vel inquisitionem susceperit. Atque hinc refellitur, quod contendit Launoius Synodum de Papa verè judicasse, quâ ratione putat, se Episcoporum autoritate infirmare Ennodii testimonium ; Licet ipsamet Synodus apertè declaret se causam Divino reservasse judicio. Sunt adhuc alia in eadem Epistola, quæ prosequi non est opus. Istud tantùm adjungimus. *Si Papa Urbis vocatur in dubium*, EPISCOPATVS IAM VIDEBITVR NON EPISCOPVS VACILLARE, sed de convocatione Conciliorum satis, superque.

CA-

CAPUT IX.

Absque summi Pontificis autoritate Concilia generalia vim, & robur non obtinere.

1. SOcrates historiæ Eccles. lib. 2. cap. 5. expressè affirmat, ex Ecclesiastico Canone, sine Romani Episcopi sententiâ Decreta condi non posse. *Quin etiam*, inquit de Concilio Episcoporum à Constantio Antiochiæ congregatorum, *Julius Romanus Episcopus neutiquam aderat, neque quemquam qui ejus locum suppleret eo misit, idque cùm Canon Ecclesiasticus jubeat non oportere absque sententia Episcopi Romani Decreta Ecclesiis sancire.* Et cap. 13. *Itaque Julius litteris contrariis ad ipsum missis, Episcopis, qui Antiochiæ convenerant per litteras respondit. Ac primum docet quantum molestiæ, & acerbitatis eorum Epistola ipsi attulisset: Deinde eos contra Ecclesiæ Canones egisse, quod illum ad Concilium non vocassent: quippè cùm Canon Ecclesiasticus vetet ne Decreta* ABSQVE SENTENTIA EPISCOPI ROMANI *Ecclesiis sanciantur, sive* (ut Textus Græcus significat) *non oportere* PRÆTER SENTENTIAM EPISCOPI ROMANI *Ecclesias Canones condere.* Idem tradit, quamvis Schismaticus, Nicephorus Calixtus lib. 9. cap. 5. & 6. Apertiùs verò Sozomenus lib. 2. cap. 9. *Legem esse ad Sacerdotii dignitatem spectantem, (seu Sacerdotalem) quæ pronunciat Acta illa* IRRITA ESSE, QVÆ PRÆTER SENTENTIAM EPISCOPI ROMANI CONSTITVVNTVR. Non debet certè suspectum haberi Græcorum testimonium, dum pro Romano Pontifice loquuntur.

2. Concilium Romanum sub S. Damaso de Ariminensi scripsit, numerum Episcoporum non esse attendendum eo, quod non præcessisset sententia Romani Pontificis. Concilii Romani Epistolam refert Theodoretus lib. 2. histor. Eccles. cap. 22. hujus tenoris; *Episcopi Romæ in sancto congregati Concilio Damasus, ac Valerianus, ac reliqui dilectis fratribus Episcopis in Illyrico. Salutem in Deo. Præjudicium certè numeri Ariminensis Conventus nullum esse potest; quando ita est habitus, ut neque Romani Episcopi, cujus ante omnia sententiam cognoscere debuerant, neque Vincentii, qui tam multis annis Præsula-*

sulatus conservavit integritatem, neque aliorum consensus illis accesserit. Idem *tradit Zozomenus lib.* 6. *cap.* 22.

3. Concilium Ephesinum, etiamsi adfuissent Apostolicæ Sedis Legati, Acta sua ad S. Cælestinum mitti debere agnovit. *Quia verò*, inquit in epistola, seu relatione, quæ habentur in Actis Act. 5. *necesse est ut omnia, quæ consecuta sunt Sanctitati suæ significentur, non potuimus non scribere.* Et infrà Ultimum contra Nestorium & alios judicium Summo Pontifici reservatum monet. Probat autem firmitatem eorum, quæ gesta fuerant ex præsentia Legatorum sanctæ Sedis, *qualem vim haberent* (Hæretici) *contra Synodum ex universo, qui sub cælo est, orbe collectam? Fuerunt enim in consessu nostro, & illi quoque, qui à Sanctitate tua missi sunt piissimi Episcopi, Arcadius, & Projectus, & cum ipsis Reverendissimus Presbyter Philippus, qui suâ præsentiâ tuam nobis exhibuerunt, Apostolicæque Sedis locum supplevertunt.*

4. Concilium Chalcedonense in relatione à se gestorum ad S. Leonem, ejus tùm circa fidem, tùm circa disciplinam autoritati illustre perhibet testimonium. Qui enim inquit loquens de iis præsertim, quæ in favorem Episcopi Constantinopolitani decreta fuerant, *locum vestræ Sanctitatis obtinent sanctissimi Episcopi Paschasinus, & Lucentius, & qui cum eis est Reverendissimus Presbyter Bonifacius his ità constitutis vehementer resistere tentaverunt, procul dubio à vestra providentia inchoari & hoc bonum volentes, ut sicut fidei, sic bonæ ordinationis vobis deputetur effectus.* Sunt & alia in hac relatione, quæ extat in tertia parte Actorum illius Concilii cap. seu num. 2. quibus Patres significarunt, persuasum sibi esse, quæ decreverant non posse sine summi Pontificis consensu subsistere.

5. Quocirca cùm Concilia generalia Decretorum suorum confirmationem à Romano Pontifice postularunt, non id tantum in votis fuit, ut ejus consensus accederet, quod voce confirmationis aliquando intelligitur, scilicet cùm à superioribus erga inferiores, aut ab æqualibus erga æquales usurpatur, sed etiam ut eo consensu statuta, robur, ac firmitatem acquirerent, quod adjuncta verba satis expresè innuunt; ut cùm, v. g. octava Synodus ad Hadrianum Papam scribit, *Ergò libenter oppidò, & gratanter imitatrice Dei Sanctitate Vestrâ omnium nostrum Conventum, & universalis hujus, atque Catholicæ Synodi*

modi consensum, & consonantiam recipiente; prædica eam magis, ac veluti propriam & solicitius CONFIRMA, *quo Angelicis præceptionibus, & admonitionibus vestris, ut per sapientissimum magisterium vestrum etiam aliis universis Ecclesiis personet, ut suscipiatur veritatis verbum, & justitiæ Decretum.* 8. Synod. Act. 10. Vocem illam *confirma* Launoius explicat de confirmatione doctrinali, non de autoritativa. Sed si Concilii tanta erat autoritas, ut confirmari nullius autoritate indigeret, quid opus erat ejus Decreta rationibus, vel testimoniis probare, ut ab Ecclesiis susciperentur, cùm nefas foret de illis ambigere, nisi fortè Concilii etiam generalis judicium tunc irreformabile non æstimabatur.

6. Mentem hac de re suam declarare, luculentiùs non potuit Doctor Angelicus, quàm his verbis; *Sancti Patres in Conciliis congregati nihil statuere possunt, nisi autoritate Romani Pontificis interveniente, sine qua etiam nec Concilium congregari potest.* Opusc. contra impugn. Relig. cap. 4.

7. Jus illud sanctæ Sedis nunquam non propugnarunt summi Pontifices, cùm in controversiam vocatum est: pro eo decertarunt in primis Gelasius, Nicolaus, Gregorius VII. & alii quamplurimi, inter quos S. Leo IX. epist. 4. *Sed hoc*, inquit, *non lateat vos, non debere prater scientiam* (alias sententiam) *Romani Pontificis universale Concilium celebrari, aut Episcopos damnari, vel deponi: quia etsi licet examinare, definitivam tamen sententiam absque consultu Romani Pontificis, ut dictum est, non licet dare. Quod in sanctis Canonibus statutum si quæritis potestis invenire. Scilicet quia omnium Ecclesiarum majores, & difficiliores causæ per sanctam Sedem, & principalem B. Petri à Successoribus ejus definiendæ sunt, utpotè cujus Divinitùs dicitur: confirma fratres tuos, & tibi dabo claves Regni Cælorum.*

8. *Denique*, inquit Nicolaus I. Epist. 7. *in universalibus Synodis quid ratum, vel quid prorsus acceptum, nisi quod Sedes B. Petri probavit* (*ut ipsi scitis*) *habetur: sicut è contrario quod ipsa sola reprobavit, hoc solummodo constat hactenus reprobatum.*

9. Hæc, & alia, quæ adduci possent, licet à Pontificibus in propriâ causâ dicta, plurimum habent ponderis ob pietatem, & doctrinam dicentium; Qui certè crimen horrendum duxissent in rebus tanti momenti potestatem indebitam impio mendacio sibi comparare. In eadem sententia fuerunt Scriptores Gallicani, præsertim ante schismatis tempus. Guillelmus

lelmus Durandus Episcous Mimatensis in speculo Juris partic. 1. §. 5. de Papa scribit, quod *ipse Conciliis non ligatur: imò contra illa facere potest*: Sed clariùs Durandus de S. Porciano Episcopus primò Meldensis, deinde Aniciensis, lib. 4. dist. 25. quæst. 5. art. 6. *Sicut leges*, inquit, *non ligant Imperatorem, ita nec Canones Papam, sed potiùs leges vim habent ex Imperatore, & Canones ex autoritate Papæ.*

CAPUT X.

In Sacris Litteris clariùs exprimi Pontificis sine Concilio, quàm Concilii sine Pontifice autoritatem.

1. ETsi regulam Joannis Launoii pro tractandis rebus Theologicis observare, sæpissimè impossibile sit, ut scilicet nihil asseratur, nisi quod aliquo Sacræ Scripturæ loco juxta unanimem consensum Patrum accepto, vel traditione non constet; Nunquam tamen à vera Concilii Tridentini regula, quam Launoius exhibere præ se fert, Catholico recedendum est; ut nempè nihil unanimi Patrum consensui, vel Ecclesiæ traditioni, aut sensui contrarium affirmetur. Imò regulam Launoii semper intueri juvat, ut eam, quantùm materia patitur, sequamur, etsi consequi non speremus. Itaque videamus in hoc capite, an Pontificis sine Concilio; an sine Pontifice Concilii autoritas in Scriptura, juxta Patrum interpretationem, clariùs contineatur.

2. Tria præcipuè citantur loca pro autoritate Conciliorum. Primus locus est Matth. 18. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum.* Sed primò Launoius par. 6. epist. 1. notat hunc locum de Conciliorum genere quovis intelligi posse, & à nonnullis Ecclesiasticis tractatoribus subinde intelligi. Secundò quinque sanctorum Patrum Interpretationes refert; qui locum illum neque de Conciliis generalibus, neque de Provincialibus intellexerunt. Et sanè videtur magis ad obedientiam in causis criminalibus præstandam, quàm ad fidem declarandam, aut Canones condendos pertinere; Præmittitur enim; *Si peccaverit in te frater tuus, &c.* quæ præ-

præscribunt ordinem judiciarium in ferenda excommunicatione servandum ; vel ad orationis efficaciam ; Cùm enim dixisset Christus ; *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint ; fiet illis à Patre meo , qui in cælis est* ; immediatè subjungit verba illa ; *Ubi enim sunt duo , vel tres congregati in nomine meo , ibi sum in medio eorum.* Accedit quod illa verba Concilium Provinciale , aut adhuc Provinciali minùs , potiùs significant , quàm universale. Nam duo , vel tres Concilium fortè provinciale , non autem universale constituerent.

3. Alter locus est Joannis 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Sed ea promissio non solùm in omnibus Apostolis collectivè , sed etiam in singulis erat implenda. Accepto enim Spiritu sancto in die Pentecostes , factum est illud , quod prædixerat Propheta Isaias cap. 54. v. 13. à Christo allegatus Joan. 6. *Et erunt omnes docibiles Dei.* In hunc sensum B. Petrus ipso Pentecostes die locum illum Prophetæ Joëlis adduxit ; *Et erit in novissimis diebus , dicit Dominus , effundam de Spiritu meo super omnem carnem , & prophetabunt filii vestri , & filiæ vestræ.*

4. Tertius locus est Act. 15. ibi enim primum Concilium, quod est cæterorum norma , scripsit ; *Visum est Spiritui sancto , & nobis* ; Quæ verba de assistentia Spiritûs sancti dubitare non sinunt. Sed illa Spiritûs sancti assistentia Apostolos inspirantis, Apostolorum gratiæ , non Concilii generalitati tribuenda est. Nec enim generale erat , siquidem ex Apostolis & senioribus Jerosolymis consistentibus dumtaxat constabat , ubi probat Cardinalis Baronius ad annum 51. num. 9. adfuisse tunc tantùm ex Apostolis Petrum , Jacobum , & Joannem cum Paulo , & Barnaba. Erant autem in multis Mundi partibus Episcopi jam constituti , quos certum est ab eo Concilio abfuisse , ut universale dici non possit. Adde quod Cœtui aderat B. Petrus , ut nihil hinc ad propositum concludi , cùm agamus de Concilio , à quo absit Petri Successor, possit.

5. Probatur etiam autoritas Conciliorum iis omnibus Scripturæ locis , quibus Ecclesiam circa fidem errare non posse demonstratur. Cùm enim Concilium Ecclesiam repræsentet , necesse est , ut sicut Ecclesia , ita Concilium ab omni erroris circa fidem periculo absit. Sed capite sequenti ostendemus

ſummum Pontificem melius Eccleſiam repreſentare, quàm reliquos Epiſcopos ſine ipſo.

6. Statuitur autem evidentius ejus, quàm Conciliorum autoritas in ſacris Scripturis. Etenim dum Matth. 16. Petrus fundamentum Eccleſiæ conſtituitur à Chriſto dicente; *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, manifeſtè declaratur eum, ejuſque Succeſſorem Romanum Pontificem, ita ſe habere ad reliquorum fidelium Cœtum, ſicut fundamenta ad ædificium: Atqui ratione, & experientiâ compertiſſimum eſt firmitatem ædificii à fundamento, non autem fundamenti ab ædificio pendere: In eundem ergo modum firmitas in Fide, ac Religione, non à reliquis fidelibus in ſummum Pontificem, ſed à ſummo Pontifice in reliquos Fideles provenit.

7. Petro datæ ſunt claves Regni Cœlorum, & per ipſum Apoſtolorum Collegio, non autem primò Apoſtolorum Collegio, ac per illud, ſeu in illo, B. Petro. Proſequitur enim Chriſtus loco citato; *Et tibi dabo claves Regni Cœlorum & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.* Certum eſt autem per claves poteſtatem ſignificari.

8. Tertiò Epiſcopi etiam congregati non deſinunt eſſe fratres Succeſſoris Petri; Ergo ab eo debent confirmari; Pro ipſo enim Chriſtus oravit, ne deficeret Fides ejus, ut poſſet deficientes, aut titubantes ſuffulcire: quod in Petri, & aliorum Apoſtolorum Succeſſoribus potiùs locum habet, quàm inter ipſoſmet Apoſtolos. Nam poſt adventum Spiritus ſancti Apoſtoli omnes fuerunt in gratia confirmati, ut B. Petri confirmatione non ita indigerent. Antea verò non legimus B. Petrum tantùm ſuos fratres juviſſe, ut neceſſarium eis fuerit indeficientis illius fidei præſidium.

9. Quartò dum Chriſtus Joann. ult. oves ſuas paſcendas Petro, & in ejus perſona Romanis Pontificibus, tradidit, apertè ſignificavit ſummum Pontificem eſſe Paſtorem, reliquos autem fideles gregem; Quis autem gregi Paſtorem præponendum dubitet? Num monſtruoſa foret ordinis perturbatio, ſi Paſtor à grege, non grex à Paſtore regeretur? Nec reſponderi poteſt intelligenda illa eſſe de ovibus ſeorſim

sim sumptis, non autem de toto grege. Nam nullum est in Christi verbis hujus distinctionis vestigium. Nihil excipitur ubi distinguitur nihil.

10. Ex collatione illorum Scripturæ sacræ locorum perspicitur, clarius expressam esse B. Petri, quàm aliorum sine ipso, autoritatem. Sed aliqui Scriptores Gallicani Catholici contendunt, prærogativas illas B. Petro datas esse tanquam Ecclesiam repræsentanti, atque ideò toti Ecclesiæ in ipso; Ipsum quidem, ejusque Successores singulis membris præeminere tanquam Caput, non autem toti Ecclesiæ formaliter acceptæ, vel per Concilium repræsentatæ. Videndum igitur est, quam personam gesserit Petrus, cùm ei Christus autoritatem contulit locis scripturæ suprà relatis expressam; Et utrum ad singulos fideles tantùm referatur, non ad omnes simul. Et adhuc an descenderit ad Romanos Pontifices; Id enim Hæretici negant omninò, & aliqui Catholici, ex parte. Ordiemur à sancto Augustino, cujus testimonio potissimum nituntur scriptores Gallicani.

CAPUT XI.

Qua ratione B. Petrus Ecclesiam repræsentaverit ex mente S. Augustini.

1. TOt sunt in S. Augustini operibus loca, ubi S. Petrus Ecclesiam repræsentasse dicitur, ut à nemine qui ejus libros legerit, ignorari queat, usitatissimam eam esse sancto Doctori loquendi formulam. Nescio autem quâ consequentiâ Gallicani quidam Scriptores illinc conclusionem trahant contradictoriam ei, quæ quasi naturaliter sequitur juxta eorum principia. Ideò enim Concilium Constantiense, ideò Basileense, tam accuratè suis decretis apposuerunt clausulam illam, quâ Ecclesia universalis à Concilio repræsentari commemoratur, quia eâ ratione, quæ de universali Ecclesia in Scripturis sacris enunciantur, Concilio videntur posse adscribi. Hic ergo ex eorum doctrina legitimè formatur Syllogismus. *Ei, per quod repræsentatur Ecclesia universalis, conveniunt quæcumque*

cumque in Scripturis sacris tribuuntur Ecclesiæ ipsi : Atqui per Concilium generale repræsentatur Ecclesia universalis : Ergo Concilio generali conveniunt quæcumque in Scripturis sacris tribuuntur Ecclesiæ ipsi, puta quod qui non audierit ejus mandata, sit habendus sicut Ethnicus, & Publicanus : quod sit columna, & firmamentum veritatis, & alia ejusmodi.

2. Pari ergo, si non majori ratione, sic nos discurremus; *Ei per quem repræsentatur Ecclesia universalis, conveniunt quæcumque in Scripturis sacris tribuuntur Ecclesiæ ipsi. Atqui per Petrum repræsentatur Ecclesia universalis : Ergo Petro conveniunt quæcumque in Scripturis sacris tribuuntur Ecclesiæ ipsi ; v. g. quod sit columna, & firmamentum veritatis, quod qui eum non audierit, sit habendus tanquam Ethnicus, & Publicanus, &c.* Prima propositio est quasi primum principium eorum, qui Conciliorum generalium autoritatem altiùs extollunt. Secundam concedunt, & testimonio S. Augustini confirmant : Et revera S. Augustini doctrinam esse loca ex eo mox referenda dubitare non sinunt ; Quî ergo negari potest conclusio legitimâ consequentiâ illata ?

3. Non video quid responderi possit, nisi fortasse perfectius repræsentari Ecclesiam à Concilio generali, quàm à Petro ; vel Romanos Pontifices in illa repræsentatione non successisse B. Petro. Utrumque (intelligimus semper de Concilio à quo summus Pontifex, ejusque Legati absint) confutabimus in capitibus sequentibus.

4. Ut autem omnis amoveatur à S. Augustini verbis obscuritas, tria distinguenda sunt repræsentationis genera. Primò aliquando unum repræsentat aliud tanquam nudum signum, rem significatam nequaquam continens, quales sunt v. g. picturæ, aut quæ metaphoricè de aliis dicuntur. Secundò aliquando quod repræsentat cum eo quod repræsentatur, communicat, sed pro sua tantùm rata portione : Ut dum particulare Communitatis membrum, totius Communitatis nomine pecuniæ summam in singulos Cives distribuendam accipit, ita totam Communitatem repræsentat, ut beneficii universitati concessi, tanquam unum ex ejus membris, particeps etiam sit. Tertiò aliquandò unum aliud repræsentat tanquam illud sub se habens, ut Princeps, Dux, Pater familias, Pastor, aut alterius generis superior, Regnum, exercitum, familiam, aliosve inferiores, quibus communicant ali-

aliquod bonum dispensationi suæ commissum; ut cùm Dux totum exercitum repræsentans accipit à Rege in præmium reportatæ insignis victoriæ, cujus ipse pars maxima fuerit, ditissimum aliquod munus, cujus tamen participes futuri sint reliqui, tùm Officiales, tùm Milites, prout ipse, pensatis cujusque meritis, judicaverit, aut prout Princeps ipse ordinaverit.

5. Primo dumtaxat modo Ecclesiam à B. Petro repræsentatam fuisse nemo dixerit. Quis enim ità desipiat, ut Apostolum illum nullam sibi, sed Ecclesiæ tantùm, accepisse potestatem sentiat. Secundo igitur saltem modo B. Petrum Ecclesiam repræsentasse fatendum est, ut parem ad minus cum cæteris dignitatem adeptus sit. Sed Catholicis necessariò concedendum est tertio etiam modo repræsentatam à B. Petro Ecclesiam. Cùm enim hæreticum sit negare B. Petri successores habere Primatum Jurisdictionis in Episcopos, nec illum Primatum B. Petro datum legamus, nisi in illis locis, in quibus Ecclesiam repræsentasse dicitur, necessariò sequitur B. Petrum alios repræsentasse tanquam existens, vel exinde futurus illorum superior, illosque in sua potestate, atque, ut aliàs ex S. Joanne Chrysostomo dicemus, velut in sua manu habens.

6. Et sanè convenit illi omninò quod de Duce mox dicebamus. Illi enim promissum est, ædificandam super eo, tanquam super fundamento Ecclesiam Christi; tradendas ei claves Regni cælorum, & potestatem ligandi atque solvendi, in præmium confessionis, quam interrogatis omnibus, solus ipse respondens edidit his verbis; *Tu es Christus Filius Dei vivi*, cujus quidem confessionis laudem, & præmii promissionem statim audivit à Christo dicente; *Beatus es Simon Barjona, &c. & ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* Matth. 16. vers. 18. & 19. & præmium ipsum accepit cùm ei Christus ovile suum commisit his verbis Joannis ult. *Pasce agnos meos, pasce oves meas*; Accedamus etiam ad sancti Augustini loca.

7. S. Augustinus tract. 50. in Joannem B. Petrum cum Juda comparat, ejusque comparationis occasione pluries repetit B. Petrum Ecclesiam repræsentasse. *Quia non unus est Judas*,

inquit; *Unus malus corpus malorum significat, quemodo Petrus corpus bonorum, imò corpus Ecclesiæ, sed in bonis. Nam si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus; Tibi dabo claves Regni Cœlorum, quæcumque solveris in terra, soluta erunt & in Cœlo, & quæcumque ligaveris in terra, ligata erunt & in Cœlo.* SI HOC PETRO TANTVM DICTVM EST, NON FACIT HOC ECCLESIA; *Si autem in Ecclesia fit, ut quæ in terra ligantur in Cœlo ligentur, & quæ solvuntur in terra, solvantur in Cœlo, quia cùm excommunicat Ecclesia, in Cœlo ligatur excommunicatus: cùm reconciliatur ab Ecclesia, in Cœlo solvitur reconciliatus. Si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus quando claves accepit* ECCLESIAM SANCTAM SIGNIFICAVIT. Hæc verba; *Si hoc Petro tantùm dictum est non facit hoc Ecclesia, &c.* expliquant quo in sensu S. Augustinus Petrum dicat Ecclesiam repræsentasse, cùm ei traditæ sunt claves, quia neque in sui solius favorem, neque ut ipsis solus uteretur, sed in universæ Ecclesiæ bonum, & ab aliis etiam Ecclesiæ Ministris adhibendæ à Christo ipsi datæ sunt. Alium sensum non admittit ratiocinatio S. Doctoris. Nam ex hoc antecedente; *hoc Petro tantum dictum est*, non sequitur; *Ergò non facit hoc Ecclesia*, nisi supponatur nullum alium Ecclesiæ Ministrum, potestatis clavium esse quoquomodo participem. Dummodo enim alii eâdem potestate gaudeant, quandocumque, vel à quocumque illam acceperint, non potest dici; SI HOC PETRO TANTVM DICTVM EST, NON FACIT HOC ECCLESIA. Potuit enim *hoc Petro tantum dici*; Et nihilominus POTEST HOC FACERE ECCLESIA, si alii Ministri potestatis Petro traditæ participes efficiantur.

8. Tract. 118. in Joan. unitatem, & charitatem, occasione tunicæ inconsutilis Christi, commendans uno Petro duodecim Apostolos repræsentatos affirmat. *Inconsutilis autem* (inquit, Ecclesiam cum tunica conferens) *ne aliquando dissuatur, & ad unum pervenit, quia in unum omnes colligit. Sicut in Apostolis, cùm esset etiam ipse numerus duodenarius, id est quadripertitus in ternos, & omnes essent interrogati,* SOLVS PETRVS RESPONDIT, *Tu es Christus Filius Dei vivi: & ei dicitur; Tibi dabo claves Regni Cœlorum, tanquam ligandi, & solvendi solus acceperit potestatem, cùm & illud unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus, tanquam personam gerens ipsius unitatis, acceperit.* IDEO VNVS PRO OMNIBVS, *quia unitas est in omnibus.* Quocirca sicut B. Petrus interrogatis omnibus solus respondens, etiam

non

non expectatâ aliorum sententiâ, ut docet S. Joannes Chrisostomus capite sequenti referendus, pro omnibus respondere censetur, quia ipsi Pater Cœlestis pro reliquis omnibus Christi Divinitatem revelavit; non quia alii quid respondendum esset, ipsum docuerunt. Ita ipse fundamentum Ecclesiæ statuitur, ut eam sustentet, non ut sustententur ab ea, claves accipit ab ipso, cum Ecclesia communicandas, non ab ea iterum recipiendas.

9. Norunt qui B. Augustinum diligenter legerunt, sanctum illum Doctorem sæpè res verè, atque historicè gestas, ad alias significandas transferre, sed ferè ubique, qui ejus erat pro Ecclesia amor, & contra hæreticos, & schismaticos zelus Ecclesiam vidisse. Quamobrem non est existimandum, ex positionibus illis allegoricis, sensus litteralis autoritatem ullo pacto imminui. Itaque nihil officit propriæ B. Petri dignitati, aut potestati in Ecclesiam, quod Ecclesiæ personam gessisse dicatur: præsertim cùm Regnum nemo melius, quam Rex ipse cui subjicitur, repræsentet.

10. Aliquando nihilominus sanctus ille Doctor verbis propriis, & perspicuis singularem B. Petri dignitatem à Christo ipso acceptam commendat, ut serm. 29. de Sanctis; *Petrus*, inquit, *in illa Cœlestium discipulorum schola præcipuus, ac primus idoneus, qui verba vitæ ex Christi ore suscipiens per Evangelii potestatem Judæorum gentem perditam quæreret, & ad dicatos ad hæreditatem vocaret; Interpres legis, assertor gratiæ, destructor Synagogæ, Ecclesiæ reparator: & ideò* SOLVS INTER APOSTOLOS MERVIT AVDIRE; *Amen dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Dignus certè qui ædificandis in domo Dei populis* LAPIS ESSET AD FVNDAMENTVM, COLVMNA AD SVSTENTACVLVM, CLAVIS AD REGNVM.

11. In sermone quoque 13. de verbis Domini plurima sunt quæ B. Petri autoritatem supra cæteros omnes Apostolos, & Ecclesiam ipsam insinuant; qualia sunt ista; ESSE PETRVM ECCLESIÆ VNICÆ TYPVM. *Ipse enim Petrus in Apostolorum ordine primus, in Christi amore promptissimus, sæpè unus respondit pro omnibus. Ipse denique Domino Jesu Christo requirente quemnam homines dicerent eum esse, & opiniones varias hominum discipulis respondentibus, rursusque Domino interrogante, & dicente. Vos autem quem me esse dicitis? Respondit Petrus; Tu es Christus filius Dei vivi, unum pro multis dedit responsum.*

Unitas

Vnitas in multis. Tunc ei Dominus ait ; Beatus es Simon Barjona , quia non revelavit tibi caro , & sanguis , sed Pater meus qui est in Cœlis. Deinde addidit ; Et ego dico tibi tanquam diceret ; Quia tu dixisti mihi ; Tu es Christus filius Dei vivi : & ego dico tibi ; Tu es Petrus ; Et inferiùs. *In illo ergo non Apostolo , id est Petro , in ordine Apostolorum primo , & præcipuo,* IN QVO FIGVRABATVR ECCLESIA , *utrumque genus significandum fuit , id est firmi , & infirmi , quia sine utroque non est Ecclesia.* Et serm. 49. cap. 3. *dicit Petro , in quo uno format Ecclesiam : Petre amas me ? Respondit , Domine amo. Pasce oves meas.*

12. Sermone autem 108. de diversis ait ; *Inter hos penè ubique* SOLVS PETRVS TOTIVS ECCLESIÆ MERVIT GESTARE PERSONAM. *Propter ipsam personam , quam totius Ecclesiæ solus gestabat , audire meruit ; Tibi dabo claves Regni Cœlorum. Has enim claves non homo unus , sed unitas accepit Ecclesiæ. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur ,* QVIA IPSIVS VNIVERSITATIS , ET VNITATIS ECCLESIÆ FIGVRAM GESSIT : *quando ei dictum est. Tibi dabo quod omnibus traditum est. Nam ut noveritis Ecclesiam accepisse claves Regni Cœlorum , audite in alio loco quid Dominus dicat omnibus Apostolis suis ; Accipite spiritum sanctum. Et continuò , si cui dimiseritis peccata dimittentur ei , si cujus tenueritis tenebuntur. Hoc ad claves pertinet , de quibus dictum est , quæ solveritis in terra erunt soluta & in Cælo , & quæ ligaveritis in terra , erunt ligata & in Cælo. Sed hoc Petro dixit ut scias ,* QVIA PETRVS VNIVERSÆ ECCLESIÆ PERSONAM TVNC GEREBAT ..... *Columba ligat , columba solvit , ædificium supra Petram ligat , & solvit.* Et infra. *Meritò etiam post resurrectionem Dominus ipsi Petro oves suas commendavit pascendas. Non enim inter Discipulos solus meruit pascere Dominicas oves : sed quando Christus ad unum loquitur , unitas commendatur , & Petrus primitus quia in Apostolis Petrus est primus ..... Attendite fratres mei. Pasce , inquit , oviculas meas , pasce agnos meos , pasce oves meas.*

13. Si Concilium generale sine Papa Ecclesiam meliùs, quàm Papa solus repræsentat, toti Collegio , non soli Petro tradendæ erant claves , commendandæ oves , &c. Non ergo ut simplex Procurator , sed ut Monarcha visibilis claves Regni Cœlorum accepit Petrus ; non ut deferendas ad Ecclesiam , & ab illa rursus recipiendas , sed in illius utilitatem usurpandas , & Ministris inferioribus communicandas. Certè si Petrus nuda fuisset Ecclesiæ figura , seu simplex Procurator hinc *Petri excellentia* non prædicaretur, ut dicit S. Augustinus.

C A-

CAPUT XII.

Sententia S. Joannis Chryſoſtomi de comparatione B. Petri cum cæteris Apoſtolis, etiam ſimul ſumptis.

1. SAnctus Joannes Chryſoſtomus homil. 55. in Matthæum ſuper hæc verba capitis 16. *Vos verò quem me eſſe dicitis &c.* multifariam ſignificat, ſuperius eſſe ſancti Petri circa fidem judicium, cæterorum omnium Apoſtolorum judicio. Notat enim primò eum non ſolùm omnes alios repræſentaſſe, omnium vice ad interrogationem Chriſti quærentis, quem ſe eſſe dicerent, reſpondendo, ſed ipſorum etiam non expectaſſe ſuffragium. *Quid igitur Petrus omnium Apoſtolorum os* VERTEX CONSORTII TOTIVS? (nota hæc verba VERTEX CONSORTII TOTIVS, & non Apoſtolorum tantùm ſeorſim acceptorum) *Cùm omnes interrogati eſſent ipſe ſolus reſpondet.*

2. At inquies, ſolus reſpondet, quia importunum fuiſſet, ut reſponderent ſimul omnes: Ipſe igitur, cognitis aliorum judiciis, omnium profert reſponſionem. Aliter ſentit S. Chryſoſtomus; Sic enim proſequitur: *Et quandoquidem de ſententia vulgi petebat, omnes reſponderunt: Cùm verò de ſua eos rogaret,* PETRVS CONFESTIM PRÆSILIVIT, *ac præveniens ait; Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Si *confeſtim præſilivit*, non expectavit aliorum ſuffragia; ſed cùm ſinguli circa humana judicia reſpondiſſent, ſolus ſententiam profert Beatus Petrus, atque *præſiliens*, & *præveniens* alios, Chriſti Divinitatem agnoſcit, & profitetur.

3. Secundò notat S. Chryſoſtomus, B. Petrum tunc perfectiori modo Chriſtum cognoviſſe, quàm qui eum Filium Dei anteà confeſſi fuerant, ut ipſimet Diſcipuli, qui erant in navi, cùm Chriſtus ventum compeſcuerat, de quibus Matth. 13. verſ. 33. dicitur; *Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum dicentes; Verè Filius Dei es*; ut Nathanael, qui referente Beato Joanne Chriſtum ſic allocutus eſt; *Rabbi tu es Filius Dei* Joan. 1. 49. Eo quod ab ipſo audiſſet; *priuſquam te Philippus vocaret, cùm eſſes ſub ficu, vidi te.* Probat autem ſanctus Doctor perfectiorem fuiſſe Petri, quàm aliorum, de Chriſto

cognitionem, id est alios tanquam filium adoptivum, Petrum verò tanquam filium naturalem, & consubstantialem, eum cognovisse; tum quod Petro dicatur à Patre æterno facta revelatio; tum quod ob illam confessionem Beatus à Christo ipso sit prædicatus. *Atqui nisi propriè sic Petrus intellexisset, & ab ipso Patre natum credéret, non fuisset revelationis opus illa confessio, nec aliquâ beatificatione digna, si unum ex multis Dei filiis illum putasset: Etenim jam pridem post tempestatem qui erant in navigio, verè Filius Dei est, dixerunt: Et quamvis verè dixerint, beatificati tamen ab eo non sunt. Non enim ita ut Petrus, sed unum ex multis verè filium æstimabant, præcipuum quidem, magisq; dilectum, non tamen ex Patris substantia natum Nathanael quoque dicebat.*

4. Tertiò observat S. Chrysostomus, Petrum Divinæ sententiæ sibi à Patre suggestæ promulgatorem, non humanæ opinionis relatorem, extitisse; *In medium Patrem produxit, qui ad confessionem veritatis animum Petri commovit. Ità Petrus quidem locutus est,* PATER AVTEM ILLI QVOD LOQVERETVR SVGGESSIT, *Ut non humanam opinionem, sed Divinam sententiam Divinitùs dictam Petrum credas enunciasse* Non ergo Christi Divinitatem, ejusque cum Patre consubstantialitatem ab Apostolico Collegio accepit Petrus. Rata fuit ejus sententia, & à Christo ipso approbata, & remunerata, non expectato aliorum assensu.

5. Quartò ad Petrum verè, ac propriè factam esse promissionem de ædificanda super ipsum Ecclesia, & tradendis illi clavibus Regni Cœlorum, quod infrà apertiùs docet, jam insinuat sanctus Doctor his verbis; *Quid igitur Christus? Tu es Simon filius Jonæ, tu vocaberis Cephas. Nam quia Patrem meum prædicasti, ego etiam illum nomino, qui te genuit; ac si diceret: quemadmodum tu Jonæ filius es, sic ego Patris mei filius sum. Nam aliter supervacaneum omninò atque superfluum esset, dicere; Tu es filius Jonæ. Verùm quia ille dixit; Tu es filius Dei. Ut sic sese filium Dei ostendat, sicut ille Jonæ filius, ejusdem videlicet substantiæ cum Patre, idcircò illud adjecit: Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Petro ergo ipsi, seu filio Jonæ facta est promissio, hoc est verè ac propriè, & non tantùm significativè.

6. Quintò licet B. Chrysostomus petram, super quam pollicetur Christus se suam ædificaturum Ecclesiam, de Fide, atque confessione Divinitatis Christi intelligere videatur: Illam

lam tamen confessionem accipit cum ordine, ac respectu ad Petrum, seu (ut loquuntur Scholastici) non in abstracto, sed in concreto. Nam sese explicat sanctus ipse Doctor, addens Christum fecisse, ut Petrus sublimiora saperet, eumque Pastorem Ecclesiæ constituisse. Continuò enim prosequitur; *idest* FIDEM, *atque confessionem. Hic apertè prædixit magnam eorum qui credituri, & erant, & sunt multitudinem fore, & sublimiora sapere ipsum facit*, & ECCLESIÆ PASTOREM CONSTITVIT. Putasne illum quem Christus *sublimiora sapere facit* à multitudine, cujus Pastor constituitur, docendum esse, non multitudinem ab ipso? Pastorem Ecclesiæ ab Ecclesia; non Ecclesiam à suo Pastore?

7. Sextò quemadmodum Petro verè, propriè, ac excellentiori modo revelata fuerat Christi Divinitas; eamque solus ipse professus fuerat: ita ipsi verè, propriè, atque immediatè dari claves Regni Cœlorum sanctus Doctor his verbis clariùs exprimit; *Et ego autem dabo tibi claves Regni Cœlorum. Quid verò est; & ego autem tibi dabo? Quemadmodum Pater tibi dedit ut me cognosceres; sic & ego tibi dabo ..... Quid das quæso? Claves, inquit, Regni Cœlorum: Et quæcumque ligaveris, &c.*

8. Septimò docet sanctus Doctor, B. Petrum ad altiorem Divinitatis Christi cognitionem adductum per duplicem quam ab eo potestatem accepit. Repetit adhuc ipsum Ecclesiæ Caput, ac Pastorem extitisse. *Animadvertis*, inquit, *quo pacto ipse etiam ad altiorem de se opinionem Petrum adducit, & se ipsum his duabus pollicitationibus filium esse Dei revelat & ostendit. Nam quæ Deus concedere solus potest, peccatorum scilicet remissionem, & ut Ecclesia, tot, tantisq; fluctibus impetu irrumpentibus, immobilis maneat, cujus Pastor, & Caput piscator homo, atque ignobilis, terrarum orbe reluctante adamantis naturam firmitate superet. Hæc inquam omnia, quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturum.*

9. Octavò ostendit B. Petrum toti terrarum orbi, atque ideo toti Ecclesiæ præpositum, ex comparatione cum Hieremia. Hic quidem Prophēta Judæis, quibus constabat tota Synagoga, præerat, sed unica tantùm gens erat; At verò Petrus toti Ecclesiæ ex omnibus omninò gentibus, & populis congregatæ. *Ita & Pater* (prosequitur S. Chrysostomus) *ad Hieremiam dicebat; sicut columnam ferream, & sicut murum æneum posui*

sui te ; sed ipsum quidem genti uni pater ; HVNC AVTEM (*Petrum*) VNIVERSO TERRARVM ORBI CHRISTVS PRÆPOSVIT..... *Pater quidem ei revelationem Filii sui dedit : Filius autem partim , ut tam Patris , quàm Filii sui revelationem ubique terrarum posset seminare , partim ut quamvis homo esset mortalis ,* CÆLESTI TAMEN POTESTATE POLLERET, ET CLAVES HABERET REGNI CÆLORVM. *Ita Petrus Ecclesiam per universum Orbem amplificatam Cœlo etiam ipso validiorem monstravit. Transibunt enim , inquit Cœlum & terra , verba autem mea non transibunt.*

10. Denique sic concludit S. Doctor , *Tu verò meorum ex eis omnibus ,* QVANTA SIT POTESTAS EIVS (Petri) *intellige , ego dico tibi inquit ; Tu es Petrus , & ego super te ædificabo Ecclesiam meam : ego tibi dabo claves Regni Cœlorum.*

11. Sermone in Petrum, & Paulum hæc de B. Petro habet. *Sed de Petro quid dicemus ? Qui dulce spectaculum est Ecclesiæ , splendor totius mundi , columba castissima ,* APOSTOLORVM DOCTOR, *Apostolus ardens , spiritu fervens , Angelus , & homo gratia plenus ,* FIRMA FIDEI PETRA , SENILIS ECCLESIÆ SAPIENTIA , *qui ob puritatem Ecclesiæ Beatus , & filius columbæ ex Dominico ore audivit. Qui claves Regni Cœlorum ab ipso Domino accepit.* Si Petrus erat *splendor totius mundi , si Apostolorum Doctor* , ab ipso alii , non ab aliis ipse instrui, atque doceri indiguit.

12. Idem S. Doctor homil. 3. in Acta Apostolorum, dignitatem , & autoritatem B. Petri super cæteros , etiam congregatos occasione electionis Apostoli , Judæ proditori substituendi, multifariam ostendit. *Primus hic , inquit , Doctorem constituit..... Quamquam autem* HABEBAT CONSTITVENDI JVS PAR OMNIBVS , *tamen hæc congruenter fiebant ob virtutem viri , & ob hoc, quod tum temporis Præfectura , non honos erat , sed cura subditorum.* S. Petrus habebat jus par omnibus non solùm seorsim , sed etiam simul sumptis : quandoquidem S. Chrysostomus significat eum certum aliquod jus par omnibus habuisse , quod non exercuit; *quamquam autem habebat constituendi jus par omnibus , tamen , &c.* Exercuit autem jus quoddam , quo quilibet aliorum usus est, & præstantiori modo. *Nam Doctorem constituit , & primus omnium autoritatem usurpavit in negotio.* Quod ergo aliud jus par omnibus habebat ? ut scilicet solus posset eligere , quod omnes simul fecerunt , Petro humilitatem custodire , atque invidiam effu-

gere

gere volente. Prosequitur deinde S. Chrysostomus ; *Meritò primus omnium autoritatem usurpat in negotio*, VT QVI OMNES HABEAT IN MANV : *Ad hunc enim dixit Christus, Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Dixerat autem anteà : *Quàm est servidus?* QVAM AGNOSCIT CREDITVM A CHRISTO GREGEM? *Quam in hoc Choro Princeps est? Et ubique primus omnium incipit loqui.* Illa certè verba ; UT QVI OMNES HABEAT IN MANV, conjuncta cum istis. QVAM AGNOSCIT CREDITVM A CHRISTO GREGEM, apertè declarant ex mente S. Chrysostomi non solùm reliquos Discipulos seorsim sumptos, sed integrum quoque gregem, etiam congregatum, B. Petro cum ipsis existenti, sed seorsim ab ipsis considerato, subesse.

CAPUT XIII.

Confirmatur præeminentia summi Pontificis supra Concilium sine Pontifice.

1. COnsentiunt Catholici summum Pontificem esse visibile Caput Ecclesiæ. Visibile inquam ; nam invisibile, ac primum, & præcipuum solus Christus est. Caput autem non solùm pars corporis præcipua est ; sed & in eo solo vigent omnes sensus, ut si discindi sine interitu corpus posset, Caput cæteris omnibus membris, etiam simul sumptis, præstantiùs foret. Frequentissimus est in tota vita civili, præsertim apud Jurisconsultos, ut caput pro persona ipsa accipiatur, quod de reliquo corpore vix aliquod reperias exemplum.

2. Cùm nunquam contigerit (neque futurum sit unquam) ut summus Pontifex legitimus, & indubitatus magnum vel majorem Episcoporum numerum, à sua parte stantem non habeat : Nonne Ecclesiæ Corpus per Caput cum multis aliis membris præcipuis meliùs repræsentabitur, quàm per alia membra sine capite? Quid igitur aliud efficiunt, qui Concilium sine Pontifice cum Pontifice solo comparant, eique præferunt, quàm ut pernicioso schismati viam aperiant?

3. Ipsi etiam Episcopi non solùm seorsim, sed etiam in Concilio congregati, Romanum Pontificem Caput, ac Patrem habent. Hoc inter alia profitetur Concilium Chalcedonense in Epistola seu relatione ad S. Leonem sub finem: *Rogamus igitur, & tuis Decretis nostrum honora judicium, & sicut nos* CAPITI *in bonis adjecimus consonantiam, sic & summitas tua filiis quod decet adimpleat.* Caput autem Concilii dicitur Pontifex non tantùm quod primo, ac præcipuo loco sit, sed quia, ut ait idem S. Leo alibi citatus; *Christus ab ipso quasi quodam Capite dona sua velut in corpus omne diffundit.* Sicut ergo quilibet Episcopus, quia est Ecclesiæ particularis Caput, ipsa met Ecclesia particularis esse censetur, ejusque Pastor, & Doctor, quem audire, ac sequi tenentur non solùm singuli, sed etiam omnes illius Diœcesis homines; nec ad eos de illius doctrina & regimine spectat judicare, sed ad superiorem extra Diœcesim; ità summus Pontifex, Ecclesiæ universæ Caput, ipsam solus meliùs, quàm cætera membra sine ipso, videtur exhibere; ejusque Pastor, & Doctor est, cui tenentur obedire tùm Laici, tùm Clerici, tùm seorsim, tùm conjunctim, quotquot intra Ecclesiam sunt.

4. Adeò difficilis, ac ferè impossibilis est Conciliorum generalium congregatio, ut verisimile non sit Christum principalem eis Ecclesiæ regendæ potestatem contulisse. Etenim per tria prima sæcula, cùm Imperatores, aliique Principes, Infideles essent, & ad Ecclesiam persequendam, quàm juvandam paratiores; nullum haberi potuit hujusmodi Concilium: Omnesque tunc temporis hæreses studio, & autoritate Romanorum Pontificum potissimùm extinctæ sunt. Posset autem contingere, quod tamen disponente Divina providentia nunquam futurum sperandum est, ut per totidem sæcula, vel plura idem impedimentum obstaret.

5. Incommodorum in convocandis Conciliis occurrere solitorum partem recenset S. Ambrosius Epist. 9. lib. 1. his verbis; *Vexabuntur Sacerdotes Senes, transfretabunt maria, iterum invalidi corpore patriam peregrino mutabunt solo, iterum Sacrosancta Altaria deserentur, ut in longinqua proficiscantur, iterum pauperum turbæ Episcoporum, quibus ante onerosa paupertas non erat, æternæ opis egentes, compellentur inopiam gemere, aut certè victum inopum itineris usurpare.* Præterea tam diversa sunt

sunt Principum Christianorum studia; tam frequentes bellorum perturbationes, tot circa præcedentiam, & alia capita contentiones; ut ob varias illas difficultates, quarum aliquæ posteriora Concilia tamdiù produxerunt, Scriptores dixerint, esse ferè impossibilem Conciliorum generalium congregationem.

6. Præstantia hic præcipuè propter certitudinem attenditur. At infallibilitatem sententiæ Concilii œcumenici autoritati summi Pontificis, potiùs quam aliorum Episcoporum numero, adscribendam, ipsâ experientiâ constat. Nam aliqua Concilia valdè numerosa erraverunt, ac per summos Pontifices, & per alia Concilia emendata sunt; ut patet de Concilio II. Ephesino & de Concilio Ariminensi. Anno 754. habitum est Constantinopoli Concilium, quod sanctæ, magnæ, & universalis Synodi titulo sese insignivit, 338. Episcopis constans, quorum omnium suffragio definitum est, cultum imaginum esse idololatriam: hunc errorem correxit, seu damnavit Stephanus IV. Papa in Concilio Romano anno 769. deinde Hadrianus primus, & juxta ejus definitionem, septima Synodus generalis.

7. Declarat autem quæ sit in convocandis, ac dirigendis Conciliis sanctæ Sedis autoritas, Epistola Hadriani ad Tarasium Constantinopolitanum lecta in 7. Synod. act. 2. *Quod si autem non perspecta mihi esset, & probè cognita erga Sacras Synodicas sex constitutiones, & venerandas imagines, vestra sinceritas, & orthodoxa fides, nequaquam ad Synodum convocandam assentiremur..... Inprimis autem Vestra Sanctitas piissimis, & triumphatoribus nostris Imperatoribus sine trepidatione inducat in animum, ut falsam congregationem illam sine consensu, ac præsentia Apostolicæ Sedis, contra omnem Patrum venerabilium traditionem, contra venerandas imagines, sine ordine, & debita convocatione, factam exsecretur, & anathematizatam præsentibus apocrisariis nostris cognoscat: quo omne zizanium ab Ecclesia eradicetur, & Jesu Christi Domini nostri verbum impleatur, cùm ait; Et portæ inferorum non prævalebunt adversus eam, & alibi; Tu es Petrus, &c.*

8. Eandem autoritatem exponunt Gelasius epist. 13. & Nicolaus 1. epist. 8. *Sanctæ memoriæ Flavianum*, inquit Gelasius, *Pontificum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absolvit, potiusque qui illic receptus fuerat, Dioscorum secun-*

da.

dæ Sedis Præsulem suâ autoritate damnavit, & impiam Synodum, non consentiendo submovit, ac pro veritate, ut Synodus Chalcedonensis fieret, SOLA DECREVIT, &c. Et Nicolaus primus; *Non ergo dicatis, non egisse vos in causa pietatis Romanæ Ecclesiæ, quæ collecta Concilia suâ autoritate firmat, suâ moderatione custodit. Unde quædam eorum* QVIA CONSENSVM ROMANI PONTIFICIS NON HABVERVNT, VALETVDINEM PERDIDERVNT. *Quomodo non egeat quælibet Synodus Romanæ Sedis, quando in Ephesino latrocinio, cunctis Præsulibus, & ipsis quoque Patriarchis probantibus, nisi Magnus Leo, imitator scilicet illius Leonis, de quo scriptum est, vicit Leo de Tribu Juda, Divinitùs excitatus, os aperiens, totum orbem, & ipsos quoque Augustos concuteret, & ad pietatem commoveret, Religio Catholica penitus corruisset.*

9. Nec cogites Concilia illa dumtaxat, quæ sine ulla Summi Pontificis autoritate congregata fuerant, vel in proferenda sententia libera non fuerunt, per eos, quibus dictum est in persona Petri; *Confirma fratres tuos*, fuisse confirmanda. Etenim in Concilio Chalcedonensi Act. 5. propositæ ab Asclepiade fidei definitioni; vel periculosæ, vel imperfectæ consenserant omnes Episcopi, eamque cum applausu exceperant præter aliquos Orientales, & sanctæ Sedis Legatos, qui recessuros se à Concilio protestati sunt, nisi Epistola S. Leonis integrè susciperetur, suppressâ illâ definitione, in qua sub verbis ambiguis, & æquivocationi obnoxiis Dioscori virus latere suspicabantur; quæque adeò rectæ fidei nocere potuisset.

10. Concilia Oecumenica, nisi Summi Pontificis autoritatem superiorem esse cognovissent, quomodo ejus non suo nomine, Decreta communi consensu constituta edi passi essent; ut autoritatem à Pontifice mutuari, approbationem tantùm à Concilio habere intelligerentur? Quod in iis dumtaxat Conciliis observatum legimus, quibus interfuit ipsemet Papa, quo expressiùs significaretur personæ ipsi summi Pontificis quatenus Petri Successoris, hanc competere prærogativam. Unde in Conciliis tantùm Occidentalibus ea forma servata est, eo quod in Orientalibus nunquam adesse voluerint summi Pontifices, licet rogati, & aliquando facilè, vel sine magno incommodo adesse potuissent.

11. Quamquam extant etiam illius prærogativæ vestigia in

in Conciliis Orientalibus. Nam condemnatio Dioscori in Concilio Chalcedonensi sub nomine S. Leonis, quamvis absentis, cum approbatione, & subscriptione Episcoporum à Paschasino Legato edita est; *Sanctissimus, & Beatissimus Archiepiscopus magnæ, & senioris Romæ* LEO, PER NOS, ET PER PRÆSENTEM S. SYNODVM VNA CVM TER BEATISSIMO, ET OMNI LAVDE DIGNO BEATO PETRO APOSTOLO, *qui est petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudavit eum (Dioscorum) tam Episcopatus dignitate, quàm etiam & ab omni Sacerdotali alienavit ministerio.* Magna est energia verborum illorum; *Leo per nos, & per præsentem S. Synodum, quibus denotatur Papæ autoritas*; & sequentium, *una cum ter Beatissimo, & omni laude digno B. Petro*, quibus significatur autoritatis origo, scilicet privilegium Romanis Pontificibus in persona Beati Petri à Christo collatum. Nec illam sibi autoritatem vindicaverunt Apostolicæ Sedis Legati, nisi postquam eis dictum fuit; *Petimus vestram Sanctitatem qui habes, magis autem qui habetis locum sanctissimi Papæ Leonis, promulgare in eum, & regulis insitam contra eum proferre sententiam. Omnis enim & tota universalis Synodus concors efficitur vestræ Sanctitatis sententiæ.* Concil. Chalcedonen. Act. 3. in qua lecti sunt etiam nemine reclamante plurimi libelli, in quorum titulo distinguebatur sanctus Leo à Concilio, eique anteponebatur, nec non Patriarcha, vel Archiepiscopus universalis appellabatur.

12. Quamvis Reges, aliique Principes à populo plerumque suam autoritatem acceperint, non à Deo, nisi mediatè; tamen Regem Galliæ Comitiis generalibus superiorem esse, qui revocaret in dubium, puto tanquam læsæ Majestatis reum habendum; Eamque superioritatem omnes intelligunt in eo significatam, quod, quæ in Comitiis deliberata sunt, Regis nomine inscribuntur, & autoritate promulgantur. Cùm in Comitiis generalibus Galliæ sub Henrico III. conscripti fuissent quidam articuli, quibus exigebatur ut Rex Comitiorum sententiam sequi teneretur, repudiati sunt, tanquam Regiæ Majestati injurioſi: & jure meritò inquit *Dupleix* ista recitans, nam Rex verè Rex non esset, si ei à Comitiorum sententia recedere non liceret. Porrò quomodò summus Pontifex Ecclesiæ subjacebit, à qua suam non est mutuatus potestatem, & cui potiùs jure Divino, tanquam Christi Vica-

rius ex Constantiensi Concilio sess. 8. tanquam Caput corpori juxta Concilium Chalcedonense Act. 3. & in Epistola ad S. Leonem; tanquam Pastor gregi, ut canit Ecclesia, præpositus est.

CAPUT XIV.

Rursus confirmatur præeminentia Pontificis supra Concilium.

1. ADstruitur etiam Papæ superioritas iis omnibus argumentis, quæ probant supremum esse Romani Pontificis Tribunal, nec ab illo licere appellare; *Aliorum fortè hominum Causas* (inquit Ennodius Diaconus, cujus doctrinam recepit, & approbavit, tanquam sua Decreta, Concilium Romanum V sub Symmacho Papa, quemque aliâ occasione jam supra citavimus) *Deus voluit per homines terminari: Sedis istius Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio; voluit B. Petri Successores Cœlo tantùm debere innocentiam.* Præmiserat autem, Concilio potestatem, quam aliàs non habuisset, ad judicandum Papam, ab ipsomet Pontifice concessam: *Judicia, & iste voluit, amavit, attraxit, ingressus est: &, quod posset fidelium corda doloris justi aculeis excitare, Venerando Concilio autoritatem, etiam contra se, si mereretur, indulsit.*

2. Concilium Lateranense sub Alexandro III. majorem vult adhiberi cautelam in eligendo Romano Pontifice, quia Episcoporum quidem reliquorum electio, vel electus Episcopus, emendari poterunt, sed quoad Romanam Ecclesiam NON POTERIT AD SVPERIOREM HABERI RECVRSVS. Concilii Lateranensis sub Leone X. testimonium protulimus cap. 5.

3. Cæterùm si in propria causa Romani Pontifices audiri debent (fieret autem illis magna injuria, præsertim sanctitate, doctrinâ, & prudentiâ conspicuis, si non audirentur) plurimi sunt, qui hanc suæ Sedi autoritatem vindicarunt. In collectione Lucæ Holstenii in Synodo Romana num. 8. Bonifacius Rufo Thessalonicensi scribit; *Talia scripta direximus, quibus universi fratres intelligant, primò convenire te citra tuam conscientiam mitti-*

minimè debuisse : Deinde de nostro non esse judicio retractandum. NVNQVAM ETENIM LICVIT DE EO RVRSVS, QVOD SEMEL STATVTVM EST AB APOSTOLICA SEDE, TRACTARI.

4. Sanctus Gelasius in Epist. 13. jam citata, quæ est ad Episcopos Dardaniæ; *Cuncta*, inquit *per Mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpotè quod* DE OMNI ECCLESIA FAS HABEAT IVDICANDI, NEQVE CVIQVAM DE EIVS LICEAT IVDICARE IVDICIO: *Si quidem ad illam de qualibet Mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus*: Deinde variis exemplis confirmat autoritatem summi Pontificis supra Concilia; *sed nec illa præterimus, quod Apostolica Sedes frequenter, ut dictum est, more majorum etiam sine ulla Synodo præcedente, & absolvendi quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi nulla existente Synodo quos oportuit, habuerit facultatem: Sanctæ memoriæ quippè Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit; Itemque sanctæ memoriæ Flavianum Pontificum congregatione damnatum pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absolvit, potiusq; qui illic receptus fuerat, Dioscorum secundæ Sedis Præsulem suâ autoritate damnavit, & impiam Synodum non consentiendo submovit, &c.* Idem scribit Epist. 4. seu commonitorio ad Faustum; *Nobis opponunt Canones dum nesciunt quid loquantur, contra quos hoc ipso venire se produnt, quod sanctæ Sedi sana, rectaq; suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt Canones qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri; ab ipsa verò nusquam prorsus appellari sanxerunt, ac per hoc* ILLAM DE TOTA ECCLESIA IVDICARE, IPSAM AD NVLLIVS COMMEARE IVDICIVM. *Nec de ejus unquam præceperunt judicio judicare, sententiamq; illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potiùs sequenda decreta mandarunt.*

5. Gelasium secutus, & imitatus est Nicolaus I. epist. 8. etiam supracitatâ quæ est ad Imperatorem Michaelem; *Quoniam*, inquit, *cùm secundùm Canones ubi est major autoritas judicium inferiorum sit deferendum ad dissolvendum, scilicet, vel ad roborandum, patet profectò Sedis Apostolicæ, cujus autoritate major non est, judicium à nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio, si quidem ad illam de qualibet Mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Juxta quod & Bonifacius, atque Gelasius Sanctissimi Præsules, non suis adinventionibus, sed Ecclesiæ Romanæ consuetudines non ignorantes dicunt.*

6. Non minus perſpicua eſt Paſchalis II. ſententia Epiſtolâ ad Archiepiſcopum Poloniæ, relata à Baronio è Codice Vaticano ad annum 1102. *Aiunt in Conciliis ſtatutum non inveniri, quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia ulla præfixerint,* CVM OMNIA CONCILIA PER ECCLESIÆ ROMANÆ AVTORITATEM, ET FACTA SINT, ET ROBVR ACCEPERINT, *& in eorum ſtatutis Romana patenter autoritas excipiatur.*

7. Denique necipſi Anteſignani autoritatis Conciliaris auſi ſunt indiſcriminatim aſſerere à Summo Pontifice poſſe ad Concilium provocare in quolibet caſu. NON EST FAS (inquit Joannes Gerſonius tractatu, quomodo, & an liceat in cauſis fidei à Summo Pontifice appellare, ſeu ejus judicium declinare) APPELLARE A PAPA, *vel ejus judicium in cauſis fidei declinare, non quidem pro omni, & in omni caſu, ſed quando facit id, quod in ſe eſt, & quando non apparet devius à fide, ſed ambulat rectè ad veritatem Evangelii ſine perſonarum acceptione.* (Ecce quibus in caſibus ſecundùm Gerſonium à Summo Pontifice non licet appellare) *Porrò Dominus noſter tollere poterit efficaciter ſuſpicionem ſiniſtram, quæ contra Sanctitatem ſuam fieri poſſet, ſi dicta ſua factis compenſet: hoc eſt ſi ſponte, nullo requirente, damnet illam doctrinam peſtiferam, & crudelem contra Polonos cum ſimilibus aliis, cum tali celeritate, & rigore, qualem fidei materia vergens in ſcandalum, & perniciem Reipublicæ poſtulat, & requirit, procul abjectâ quâvis acceptione perſonarum.*

8. Materiam iſtam egregiè tractat Franciſcus Victoriæ relectione 4. propoſit. 20. ubi appellationes iſtas rejiciens poſt alias ſolidas probationes addit; *Præterea hoc probatur experientia, & exemplis, quæ in moralibus faciunt magnam probationem.* OMNES ENIM APPELLATIONES HACTENVS FACTÆ AD CONCILIVM MALE CESSERVNT, ET TANDEM DEVENERVNT IN SCHISMA ALIQVOD, VEL ETIAM HÆRESIM. 3°. *Quia hoc eſſet magna occaſio perturbationis in Eccleſia: quia ſi Papa timeret, ne facta ejus deberent reſcindi in Concilio, nunquam vellet congregare Concilium, cum magna jactura profectò rerum Eccleſiaſticarum; & congregare ſine illo, vel non licet, vel eſſet valdè difficile. Semper enim erunt aliqui, imò major pars, qui velint ſequi partes Pontificis, & unus Princeps faveret Concilio, alius Pontifici; Ex ſic nihil pacificè nec ad utilitatem Eccleſiæ fieri poſſet: imò eſſent multò majores turbationes, ut experientiâ compertum eſt.* Nec minus acriter illas appellationes impugnat Mauclerus de Monarch. Eccleſ. lib. 3. cap.

cap. 10. *Quintum denique*, inquit, *ac postremum de præcipuis privilegium illud est, de quo hic quæstio vertitur, quod suprà tetigimus, contra quod ridiculæ fiunt à quibusdam Schismaticorum partes suâ partim malitiâ, partim imperitiâ foventibus, objectiones, nonnullaq; ad suam confirmandam rebellionem exempla producuntur: quæ à doctissimo nostræ ætatis Theologo viro sanctissimæ vitæ Valeo, eruditè refutata & explosa studiosus Lector videre poterit. Tot sacris Ecclesiæ Decretis, Canonibusque veluti Divini Sancti Spiritûs oraculis ritè consideratis, justoq; ratiocinio Theologicaq; sapientiæ trutinatis examine, quam justè spiritualem anathematis gladium contra provocantes à Pontificii Monarchæ judicio ad futurum Concilium, à sanctissimis Sedis Apostolicæ Præsulibus evaginatum fuisse credere debemus.*

9. Testatur libertatum Ecclesiæ Gallicanæ defensor Dominus Petrus de Marca, usum illum esse novum. Sic enim inchoat cap. 17. lib. 4. *Superiore capite novam quandam rationem vidimus in Ecclesiam invectam ab iis, qui se Romanæ Curiæ censuris premi existimabant; scilicet appellationem à Papæ Decreto ad futurum Concilium. Novam dixi, quia nunquam in Ecclesia admissa fuit provocatio à Papa ad Concilium.* Numero autem 4. originem notat his verbis; *Primus omnium, qui appellatione ad Concilium usus est, prodit se apud Historicos Fridericus II. Imperator.* Sed ut refert Matthæus Parisius in verbis à Marca relatis, Legatus Friderici appellavit à Concilio ipso generali, quod tunc scilicet anno 1245. Lugduni congregatum erat, ad aliud generalius. *Appellavit pro eo ad Concilium proximè futurum generalius. Nec enim nunc omnes Prælati, vel eorum, vel Principum Procuratores apparent hic impræsentiarum.*

10. Itaque appellationum illarum origo, ut lib. 10. videbimus, ad Gallos referenda erit, qui anno 1303. nomine Philippi IV. dicti Pulchri Franciæ Regis appellarunt à Bonifacio VIII. ad futurum Concilium. Primo loco illam refert, qui probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ collegit cap. 13. cujus titulus est de hujusmodi appellationibus. Verùm tunc allegabatur aut fingebatur Bonifacium non esse legitimum Pontificem, & perinde appellabatur ad futurum legitimum Pontificem, ut ad Concilium generale.

11. Nec nisi post schisma invenietur interposita appellatio absoluta à Summo Pontifice pro vero accepto, ad futurum Concilium. Itaque cùm Concilium Papæ præponi cœpit, aperta est via ad appellandum ab illo ad istud. Multum autem

verendum est ne illæ appellationes eo fine assumantur, ut obtegatur inobedientia prætextu Concilii, quod vel impossibile, vel difficillimè haberi posse compertum est.

12. Cæterùm antiquorum Scriptorum tum in Gallia, tum in aliis Provinciis Christianis doctrina erat, à Papæ sententia non posse provocari : Ita Hincmarus Episcopus Remensis tom. 2. epist. 44. quæ est ad Episcopos Diœcesis Remensis n. 25. Ivo Carnotensis in Decreto par. 5. cap. 9. & 10. & epist. 233. & 236. Potho Presbyter Prumiensis de statu domûs Dei, lib. 3. S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis epist. 73. S. Antoninus & alii etiam ex recentioribus sanctæ Sedi minus æquis, ut Carolus Fevretus lib. 9. de abusu cap. 3. num. 15.

13. Denique cùm Summo Pontifici vineæ custodia à Salvatore commissa sit, ut confessa est Synodus Chalcedonensis in relatione ad S. Leonem; id est, cùm *Petro totius Ecclesiæ cura commissa sit*, ut scribit S. Gregorius lib. 4. epist. 32. cùm idem officium ad singulos Petri successores transierit, & singulis cum S. Fulberto Episcopo Carnotensi epist. 22. dici possit; *Dilectissime Pater cui totius Ecclesiæ cura commissa est* : cùm eis Gregis sit commissa custodia, ut docet S. Epiphanius de B. Petro Ancoratus cap. 4. Cùm Summus Pontifex aliis quampluribus titulis à sanctis Patribus insigniatur, quibus significatur *unum Papam esse super Ecclesiam mundi totius*, ut Episcopi Patarensis apud Liberatum Brev. cap. 22. verbis utar, quomodo illi præferendum esset Concilium generale, licet totam Ecclesiam sine Pontifice repræsentaret. Quomodo successor ejus, cui *totius Ecclesiæ gubernacula tradita sunt*, ut prædicat sanctus Maximus Episcopus Taurinensis homil. 3. in Natal. Beatissimorum Petri & Pauli, gubernandus ipse esset ab Ecclesiæ parte quantumvis præcipua? Sanior videtur sententia Joannis de Selva in Senatu Parisiensi Præsidis tract. de benefic. parte 3. quæst. 8. num. 32. *Papa*, inquit, *præfertur toti Concilio*.

CA-

CAPUT XV.

Respondetur autoritati Concilii Constantiensis.

1. DUplici præcipuè ratione impugnabat Eugenius IV. hujus Synodi de Conciliorum generalium autoritate Decreta. Prima quod dubia esset eorum autoritas. Secunda quod ad tempus schismatis restringenda essent. Utramque improbant Illustrissimi Præsules Comitiorum Parisiensium his verbis; *Nec probari à Gallicana Ecclesia, qui eorum Decretorum quasi dubia sint autoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.* Sed nunquid etiam Comitiis Cleri Gallicani inferior est autoritas Papæ, ac illorum potiùs quàm Summi Pontificis sequenda sententia?

2. Eugenius igitur Decreta, de quibus est quæstio, hâc in primis ratione non valere contendebat, quod ab una tantùm obedientia fuissent facta, id est à Prælatis Joanni XXIII. obedientibus, quod affirmat etiam Cardinalis à Turrecremata de rei veritate optimè instructus, ac gestorum ex parte oculatus testis, & pro suo merito fide dignus. Rem narrat his verbis, summâ de Eccles. lib. 2. cap. 99. *Notandum quod Congregatio illa Constantiæ celebrata tria tempora habuit. Primum fuit, in quo sola obedientia præfati Joannis Balthasar Constantiæ convenerat. Secundum tempus fuit, in quo Angelus Coriarius vocatus in obedientia sua Gregorius XII. juri suo cedens præfatæ Congregationi se sub certis modo, & formis conjunxit. Tertium tempus est, in quo Reges, & Principes, ac Prælati obedientes Petro de Luna, Benedicto XIII. vocato in obedientia sua per suos Oratores novâ factâ convocatione Concilii se unierunt præfatæ Congregationi ad pacem dandam universali Ecclesiæ. Et fuimus nos tunc præsentes in minoribus constituti, pro quo solo tempore convenientibus omnibus simul tribus obedientiis fuit certum dicere, quod universalis Ecclesia repræsentativè congregata esset Constantiæ. Nullus autem dubitat, quin asserere quod sola obedientia Joannis faceret Concilium universale, universalem Ecclesiam repræsentans, esset temerarium, & scandalosum aliis duabus obedientiis. Tertiò ea quæ inducuntur de decretis Concilii Constantiensis non militant: quoniam autoritati illius aliæ duæ obedientiæ, scilicet Gregorii, & Benedicti apertissimâ contradictione in plena Congregatio-*

ne se opposuerunt, & eorum contradictio fuit accepta. Subjungit infrà idem Cardinalis; *In illorum determinatione non modò non intervenit universalis Ecclesia, sed obedientia una tantùm, scilicet Joannis XXIII. ut dictum est, sed etiam non integrè tota illa obedientia; quoniam plures Patres doctissimi illius obedientiæ illis non præstiterunt consensum, aut assensum suum. Item nec ipsâ in suâ obedientiâ vocatus Joannes XXIII. quoniam cùm post recessum suum à Constantia Scaphusæ constitutus audiret præfatam declarationem conclusam, Dominis Oratoribus Christianissimi Regis Franciæ visitantibus eum, videlicet Domino Duce Bavariæ, Domino Nicolao de Colavilla, aliisque eorum Collegis amaro animo conquestus est falsa quædam, & erronea adversùs autoritatem Summi Pontificis Romani decreta per æmulos suos post recessum ejus esse conclusa, &c.* Quæ omnia confirmantur ab aliis Scriptoribus, & ab Actis ipsis Concilii Constantiensis, in Bibliotheca Vaticana extantibus, quorum summam in lucem nuper emisit doctissimus vir Emanuel Schelstrate.

3. Cæterùm quoniam Illustrissimi Antistites Parisienses hæc Decreta à Sede Apostolica comprobata dicunt, quod præcipuè de Martino V. intelligendum videtur, qui depositis à Concilio Constantiensi tribus Pontificibus, inter se de Pontificatu contendentibus, Pontifex creatus est, & ab omni Ecclesia pro vero, & legitimo acceptus; videndum est, quæ fuerit ejus de his decretis mens. Sed priùs observandum est, etiamsi Concilium Constantiense legitimum non foret, Martinum nihilominus legitimum fore Pontificem, quippe cùm Joannes, & Gregorius Papatui renunciarint, ut patet ex Actis Concilii Constantiensis sess. 12. & 14. & Gregorius ante decesserit, quam Martinus V. eligeretur, ac deinde Clemens VIII. Benedicti successor eidem Martino cesserit. Præterquam quod ex autoritate Concilii ad tollendum schisma, non ritè, cùm sit exceptio regulæ generalis, infertur autoritas indefinita supra Papam in omnibus casibus.

4. Ut autem ad Martinum V. redeamus, prohibuit ille appellationes ab Apostolica Sede, seu Romano Pontifice, ut testatur Joannes Gersonius tractatu, *Quando, & an liceat à summo Pontifice in causis fidei appellare, seu ejus judicium declinare.* Quæ certè prohibitio absona fuisset, si Concilii judicium judicio Papæ superius existimasset. Quis enim Judicem non derideat, à sua sententia ad Judicem superiorem appellari vetantem, in iis

iis cauſis, in quibus alius eſt re vera Judex ſuperior. Fuit autem promulgata illa Martini V. Conſtitutio in Conſiſtorio generali celebrato Conſtantiæ ſexto Idus Martii Anno primo, ideſt ante finem Concilii, quod terminatum eſt 10. Kalendas Maii anno 1418. etiam Pontificatus primo, & à Pontifice approbatum: quæ confirmatio in actis refertur his verbis; *Sanctiſſimus Dominus noſter Papa dixit, reſpondendo ad prædicta* (ſcilicet de condemnatione libelli Joannis Falkemberg) *quod omnia, & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materiis fidei per præſens Concilium conciliariter tenere, & obſervare inviolabiliter volebat, & nunquam contraire quoquo modo. Ipſaq; ſic conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo, & illud idem iterato fecit dici per organum Domini Auguſtini de Piſis Fiſcalis, & ſacri Conſiſtorii Advocati prædicti, qui* NOMINE PAPÆ *à Prothonotariis, & Notariis ad ſcribendum Acta Concilii ordinatis, & deputatis petiit inſtrumenta publica fieri.* Quorſum autem verba illa, *& non aliter, nec alio modo*, niſi ut Decreta illa, quæ ut ſupra vidimus, à ſolis Prælatis obedientiæ Joannis XXIII. nec etiam ab illis omnibus, edita fuerant, probare non videretur.

5. Verùm licet illa Concilio generali adſcriberentur, & quæ à Martino V aut Eugenio IV. in genere dicta ſunt, ad hæc, de quibus ſpecialis, imò ſpecialiſſima facienda fuiſſet mentio, referri poſſent; non tamen extra caſum ſchiſmatis, de quo tunc erat quæſtio, aut hæreſum, de quibus accuſabantur Pontifices contendentes, ad alios caſus eſſent detorquenda; quæ altera erat Eugenii ratio. Nec enim ibi generaliter ſtatuitur omne Concilium generale in omni caſu ſupra Pontificem autoritatem habere, ſed tantùm Concilium Conſtantienſe, & alia generalia, quæ ob eandem cauſam congregari opus eſſet. Hæc enim ſunt verba Concilii Conſtantienſis ſeſſ. 5. *In nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Hæc ſancta Synodus Conſtantienſis generale Concilium faciens pro extirpatione ipſius ſchiſmatis, & unione, & reformatione Eccleſiæ Dei in capite, & in membris ad laudem Omnipotentis Dei, & in Spiritu ſancto legitimè congregata, ad conſequendum facilius, ſecurius, liberius unionem, & reformationem Eccleſiæ ordinat, diffinit, decernit, & declarat ut ſequitur. Et primò declarat quod* IPSA *in Spiritu ſancto legitimè congregata Concilium generale faciens, & Eccleſiam Catholicam repræſentans po-*

testatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cujuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur IN HIS, QVÆ PERTINENT AD FIDEM, ET EXTIRPATIONEM DICTI SCHISMATIS, *& reformationem dictæ Ecclesiæ in capite & in membris.*

6. *Item declarat, quod quicumque cujuscumque conditionis, status, dignitatis etiamsi Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut* PRÆCEPTIS HVIVS SACRÆ SYNODI, *& cujuscumque alterius Concilii generalis legitimè congregati* SVPER PRÆMISSIS, SIVE AD EA PERTINENTIBVS, *factis vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia juris subsidia (si opus fuerit) recurrendo.* Idem iisdem ferè verbis statuitur sess. 4. Notanda sunt illa verba *ipsa* (scilicet Synodus Constantiensis) *in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis: Præceptis hujus sacræ Synodi: super præmissis, sive ad ea pertinentibus*, quæ Decreta illa circumscribunt, ac sine limitatione intelligere vetant.

7. Testis est ipsemet Joannes Gersonius, tantùm ad Conciliorum generalium autoritatem constituendam fervens, sententiam de superioritate Papæ ad Concilium, non solùm antè, sed etiam post Decreta Concilii Constantiensis à multis fuisse propugnatam, quod evidens signum est decreta illa, vel non esse Concilii verè generalis (alioquin enim à nemine Catholico revocarentur in dubium) vel in certo duntaxat casu locum habere. Si enim generalia essent, quis superesset disputandi locus apud eos, qui à Concilio verè generali statuta crederent? *Fallor*, inquit Gersonius de potest. Eccles. consider. 12. *Si non ante celebrationem Sacrosanctæ hujus Constantiensis Synodi sic occupaverat mentes pluimorum litteratorum magis, quam litteratorum ista traditio, ut oppositorum dogmatizator, fuisset de hæretica pravitate vel notatus, vel damnatus. Hujus rei signum accipe quia post declarationem, & quod urgentius est post determinationem, & practicationem ejusdem sanctæ Synodi inveniuntur qui talia passim asserere non paveant.* Rationem autem cur huic sententiæ tantùm esset infensus, hanc insinuat considerat. 10. quia scilicet ut ipse arbitrabatur, eâ semper manente perseverasset semper schisma ab ea nutritum.

8. Ex quo conjicitur de hoc tollendo malo cogitasse quotquot recta intentione Concilium Papæ anteferre studuerint. Cæterùm enim non solùm ante Concilium Constantiense, sed

sed etiam posteà extiterunt magni nominis Autores, qui sententiam illam, summum Pontificem Concilio subjicientem erroneam judicarunt. Non solus Cardinalis Bellarminus, qui de Concil. lib. 2. cap. 11. hæc habet; *Concilium Basileense cum Legato Pontificis communi consensu statuit Concilium esse supra Papam; quod certè nunc judicatur erroneum*; Sed & alii quamplures; ex quibus Franciscus de Sylvestris, vulgò Ferrarienſis, à patria nuncupatus, Ordinis Prædicatorum Generalis, super S. Thomam lib. 4. contra gent. cap. 76. in fine sic scribit; *Ex prædictis constat vanam esse, & à Fide Christiana alienam opinionem dicentium Concilium, & Ecclesiam esse supra Papam, & ipsum Papam ab Ecclesia autoritatem habere tanquam ab ipsa institutum*; quæ censura non solam ultimam propositionem afficit, ut patet ex probationibus: sequitur enim; *Nam manifestum est ex prædictis, quod Christus ipse regimen Ecclesiæ instituit, non autem ipsa Ecclesia, aut populus Christianus, & quod in Ecclesia Petrum, suum Vicarium, & Successores ejus instituit, sicut & ad Sacramenta dispensanda instituit Ministros. Undè cùm dixit Petro; Pasce oves meas; præmisit interrogationem: Simon Joannis diligis me plus his? Ut ostenderet se autoritatem Petro dare, ut distincto ab aliis discipulis præsentibus. Propter quod exponens Chrysostomus prædicta verba, ait præteriens alios,* PETRO LOQVITVR, &c.

9. Doctrinâ, pietate, ac miraculis clarissimus S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus eandem doctrinam validè defendit part. 3. sum. tit. 23. de appellatione Papæ cap. 3. §. 3. fin. *Sed nec ad Concilium generale à Papa appellari potest: quia Papa omni Concilio superior est: nec robur habet quidquid agitur, nisi autoritate Romani Pontificis roboretur, & confirmetur. Sentire ergo quod ad Concilium à Papa appellari possit, est hæreticum, & contra illum articulum, Sanctam Ecclesiam Catholicam*; sic autem superiùs argumentatur; *Quicumque privilegium Romanæ Ecclesiæ à Christo traditum auferre conatur est hæreticus: sed dicens, & tenens, quod licet appellare à Pontifice Romano ad successorem ejus, aufert privilegium Romanæ Ecclesiæ à Christo traditum; ergo talis manifestè est hæreticus.* Et sic probat minorem; *Quicumque sentit Romanum Pontificem non esse summum, supremum, & unicum Caput totius Ecclesiæ, auferre conatur privilegium Romanæ Ecclesiæ à Christo traditum: sed quicumque à Papa appellandum sentit, sentit Papam non esse summum, & unicum Caput Ecclesiæ, ergo, &c. Undè sequitur quod quicumque hoc sentit: sentit contra artic. Nicænæ Synodi, ubi dicitur unam Sanctam Ecclesiam, quia*

Ecclesia habet unitatem ex unitate capitis. Unde & Joann. 10 dicit Christus. Fiet unum ovile, & unus Pastor. Si licitum esset appellare à Papa, & ille, ad quem appellatur, esset Caput. Sic Papa non esset Caput, vel essent duo Capita, quod esset monstruosum.

CAPUT XVI.

Respondetur aliis objectionibus contra Superioritatem Papæ ad Concilium.

1. SI, ut capite superiori demonstratum est, à Decretis Concilii Constantiensis efficax argumentum trahi non potest ad probandum, Concilium generale legitimo, & indubitato Pontifice non esse superius; cùm id præcipuum sit illius sententiæ fundamentum, eo everso corruet illa, aut nutabit. Etenim ex aliis probationibus, aliquæ minus solidæ mediocris ingenii Lectoribus statim apparent; Quæ autem verisimiliores videntur, si attentè perpendantur, & diligenter discutiantur, non tantâ vi pollent, ut animum veritatis sinceræ studiosum movere queant, quod ex earum examine patebit.

2. *Probatio principalis* (ut dicitur in tractatu Universitatis Cracovienſis super autoritate Conciliorum, justificatione Concilii Basileensis, & depositione Eugenii IV. relato in historia Universitatis Parisiensis tom. 5. ad annum 1440. *Per quam probatur superioritas potestatis Ecclesiasticæ super Papam, sumitur ex conditione hujusmodi potestatis prout est in Ecclesia, & in Papa. Est namque in Ecclesia hæc potestas continuè, permanenter, & perpetuè. Non est autem assignare diem, horam, vel momentum, in quo Ecclesiæ deficiat hæc potestas, & durabit usque ad consummationem sæculi; in Papa verò non est sic, cùm non semper vivat, possitque etiam privari, & sic carere hâc potestate, possitque de novo eligi, & iterum eam habere, & quoniam omne permanens, & continuum præfertur variabili, interpolato, & temporali, sequitur, quod potestas, sive autoritas Ecclesiæ præmineat potestati Papæ.* Si verum est principium quod supponitur in eo discursu, sequetur potiùs Papam esse supra Concilium. Non enim de Ecclesia formaliter accepta agitur, sed de Concilio eam repræsentante, ut

patet

patet non solùm ex propositione Cleri Gallicani, quam discutimus, sed etiam ex titulo, sub quo ponuntur verba supra scripta in illo tractatu. Est enim partis illius titulus; *De potestate Concilii.* Sic ergo argumentari possumus, OMNE PERMANENS, ET CONTINVVM PRÆFERTVR VARIABILI, INTERPOLATO, ET TEMPORALI, SED PAPA EST MAGIS PERMANENS, ET CONTINVVS, MINVS VARIABILIS, INTERPOLATVS, ET TEMPORALIS, QVAM CONCILIVM GENERALE, ERGO ILLI PRÆFERENDVS EST. Consequentia negari non potest, sicut nec prima propositio, quæ ipsorummet Adversariorum est. Secunda autem propositio ad oculum patet, semper enim per breviora intervalla defecerunt in Sede Apostolica Episcopi, quàm Concilia œcumenica, multoque facilius est, uno deficiente Pontifice, alium eligere, quàm Concilium generale convocare, quod vix semel per plura sæcula fieri potest.

3. Si ergo conveniens existimatur Divinæ providentiæ; ut autoritatem regendæ Ecclesiæ universæ, illique fidei exponendæ, ac præscribendarum morum regularum, illic reposuerit, quo facilior esset accessus, ne nimiæ dilationes malorum incremento præberent occasionem: certè promptius, & expeditius à Sede Apostolica, quàm ab universis mundi Episcopis, aut in Concilio generali congregandis, aut per universas mundi partes dispersis, fidei, ac morum norma exqiretur. Nam antequam convenerint undique, ac consenserint, vel consulti responderint omnes Prælati, hæresis, quæ velut cancer serpit, multas inficiet animas, quæ vix poterunt ab hujusmodi putredine purgari.

4. Prosequitur Universitas Cracovienſis. *Secundò quia potestas hæc semper in Ecclesia fuit, & est, & erit recta quoad ea quæ sunt juris, & fidei, nec unquam Ecclesia à fide deviavit, Papa verò frequenter, &c.* Perstat oratio in æquivocatione, & Ecclesiam confundit cum Concilio, à quo absit legitimus Pontifex. Nemo Catholicus dubitat, quin Ecclesia formaliter accepta immota semper in fide permanserit, & permansura sit. Sed quæritur à quo ei proponenda sit, & explicanda fidei veritas. Nec enim Ecclesia universa, quatenus complectitur omnes fideles, etiam laicos, eo dono prædita est, ut veritatem doceat; sed sunt in ea quorum munus est docendi alios; sunt quorum est tan-

tum addiscendi; quamquam fieri non possit, ut tota simul Ecclesia errorem fidei contrarium recipiat; gaudent enim infallibilitate passiva, ut dicitur, sed quæstio est, penes quem sit suprema dicendi, ac regendi potestas, an penes Episcopos sine Summo Pontifice, an penes Summum Pontificem sine Episcopis, dum invicem distinguuntur.

5. *Tertiò quia in Ecclesia* (verba sunt ejusdem tractatus) *est cognitio omnis necessariæ veritatis ad salutem, &c.* sed à quibus oritur hæc cognitio, dum aliqua inest in verbo Dei obscuritas? Nonne ab eo, cui dictum est; *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Confirma fratres tuos. Pasce oves meas.* vel solo, vel advocatis aliis Episcopis pluribus, vel paucioribus, prout ex rei gravitate, ac temporum opportunitate congruum judicaverit?

6. Sed posset adhuc magis urgeri difficultas ista. Quamvis enim facilius sit eligere Papam, eumque consulere, quàm Concilium generale congregare, vel omnium Episcoporum suffragia scisciteri; tamen per breves illas moras, quibus vacat Sedes Apostolica, Ecclesia fundamento carens collaberetur; Pastore destituta erraret; fratres, deficiente qui confirmaret, à fide dimoverentur, si usque adeò litteraliter intelligenda essent scripturæ loca, quibus summi Pontificis autoritas constituitur. Hæc tamen, si quid valent, contrariæ opinionis sectatores, magis quàm nos, premunt; Cùm enim jurisdictionem quam nos summo Pontifici, illi Concilio generali vindicent, quis ea munia obibit interim, dum convocabitur Concilium generale, vel exquirentur omnium Episcoporum vota, quod longiorem trahit moram.

7. Verùm in summo Pontifice, non persona ipsa, quæ morti, alliisque casibus humanis subjacet, sed dignitas, autoritas, & Jurisdictio attendendæ sunt, quæ semper virtute perseverant. Etenim Petro, ceu fundamento, nititur Ecclesia, ab eo confirmantur fratres; ab eo pascuntur Christi oves, & Agni; quia fides, & morum regulæ, quas explicat, Ecclesiæ firmamentum, & cibus sunt. Mortuo autem Pontifice immota permanent ab eo tradita, vel explicata dogmata. Et, si qua oritur nova difficultas, solvetur à Successore, cujus multò expeditior est electio, quàm Concilii ex toto terratum orbe congregatio. Itaque non deficiet un-

unquam Ecclesiæ fundamentum, firmamentum, & cibus.

8. Si quis autem instet, saltem tunc temporis Concilium generale supremam immediatè à Christo jurisdictionem habere, nihil contra nos aget, qui Cœtum, seu Concilium generale, cum legitimo, & certo Pontifice conferimus; non autem de Concilii generalis potestate, Sede Pontificali vacante, disputamus. Cæterùm docent plures Autores eo casu posse tantùm Concilium providere necessitatibus urgentibus, & ut Pontifex creetur, procurare; Non autem quæ ad statum Ecclesiæ universæ attinent, non expectato Pontifice, diffinire. Ita Joannes Bagotius Gallus, scilicet Rhedonensis, è Societate Jesu in Apologetico fidei par. 1. lib. 4 disput. 2. cap. 1. sect. 2. num. 7. *Nec verò Ecclesia universa is, si Sedes Petri vacat, aut ob schismatis discordiam de verò S. Petri Successore dubitatur, aliud jus, & potestatem habet, quàm ut eas quæ ad schisma tollendum pertinent, res tractet, & sibi legitimum Caput provideat*, SINE QVO NEC ROMANA, NEC VLLA ALIA ECCLESIA HABET A DEO PROMISSAM OPEM, ET AVXILIVM INFALLIBILE, PRO CONTROVERSIIS FIDEI DIRIMENDIS, SEV STATVENDO QVID CREDERE DEBEAT, &c. Sanè ut observavit Andreas Duvallius, de Ecclesiastica potest. pag. 58. *Sicut in Ecclesia Cathedrali, Sede vacante nihil est innovandum, ita nec in Ecclesia universali deficiente summo Pontifice.*

9. Objiciuntur adhuc varia incommoda, quæ accidere possent, si absolutæ Pontificis potestatis usus, Conciliorum jurisdictioni, ac directioni non subderetur. Sed eadem, & majora sequerentur ex subjectione Papæ ad Concilium. Itaque in utraque sententia respondendum est; fore ut Divina providentia incommoda illa modis etiam nobis ignotis, propulset, ne portæ inferi adversus Ecclesiam Christi sanguine redemptam prævaleant.

10. Hæc igitur sine præjudicio Dignitatis, & autoritatis Conciliorum verè generalium dicta sint, quorum usum Ecclesiæ utilissimum esse certò cognoscimus. Sed ut existimamus, utque jam in principio notavimus, qui eorum autoritatem nimis efferunt, eorum convocationi, ac congregationi obicem ponunt, imò dum Concilium sine summo Pontifice, quando legitimus, & certus existit, de quo casu omnis

nis hæc instituta disputatio est, summo Pontifici opponitur, ac præponitur, non Ecclesiæ utilitati, ac securitati consulitur, sed via schismati aperitur. At verò ut capite cum membris consentiente frequentissima habeantur Concilia generalia, eorumque Decreta ubique, atque ab omnibus custodiantur, optandum, & procurandum est.

11. Ad autoritatem Concilii Basileensis, Papam Concilio generali absolutè supponentis, respondendum videretur: sed illius Synodi exitus comprobavit, quàm periculosa sit illa doctrina, quæ membra separat à capite, eaque invicem committens, caput aliis corporis partibus supponit, Si enim tunc alter Joannes Grangius Caroli VII. Francorum Regis animum in Eugenium IV. Pontificem commovisset; ac Divina providentia non permisisset, ut magis Principi illi suspectus esset Amedeus sub nomine Felicis V. à Concilio Basileensi creatus Antipapa, metuendum erat, ne dirum schisma rursùs per plurimos annos Ecclesiam miserabiliter laceraturum foret.

12. Quamobrem consultissimè prætermissa est ab Illustrissimis Præsulibus Gallicanis istius Concilii autoritas, licet ei quam adhibuerunt, Concilii Constantiensis Decretorum interpretationi suffragaretur. Hoc eorum silentium sufficientissima est responsio. Nec dubito quin argumentum ex ea reticentia validius appareat æquo cuilibet Judici, quàm argumentum negativum, quod Launoius in favorem hujus Concilii trahit ex silentio Scriptorum circa pœnitentiam Cardinalis Arelatensis huic Concilio præsidentis, vel tum quando depositus est Eugenius, & electus Amedeus, & tamen in Beatorum album à Clemente VII. relati; imò quam argumentum positivum quo Alexandrum VII. istud Concilium, approbasse infert ex illis ejus Pontificis verbis in Constitutione circa Conceptionem B. Mariæ Virginis. *Accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis.* Quia nimirum inter illas Academias intellexit Parisiensem; cujus ea de re opinio præcipuè Basileensis Concilii autoritate nititur.

13. Quæ circa secundam istam propositionem adhuc afferenda viderentur in examine quartæ, quæ strictissimam cum ista conjunctionem, imò inseparabilem, si Launoio credimus, habet, Deo dante, dicemus.

CA-

CAPUT XVII.

Respondetur argumento Launoii ab epistola Siricii Papæ ad Anysium & cæteros Episcopos Illyricenses sumpto.

1. LAunoius Romani Pontificis autoritatem armis impugnat, quæ si talia essent qualia ille asserit, nemo esset qui resistere valeret. Traditionem ubique minatur, etiam Romanæ Sedis; quod potissimum est probationis genus; ipsa scilicet partium, quarum interest, frequentiùs iterata confessio. Verùm ita ubique inquirit, ubique captat occasiones deprimendæ autoritatis Pontificiæ, tam inconsiderato, ne dicam tam temerario scribit stylo, tam frequentibus, tamque iniquis verbis insectatur sanctæ Sedis defensores, ut quilibet æquus Lector animadvertat, non solùm ipsius opinionibus nullam deferendam esse autoritatem, sed etiam diligentiùs, & absque præjudicio examinanda esse quæcumque ab eo proferuntur, ne conjecturis ejus, aut interpretationibus in errorem pertrahatur: sed proferenda sunt præcipua quædam exempla.

2. Licet autem in declaratione Comitiorum Cleri Gallicani distinguatur propositio de comparatione Papæ ad Concilium, ab alia de non errandi privilegio, tamen Launoius ita connexas esse arbitratur, ut separari nequeant, aut non debeant. Itaque illas aliquando quidem distinguit, aliquando promiscuè tractat. Quæ circa utramque ex Summis Pontificibus eorum autoritati opponit, præcipua hæc sunt.

3. Epist. 7. tom. 1. *ait, illam epistolam quam Siricius Romanus Pontifex de Bonosi rebus in Capuana Synodo gestis ad Anysium & alios Illyrici Episcopos perscripsit, antiquitatis sacræ monumentum esse omni auro pretiosius, & in Ecclesiastica historia, quo satis æstimetur, reperiri nihil.* Rationem addit; *Nam Siricius in epistola id unum statuit, & confirmat, quod gravissimis quibusque de Romano Pontifice quæstionibus fieri solitis finem imponit.* Non est igitur opus, etiamsi vacaret, reliqua omnia prosequi, quæ in octo epistolarum tomis congessit, siquidem istud *unum gravissimis quibusque de Romano Pontifice quæstionibus fieri solitis finem*

imponit. Si istud unum *Ecclesiasticorum Annalium loca sexcenta*, quibus *Autor* (Baronium intelligit) *Romanum Pontificem supra Concilia omnia statuit, & sacrorum Canonum derogatorem facit amplissimum, funditus evertit*; cætera tanti esse momenti non possunt.

4. Anno 391. aut 392. habitum est Capuæ Concilium, in quo de componendo schismate Ecclesiæ Antiochenæ tractatum est: quod negotium, cùm propter partium, aut saltem unius ex illis absentiam, definiri non posset, Theophilo Patriarchæ Alexandrino commissum est: actum etiam fuisse dicitur de Bonoso Episcopo Narensitano de hæresi accusato, ejusque causam Anysio Thessalonicensi, & aliis Episcopis Macedoniæ delegatam esse. Item de alio Episcopo nomine Basso. Primum constat ex litteris S. Ambrosii ad Theophilum; secundum, & tertium ex litteris Papæ Siricii, ad Anysium & cæteros Episcopos titulum præferentibus, infert Launoius.

5. Disidium Ecclesiæ Antiochenæ narrant Theodoretus, Socrates & Sozomenus. Theodoretus Flaviano uni ex contendentibus magis favet: Socrates autem, & Sozomenus Paulino ejus Antagonistæ, & Evagrio Paulini successori. Launoius Theodoretum libentiùs sequitur: quia nimirum hic à Flaviano ita stat, ut ejus encomia potiùs quàm historiam scribere videatur, contra sentiente Romano Pontifice, ac etiam totâ Ecclesiâ Occidentali, quam constat cum pluribus Ecclesiis Orientalibus Paulino & Evagrio faviisse adversùs Flavianum, qui privatum commodum aut honorem publicæ paci antepoſuerat. Cùm enim constitutum fuisset, & juramento firmatum, ne cùm alter eorum, qui de Ecclesia Antiochena tunc disceptabant, scilicet Meletius, aut Paulinus, mortuus foret, successor præmortuo daretur; sed solus ex illis superstes regimen integrum susciperet; Flavianus tamen, qui unus fuerat ex iis qui Sacramento sese obstrinxerant, eam dignitatem post mortem Meletii contra juramenti religionem assumpsit; ac pertinaciter retinens schisma diu prorogavit. Paulinus nihilominus Launoii suffragio erat indignus, utpotè à Legato Romani Pontificis constitutus Episcopus. Sed de hoc articulo obiter tantùm tractat Launoius.

6. Conatur verò in primis probare, non Siricium Papam, sed sanctum Ambrosium Concilio Capuano præsediisse. Non ex-

explicat autem an Siricius per suos Legatos interfuerit, aut ejus intervenerit autoritas. Utrumque videtur tacitè ac indirectè negare. Sed quæro quâ autoritate poterat Concilium particulare sub Episcopo Mediolanensi congregatum de Ecclesia Antiochena judicium ferre. Nonne jam à Conciliis Nicæno, Antiocheno, & Constantinopolitano strictissimè cautum fuerat, ut cujusque jurisdictio intra proprii territorii limites cohiberetur. Jurisdictio superioritatem involvit: quis autem Antiocheno Episcopo superior erat, præter Romanum Pontificem? Alexandrinus quidem honore Antiochenum præcedebat; sed ei jurisdictione non præerat, & siquidem præfuisset, non indiguisset Theophilus Patriarcha Alexandrinus, ut negotium à Concilio Capuano sibi committeretur: si autem Patres Capuaui non Judices, sed amicos pacis communis studiosos se præstabant, quid inferet Launoius ex absentia Siricii adversùs sanctæ Sedis jurisdictionem?

7. At, inquit, *Ambrosius potissima quæque exequitur.* Scripserat quidem S. Ambrosius Theophilo, sed Synodi nomine: rescripsit ei Theophilus; nempè cùm jam amplius non esset congregata Synodus, scribenti sibi respondit. Num Patriarcha Alexandrinus, qualis erat Theophilus, ad indebitam autoritatem usurpandam paratior, quàm ad propriam Dignitatem demittendam, jurisdictionem ab Episcopo Mediolanensi, vel etiam à Concilio particulari recepisset; nisi accessisset major, Romani scilicet Pontificis potestas.

8. Sed suspectus, inquit Launoius, erat Siricius, quia Flaviano minus favebat. Eadem ratione non debuit S. Ambrosius Concilio interesse, nedum non præsidere. Certum enim est, non solùm Romanum Pontificem, sed etiam omnes Occidentales, & plures etiam Orientales Flaviani ordinationem improbasse. Quid quod etiam Theophilus suspectus fuisset, contra id quod asserit S. Ambrosius, & ipsius autoritate nixus Launoius? Nam Theodoretus, cujus testimonium cæteris præfert modò dictus Launoius, narrat lib. 5. histor. cap. 23. ordinationem Flaviani non solùm Romanos, sed etiam Ægyptios diu infensos reddidisse Orientalibus. Erat autem Theophilus Alexandriæ, atque adeò totius Ægypti

Patriarcha. Verùm aliud eſt odium privatum, quod Judices plerumque excæcat; aliud Eccleſiaſticæ diſciplinæ zelus; quo ducebantur Siricius, Ambroſius, Theophilus, de quorum commodo non agebatur.

9. Sive autem Siricius Concilio Capuano præfuerit, ſive ab eo abfuerit, S. Ambroſius in illa ipſa epiſtola, quam refert Launoius, apertiſſimè ſignificat debere Theophilum negotium ad Romanum Pontificem referre, atque ita judicare, ut judicium ei probetur, alioquin rejectum etiam iri à cæteris Epiſcopis Occidentalibus. Sic enim epiſtolam concludit; SANE REFERENDVM ARBITRAMVR AD SANCTVM FRATREM NOSTRVM ROMANÆ SACERDOTEM ECCLESIÆ, *quoniam præſumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi diſplicere nequeant. Ita enim utiliter erit conſultum ſententiæ, ita pacis & quietis ſecuritas, ſi id veſtro ſtatuatur Concilio, quod communioni noſtræ diſſenſionem non adferat, ut nos quoque accepta veſtrorum ſerie ſtatutorum, cùm id geſtum eſſe cognoverimus, quod Eccleſia Romana haud dubiè comprobaverit, læti fructum hujuſmodi examinis adipiſcamur.* Quid tantoperè Ambroſio curandum erat, ut negotium ad Romanum Pontificem à Theophilo referretur, & nihil quod ei diſpliceret decerneretur? Si enim, ut poſteà dicit Launoius, Siricius ipſe agnoſcebat Concilii Capuani autoritatem ſuâ eſſe ſuperiorem; facilè poterat in ordinem redigi; dum juſtam, licet ſibi minùs gratam, ſententiam comprobare recuſaret.

10. Sed veniamus ad epiſtolam, quâ putat acutus cenſor *graviſſimis quibuſque, de Romano Pontifice quæſtionibus fieri ſolitis, finem imponi.* Eſt autem epiſtola hujuſmodi; *Dilectiſſimis fratribus Anyſio, & cæteris Epiſcopis per Illyricum conſtitutis, Siricius. Accepi litteras veſtras de Bonoſo Epiſcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modeſtia noſtram ſententiam ſciſcitari voluiſtis. Sed cùm hujuſmodi fuerit Concilii Capuenſis judicium, ut finitimi Bonoſo atque ejus accuſatoribus Judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Epiſcopo Theſſalonicenſi de ejus factis vel cognoſcerent, advertimus quod nobis judicandi forma competere non poſſet. Nam ſi integra eſſet hodie Synodus, rectè de iis, quæ comprehendit veſtrorum ſcriptorum ſeries decerneremus. Veſtrum eſt igitur, qui hoc recepiſtis judicium, ſententiam ferre de omnibus, nec refugiendi, vel elabendi vel accuſatoribus vel accuſato ejus dare. Vicem enim Synodi recepiſtis quos ad examinandum Synodus elegit. Denique cùm Bonoſus Epiſcopus poſt judicium veſtrum miſiſſet ad fratrem noſtrum Am-*

Ambrosium, qui ejus sententiam consuleret interdictam sibi Ecclesiam irrumpere atque ingredi, responsum est ei, quod nihil temerandum foret, sed omnia modestè, patienter, ordine gerenda, neque contra sententiam vestram tentandum aliquid, ut quod videretur vobis justitiæ convenire statueretis, quibus hanc Synodus dederat autoritatem. Ideo primum est ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis, NOS QVASI EX SYNODI AVTORITATE IVDICARE NON CONVENIT.

11. Falsò hanc Epistolam tribui Siricio probat Joannes David Doctor Parisiensis in libro de judiciis Canonicis Episcoporum cap. 10. art. 4. duplici ratione. Prima quod in illa Epistola nulla fiat mentio damnationis jam factæ à Siricio, & à Concilio Mediolanensi, erroris Joviniani virginitatem Deiparæ negantis, quem sequebatur Bonosus, sed ejus judicium omninò Episcopis Macedoniæ permittatur, quasi summi Pontificis hac de re sententia ab Ecclesia Occidentali recepta nullius esset momenti: imò autor Epistolæ hæresim illam confutet, tanquam antea nunquam damnatam. Secunda, quia ejus doctrina minus habet soliditatis, quàm ut Siricio, vel etiam alii Romano Pontifici adscribenda videatur. Verùm, ne nos Launoium imitari videamur, qui ea quæ sibi videntur incommoda, facilè falsi accusat, supponimus eam Epistolam esse Siricii, sed eam sanctæ Sedis Dignitati consulere, nedum non obesse demonstramus.

12. Launoius verba illa Siricii; *sed cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, &c.* glossatur in hunc modum; *simplex, & ingenua est Siricii Confessio, quâ non Capuensis modò Concilii, sed etiam delegatorum à Concilio judicum autoritas Romani Pontificis autoritate superior exhibetur.* Sed quis non videt glossam à textu esse alienissimam? Nusquam Siricius insinuat Concilii Capuani, aut ejus delegatorum autoritatem esse suâ superiorem: nec ea potuit ei cogitatio in mentem venire; nisi fortè oblitus esset, se Romanum Pontificem esse; hoc est Petri successorem, Christi Vicarium, totius Ecclesiæ Caput. Non fatetur Siricius se nullo modo posse judicare de causa Bonosi. Nam saltem per appellationem poterat ejus esse Judex, ut à Concilio Sardicensi jam declaratum fuerat; quod satis erat, ut se superiorem meminisset. Non enim appellatur nisi à minore ad majorem:

jorem : solùm igitur significat Siricius sibi *judicandi formam competere non posse* ; ideſt non posse judicare tanquam à Synodo delegatum, ut inferius explicat his verbis ; NOS QVOQVE EX SYNODI AVTORITATE IVDICARE NON CONVENIT.

13. Decebat ut qui à Synodo deputati fuerant, sententiam ferrent ; non decebat autem ut summus Pontifex, se illis adjungens, *quasi ex Synodi autoritate judicaret.* Non tamen reformandi judicii, si opus foret, autoritati *renunciabat Siricius*; imò se illam sibi reservare insinuabat hac voce, *primum. Ideò*, inquit, *primum est ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data.* An major erat Thessalonicensi Episcopo autoritas collata, quàm Patriarchæ Alexandrino, quem suprà vidimus à sancto Ambrosio monitum, ut referret judicium suum ad Episcopum Romanum, & ut talè daretur, quod ei non displiceret ; sed potius ab Ecclesia Romana comprobaretur.

14. Licet autem Siricius circa Bonosi personam judicium integrum deputatis reliquerit, eo quod audiendi essent accusatores, reus, & testes ; tamen circa dogma sententiam tulit. Nam post verba suprà relata sic prosequitur ; *Sane non possumus negare de Mariæ filiis jure reprehensum* (Bonosum) *meritoq; vestram Sanctitatem abhorruisse, quod ex eodem utero virginali, ex quo secundùm carnem Christus natus est, alius partus effusus sit, &c.* Sed, inquit Launoius, ad distinctionem recurrens, quam alibi deridet, *quod Siricius ut Judex facere non potuit, facit ut privatus Theologus.* Si errasset Pontifex in illa responsione, quot probra conjecisset Launoius in scriptores, qui eum ut *privatum Theologum* respondisse dixissent ? Non nisi ex Cathedra posse definire Pontificem de rebus fidei consultum à Judicibus per celebre Concilium deputatis, contendisset. At verò quia Romani Pontificis autoritas in eo elucet, quod Delegati à Concilio Capuensi non sint ausi judicium ferre, nisi postulatâ circa omnia Siricii sententiâ ; Siricius autem dogma fidei determinaverit, & quæ ad factum, seu crimen pertinebant, ipsorum examini remiserit, ut juxta Concilii Decretum de illo judicarent ; *Cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus Judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel cognoscerent* : Pontifex non jam ut Pontifex, sed ut privatus Theologus locutus dicitur.

15. Sed

15. Sed quo fundamento nititur hæc Launoii sententia? *Siricius*, inquit, *in postrema Epistolæ clausula significat, se definire nihil quod ad Ecclesiæ dogma referatur, sed expectare quid Delegati à Capuana Synodo Judices definituri sint.* Sed quomodo definit nihil, qui, ut ait paulò antea Launoius, *opinionem quæ Bonoso tribuebatur, scripturis, & rationi contrariam esse ostendit?* Scilicet quia hoc facit ut privatus Theologus. Quid ergo facit ut summus Pontifex? *Expectat quid delegati à Capuana Synodo Judices definituri sint.* Unde hoc habet Launoius? Ex eo, quod Siricius suam Epistolam his verbis concludit; *Legimus etiam & omnia percurrimus, vel de eo, quod fratri nostro, & Coepiscopo Basso in consortium regendæ Ecclesiæ datus est Senecio, vel de cæteris, undè vestræ normam expectamus sententiæ.* Atqui in his verbis agitur de alio negotio, nempe de Coadjutore dato Basso, non de dogmate fidei. Cur ergo illa verba, *vel de cæteris*, referantur ad doctrinam Bonosi, de qua jam loqui desierat.

16. Sed concedamus, etiam de Bonoso esse illa intelligenda: ad quid Siricius delegatorum à Concilio *normam expectat sententiæ?* Addit Launoius; *Ad quam nimirùm & Siricius & cæteri fidem suam dirigant.* Papa igitur, qui ut Theologus privatus delegatis à Concilio suam opinionem exposuerat, ut Summus Pontifex ad eorum sententiæ normam fidem suam dirigere tenebitur; Nec solus Siricius, sed etiam cæteri. O mira autoritas! Ergone qui à Concilio particulari deputantur, ut de unius Episcopi *factis cognoscant*, tam insigni gaudent non errandi privilegio, ut Romanus Pontifex & cæteri ad eorum sententiæ normam fidem dirigere teneantur? Tota ergo Ecclesia illis suberit. Eam enim repræsentant *Siricius & cæteri.* Parum curat Launoius, ut autoritas suprema reservetur Concilio generali, dummodo Romano Pontifici adimatur. Ut submittatur Papa deputatis à Concilio particulari, cæteros etiam eis subjiciet. Ita est affectus erga sanctam Sedem: Ita æquus habendus est ejus potestatis Judex.

CA-

CAPUT XVIII.

Respondetur aliis quibusdam Launoii objectionibus.

1. SI fortissimum Launoii propugnaculum corruit, hoc est, si *id unum quod* ex ejus mente *gravissimis quibusque de Romano Pontifice quæstionibus fieri solitis finem imponit*, Pontificis autoritatem non lædit, ut superiori capite vidimus, parum metuenda sunt reliqua ejus tela. Itaque ne à proposito nobis scopo longiùs recedamus, cunctis, quæ ille per plures annos commentus est adversùs sanctam Sedem, non opus est respondere. Ex iis quæ confutavimus satis intelliget Lector, quale sit illius Scriptoris ingenium, quale adversùs Romanam Curiam ejus studium; ne odium dicam. Plurima ex iis, quæ scripsit Launoius, ab aliis jam scripta, sed ab aliis etiam confutata fuerant, vel fuerunt postea. Itaque nonnulla tantum hic expendemus vel ab illo frequentiùs inculcata, vel ab aliis prætermissa.

2. In eadem epistola septimi tomi, & in aliis congregat plurima Summorum Pontificum testimonia, ut probet ipsos Conciliis subesse: sed ex illis non aliud quidquam colligitur, quàm Summos Pontifices Canonum custodes & vindices acerrimos fuisse; unde constat, quod lib. 1. cap. 12. notavimus, Canonum custodiam, Ecclesiæ Gallicanæ, quæ in ea ponit suas libertates, non esse propriam, imò verius Libertates Ecclesiæ Romanæ posse nuncupari. Ne cui autem difficultatem faceſſant illa verba, quibus significari videtur, non posse Summos Pontifices Canonibus derogare, animadvertendum est, quadrifariam secundùm Juris interpretes aliquid fieri non posse. Primò validè. Secundò licitè. Tertiò honestè. Quartò utiliter. Itaque in omni negotio attendendum monent, non solùm quid fieri valeat, sed etiam quid liceat, quid deceat, quid expediat. In hujusmodi ergo Pontificum testimoniis, in quibus aliquid fieri non posse dicitur (quæ pauca sunt) ex materia, & ex ipso contextu judicandum est, quis ex illis quatuor sensibus accipiendus sit.

3. Pri-

3. Primo loco citat Julii epistolam ad Orientales; in qua hæc verba habentur; *Id verè ad Synodi tantùm & Episcoporum, qui in Synodo fuerunt, contumeliam vergeret, si quæ illi tanto studio & curâ velut Deo præsente egissent, à nobis ut vana futiliaq; abrogarentur.* Hæc verba à quolibet superiore convenientissimè dicerentur. Nam etiam Concilium Oecumenicum de justo unius Episcopi judicio sic loqueretur; *Id verè ad talis Episcopi contumeliam vergeret, si quæ ille tanto studio & curâ velut Deo præsente egisset, à nobis ut vana futiliaque abrogarentur.* Itaque illa rei judicatæ aut statutæ justitiam arguunt, non autem defectum potestatis, ad eam retractandam, si minus justa esset.

4. Eamdem autem reverentiam Romani Pontifices suorum Prædecessorum Decretis, quam Conciliorum statutis exhibebant, ut animadvertere licet in his verbis Liberii, quæ ex ejus ad Constantium Imperatorem epistola citat deinde Launoius. *Nunquam mea statuta, sed Apostolica, ut essent semper firmata & custodita perfeci, secutus morem majorum nihil addi Episcopatui Urbis Romæ, nihil minui passus sum.* Addit Launoius; *Hæc adeò sunt perspicua, ut explicatione nullâ egeant.* Perspicua quidem illa sunt. Sed quid inde? Si enim Apostolica Statuta intelligantur, ut ex contextu videntur intelligenda, quæ ab Apostolis sunt constituta, non faciunt ad comparationem Pontificis cum Concilio: si accipiantur de Summorum Pontificum Decretis, eorum firmitas statuitur contra Launoium. Porrò sicut absurdè concluderetur, unum Pontificem esse Prædecessore suo minorem, ex eo quod ejus statuta firmaret, custodiretque: ita ex eo quod Pontifices Conciliorum Canonibus se adhærere profitentur, malè colligitur illos esse Conciliis inferiores. Prosequitur Launoius; *Sed si quâ* (explicatione) *egerent, hæc in Constantii & Liberii Dialogo habentur*, ex quo citat sequentia; *Imperator: unum est, quod quæritur. Volo enim te, ubi Ecclesiarum communionem sueris amplexus, mittere iterùm Romam, proinde consule paci & subscribens Romam redi. Liberius: Romæ jam fratribus valedixi.* Hactenus nihil est, quod verba superius relata explicet ad mentem Launoii; fortè lux affulgebit in verbis sequentibus, quæ Launoius grandioribus characteribus signat; *Potiores sunt Ecclesiæ leges quàm Romana habitatio.* Numquid peremptorium tibi videtur enthymema; *Potiores sunt leges Ecclesiæ quàm Romana habitatio:*

Ergo Papa subjacet Concilio : vel, ergo Papæ judicium in quæstionibus Fidei non est irreformabile : quia præstat Ecclesiæ legibus obtemperare, quàm Romæ commorari, Concilium Papæ præeminet. Sed probat consequentiam Launoius, *Nempè*, inquit, *inauditum à se Episcopum, & ab Adversariis injustè tractatum condemnare non poterat.* Neque Concilium Oecumenicum id posset, quia jus naturale ac Divinum violaret, si *inauditum à se Episcopum, & ab adversariis injustè tractatum condemnaret.* Quid etiam inde sequitur?

5. Cælestinus (ut in illis tantùm immoremur, quæ aliquid difficultatis præ se ferunt) scribit ad Episcopos Illyrici, quod refert Launoius, *Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur: simus subjecti Canonibus, cùm Canonum præcepta servamus.* In Concil. Rom. collect. bipart. Lucæ Holstenii num. 13. quæ verba videntur Romanum Pontificem Canonibus, atque adeò Conciliis, à quibus conditi sunt Canones subjicere. Sed integram epistolam legenti patet, Cœlestinum, licet de se, sicut de aliis præ modestia loquatur, tamen hæc in se transfigurasse, ut ex illo Episcopi discerent, non plus sapere, quàm oportet sapere. In illa enim epistola Ruffum Episcopum Thessalonicensem Vicarium Apostolicum per Illyricum constituit. *Ita ut*, inquit, *ad eum quidquid de causis agitur referatur: sine ejus consilio nullus ordinetur, nullus usurpet eodem inconscio commissam illi Provinciam. Colligere, nisi cum ejus voluntate Episcopos non præsumant: per eum etiam ad nos si quid est referatur.* Probat autem necessitatem constituendi Vicarii ex eo, quod ad Romanum Pontificem spectet servandos Canones curare; quos violandos paulò antè fuisse commemorat, nisi ipse occurrisset, *Quorundam*, inquit, *accusantium factione frater & Coepiscopus noster Felix, si non nostra intervenisset diligentia, fuisset oppressus.* Insinuat præstandam sibi obedientiam. *Ita enim*, inquit, *ordinatio cuncta se habet, ut majoribus ea quæ sub his esse docentur, obediant, & in hoc gradu regularum cuncta vertuntur.* Deinde probatâ suâ, tanquam S. Petri successoris autoritate, addit; *Dominentur nobis regulæ, &c.* Unde constat regulas illas esse, de quibus paulò anteà dixit; *Et in hoc gradu* (ut scilicet inferiores majoribus obediant) *regularum cuncta vertuntur.* Atque adeo hæc ad Episcopos referenda, quamvis, ut diximus, Cælestinus præ modestia se illis adjungat. Is

etiam

etiam sensus colligitur ex verbis immediatè sequentibus. *Sunt culpæ aliquantæ non leves, quæ illis innatæ Provinciis ad nos, cùm simus longius, non possunt pervenire, &c.* quæ innuunt, Cœlestinum de servandis in Illyrico Canonibus sermonem facere.

6. Sed etsi hæc verba de se Summus Pontifex protulisset, ex iis tamen non concluderetur, Summum Pontificem Conciliis subjacere. Cùm enim Canones aliquid Divini, aut naturalis juris admixtum plerumque habeant, tenetur quilibet ex ipsa justitia naturali aut ex lege Divina observare, quod juris naturalis aut Divini est. Ita in aliis testimoniis quæ à Launoio adducuntur, ut ostendat, Pontifices sese Canonibus subjectos agnovisse; subjectio illa petitur ex rerum decretarum justitia: &, si quando etiam conditorum fit mentio, eo tantùm spectatur, ut ex ipsorum numero, doctrina, vel sanctitate insinuetur, ipsos veritatem assecutos. Quamobrem aliunde Launoio conquirendæ essent probationes illius subjectionis.

7. Post Cælestinum producitur hoc Sixti III. testimonium ex epist. ad Episcopos Illyricenses in collect. Rom. ubi supra num. 17. *Ut omne corpus capite regitur, ita ipsum caput, nisi suo corpore sustentetur, firmitatem & vigorem suum perdit, & non tenet quam habuerat Dignitatem.* Sed hæc verba etiam seorsim sumpta, non minus Pontificis, quàm Concilii autoritatem significant. Nam si *corpus capite regitur*, Ecclesia regitur à Pontifice, atque adeo qui regit, ei, quæ regitur præeminet. At si quis legat integram epistolam, fieri non poterit quin Pontificem illic Concilio præferri animadvertat. Creat enim Sixtus Episcopum Thessalonicensem Vicarium Apostolicum cum multis prærogativis, quarum una est, ut Episcopos in Concilium evocet; qua occasione hæc scribit, quæ certè significant, Pontificem non subjacere Concilio, etiam Generali; intelliguntur enim de Concilio Ephesino secundùm Holstenium; *Nec his vos fratres carissimi constitutis, quæ præter nostra præcepta Orientalis Synodus decernere voluit, credatis teneri; præter id quidem quod de fide nobis consentientibus judicabit.*

8. Non est prætermittenda Innocentii III. autoritas, quam tum in eadem epistola, tum alibi, ut magni momenti ponderat Launoius. Is lib. 3. Regest. 15. epist. 104. sic scribit

ad Philippum Augustum Regem Franciæ divortium inter se & Reginam fieri postulantem; *Si super hoc absque Generali deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter Divinam offensam, & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii nostri periculum immineret, cùm contra præmissam veritatis sententiam (quod Deus conjunxit homo non separet) nostra non possit autoritas dispensare.* Innocentius, ut Launoio videtur, *in his verbis dogmata connectit duo, potestatem se Concilio minorem habere, & non errandi privilegio se carere, quæ Concilio tribuit.* Verum si res, de qua est sermo, imo si vel sola verba relata expendantur, nemo facile assentietur Launoio. Agitur enim de dissolvendo matrimonio ritè celebrato ac consummato, quod jure Divino neutiquam obscuro, est insolubile. Veritatis enim Oraculum est, *quod Deus conjunxit homo non separet.* De illo ita non dubitabat Innocentius, ut metueret, ne si dispensationem à Philippo petitam concederet, adversus legem illam Divinam agens, de hæresi habendus esset suspectus, atque adeò à sua Dignitate deponendus.

9. Non erat igitur quæstio de exponendo aliquo dubio, circa quod requireretur aut Papæ aut Concilii judicium. Est enim adeò certa veritas, ut si quis illam indirectè, ac quasi interpretativè, puta concessa contra illius prohibitionem dispensatione negaret; ei, *præter Divinam offensam, & mundanam infamiam, forsan ordinis & officii sui periculum immineret.* Qua igitur ratione infert Launoius, Innocentium docere, *non errandi privilegio se carere*; illudque *Concilio tribuere*? Num dubitabat Pontifex an ex jure Divino esset insolubile matrimonium legitimè contractum & consummatum; illudque definire non ausus, ne fortè erraret, causam censebat ad Concilium Generale, utpotè Judicem infallibilem deferendam? Quodnam erat circa fidem dubium, cujus occasione posset hoc privilegium sibi abnuere, ac Concilio adscribere! Num etiam se super Regis ac Reginæ matrimonio dispensare non posse agnoscens, profitetur Concilium Generale illâ potestate præditum, atque adeò Papâ majus esse? Num quod Deus conjunxit, separari potest à Concilio Generali?

10. At, inquies, timet Innocentius, *ne si super hoc absque Generalis deliberatione Concilii determinare aliquid tentaret, ordinis & officii sui periculum immineret.* Ergo *si cum Generalis deliberatione Concilii determinaret,*

ret, tale periculum non immineret; atque adeo Concilii poteſtatem ſuâ majorem agnoſcit. Impoſſibilis quidem eſt illa ſuppoſitio. Nec enim poteſt ſummus Pontifex cum Concilio Generali determinare aliquid contra jus Divinum, quale eſſet iſtud. *Id, quod Deus conjunxit, homo poteſt ſeparare.* Si tamen hoc per impoſſibile contingeret, tutus eſſet Pontifex à depoſitione propter aſſenſum Concilii Generalis. A quo enim timeret ne deponeretur? Ideo ne Pontifex Concilio abſolutè ſe ſubditum fatetur?

11. Urgebis ex iis ſaltem verbis inferri, poſſe aliquando deponi Pontificem; atque adeo inferiorem eſſe Concilio, ad quod ſpectaret ejus depoſitio. Docent quidem Doctores quamplurimi, Papam, ſi hæreticus foret, à Concilio exautorari poſſe. Sed ſophiſma eſt Launoii, à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter argumentantis, dum abſolutè concludit Pontificem eſſe Concilio inferiorem, quia in caſu hæreſis Concilio ſubjectus conceditur ab aliquibus; aliis, Papam in hæreſim publicè incidere atque in ea pertinaciter permanere, (quod ad ejus depoſitionem requireretur) poſſe negantibus; aliis denique in eo caſu ipſum, Eccleſiæ membrum, multò magis caput, atque adeo Pontificem eſſe deſinere, nec ab Eccleſia deponendum, ſed depoſitum declarandum aſſerentibus. Malè igitur ex caſu impoſſibili, vel incerto, vel rariſſimo ſtatueretur regula generalis.

12. Et quod mirum eſt, aliqui ex iis Autoribus, quos contra ſummum Pontificem producit, in illis ipſis verbis, quæ profert, ejus ſophiſma diſſolvunt. V. g. in epiſtola penultima ejuſdem tomi primi, Umberti Prædicatorum Magiſtri Generalis quinti teſtimonium allegat, affirmantis Eccleſiam totam ſubeſſe ſummo Pontifici, niſi in caſu, quo eſſet hæreticus. Hæc enim ſunt ejus verba ſermonum didacticorum par. 2. ſerm. 70. à Launoio exſcripta; *Papa, qui eſt ſuper omnes, poteſt deponi ab Eccleſia, quæ tota ſubeſt ei*, IN CASV. Nonne hæc verba (IN CASV) ſubjectionem Generalem excludunt? Quamobrem contra ſe pugnat Launoius, cum prolato illo teſtimonio adjungit; *Hæc ille tantum perinde ac ſi de hac theſi inter omnes conveniſſet, ut certè & illo, & ſuperiori tempore conveniebat, doctrinam hanc Pariſiis, & Bononiæ acceperat, &c. Conveniebat* ergo *inter omnes præſertim Pariſiis, & Bononiæ, Papam eſſe ſuper omnes & totam Eccleſiam ſubeſſe*

ei, nisi IN CASV. Si deprimendæ Pontificiæ autoritatis ardor Launoium non perturbasset, hæc & alia similia sibi adversari vidisset.

13. Abstinuisset Launoius à commendanda Umberti autoritate, ejusque laudanda sententia, tanquam Parisiis & Bononiæ consentienter recepta, si ejus testimonium apud Autorem ipsum lectum aut legendum putasset: Ibi enim Umbertus nonnisi ex occasione scripsit, Pontificem posse deponi ab Ecclesia *in casu*. Sed præterquam quod asserit, quod *tota Ecclesia subest Pontifici*, totus ille sermo est de Principibus ab Ecclesia deponendis. Ejus titulus est; *sermo in solemni depositione magnatum sæcularium per Ecclesiam faciendâ*. Inter alia autem argumenta, quibus probat Principes ab Ecclesia posse deponi, adducit istud; *Papa, qui est super omnes, potest deponi ab Ecclesia, quæ tota subest ei*, IN CASV: *additq; continuò, ergo multò fortiùs* QVICVMQVE REX DEPONI POTEST A PAPA, CVI OMNES SVBSVNT. Ergo juxta mentem Umberti Papa potest deponere quoscumque Principes. Si tota Ecclesia subest: ipse *in casu* tantum deponi potest. Vide quantum præsidii suppeditet Umbertus Launoio, & ejus asseclis.

14. Innumeris propemodum in locis repetit Launoius, Pium secundum etiam in diplomate, quo retractavit sententiam, quæ Concilium supra Pontificem statuit, declarasse, illam esse antiquam: ac super eo fundamento mirificis laudibus antiquitatem commendat: sed causam deploratam defendere se prodit, qui tam miseris eam tueri nititur argumentis. Pius enim, ut ejus diploma tranquilla mente legentibus patet, sententiam illam *antiquam* vocat, non absolutè, sed quantum ad se; quia nimirùm illam olim propugnaverat, & ab ea tardiùs quàm Cardinalis Julianus recesserat. *Tuebamur*, inquit Pius, *antiquam sententiam*; *ille* (Julianus) *novam defendebat. Extollebamus Generalis Concilii autoritatem*; *ille Apostolicæ Sedis potestatem magnopere collaudabat*. In eo sensu illum, antiquam appellare sententiam tum alia multa explicant, tum ea quæ immediatè præcedunt: *Sæpe*, inquit Pius, *cum eo* (Juliano) *sermonem pro veteri consuetudine miscuimus, sæpe de rebus Basileensibus disputavimus. Tuebamur antiquam sententiam, &c.* Eo igitur modo erat *antiqua sententia*, quo erat *vetus* Pii *consuetudo* miscendi sermonem cum Juliano.

LIBER SEXTUS

De firmitate Canonum, & libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, occasione tertiæ propositionis Comitiorum Cleri Gallicani, scilicet.

Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos, & totius Mundi reverentiâ consecratos. Valere etiam regulas, mores, & instituta à Regno, & Ecclesia Gallicana recepta, Patrumq; terminos manere inconcussos, atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicæ Sedis, ut statuta, & consuetudines tantæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmatæ propriam stabilitatem obtineant.

CAPUT PRIMUM.

Summarium propositionis examen.

1. *Potestatis usum* non potestatem ipsam summi Pontificis moderandam censent Illustrissimi Antistites: quia nimirùm autoritati à Christo ipso collatæ solus qui contulit potest modum ponere, ac limites præfigere. Sed videtur quemadmodum potestatem, ita & potestatis usum, solus qui concessit posse moderari, nisi eam facultatem alteri permiserit; quæ facultas cui, quando, quatenus sit indulta, ignoramus. Scimus quidem *inesse Apostolicæ Sedi, ac Petri successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem*, ut habet secunda propositio, sed à quo

quo possit illius potestatis usus impediri, ac ligari; undè habemus?

2. Docent Illustrissimi Præsules, id fieri debere *per Canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consacratos.* Absit, ut ego putem debere summum Pontificem Divinas illas, & ubique receptas regulas perfringere; quin etiam ex animo cuperem, ut ad illarum observationem alios adigeret, præsertim in Gallia, ubi, ut notavit Autor libelli Gallico idiomate conscripti occasione rerum in Comitiis Cleri illius Regni tractandarum, vix alia in re viget auctoritas Romani Pontificis, quàm in concedenda prætermittendorum Canonum venia.

3. Potestatem igitur Romani Pontificis ad dispensandum super Canonibus agnoscunt Galli, siquidem tam frequenter eam implorant: Usum illius esse moderandum, & nos agnoscimus, idque Ecclesiasticæ disciplinæ, ac consequenter Christianis moribus plurimùm conducere arbitramur: sed quia incidunt interdum causæ, ob quas à jure communi, atque à Canonibus, vel à Canonum littera, recedendum videatur, cujus erit tunc temporis dubium solvere? Nec enim pro quibuslibet rebus congregari generalia Concilia possunt. Nonne Summi Pontificis, cùm Canonum sit non solùm custos, & vindex, sed etiam interpres? Itaque vel nulla, vel necessaria, vel dubia erit causa, propter quam prætermittentur Canones: si necessaria vel dubia, pro Papa, utpotè Superiore, judicandum erit, ipsique parendum. Absque ulla verò causa ipsum Canones *spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos* violaturum non existimo: quod si tale aliquid ejus Officiales, tentarent; id unum à Clero Gallicano postularem, ut eâ se ratione gereret erga sanctam Sedem, quâ se habet erga Regem, cùm à Regiis Officialibus injuriam aliquam patitur.

4. Non enim minor reverentia debetur in spiritualibus Christi Vicario, quam in temporalibus Principi sæculari; nec minus scandalosum, ac Religioni periculosum est summo Pontifici adversari, prætextu violatorum Canonum, quàm societati civili, ac tranquillitati publicæ Potestatibus Mundi resistere, cùm injusta exigunt. Sed quàm magis metuendum est, ne qui tam generosè in supremum Pastorem insurgunt,

gunt, quasi Canones violet cùm Canonum observationem urget, Principibus Sæcularibus, eorumque Ministris non solùm temporalia, sed etiam spiritualia Ecclesiæ jura usurpantibus, ultrò obsequantur, ne dum se viriliter, pro suo Pastorali officio, atque ad exemplum Sanctorum quamplurium Antistitum, quos historiæ celebrant, & universa veneratur Ecclesia, non opponant. Exemplo sunt concessio Regaliæ non expectato Papæ consensu, ad quem delatum fuerat negotium, quique Concilii Lugdunensis Decretum exequendum curabat, & declaratio circa potestatem Ecclesiæ eâ occasione facta.

5. Quas *regulas*, quos *mores*, quæ *instituta* valere contendant Illustrissimi Antistites, non satis capio; quandoquidem illa à *Regno, & Ecclesiâ Gallicanâ recepta* dicuntur. His namque verbis, nisi fortè Regnum, & Ecclesia copulativè sumantur, quod magis crediderim, viderentur, non solùm disciplinam Canonicam in Ecclesiis illius Regni vigentem retinere velle, quod quamdam præsefert Religionis speciem, sed etiam innumeros abusus, qui contra jura, & libertatem Ecclesiæ à Magistratibus sæcularibus inducti sunt, & quæ ceu Regni leges habentur, quales sunt appellationes tanquam ab abusu, judicia criminalia de personis Ecclesiasticis in Tribunalibus Laicorum prætextu casuum privilegiatorum, cognitio causarum Ecclesiasticarum, & spiritualium sub prætextu possessorii, & alia multa, de quibus recurret sermo, ubi de singulis libertatum Ecclesiæ Gallicanæ capitibus tractandum erit.

6. Sequitur in prædicta propositione; *Patrumq; terminos manere inconcussos, atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicæ Sedis, ut statuta, & consuetudines tantæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmatæ propriam stabilitatem obtineant.* Magnifica verba, &, prout sonant, obviis ulnis excipienda? Si enim *per regulas, mores, & instituta à Regno, & Ecclesiâ Gallicanâ recepta*, nihil aliud intelligitur, nisi *statuta, & consuetudines Apostolicæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmatæ*, æquissimum est, *ut propriam stabilitatem obtineant, Patrumq; termini maneant inconcussi.* Operæ autem pretium esset statuta ejusmodi, & consuetudines percensere, ac quid, & à quo in illa peccetur notare, promptissimumque remedium apponere.

7. Alioquin enim nequaquam tollitur ſuſpicio, ne ſub honeſtorum verborum ſpecie occultetur animus ſanctæ Sedis Decreta propriis rationibus accomodandi, & quidquid minus commodum viſum fuerit, licet aliàs Canonicæ diſciplinæ congruum, & Eccleſiæ utile, reſpuendi.

8. Quamvis autem non conſtet quæ ſint illa ſtatuta & conſuetudines; ſummo tamen Pontifici opponi intelligimus, & ex temporis circumſtantia conjicitur ea eſſe præſertim, quæ in negotiis ſuperioribus his annis geſtis, violata eſſe querebantur Epiſcopi. Itaque in hoc libro de poteſtate ſummi Pontificis in Gallia, ac de articulis illis præcipuè agemus, in quibus libertates Eccleſiæ Gallicanæ læſæ dicebantur. Alia enim illarum libertatum capita particularia tunc tractabuntur, cùm percurretur collectio Petri Puteani, aliorumque illarum defenſorum.

CAPUT II.

De autoritate ſummi Pontificis in Eccleſiam Gallicanam.

1. TAm altè Gallorum animis impreſſus fuit de ſuprema Romani Pontificis dignitate, & autoritate ſenſus, ut poſterioribus etiam ſæculis, cùm eam intra certos terminos concludere conarentur florentiſſimi illius Regni Scriptores, alii quidem indignati propter incommoda, quæ ſibi ex abuſu Pontificiæ poteſtatis accidiſſe putabant; alii ad tuendam, vel potiùs augendam Regiam Majeſtatem, & juriſdictionem: nunquam tamen illam magnificis laudibus non evexerint. Nihil enim illorum libros legentibus frequentiùs occurrit, quàm Papam eſſe Chriſti Vicarium, primum Eccleſiæ Paſtorem, ſucceſſorem ſancti Petri, ejus juriſdictionem ad omnes Chriſtiani orbis partes pertingere, aliaque innumera his ſimilia, quæ cùm à Gallis proferuntur, avitum, ac ferè ingenitum teſtantur illius nationis erga ſanctam Sedem ſtudium, magis fortè quàm modernorum affectum.

2. Quando igitur primùm Gallicis Autoribus accidit ut de-

debitam sanctæ Sedi reverentiam violarent, vel obedientiæ vires infringerent; illuc, ut jam diximus aut indignatione, aut perturbatione, aut nimio tuendæ potestatis sæcularis desiderio impulsi sunt. Quod enim aliquibus Schismaticorum nomine suspecti sunt, aut inimicorum invidia est, aut Politicorum minæ, ut tanti mali timore perterrita Curia Romana ab imponendis novis, gravibusque oneribus abstineat, aut fortè justus piorum metus, ne, si crescat Pontificiorum mandatorum neglectus, in contemptum transeat, qui à schismate solet non longè abesse.

3. Certè cùm Hæreticorum temeritas summi Pontificis Primatui bellum indicere ausa est, hanc, & Præsules Decretis, & Doctores scriptis, & Principes quantùm per tempora licuit, armis compresserunt, ut quidquid contra sacram illam potestatem etiamnum aut fit, aut dicitur, Autoribus solis, non toti Galliæ adscribendum sit. Si quis autem hæc gratis dicta existimet, libros de hoc argumento editos legat, præsertim quos in lucem emisit anno 1622. Michael Mauclerus Doctor Parisinus de Monarchia Divina Ecclesiastica, & sæculari Christiana, quos summo Pontifici, & Galliarum Regi dicavit; utque illud Gallorum studium, licet Bellorum, aut schismatis temporibus remissum, non tamen pœnitus intermissum, ab Atavis profectum, & continuâ serie propagatum cernat, percurrat Galliæ monumenta quæ Pater Sirmondus societatis Jesu sub titulo Conciliorum Galliæ, aliique sub eodem, aut aliis titulis collegerunt. Mutuis enim, & Gallorum erga sanctam Sedem obsequii, & summorum Pontificum erga Ecclesiam Gallicanam benevolentiæ, & existimationis signis plena sunt.

4. Istud autem non in illis tantùm advertere licet, quæ tempore profundissimæ pacis, aut arctioris concordiæ prodierunt, sed & in illis, quæ inter contentiones edita sunt. Hincmarus Archiepiscopus Remensis, qui omnium ferè primus acriùs, aut, ut verum dicam, pertinaciùs summis Pontificibus restitit, quemque Galli strenuum libertatis suæ defensorem, & quasi antesignanum prædicant, hoc est, ut ipsi volunt, antiquorum Canonum vindicem, Papam omnium Ecclesiarum Pontificem & cunctorum Episcoporum Patrem,

ac Magiſtrum eſſe profitetur ; *mox veſtri* , ſic ſcribit ad Nicolaum I. *Omnium Eccleſiarum Pontificis , cunctorumque Epiſcoporum Patris, ac Magiſtri regulare judicium ferre convenit.* Plures extant ſivè Hincmari ſolius , ſive aliorum Epiſcoporum Galliæ , illius ductum ſequentium epiſtolæ , in quarum ſuperſcriptionibus Romanus Pontifex Papa univerſalis dicitur.

5. Sed quo poſſet , ut alibi notavimus , argumento evidentiùs demonſtrari Juriſdictio ſummi Pontificis in Gallia, quàm authenticâ declaratione Prælatorum Pariſiis congregatorum menſibus Martii , & May anno 1681 ; certè metuendum non eſt , nè illi Antiſtites urbanitatis cauſa jus ſummi Pontificis ultra debitos fines extulerint , quandoquidem ea de cauſa convenerant , ut Curiæ Romanæ Officialibus obſiſterent , quos Juriſdictionis Pontificiæ metas tranſgreſſos eſſe conquerebantur. Nec dubium eſt , quin quæcumque ſcripſerunt , accuratiſſimè , ac dudùm expenderint. Hæc de ſummo Pontifice ad amuſſim , ut arbitror , pluſquam ſemel revocata , ſcripſerunt ; „ Caput eſt Eccleſiæ : Centrum unitatis: „ obtinet ille in nos Primatum autoritatis , & juriſdictionis „ ſibi à Chriſto Jeſu in perſona S. Petri collatum. Qui ab hac „ veritate diſſentiret , ſchiſmaticus , imò , & hæreticus eſ- „ ſet.

6. Licet autem antiquæ diutiſſimæque erga ſummum Pontificem obſervantiæ , atque obedientiæ veſtigia etiamnum in Gallia ſuperſint ; ſi quis tamen ea cum antiquis monumentis conferat , facilè obſervabit , longè declinaſſe poſtremis ſæculis illius Regni homines , maximè laïcos , ab antiquiorum inſtituto : ut nemo ſit quin laudes Eccleſiæ Gallicanæ olim hac de cauſa meritò impenſas , hodiè non integras ei deberi judicet.

7. Immotæ tamen omni ævo perſtant rationes , quæ reverentiam , & obedientiam erga Chriſti Vicarium ſuadent: quandoquidem , ut profitentur Illuſtriſſimi Antiſtites ; Primatus autoritatis , & juriſdictionis ei à Chriſto in perſona S. Petri collatus eſt , atque adeò ex inſtitutione Chriſti Caput eſt Eccleſiæ , Centrum unitatis.

8. Illam Sedis prærogativam , ejus originem , ac firmitatem fuſè , ac validè ſtatuit Nicolaus I. Epiſt. 8. quæ eſt ad Im-

Imperatorem Michaelem ; *Ecclesiæ Romanæ*, inquit, *privilegia Christi ore in Beato Petro firmata, à sanctis universalibus Synodis celebrata, atque à cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus possunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus : Et quod Deus statuit firmum, validumq; consistit. Illeq; potissimum peccat, qui Dei ordinationi resistere tentat. Privilegia inquam, istius Sedis, vel Ecclesiæ perpetua sunt, Divinitùs radicata, atque plantata sunt ; impingi possunt, transferri non possunt ; trahi possunt, evelli non possunt. Ista igitur privilegia huic sanctæ Sedi à Christo donata, à Synodis non donata, sed jam solummodò celebrata, & venerata.* Et infrà ; *Proindè animadvertendum est, quia non Nicæna, non denique ulla Synodus quodquam Romanæ Ecclesiæ contulit privilegium, quæ in Petro noverat eam totius juris potestatis pleniter meruisse, & cunctarum Christi ovium regimen accepisse, sicut Beatus Præsul (Bonifacius) attestatur universis Episcopis per Thessaliam constitutis scribens ; Institutio universalis nascentis Ecclesiæ de B. Petri sumpsit honore principium, in quo regimen ejus, & summa consistit. Ex ejus enim Ecclesiastica disciplina per omnes Ecclesias Religionis jam crescente cultura fonte manavit. Nicænæ Synodi non aliud præcepta testantur. Adeo ut non aliquid super eum ausa sit constituere, cùm videret nihil supra meritum suum posse conferri. Omnia denique huic noverat Domini sermone concessa.* Bonifacii I. Epistolam, cujus hic refertur fragmentum, integram edidit Holstenius inter Acta Synodi Romanæ sub Bonifacio Papa II. pag. 65.

9. Huic summorum Pontificum doctrinæ consonat sanctus Bernardus de consideral. lib. 3. cap. 8. Eugenium III. sic alloquens ; *Sunt quidem, & alii Cœli Janitores, & Gregum Pastores, sed tu tantò glorioſius, quantò & differentiùs utrumque præ cæteris nomen hereditasti. Habent illi assignatos sibi greges, singuli singulos ;* TIBI VNIVERSI CREDITI SVNT, *uni unus, nec modò ovium, sed & Pastorum, tu unus omnium Pastor. Cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè, & indiscretè tota commissa sunt oves ? Si me amas Petre, Pasce oves meas. Quas ? Illius, vel illius populos Civitatis, aut Regionis, aut certi Regni ? Oves meas, inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes ? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil, &c.*

10. Joannes Gersonius Cancellarius Parisiensis in tract. de vita spirituali animæ lect. 3. postquam summi Pontificis autoritatis partem præcipuam his verbis expressit ; *Habet itaque*

Papa primò dominium superioritatis à Christo supra totam Ecclesiam cum plenitudine potestatis in eis, quæ spirituale regimen Ecclesiæ propriè dictum respiciunt, &c. Deindè resumit; *Prima potestas cognoscitur ex Evangeliis, & Actibus Apostolorum, & ex iis, quæ per successivam relationem eorum ad nos tantâ certitudine sunt devoluta, ut meritò temerarius, & scandalosus, imò schismaticus judicetur, qui potestatem hanc, vel abolere, vel diminuere præsumpserit..... Sed Textus Evangelicus, & Conciliorum generalium determinatio, & Ecclesiæ universalis consensus tantus, & assertio, imò & ratio naturalis præsuppositâ fide pro hac superioritate tam aptè faciunt, ut contra eum, qui se pro Catholico gerit, negantem hoc, magis sit destitutione, quàm disputatione certandum..... Hæc potestas tam immediatè à Deo collata est, ut tota Ecclesia illam neque destruere, neque noviter, si tolleretur, ædificare valeret.* Eandem tradit doctrinam lect. 2. ubi summi Pontificis Primatum his verbis adstruit; *In tertio gradu reponentur leges Divinæ immediatè à Christo traditæ, aut ab eis dicto modo deductæ, quæ per successivam relationem Apostolorum, & aliorum ad nos æquivalentem Scripturæ Canonicæ notificatæ sunt, ut fortè est ista lex;* UNIVERSALIS ECCLESIA PONTIFICI ROMANO SVBIECTA SIT..... *Quod sit lex purè Divina, patet, quia nisi sic, posset humanâ traditione Primatus iste cassari;* Notanda sunt hæc verba, VNIVERSALIS ECCLESIA ROMANO PONTIFICI SVBIECTA SIT.

11. Hæc quidem ità in communi dicta negantur à nemine Catholico, quia nemini sunt incommoda, sed cùm ad praxim deducenda sunt, autoritas Concilii generalis, libertas Ecclesiæ, Canones, & similia opponuntur, quasi verò illa excepta intelligantur in verbis Christi, aut etiam in declarationibus solemnibus. Quis v. g. ità interpretatur juramentum quod à singulis Episcopis tempore consecrationis præstatur; *Decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones, & mandata Apostolica totis viribus observabo, & faciam ab aliis observari..... mandata Apostolica humiliter recipiam, & quàm diligentissime exequar;* sive hæc cum æquivocatione promittantur, sive simpliciter promissa non impleantur, quomodo juramento, quod interponitur, non fit injuria? Idem dic de aliis juramentis, puta de eo, quod ex antiqua consuetudine exigitur à promovendis ad gradus in Universitate Parisiensi.

12. *Sed dicit aliquis, debitam ei (Ecclesiæ Romanæ) reverentiam exhibebo, & nihil amplius:* huic objectioni, quam S. Bernardus

dus epist. 131. scribens ad Mediolanenses, præoccupavit, ejusdem S. Doctoris verbis satisfacio; *Esto, fac quod dicis, quia si exhibeas debitam, & plenam. Plenitudo siquidem potestatis super universas orbis Ecclesias singulari prærogativa Apostolicæ Sedi donata est. Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*

CAPUT III.

Utrum Papa habeat immediatam jurisdictionem super Ecclesiæ universæ fideles.

1. FAtentur quidem omnes Catholici datam à Christo summis Pontificibus in persona B. Petri curam, & potestatem invigilandi supra reliquos Ecclesiæ Pastores, maximè ut salva semper sit fides, & Religio. *Pasce oves meas* Joann. 21. *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Luc. 22. Sed videntur aliqui dubitare, utrum illa Romanorum Antistitum autoritas solùm circa Pastores versetur, ut illi gregibus suis attendant, illosque, ac seipsos juxta præscriptas à Christo, & ab Ecclesia universa regulas gubernent: An verò etiam ad fideles, Prælatis inferioribus subditos, sese extendat, dum superiores immediati suis officiis non desunt. Concedunt enim summum Pontificem posse aliorum defectus supplere extra ordinem, dum ordinariæ viæ non suppetunt.

2. In quo reposita esset Romani Pontificis autoritas, non satis clarè statim omnibus perspectum fuit. Quia enim persecutionum tempore, vel schismatum, aliarumque calamitatum, impedita erat exterior capitis cum membris communio, stante semper interna fidei, ac charitatis unione, vix à Romano Pontifice ad alios præsertim remotos Pastores, aut greges primis tribus sæculis aliud, quàm quædam Epistolæ, pervenire potuit. Quamobrem Episcopi populos, ac seipsos à tanto tempore suo judicio, vel cum aliorum consilio regere soliti, Papæ autoritatem ab impedimentis, quibus distenta fuerat, solutam, non tam subitò exceperunt; sed alii citiùs, alii tardiùs, nunc in isto, nunc in illo capite

te prout sese offerebat occasio : donec integram libertatem consecuta, suum ubique robur obtinuit ; quamquam variis motibus, modò ex Hæreticorum, modò ex Schismaticorum, modò ex eorum etiam, qui ab Ecclesia non desciverant, parte, impeti nunquam destitit.

3. Et ne contra institutum nostrum extra Galliam evagemur, non defuerunt in eo Regno qui summi Pontificis Primatum à Christo fundatum confitentes, id tantum muneris, & potestatis ei assignarent, ut daret operam ne Pastores à propriis suis officiis recederent : Cæterùm non posse Papam, nisi propter illorum negligentiam, aut malitiam, in foro externo causarum judicium ad se trahere ; sed tunc tantùm eas judicare, cùm ad se per appellationem, aut aliam viam juridicam essent devolutæ ; Nec in foro interno pœnitentiæ Sacramentum per se, vel per alios conferre, renitentibus propriis Pastoribus ; eandem ferè, nec majorem in omnes Provincias Romano Pontifici, quam unicuique Metropolitano in suam Provinciam, facultatem tribuentes.

4. Hujus opinionis præcipuum videtur esse fundamentum, quod cùm Episcoporum jurisdictio à Christo ipso immediatè profluxerit, non possit eam summus Pontifex vel tollere, vel imminuere, nec statutum à sponso Ecclesiæ ordinem confundere ; cujus potius servandi causâ, majorem cæteris accepit potestatem. Sed quemadmodum Episcoporum jurisdictio immediata in omnes suarum Diœcesium fideles, quibus particulares Parochi præsunt, etiam jure Divino, ut plures scriptores Gallicani volunt, Ecclesiarum illarum particularium ordinem non pervertit, quamvis Episcopus possit non solùm invigilare, ut Parochi officiis suis ritè fungantur, sed etiam Parochianos per se gubernare, illorum confessiones per se, vel per Confessarios Delegatos audire, aliaque omnia officia Parochialia gerere. Ita non sequetur Ecclesiasticæ Hierarchiæ confusio, etsi summus Pontifex in aliorum Episcoporum Diœcesibus functiones omnes Episcopales per se, vel per alios exercendi habeat facultatem : etsi Episcoporum jurisdictio non à summo Pontifice, sed à Christo ipso manaret, quam quæstionem in libro 8. fusè prosequemur.

5. At, inquies, illa regiminum multiplicitas multa haberet

beret incommoda. Si enim diversa essent, confusionem non possent non parere, Ordinariorum Pastorum contemptum inducere, scandalum excitare, charitatem minuere, &c. Verùm illa ipsa mala consequuntur, cùm Episcopi in Parochorum, præsertim juxta Canonicam disciplinam proprios, ac Parochianorum mores, rectè instituentium, Parochias extraneos Sacerdotes immittunt, quorum est vivendi, & gubernandi ratio diversa. Ubique obest multitudo inordinata: ubique prodest, si ordinem sequatur: Si omnes eundem finem intendant, omnes ad amplectenda opportuniora media parati sint, jucundiùs, expeditiùs, ac feliciùs ad metam omnes pervenient; Si quisque quod suum, non quod Jesu Christi est, quærat; Si suo quisque judicio duci, non aliorum consilium audire, nedum non sequi voluerit, pacis, ac tranquillitatis, fructusque omnis jacturam sequi necesse est. Sic se res omnes humanæ habent. Quotusquisque est qui sua interdum autoritate non abutatur. Si ergò legitima non censeatur potestas, quâ quis abuti potest, æqualitatem inter omnes homines reponere oportebit, ex qua graviora, & numerosiora pericula certissimè orientur.

6. Debent quidem summi Pontifices, ut sæpè notavimus, Canones, præsertim Conciliorum œcumenicorum, quorum sunt Custodes, & exequi, & exequendos curare: Nec Pastoribus, greges suos rectè administrantibus, obstare, aut in eorum regimen sine necessitate sese ingerere debent. Concordata servare, ac quæcumque pacis sunt, sectari. Si secus agant, humiliter monendi sunt, imo & liberè, si opus sit: non tamen idcirco debita officia prætermittenda. *Quid tam indignum tibi* (verba sunt S. Bernardi ad Eugenium III. de consider. lib. 3. cap. 4.) *quàm ut totum tenens, non sis contentus toto, nisi minutias quasdam, atque exiguas portiones ipsius tibi creditæ Universitatis, tanquam non sint tuæ, satagas, nescio quomodo adhuc facere tuas? ..... Erras, si ut summam, ita, & solam institutam à Deo vestram Apostolicam autoritatem existimas. Si hoc sentis, dissentis ab eo, qui ait: Non est potestas nisi à Deo.* Et licet ibidem gravissimè conqueratur apud Eugenium III. de exemptionibus, quibus inferiores superioribus immediatis subtrahebantur; expressè tamen declarat eam, & quidem summam, & plenissimam penes Romanum Pon-

tificem esse potestatem. *Sic factitando*, inquit, *probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ fortè non ita. Facitis hoc, quia potestis, sed utrum hoc debeatis, quæstio est.*

7. Adeò certum habebat sanctus ille Abbas, Jurium Episcopalium, & Hierarchici ordinis nihilominus studiosissimus, summum Pontificem in Christianos omnes etiam Laicos jurisdictionem immediatam habere, ut illud tanquam indubitatum supponens, autoritatem in Episcopos ipsos tanquam aliquid maius extollat. *Habent* (inquit de consideratione lib. 2. cap. 8.) *illi sibi adsignatos greges, singulis singulos* TIBI VNIVERSI CREDITI, *uni unus. Nec modo ovium*, SED ET PASTORVM *tu unus omnium Pastor, &c.*

8. Magni ponderis est sine dubio hujus S. Doctoris autoritas, & Gallis magnoperè veneranda, ut potè à Gallia oriundi, in Gallia educati, Gallicanorum Episcoporum jurisdictionis strenuissimi Patroni, summis Pontificibus, eorumque Curiæ adulari nescii. Cùm esset reliquorum Ecclesiæ Patrum doctrinâ instructissimus, illorumque vestigiis, uti in aliis, ita in hac quoque materia sine dubio inhærebat. Suo autem exemplo docet nos de abusibus potestatis conqueri licere; nec tamen ob abusus, potestatem ipsam à Deo concessam negari posse.

9. Si summi Pontificis potestas ex jure Divino metienda est, ampliſſimam illam esse concedendum erit, cùm in rebus spiritualibus nullam exceptionem legamus à Christo appositam; & communis sit Jurisconsultorum cum Bartolo sententia quæst. 9. num. 11. *ubi lex generaliter loquitur, & non distinguit, nec nos distinguere debemus*; aut, ut appositè ad propositum nostrum S. Bernardus; *Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.* Dum enim Christus Petro fratres confirmare præcepit, eo nomine omnes complectebatur fideles. Quotquot enim eundem Patrem Deum, & eandem Matrem Ecclesiam agnoscunt, fratres passim in sacris litteris nominantur.

10. Dum etiam Christus Petro pascendas oves commisit, non solos commendavit Prælatos, qui sunt velut gregis arietes, sed & superiores, & inferiores non solum oves, sed etiam agnos, ut qui à Petro, & ejus Successoribus pasci recusat, Christi se nec ovem, nec agnum esse fateatur. Sanctus Leo serm.

serm. 3. de sua assumptione, sanctum Petrum à Christo electum docet, ut omnes gentes ad fidem vocaret, ut Apostolis, & Prælatis reliquis præesset, ac denique ut omnes Christi fideles regeret: *De toto Mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisq; Ecclesiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multiq; Pastores; omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.*

11. Autor libelli, in quo describitur exilium, & mors S. Martini Papæ, quique habetur inter illius sancti Pontificis epistolas in sexto tomo Conciliorum Patris Labbei, appellat eum sub initium, *Sacerdotum Principem, & Apostolicum universalem Papam*: circa medium autem, *Summum, & Apostolicum, atque præcipuum Pastorem omnium Christianorum.* Ex illius ergo Autoris, S. Martino coætanei (testatur enim se quæ narrat ex parte vidisse, ac recenter gesta) verbis constat tunc, scilicet circa annum 653. Romanum Pontificem habuisse jurisdictionem immediatam in omnes fideles, quandoquidem præcipuus Pastor omnium Christianorum dicebatur. Quomodo enim præcipuus esset Pastor eorum, quos regendi, & pascendi per se potestatem non haberet? Quæ ratio probat summum Pontificem, sicut ab initio Pastor omnium Christianorum ex institutione Christi extitit, ita immediatam in illos jurisdictionem semper obtinuisse.

12. Idem significare videntur hæc verba Facultatis Theologiæ Parisiensis in censura nuper edita, *Romanum Episcopum unum esse jure Divino in Ecclesia Pontificem, cui omnes Christiani parere teneantur*; quæ in multis antiquioribus ejusdem Facultatis Decretis leguntur. Luculentiùs testimonium mox proferemus.

13. Verùm quia usus, optimus habetur legis interpres, videndum est; quæ fuerit autoritatis Pontificiæ praxis illis temporibus, cùm eâ liberè uti Papæ potuerunt, cumque diligentiùs, & clariùs cognita fuit. Quamquam enim omni ævo aliqua identidem ejus specimina edita fuerint, tamen cùm per tria prima sæcula ferè omninò à Tyrannis ligata fuerit, ideoque ejus exercitium quasi novum quiddam aliquoties Episcopos, præsertim Africanos, commoverit, non potuit tam citò suum explicare fulgorem, & omnibus innotescere. Non est illustrior supremæ, atque immediatæ in Christianos Pontifi-

ciæ jurisdictionis usus, quàm dum immediatis Pastoribus subtrahuntur, ne dum per concursum cum Pastoribus ipsis immediatis, aut per præventionem judicantur; maximè si Pastores ipsi immediati, primùm quidem renitentes ob rei novitatem, & à novitate ortam obscuritatem, deindè rediligentiùs expensâ, & evidentiùs perspectâ assensum præbeant. Atqui plurima sunt exempla subductorum ab Episcopali jurisdictione, non solùm privatorum hominum, sed etiam Communitatum, & Ordinum integrorum; cui quidem subductioni, licet aliquandiu restiterint Episcopi, ut videre est apud Petrum de Marca lib. 4. cap. 8. & passim in Historia Universitatis Parisiensis; posteà tamen acquieverunt, ut ex antiqua, & pacifica possessione demonstratur.

14. Jus illud summi Pontificis declaravit celeberrimus Ecclesiasticæ jurisdictionis defensor Petrus Bertrandi Episcopus Eduensis de orig. & usu jurisdictionum quæst. 3. *Omnes Christiani*, inquit, *Principes terræ & cæteri homines Episcopis obedire debent, ut B. Petrus præcipiebat. Ab hac tamen obedientia seu subjectione, Papa, qui est supremus in Ecclesia, potest aliquos eximere.*

15. Nec objici potest illud summorum Pontificum usurpationi tribuendum: Temerarium enim esset, injustitiæ tam odiosæ Pontifices damnare, pietate, ac doctrinâ insignes, ac quorum etiam merita Deus miraculis illustravit, aut Episcopos Gallicanos sanctitate, ac rerum Ecclesiasticarum peritiâ, conspicuos, in tuendis propriis juribus, seu potiùs Ecclesiasticæ Hierarchiæ ordine defendendo, socordiæ incusare. Sanctum Gregorium Magnum ab usurpanda jurisdictione cæterorum Prælatorum, ut ejus facta, & scripta declarant, alienissimum, ejusmodi exemptiones concessisse testantur plures ejus epistolæ, v. g. Monasterium Virginum Augustodunensium ab Episcopali jurisdictione exemit, à Regina Brunichilde rogatus: nec instrumentum ab Episcopis impugnandum tanquam invalidum, sed supprimendum tanquam minus gratum metuit, ut significat ejus ad Reginam Epistola, quæ est octava lib. 11. quamque lib. 2. adversus Launoium defendimus; *Nos itaque pro munitione locorum, de quibus Excellentia vestra scripsit, omnia, sicut voluit, sancire studuimus: sed ne fortasse ab eorum locorum Præpositis eadem Decreta nostra quoquo tempore suppriimantur, pro eo quod eis*

eis quædam interdicta esse noscuntur, hæc eadem constitutio gestis est publicis inserenda, quatenus sicut in nostris, ita quoque in Regalibus scriniis teneatur.

16. Quin etiam de universa Ecclesia pessimè sentiret, qui eam erravisse putaret in approbandis iis, quæ Romani Pontifices circa fideles præstiterunt, non consentientibus, aliquando etiam repugnantibus illorum Episcopis, aliisve Prælatis inferioribus. Quot enim sacrilegia perpetrata fuissent, quotque alia peccata commissa, si v. g. cum facultate à Papa immediatè concessa non potuissent Religiosi, aut alii Fideles sua peccata confiteri Confessariis ab ipso assignatis sine licentia, vel etiam contra prohibitionem propriorum Parochorum, aut Episcoporum? sed de hoc adhuc in capitibus sequentibus.

17. Concilium generale Lateranense anno 1215. cap. 5. expressè affirmavit, quod *Romana Ecclesia disponente Domino* SVPER OMNES ALIAS *ordinariæ potestatis obtinet Principatum, utpotè Mater universorum Christi fidelium, & Magistra.*

18. Eandem doctrinam professi sunt Doctores Gallicani etiam à tempore schismatis. Thomas ab Argentina Præceptor Theologiæ in Academia Parisiensi circa annum 1445. in 4. sent. dist. 24. art. 4. sic scripsit; *Ratione officii super Presbyteralem dignitatem inveniuntur in Ecclesia quinque gradus singularis dignitatis, quorum primum tenent Episcopi, secundum Archiepiscopi, tertium Primates, quartum Patriarchæ, quintum Papa, sive Romanus Pontifex, à quo tota Monarchia fidelium tanquam ab uno Principe universalem, & cum hoc immediatam habente potestatem super omnes, & singulos Fideles, cujuscumque conditionis, existant, convenientissimè gubernatur.*

CAPUT IV.

De jurisdictione immediata summi Pontificis in omnes Fideles quantum ad forum internum.

1. FOrum internum vocatur, in quo solvuntur, vel liguntur conscientiæ, remissis, vel retentis peccatis, & censuris, sine ordine ad externum Ecclesiæ regimen. Dum ergo

quæritur an ſummus Pontifex habeat juriſdictionem immediatam in omnes Fideles quantum ad forum internum; ſenſus eſt, an poſſit per ſe vel per alios à ſe delegatos injungere ſatisfactiones pro peccatis, & ab ipſis, vel à cenſuris abſolvere Fideles, ſine conſenſu Paſtorum ordinariorum, quibus ſubjecti ſunt. Quocirca, licet quæ hactenus dicta ſunt, hujuſmodi poteſtatem probent, eam tamen juvat ſpeciatim confirmare.

2. Eruditiſsimus P. Chriſtianus Lupus exiſtimavit eam colligi ex epiſt. 49. ſancti Aviti Epiſcopi Viennenſis, quæ eſt ad Anſemondum intercedentem pro juvene pœnitentiæ, ob conſtupratam Virginem Deo ſacram, addicto. Innuit enim ſanctus Epiſcopus juvenem, ut abſolutionem extorqueret, minitatum ſe fuiſſe provocationem ad Romanum Pontificem; *Licet diverſas in me flammas evomat, & ad Romanæ forſan Eccleſiæ audientiam vocet, &c.* Poterant quidem illæ minæ intentari circa alia, quàm circa pœnitentiam impoſitam, quia ſequitur; *Et ſi adhuc placet, etiam filios me habere dicat, &c.* Verùm præterquam quod hinc ſaltem infertur Epiſcopos Gallicanos jam tum temporis, hoc eſt, circa finem quarti ſæculi Romæ judicari ſolitos, quandoquidem addit S. Avitus; *Nec minas ſuas adſentatione placabo, nec fatigationes itinerum verebor.*

3. Sed cùm tempore Nicolai I. conſtans eſſet uſus, non refragantibus etiam ipſis Epiſcopis Gallicanis, ut Laicorum cauſæ Romæ judicarentur, neceſſariò conſequitur jam antea juriſdictione uſos fuiſſe Romanos Pontifices immediatè in fideles Epiſcopis Gallicanis ſubjectos. *An Laicorum, & vulgarium populorum judicia*, inquit S. Pontifex epiſt. 42. quæ eſt ad univerſos Epiſcopos Galliæ, & refertur in Concilio Romano ſeptimo; *Inter majora negotia ponitis, quos penè quotidie cum veſtris, & ſine veſtris epiſtolis ad diſcutiendos, & judicandos ſuſcipimus, & diſcuſſos, vel judicatos, vel abſolutos dimittimus? Denique aut ſæcularium judicia inter majora, & Epiſcoporum inter minora negotia collocabitis, & vobis Epiſcoporum, nobis Laicorum judicia reſervabitis: aut certè, &c.*

4. Cùm Gregorius VII. in Concilio Romano an. 1074. Clericis præcepiſſet continentiam, & ut uxores dimitterent, aut ab altaris miniſterio abſtinerent, illudque Decretum pluribus, in Germania præſertim durum nimis & grave videretur

retur, contumaciam suam excusare cœperunt ob indulgentiam Episcoporum, quibus obedire satis esse causabantur. Apologeticum tractatum scripsit Autor, Bernardus nomine, in quo summi Pontificis autoritatem & in Episcopos, & in Episcoporum subditos tuitus est, maximè cap. 23. & 24. istud sic inchoat; *His autem rationibus & hoc declaratur, quod cujusvis Episcopi Parochianus potiùs Domino Apostolico, quàm proprio Episcopo obedire debet, cùm autoritas proprii nullatenus eum ab Apostolica damnatione valeat liberare, si Apostolicis præceptis inobediens extiterit. Et è contra Dominus Apostolicus si ei obedierit, eumdem ab omni violentia proprii Episcopi facillimè poterit defendere, videlicet & ipsum Parochianum ejus ditione penitùs emancipando, & Episcopum ab injuria per correptionem & damnationem Apostolica autoritate refrænando. Attendat sane cujusvis Episcopi subditus, ne vel proprio Episcopo contra Apostolica præcepta obediat in aliquo, &c.*

5. Egrè tulerat Henricus Episcopus Leodiensis, quod unus ex suis subditis ab eodem sancto Pontifice fuisset absolutus; quamobrem Gregorius cum epist. 4. lib. 6. graviter reprehendit. *Lectis*, inquit *fraternitatis suæ litteris, non eâ te quâ decuit Apostolicam Sedem reverentiâ, sibi scripsisse, sed nos de absolutione illius Parochiani tui, qui olim ad nos venit, mordaci invectione reprehendisse, tanquam Apostolica Sedis non esset autoritas, quoscunque, & ubicunque vult ligare & absolvere.... Intelligas te aut spiritu præsumptionis, aut ignorantiâ contra autoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ verba jactasse, quasi incitando Orientales, qui contra Beatum Papam Julium obloqui præsumpserunt, eo quod ipse sanctissimum Athanasium Patriarcham sine assensu eorum absolverat.*

6. Non fuit ea, ut nonnulli calumniari videntur, Romanorum Pontificum usurpatio; sed jus Divinum à Patribus aliisque sanctis Doctoribus aut expositum, aut insinuatum. S. Joannes Chrysostomus homil. ult. in Joan. super hæc verba; sequere me; sanctum Petrum cum S. Jacobo Episcopo Hierosolymitano conferens, docet hunc soli Ecclesiæ Hierosolymitanæ, illum toti orbi à Christo præpositum fuisse, unde sequitur Successores Petri eandem ubique terrarum jurisdictionem habere, quam singuli Episcopi in propriis Diœcesibus. Quam sententiam secutus est ac sic expressit Euthymius Zigabonus in eadem verba Joan. ult. *Hinc rursum ostendit, quod præ cæteris familiarem eum faciat, ac ampliore dignetur honore, ut etiam promptior fiat. Quod si quis dicat: Quomodo ergo Jacobus Hierosolymi-*

mitanam accepit Sedem ? Dicemus quod Petrus orbis constitutus est præceptor.

7. Sanctus Thomas jure Angelus scholæ dictus multis in locis docet summum Pontificem proprium esse Fidelium omnium Pastorem, quemadmodum Episcopus proprius est Pastor omnium suæ Diœceseos Christianorum, & Parochus suorum Parochianorum, ac sicut jurisdictio Parochi super suos Parochianos non impedit, quin eorum etiam proprius & immediatus Pastor sit etiam summus Pontifex. *Papa*, inquit opusc. contra impug. Relig. cap. 4. *qui obtinet vicem* (Christi) *in tota Ecclesia Universalis Ecclesiæ sponsus dicitur; Episcopus autem suæ Diœcesis, Presbyter autem suæ Parochiæ, unde & Diœcesis sponsus Papa est, & Episcopus Parochiæ ..... Undè patet, quod ex hoc, quod Papa, vel Episcopus audit confessionem Parochianorum, vel alii audiendam committit; non sequitur, quod sint plures unius Ecclesiæ sponsi.* Dixerat autem antea; *Ad illud quod postèà objicitur, quod quilibet tenetur in anno semel confiteri, dicendum, quod Sacerdos proprius non solum est Parochialis, sed etiam Episcopus, vel Papa, ad quos pertinet cura ejus, quam ad Sacerdotem, ut multipliciter ostensum est.* Videri potest idem sanctus Doctor in 4 sent. dist. 19. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 1. c. gen. l. 4. c. 76.

8. Eandem doctrinam tradit S. Bonaventura scholæ alter Angelus in 4. sent. dist. 29. art. 3. quæst. 1. & adhuc expressius in opusc. in quo decernitur; quare fratres Minores prædicent, & confessiones audiant. *Quatuor sunt*, inquit, *cujusque plebis Parochialis proprii Sacerdotes: Primus & præcipuus est summus Pontifex, cui tota Ecclesiastici gregis cura singularissimè commissa est. Ita quod omnes inferiores Ecclesiæ Rectores curam & totam potestatem, quam habent super subditos, ab ipso accipiant mediatè, vel immediatè.* Et infra: *Unde cùm Plebanus possit aliquibus committere, ut vice sui plebi suæ prædicent, & eorum confessiones audiant, & absolvant, & pœnitentias injungant, ita quod sic absolutus non oporteat illo anno Plebanis suis iterum confiteri nisi velint; Multò magis potest hoc Episcopus, & maximè summus Pontifex, qui sicut ubique habet potestatis plenitudinem, ita & commissam sibi gerit omnium Ecclesiarum sollicitudinem, &c.*

9. Utrique præiverat amborum Magister Albertus Magnus in 4. sent. dist. 19. art. 10. *Ad aliud*, inquit respondens argumento, seu objectioni tertiæ; *dicendum, quod loco Christi in terris non est nisi unus Papa, & ille potest facere* (id est absolvere) *in omnibus, sed*

sed alii in partem sollicitudinis vocati sunt; Et ideo non licet eis extendere jurisdictionem ultra quam permissum est eis.

10. Eos secutus est Augustinus Triumphus quæst. 19. art. 5. cujus est hæc resolutio; *Papa immediatè potest in qualibet Diœcesi, vel Parochia quidquid potest Episcopus vel Sacerdos.*

11. Quæ quidem sententia ita indubitata fuit apud Theologos sequentes, ut nonnulli eam de fide esse asserant. Vasquez in 3. partem D. Thom. quæst. 93. art. 1. dub. 1. cum Medina. Hæc sunt primi verba; *Quod non intelligatur in Decretali* (omnis utriusque sexus) *proprius Sacerdos Parochus; sed etiam Pontifex, & Episcopus, esse de fide docet Medina; Et infra dubio illo sexto probabimus.* Quo in loco eandem doctrinam fusiùs prosequitur. Sed certioribus nititur illa doctrina fundamentis.

12. Joannes XXII. cap. *vas electionis.* de hæret. in Extravag. com. propositiones istas damnavit. Primò, *quod confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones teneantur eadem peccata, quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti. Secundò quod stante omnis utriusque sexus edicto, Romanus Pontifex non potest facere, quod Parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio Sacerdoti confiteri, quem dicit esse Parochialem Curatum, imò nec Deus hoc facere posset: quia ut dicebat, implicat contradictionem. Tertiò quod Papa non potest dare potestatem generalem audiendi confessionem, imo nec Deus, quin confessus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti, quem dicit esse proprium Curatum.* Quas propositiones hac censurâ notavit. *Omnes articulos, & quemlibet eorum, tanquam falsos, & erroneos, & à doctrina sacra devios auctoritate Apostolica condemnamus, & reprobamus; Prædictorum doctrinam contrariam veram, & Catholicam asserentes; scilicet quod illi, qui prædictis fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quam si ea alias confessi fuissent, eorum proprio Sacerdoti* IVXTA CONCILIVM GENERALE. Ultima verba Constitutionem istam factam esse significant ad interpretandum Concilium œcumenicum Lateranense, quod officium ad summum Pontificem pertinet. Hanc autem interpretationem amplexa est Ecclesia, ut nesciam quomodo sine errore inficiari quis possit, cujuslibet fidelis proprium Sacerdotem esse, non solùm Parochum, sed etiam Episcopum, & summum Pontificem.

13. Ante id tempus, sanctus Bonaventura in exposit. cap. 9. Regulæ ff. Minorum sic scripserat; *Possunt fratres Apostolicâ ordi-*

natione in privilegiis Ordinis expressa audire cujuscumque Sacerdotis Parochianos ipso inconsulto, vel etiam contradicente, si autoritatem habeant ab Episcopo audiendi. Et quia Curia Romana hoc determinat, hæreticum est aliud pertinaciter affirmare. Sicut patet dist. 22. cap. Omnes; patet etiam Papam posse talia in Ecclesia ordinare, quia certum est, quod distinctio curarum, & collatio jurisdictionum ab autoritate processit Ecclesiæ Romanæ. Docet tamen ibidem sanctus Doctor quo animo ad hujusmodi functiones accedere debeant Regulares, scilicet ob Ecclesiæ necessitatem, non proprio motu. Eosque, qui secus agant dementiæ damnat; *Ad objectum de agnitione vultûs respondeo, quod si Sacerdos prius scire posit, & vellet sufficiens consilium super subditos impendere, nullus sanæ mentis quæreret immiscere se confessionibus ad ipsum non pertinentibus audiendis.*

14. Paulò anteà Facultas Theologica Universitatis Parisiensis potestatem summi Pontificis in omnes Fideles, etiam quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ declaraverat, ut refertur à Cæsare Egasio in hist. Universitatis tom. 3. ad annum 1252. non solùm licere, sed etiam congruere, ut qui voluerint, sua peccata confiteantur Papæ, seu Pœnitentiariis ejus; etiam contradicentibus Sacerdotibus Parochialibus, & doctrinam contrariam erroneam esse; *Omnibus præsentes litteras inspecturis M. Naimericus Cancellarius Parisiensis, cæterique Sacræ Scripturæ Parisienses Doctores, quorum sigilla præsentibus litteris sunt appensa, salutem in Domino. Universitati vestræ volumus esse notum, quod consulti fuimus à quibusdam, utrum Sacerdote Parochiali contradicente, vel invito, Parochianus ejus Domino Papæ, seu Pœnitentiariis suis, vel suo Episcopo, aut Pœnitentiariis ipsius, cùm voluerint, peccata sua valeant confiteri, atque ab eisdem pœnitentiam pro commissis recipere salutarem. Cui consultationi respondentes diximus, & dicimus in hoc unanimiter consentientes, prædicta licitè posse fieri, & debere. Si qui autem dicant, aut dixerint contrarium, quantum in nobis est reprobamus, erroneum reputantes. Actum anno Domini* 1252. *mense Januario.* Anno autem 1484 Petrus l'Aillier coactus fuit ab eadem Academia revocare hanc propositionem; *Summus Pontifex Joann 22. non potuit condemnare de Poliaco nec facere decretalem vas electionis.* Apud Mauclerum de Monarchia 4. part. lib. 8. cap 6.

15. Concilium Tridentinum sess. 14. de refor. c. 7. declarat summo Pontifici competere facultatem reservandæ sibi certorum casuum absolutionis, *pro suprema potestate sibi in Ecclesia uni-*

ver-

versali tradita. Ubinam autem Scripturarum legitur, aut ex qua traditione habetur, non posse Papam subditos aliis Prælatis fideles, per se vel per suos delegatos absolvere, nisi ubi potestate absolvendi cæteris Pastoribus ademptâ, eam sibi reservaverit.

16. Canonici Juris Interpretes circa Decretum illud Concilii Lateranensis, quod incipit, *Omnis utriusque sexûs*; in eundem sensum illud communiter interpretati sunt, in quem Theologi, tantaque est Doctorum omnium Catholicorum in eam mentem consensio, ut Ecclesiæ universæ dicenda sit.

17. Illam Episcopi Gallicani, ut certam amplexi sunt, quod in plerisque illorum libris, qui Rituales dicuntur, animadvertere licet, ac etiam in aliquibus Statutis Synodalibus. Galterus Episcopus Pictavienſis in Synodo habita anno 1284. luculenter profitetur circa suæ Diœcesis fideles summi Pontificis autoritatem; *Cùm nonnulli* (verba sunt illius Antistitis cap. 3.) *Subditi nostri Sacerdotibus, quibus cura animarum non est ab Episcopo, vel ab alio habente autoritatem Apostolicam, vel aliàs competentem super hoc potestatem, Ecclesiastica Sacramenta absque licentia nostra, vel proprii Sacerdotis, & etiam nonnunquam à prohibito, scienter accipere non formidaverint, nec formident in suarum periculum animarum, cùm à tali absolvi nequeant, vel ligari, &c.* Notanda hæc verba *habente autoritatem Apostolicam.* Subditi sunt à Concilio Chalcedonensi Episcopis Monachi, nihilominus cùm Episcopi nonnulli, sive avaritiâ, sive malitiâ eos vexare, atque in disciplina monastica perturbare cœperunt, coacti sunt Romani Pontifices Monachos ab Episcopali jurisdictione, vel partim, vel omninò eximere. Licet autem decursu temporis aliquorum Monachorum ambitio, ac libertatis desiderium sapientem illam dispensationem in abusum converterint, necessariam tamen fuisse intellexerunt Episcopi, quippè cùm exemptiones videamus ab ipsis aliquando approbatas, aliquando ultrò indultas; probumque, ac moderatum exemptionum usum regularem disciplinam plurimùm juvisse, magnumque attulisse Ecclesiæ emolumentum.

18. Ità cùm Prælati regendæ fidelium multitudini per se, aut suos Sacerdotes satis esse non possent; aliqui etiam non

rectè se haberent, nec animarum saluti satis invigilarent; summi Pontifices, Pœnitentiæ Sacramenti administrationem Regularibus commiserunt; eâ tamen lege, ut debitam Episcopis reverentiam deferrent, modò majorem, modò minorem, quod Concilio etiam generali Viennensi approbatum est.

CAPUT V.

De autoritate summi Pontificis circa Jurisdictionem contentiosam.

1. DEterminatæ sunt in Concordatis inter Leonem X. Papam, & Franciscum I. Regem Franciæ initis, quæ circa Jurisdictionem contentiosam oriri solebant disceptationes. Sed nihil est adeò planum, quod difficile non evadat ex partium studio, vel ex novorum casuum eventu. Præcipuæ difficultates, quæ circa eam jurisdictionem à tempore Concordatorum emerserunt, istæ sunt. Prima, utrum Papa possit alicujus negotii judicium ad se immediatè trahere? Secunda, an possit aliquando Romæ negotia judicare? Tertia, an formulis ordinis Judiciarii sese accomodare teneatur.

2. Prima controversia frequens de causis majoribus est. Causæ autem dicuntur majores ex quatruplici capite. Primò ex rei, de qua agitur, magnitudine, ut v. g. quando spectant ad Fidem, ad Religionem, vel ad præcepta generalia morum, & disciplinæ, ut habetur Can. Præceptis dist. 12. cap. Majores de Baptismo, & alibi. Secundò causæ majores dicuntur ex magnitudine difficultatis circa illas natæ. Interdum enim quasi synonyma ponuntur, majores, & difficiliores quæstiones; & ab hoc maximè Capite Galli, saltem si Joanni Gerbasio credimus, causarum magnitudinem metiuntur. Sic enim habet Doctor ille dissert. de causis majoribus art. 1. num. 10. *Galli nostri diversam aliquatenus majorum causarum ideam tradidere; neque enim causæ majores apud eos statim dictæ sunt, quæ de rebus majoribus, ac præstantioribus essent; sed quæ plus obscuritatis haberent, ac difficultatis: quare tum tandem Apostolicam Sedem adeundam, ejusque consulenda ora-*

oracula existimarunt, cùm aliundè lex non affulgeret, rationesq; vulgò usurpatæ minimè sufficerent. Exploratum illud fit, &c. Tertiò vocantur causæ majores ratione dignitatis personæ, v. g. cùm de Episcopo agitur, ut patet ex cap *Inter corporalia.* De translatione Episcopi; & ex Doctoribus in illud cap. Denique majores dicuntur ob difficultatem exequendæ rei justæ, aut amoliendæ rei injustæ. Sic anno 876. Ecclesia Remensis in Concilio Pontigonensi, cui Apostolicæ Sedis intererant Legati, majora negotia, & majores causas appellabat eas injurias, quas à Ludovico Germaniæ Rege perpessa fuerat, & timebat, ne in posterum pateretur: *Paternis magisteriis instruimur, ut si quæ majora negotia, vel majores causæ exortæ fuerint,* AD SEDEM APOSTOLICAM, PROVT AVTORITAS DOCET, ET MOS ANTIQVVS OBTINVIT, SEMPER REFERANTVR. Quæ sint autem illa negotia deinde notatur; *Calamitates & miserias Ecclesiæ nostræ, ac Civium nostrorum, quas hoc anno à Ludovico Rege, itemq; à Ludovico filio ejus & complicibus eorum, cædes videlicet, & homicidia, adulteria, fornicationes, rapinas, sacrilegia, & cætera flagitia, quæ nullus enumerare potest, Ecclesia nostra perpessa est.* Denique postulatur auxilium; *Ne de cætero talia, ac tanta mala Ecclesia nostra, ac Regnum patiatur, qualia hactenus passum est.* Sed hæc postrema duo Causarum genera majora non æstimantur, nisi cum aliquâ rei magnitudine conjuncta v. g. nisi agatur de deponendo Episcopo, vel alio gravissimo negotio.

3. Quæritur ergò an prima causarum illarum cognitio ad sanctam Sedem, an ad Concilium Provinciale spectet. Qua in re, licet Episcopale judicium præmittendum, idque ex antiquis juribus colligi, aliqui senserint, certum est Concordata cùm causas majores ab iis exceperunt, quæ deberent ab Ordinariis definiri, primum earum judicium summo Pontifici reliquisse. Cùm enim contentiones circa jurisdictionem dirimere voluerint, hanc quæstionem, quæ maximi erat momenti, & à qua plurimæ, gravissimæque disceptationes oriri poterant, non reliquerunt indecisam: Alioquin enim si determinandæ illi supersedendum partes judicassent, de illa omninò siluissent. Cùm autem mentio facta sit ejus, cur in aliud tempus definienda dilata fuisset, cum periculo ne interim novarum discordiarum esset fomes, ac sine spe novorum ad

eam inpoſterum commodiùs definiendam adjumentorum. Perſpicua videtur Concordatorum Sententia his verbis comprehenſa tit. de cauſis; *Omnes, & ſingulæ cauſæ, exceptis majoribus in jure expreſſè denominatis, apud illos Judices in partibus, qui de jure, aut conſuetudine præſcripta, vel privilegio illarum cognitionem habent, terminari, ac finiri debeant.* Quod idem in Concilio Baſileenſi, & Pragmatica Sanctione ſtatutum fuerat.

4. Accedit quod tempore præcedenti, ac ſubſequenti Concordata, Gallis perſuaſum erat, cauſas majores in prima inſtantia eſſe ad ſanctam Sedem referendas, quia hæc erat Juris communis diſpoſitio, & Canonici Juris Interpretum ſententia, etiam apud Gallos. Guillielmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis in ſpeculo Juris partic. 1. tit. *de legato* §. *Nunc oſtendendum num.* 1. *Majores cauſæ*, inquit *ad Sedem Apoſtolicam ſunt referendæ, ut extr. de bap. Majores extr. de tranſ. c.* 1. 11. *q* 6. *omnis oppreſſus, & citatus ſuper iſtis coram Ordinario poteſt etiam abſque aliquo gravamine illato, vel comminato ad Sedem Apoſtolicam appellare, ut* 2. *quæſt.* 4. *nullam & q.* 6. *ad Romanam & c. Ideo* §. *cùm ergo quod ſpecialiſſimum eſt ut probatur extrav. de appellat. ut debitus in fin.* Joannis Gerſonii, Concordatis non longè antiquioris, verba mox exſcribemus; ſed gloſſa ipſa Pragmaticæ Sanctionis, quæ ſemper in eo Regno maximi habita fuit in tit. de cauſis §. ſtatuit verb. *Majoribus* rem confeciſſe videtur, addens; *Quæ ex naturâ ipſarum ſunt deferenda ad Sedem Apoſtolicam, nec in ipſis compellebatur quis litigare coram Judice inferiori.* Quod multis comprobat autoritatibus. Rebuffus magni nominis in illo Regno Autor eandem doctrinam tradit his verbis; *In cauſis majoribus in jure expreſsè deſcriptis, & Sedi Apoſtolicæ reſervatis.*

5. Joannes Gerbaſius id unum in tota ſua diſſertatione *de cauſis majoribus* explicandum ſibi propoſitum fuiſſe profitetur in allocutione ad Lectorem; *Quid nempè Juris in præſentia obtinere debeat apud Gallos de cauſis majoribus. Atque idcircò diſſertationem ſuam inſcripſiſſe, ad caput Concordatorum de cauſis. Cùm enim*, inquit, *Concordatorum leges ægrè quidem initio, uſu tamen inductæ, ſic jam videantur, ut municipalium inſtar legum nobis evaſerint, operæ pretium duxi examinare in primis; ſi quid fortè novi Concordata de cauſis majoribus ſtatuiſſent, ſpecialimq; de Epiſcoporum cauſis, & judiciis, quibus præſertim inhærere fuit animus.* Articulo autem 3. num. 2. *Quamquam*, ait, *diſſertatio hæc tota in-

inscripta sit ad caput Concordatorum de causis ; Verum tamen capitis ejus tractatio propria magis erit hujus articuli, ubi sententiam legis capite isto comprehensæ peculiari studio, ac de industria magis examinabimus. Quâ quidem declaratione levat nos onere discutiendi omnia exempla, quæ profert, judiciorum ab Episcopis circa causas majores diversis temporibus prolatorum, aut exceptiones, quas adhibet adversus prima judicia de hujusmodi causis à summis Pontificibus pronunciata.

6. Itaque id unum inquirendum est quid nempè in Concordatis eâ de re statutum fuerit ; quandoquidem Concordata *municipalium instar legum Gallis evaserunt* ; Atque quantum conjecturâ licet assequi, sunt ex illis *regulis, moribus, & institutis à Regno, & Ecclesia Gallicana receptis*, quæ valere debere declarant Illustrissimi Antistites Gallicani in hac tertia propositione. Sunt autem verba Concordatorum tit. de causis, quæ sequuntur ; *Statuimus quoque, & ordinamus, quod in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis, omnes, & singulæ causæ, exceptis majoribus in jure expresse denominatis apud illos Judices in partibus, qui de jure, aut consuetudine præscripta, vel privilegio illarum cognitionem habent, terminari, & definiri debeant.* Istud caput, seu titulus nihil amplius continet. Quod enim attexuit, nescio qua intentione, Joannes Gerbasius, aliud caput est sub titulo *de frivolis appellationibus.*

7. Agitur in capite modò exscripto, ut per se patet, de primo judicio causarum definitivo, non autem de supremo, & à quo appellari non possit. Nam neque minores etiam causæ *apud illos Judices in partibus, qui de jure, aut consuetudine præscripta vel privilegio illarum cognitionem habent, ita terminari, & definiri possunt*, quin liceat appellare, usque ad tertiam sententiam conformem inclusivè, ut in sequenti Decreto statuitur. Cùm igitur de prima sententia sit sermo ; constat, *causas majores in jure expresse denominatas* à lege generali excipi, ejusque exceptionis non aliam vim esse posse, quàm ut aliæ quidem à Judicibus definiri queant, qui jure, aut consuetudine, vel privilegio illarum cognitionem habent, Majores verò nequaquam.

8. Quod adhuc magis confirmatur ex eo quod notat Gerbasius ; Nempè quod *prava diù consuetudo inoleverat vocandi Romam, etiam à remotissimis partibus, leviores causas, minimaq; negotia, sive id fiebat*

bat in prima instantia, ut aiunt, & per calumnias, sive per frivolas appellationes. Duobus igitur abusibus, ut Gallorum more loquamur, mederi voluerunt tum Patres Basileenses, qui materiam Pragmaticæ Sanctionis submiſtraverunt, tum Autores Pragmaticæ Sanctionis, cui substituta sunt Concordata, tum Concordatorum ipsorum Autores; primò quidem ne omnium causarum prima cognitio Romam evocaretur. Secundò ne frivolè aut interturbato jurisdictionum ordine, omisso medio appellaretur. Primo malo occurritur statuto supra relato, quo prima causarum cognitio Judicibus reservatur, ad quos *de jure, aut consuetudine, vel privilegio pertinet.* Sed dum excipiuntur *causæ majores in jure expresè denominatæ*, quid aliud operari potest illa exceptio, quàm ut causæ majores etiam in prima instantia summi Pontificis judicio reserventur? Alteri abusui medetur caput sequens, ubi prohibentur appellationes, nisi ad immediatum Superiorem, & à sententiis interlocutoriis, nisi gravamen inferant irreparabile. Itaque istud caput *de causis, consuetudinem vocandi Romam, etiam à remotissimis partibus leviores causas, minimaq; negotia* tollit, sed exceptione firmat consuetudinem illuc vocandi *causas majores*, quæ *parvis, & minutis rebus ac negotiis* opponuntur à Concilio Basileensi sess. 31.

9. Id luce clariùs evadet si notetur doctrina Juris Canonici, ejusque Glossatorum & Interpretum circa ordinem Judiciorum. Nam ex cap. *ut nostrum* de appellat. summus Pontifex causam motam apud inferiorem Judicem ad se evocare poterat, quod de Principe supremo docent etiam Juris Civilis Doctores, ut videri potest apud citatos ab Augustino Barbosa in hoc cap. verb. *ad nostrum judicium revocavimus.* Eaque evocatio eundem, aut majorem, quàm appellatio, habebat effectum; *Cùm plus sit*, inquit Innocentius III. illius Decretalis Autor, *Romanum Pontificem ad se aliquod revocare* (aut ut est in margine) evocare) *negotium, quam quemquam ad eum super aliquo negotio provocare.* Poterat etiam ad summum Pontificem appellari omisso medio ut patet ex cap. *antiqua* de privileg. ubi gloss. verb. *ab omnibus*; *hoc est*, ait, *privilegium Apostolicæ Sedis ut omissis omnibus possit appellari ad ipsam.* Idem docet hic Augustinus Barbosa, plurimorumque Doctorum autoritate confirmat. Jus autem illud observabatur in Gallia, ut alibi. Non enim

alio

alio jure communi quàm Decreto, & Decretalibus utebantur Galli, ut tradit D. Petrus de Marca lib. 3. cap. 6. num. 5. verbis jam alibi relatis; Abusus igitur, qui circa hæc duo puncta irrepserant, tollere voluerunt Patres Basileenses, Autores Pragmaticæ Sanctionis, & Autores Concordatorum, solis causis majoribus primo sanctæ Sedis judicio relictis, & sublatis appellationibus, omisso medio, vel à sententia interlocutoria gravamen irreparabile non inferente.

10. Agnovisse, vel invitus videtur Gerbasius, Concordata aliquid statuisse circa causas majores, & discrimen inter illas, & ordinarias posuisse; sed vult hoc tantum statutum, nempè ut illæ referrentur ad summum Pontificem, non istæ. *Esto* (inquit num. 4.) *determinata quoque sit in Concordatis ratio finiendarum causarum majorum. Esto clausula ista, exceptis causis majoribus, &c. legem contineat, &c.* Et infra; *Clausula itaque negat cognitionem causarum majorum debere omninò finiri à Judicibus in partibus sine relatione ad summum Pontificem.* Sed aliena est prorsus à mente Conditorum illius statuti hæc interpretatio, quatenus primum judicium causarum majorum Episcopis reservare conatur. Primò enim jam dudum desierat ille relationum usus, ut ne verisimile quidem sit illum in mentem aut Pontificis, aut Galliæ Regis, aut Episcoporum venisse. Secundò non quærebatur, an sancta Sedes esset consulenda super negotiis, sed in quo Tribunali, & quo ordine judicanda essent? An nimirum passim omnia possent per evocationem, aut per appellationem ad Curiam Romanam trahi, ut patet ex integro Decreti Basileensis, Pragmaticæ Sanctionis, & Concordatorum contextu.

11. Non negabit Gerbasius Senatui Parisiensi veram Pragmaticæ Sanctionis intelligentiam, quippè cujus se illa Curia protectricem profiteatur. Atqui Senatus Parisiensis in oratione ad Regem Ludovicum XI. an. 1461. circa libertates Ecclesiæ Gallicanæ habitâ, & inter Tractatus de illis libertatibus in 1. tomo Puteani secundo loco relatâ, declarat primam cognitionem, & decisionem causarum ad Episcopos spectare, nisi sint majores.

12. Idem declararunt Officiales Regii an. 1461. „Cautum „est ut Ordinarii tanquam veri Pastores cognitione, ac ju„risdictione gauderent in suas oves, exceptis causis majori-

„bus reservatis à dicto Concilio, scilicet Basileensi apud Pu„teanum in probat. libert. Eccl. Gall. cap. 36. num 21.

13. Articulo 15. affert Gerbasius quædam exempla Concordatis recentiora, quibus ostendit Regem Christianissimum, vel Ecclesiam Gallicanam, vel Episcopos singulares intercessisse, ubi summi Pontifices Episcopos deponere moliebantur, sed cùm afferat exempla etiam contraria, quidex illo conflictu resultat, nisi modò illud, modò aliud jus usurpari, prout quisque suis rationibus commodum judicat?

CAPUT VI.

De causis judicandis Romæ.

1. SEcunda controversia est an majorum causarum cognitionem Judicibus delegatis in Regno committere teneatur summus Pontifex? Nequaquam certè, ad id adstringitur: quia non honoris tantùm causa, & in signum superioritatis summo Pontifici reservatæ sunt, quod de appellationibus in causis ordinariis dici posset; sed quia propter rerum dignitatem, supremi Judicis lumen, & autoritatem requirunt.

2. Sunt multi alii casus, in quibus summus Pontifex deberet causarum cognitionem ad se trahere, etiamsi alias nulla ei positiva lege reservarentur v. g. Primò cùm Episcopi aut nolunt, aut non possunt Ecclesiarum necessitatibus providere. *Attamen*, inquit Joannes Gerbais de caus. major. art. 10. §. 3. *Si quando Metropolitani, vel in Suffraganeorum suorum sceleribus connivere visi sunt, vel certè ob fusum latiùs malum, nimiamq; forte corruptelam emendandis illis impares extiterunt; haud immeritò sanè Apostolica Sedi tum adfuit autoritas, ad quam nempè spectat caterorum Episcoporum excitare vigilantiam, imò & eorum implere vices, si fortè deficiant, &c.*

3. Secundò quando periculum est in mora, sic idem Gerbais art. 11. in fine, loquens de Commissariis ab Urbano VIII. datis die octava mensis Octobris anno 1632. ad instantiam Ludovici XIII. Francorum Regis adversus quosdam ejus Regni

Præ-

Prælatos, ait formam illam judicii, ut scilicet summus Pontifex supremum causæ judicium immediatè committeret, necessariam fuisse, *ob genus criminis, quod cùm præsentem Imperio suo* (Ludovici) *ruinam intentaret, longiorem tametsi Canonicam judicii formam non sinebat usurpari.*

4. Tertiò quando res sunt admodum difficiles, præsertim si concurrat aliquod scandali periculum, ut fatetur ipsemet Gerbais art. 4. §. 1. quamvis aliundè contendat primam majorum causarum, quo nomine difficiliores, præcipuè in materia fidei, intelligit, cognitionem ad Episcopos pertinere. *Hæc itaque*, inquit, *regula constitui non ineptè poterit in fidei dirimendis quæstionibus. Nempè si controversiæ forsan aliquæ in Provinciis excitentur de rebus ad fidem spectantibus, vel res illæ obscuræ erunt, insolentes, neque satis aut scripturis, aut etiam traditione explicatæ,* TVM CONSVLENDA ERIT APOSTOLICA SEDES, EIVSQVE EXPECTANDA SENTENTIA, QVÆ PRIMA ESSE DEBET, *ut inquit Facundus Hermianensis.* Consentit in hoc Joannes Gerbasius cum Joanne Gersonio; nisi quod iste primum earum causarum difficilium judicium summo Pontifici reservet. Hæc sunt ejus verba tract. de examinat. doctrinarum consideratione 3. *Aliquæ sunt doctrinæ palam hæreticales apud omnes; aliæ dubiæ simplicibus, sed manifestæ sapientibus, & peritis; tertiæ veluti neutræ habentes pro se Doctores cum rationibus ad utramque partem probabilibus: Nec in una tantùm Diœcesi, vel paucis, sed apud omnes Christianos, aut longè plurimos. Est ergo veritas quod in primis, & secundis auctoritas inferiorum Prælatorum se extendit, & ad suos tantummodo: In tertiis verò nequaquam, quoniam meritò dicuntur majores causæ fidei propter difficultatem decisionis cum periculo scandali: Ideò sunt ad Sedem Ecclesiæ,* VEL AD SEDENTEM IN EA *referendæ, juxta illud: Si quid ambiguum, vel difficile, &c.*

5. Quartò si Episcopi etiam vicini suspecti essent. Cùm enim jure tam naturali, quàm positivo Judices suspecti recusari possint, si omnes inferiores gravi laborarent suspicione, recurrendum sine dubio esset ad supremum, qui negotium ad se trahere posset, si certò prævideret Episcopos v. g. sæcularis potestatis metu injustitiam nullo modo, vel difficulter reparandam commissuros. Istud pluries accidit in negotiis Episcoporum. Quamobrem Hincmarus Episcopus Remensis privilegium à sancta Sede instanter efflagitavit, impetravitque,

que, ne ab alio, quàm à ſummo Pontifice judicari poſſet. *Nullius infeſtatio ante audientiam Romani Pontificis, quia nec regula hoc permittunt Eccleſiaſticæ, judicare te, vel condemnare præſumat. Quod etſi temerarius quiſquam fortè præſumpſerit, nullius excommunicationis, vel obligationis, vel condemnationis ſententiâ ſine decreto Pontificis tenearis adſtrictus, ſed ſi à quocumque, vel undecumque fueris compellatus, ut debeas judicari,* APOSTOLICI PAPÆ IVDICIO TE RESERVARI, *noſtrâ, imò B. Petri autoritate decernimus. Nec alterius cujuſcumque juri, vel judicio te ſubjici exceptâ poteſtate Sedis Romani Pontificis, nec ad alterius Primatis Provinciæ Synodum, niſi ex communi placito poſſe convocari mandamus.* Nicolaus I. epiſt. 1. in Appendic. Miniſtrant hujuſmodi exempla oppreſſorum à propriis Coepiſcopis Antiſtitum Hiſtoriæ Gallicanæ, Prætextati Rothomagenſis à Chilperico Rege oppreſſi, de quo Gregorius Turonenſis hiſt. franc. lib. 5. cap. 19. ſancti Deſiderii Epiſcopi Viennenſis Brunechilde Regina inſtigante, exauctorati in Concilio Cabilonenſi anno 603. illorum Epiſcoporum, de quibus Sigebertus in Chronic. anno 685. *Theodoricus Rex*, inquit, *Ebroinum in gratiam recipit, ejus conſilio Synodum Epiſcoporum cogit, & in hac multos eorum ex ſententia Ebroini privat:* Arnulphi, Hugonis Capeti præcepto urgente à Sede Remenſi depoſiti, de quo lib. 5. Aimoini, ſive ejus continuatoris cap. 46. aliorum denique non paucorum, quos certè maximè juviſſet, ſi Romani Pontifices eorum cauſas ad ſe evocaſſent, ne à Coepiſcopis Principum voluntati cedentibus obruerentur.

6. Concilium Tridentinum dignitati, ac ſecuritati Epiſcoporum optimè ſe conſulere putavit, ſtatuens, ut cauſæ graves Epiſcoporum à ſolo Romano Pontifice judicarentur, non permiſſâ earum cognitione Conciliis Provincialibus, aut Epiſcopis Metropolitanis, niſi fortè ad ſumendam informationem, ſi quando id locorum diſtantia, vel alia ratio poſtularet. *Cauſæ criminales*, inquit ſeſſ. 24. de reform. cap. 5. *graviores contra Epiſcopos etiam hæreſis, quod abſit, quæ depoſitione, aut privatione dignæ ſunt, ab ipſo tantum ſummo Pontifice cognoſcantur, & terminentur. Quod ſi ejuſmodi ſit cauſa, quæ neceſſariò extra Romanam Curiam ſit committenda, nemini prorſus ea committatur, niſi Metropolitanis, aut Epiſcopis à Beatiſſimo Papa eligendis. Hæc verò commiſsio, & ſpecialis ſit, & manu ipſius Sanctiſſimi Pontificis ſignata, nec unquam plus his tribuat, quàm ut ſolam facti inſtructio-*

instructionem sumant, processumq; conficiant, quem statim ad Romanum Pontificem transmittant: reservata eidem Sanctissimo sententia definitiva. Videri etiam potest sess. 13. de reform. cap. 8. & jura utrobique ad marginem citata. Cùm ad Episcoporum pertineat dignitatem talem habere Judicem: Nescio cur illi ipsi ejus judicium effugere nitantur, quo facile possent indigere. An ut Conciliis Provincialibus sua servetur autoritas. Sed desiit in Gallia illorum usus; & licet congregarentur, ad tuendam innocentiam, si opprimeretur, vel ad plectendam injustitiam, si à potentibus defenderetur, parum valerent.

7. Aliæ possent occurrere occasiones, & legitimæ causæ perferendæ ad sanctam Sedem primæ negotiorum cognitionis. Illic posse causas retineri, quoties justa subesset ratio expressè continebat olim Pragmatica Sanctio his verbis, *aut aliam rationabilem causam*, quæ verba licet deleta sint, ut docet glossa, ad instantiam Universitatis Parisiensis, nè sub illorum prætextu quælibet negotia Romæ tractarentur, & quælibet causa justa, & rationabilis supponeretur: Tamen si revera subessent hujusmodi causæ justæ, & rationabiles, si non ex Jure Gallico, certè ex naturali, & Divino, liceret summo Pontifici potestate sibi à Christo traditâ; uti.

8. Sic habet nunc Pragmatica Sanctio tit. de causis §. si verò, ubi sermo est de causa in partes remittenda. *Nisi forte propter defectum justitiæ, aut justum metum etiam in partibus convicinis, de quibus in commissione exprimendis legitimo priùs documento, alias quam per juramentum summariè constiterit, apud ipsam Sedem foret meritò retinenda.* Glossa ad verbum *convicinis*; *sequebatur in primo originali, aut aliam rationabilem causam*; *quæ clausula sublata est instantibus Nunciis Universitatis Parisiensis*; *eo quod minima causa, quæ in Romana Curia exponeretur, apud multos rationabilis, & legitima judicaretur, & per hoc non esset provisum abusibus.* Cessante igitur fraude, *si defectus justitiæ, justus metus, aut alia rationabilis causa postulet, negotium poterit apud sanctam Sedem retineri.*

9. Si Conciliis Provincialibus relinquenda est cognitio graviorum causarum contra Episcopos, non est expectandum, ut quisquam puniatur, cùm jam pridem nulla illic Concilia celebrari videamus. Atque illud præcipuum videtur esse consilium eorum, qui tantoperè certant, ut Episcopi à Conciliis Provincialibus judicentur. Cùm enim frequentior erat Sy-

nodorum celebratio securius, & honorabilius sibi arbitrabantur Præsules solius Romani Pontificis subjacere judicio. Si quis de admisso in Regem, aut Regnum crimine accusaretur, facilis quidem foret Concilii congregatio, sed accusato admodum periculosa, esseteque maximè optandum, ut illius causa immediatè ad sanctam Sedem deferretur, Romæque judicaretur juxta Concilii Tridentini Decretum.

CAPUT VII.

Vtrum Papa in ferendo judicio teneatur ordinem judiciarium ad amussim sequi.

1. HÆc quæstio egregiè tractata est à Joanne Monacho Cardinali Natione Gallo, patria Picardo supra Constitut. Bonifacii VIII. quæ incipit; Rem non novam. Extravag. de dol. & contumac. verb. *non obstantibus aliquibus privilegiis:* Antequam dubium resolvat distinguit quinque genera legum, & jurium, scilicet, primò legem æternam, quam cum S. Augustino contra Faustum definit esse Divinam voluntatem, ordinem universitatis conservari jubentem, & perturbari vetantem. Secundò legem naturalem homini impressam, tanquam participationem quamdam legis æternæ, & principia rerum agendarum dictantem; puta bene esse agendum, nulli nocendum, benè agentes premiandos, peccantes puniendos. Tertiò legem Divinam hominem dirigentem ad finem supernaturalem, idest naturalem virtutem, & facultatem hominis excedentem. Quartò legem humanam ex naturali deductam tanquam conclusionem à principio necessariam cum illo connexionem habentem. Quintò legem humanam, naturalem determinantem in iis, quæ ab ipsa in communi tantùm præscribuntur; puta cùm lex naturalis dictet in communi peccantes esse puniendos, non determinatâ pœnâ, lex humana præscribat homicidas esse puniendos tali, vel tali genere pœnæ.

2. Ex his quinque legum generibus quatuor prima cujusvis hominis, etiam summi Pontificis, potestatem superant. Cùm

Cùm enim lex æterna sit ipsemet Deus, lex autem naturalis, quasi quædam copia, & impressio legis æternæ à Deo facta; lex Divina ab ipsomet Deo constituta; ac denique lex humana à naturali tanquam conclusio deducta, virtualiter, ac radicaliter in suo principio contenta, ejusdem rationis cum illa censeatur; constat illas omnes à solius Dei voluntate pendere, unde interdum earum quælibet ab Autoribus, legis Divinæ nomine donatur. His igitur non superiores, sed subjecti sunt cujuscumque conditionis homines, nec ab eis recedere sine peccato possunt.

3. Itaque dum quæritur an summus Pontifex teneatur ordinem judiciarium in aliquo sequi: Primò videndum est an ille ordo sit à lege aliqua, ex supradictis præscriptus. Quod si ita esse constiterit, non poterit certè illi sese non accomodare: sed de hoc nulla est controversia, præsertim in materia libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, in qua frequentiores contentiones oriuntur ex violatis aut prætermissis solemnitatibus, & formulis in Gallia servari solitis, & à consuetudine, ab ordinationibus Regiis, aut Senatus consultis, institutis.

4. Quo circa dicendum videtur non debere quidem summum Pontificem solitum illum ordinem prætermittere, vitandæ perturbationis causa, & quia plerumque ad justitiam conducere in qualibet regione censenda sunt, quæ populi consensu, ac diuturno usu comprobata sunt; non tamen ideò invalida esse summi Pontificis Decreta, dummodo in iis nihil desideretur illorum, quæ lex Divina, vel naturalis præcipit, præsertim si prætermittere ordinem, necessitas, aut magna utilitas suadeat; puta si ejus conditionis sit negotium, ut nisi celerrimum afferatur remedium, plurima consecutura sint mala, qualia essent dogmata pernicioſa, Sacramentorum prophanationes, &c. Imò in rebus minoris momenti, si per provisionem, ut vulgò dicitur sine partium præjudicio, aliquid statuatur, alicujus periculi vitandi gratia, causæ merito maturiori examini, & discussioni à Judicibus, ad quos pertinet, faciendæ reservato. Vel enim forma illa est à Rege aut populi usu constituta; & sic summum Pontificem utpotè Superiorem ligare nequit. Vel ab Ecclesia ipsa inducta

est,

est, & ita supremi Pastoris est, super ea dispensare, postulante necessitate, vel Ecclesiæ utilitate.

5. An minorem summo Pontifici libertatem circa formulas in judiciis Ecclesiasticis concedemus, quàm Jurisconsulti Curiis Regiis in negotiis sæcularibus? *Curia Parlamenti*, inquit Petrus Rebuffus in proem. ad Concord. n. 15. *ex bono, & æquo judicare solet, & secundùm conscientiam, & debet veritatem attendere non subtilitatem, seu formalitatem.* Omitto, quòd vulgò circumfertur, Principem, & præcipuè Papam, esse supra legem, solutum à lege, ac lege superiorem. Verumtamen cùm id de vi tantùm coactiva intelligi debeat, Principes, præsertim Ecclesiastici, vim legis directivam, amore justitiæ, accuratiùs sequi debent, quàm subditi vi coactivæ, timore pœnæ, sese accommodare?

6. Illustrissimi Præsules Gallicani, ut summi Pontificis, quamplurimarum Ecclesiarum Galliæ libertatem adversùs Regaliam defendentis zelum sisterent, violatum ab eo in aliquibus negotiis judiciarium ordinem obtenderunt; ac cùm deberent Christi Vicarium malis, & scandalis in illis ipsis negotiis perpetratis medentem juvare, illa silentio involventes de inverso processûs ordine gravissimas excitarunt querelas. Verùm quæcumque necessaria erant ab eo observata fuisse, & ea tantùm prætermissa, quæ vel impossibilia erant, vel ob conditionem negotiorum, promptum remedium postulantium, adhiberi non poterant, ac denique rerum justitiam adeò esse evidentem, ut nullo prætermissarum formularum prætextu eludi posset, egregiè demonstratum est variis scriptis Gallico idiomate editis, præsertim libello, cujus titulus est; Considerationes circa Ecclesiastica negotia in proximis Comitiis generalibus Cleri Gallicani proponenda. His igitur omissis ad quæstionem redeamus.

7. Communia quidem à nemine negantur. Sed ea casibus particularibus applicare, in quibus tamen operæ pretium est, non tam facilè quilibet possit.

8. Duabus partibus omninò necessariis, & quasi essentialibus constat judicium, scilicet cognitione causæ, & prolatione sententiæ, ad quas reliqui omnes actus referuntur. Necesse quippe est, ut Judex causæ merita intelligat, ac iis intel-

tellectis jus dicat. Verùm ut causæ cognitionem adipiscatur, opus est, ut utraque pars jus suum exponat, ac partis adversæ allegationibus respondeat, quod litis contestatio à pragmaticis nuncupatur. Ex ea contestatione maximè pendet causæ instructio, eo quod nihil magis ad detegendam veritatem juvet, quam si omnes utrinque rationes proponantur, ut contingit, cùm hinc Actor, illinc Reus; alter pro affirmativa, alter pro negativa, studiosissimè, ut fieri solet ab iis, quorum interest, conquisita argumenta proferunt. Undè illa litis contestatio ceu præcipuum processûs fundamentum habetur à Jurisconsultis. Ut autem ambæ partes in id concurrant, oportet, ut vel communi consensu, vel quod plerumque necesse est per Rei citationem conveniant apud Judicem. Quod si, ut ferè semper accidit, altera pars affirmet, neget altera; cùm neutri quantumvis eximiæ dignitatis credendum sit; probationibus opus est, quæ de veritate fidem faciant, ac Judices instruant. Detectâ veritate pronuncianda est sententia, ac executioni demandanda, nisi fortè injusta sit, & à superiori Judice corrigenda.

9. Quamvis ergo ad hoc, ut judicium validum sit jure naturali, ac Divino, satis sit, ut Judex causam norit viâ publicâ (cùm enim ut persona publica, & ob bonum publicum procedat, non sufficit ei privata cognitio, quantumvis certa); & ut æquitatem, & justitiam servet in jure dicendo: tamen quia perfecta illa cognitio, partibus non auditis, vel saltem vocatis, & aliunde accersitis probationibus, haberi non potest; nec consequenter, nisi temerè judicari: necesse omninò est; primò ut partes citentur, nisi fortè ultrò convenerint, & utraque jura sua tueatur, aut tueri possit. Secundò ut, si pars altera adesse nolit, quod ab altera asseritur probetur. Tertiò ut judicium secundùm allegata, & probata, juri præsertim Divino, & naturali consentaneum proferatur.

CAPUT VIII.

De necessitate Citationis, & probationum.

1. CItationem de jure naturali ac Divino esse consentiunt omnes ferè Doctores; ita scilicet, ut nemo condemnetur, nisi se defendendi facultatem habuerit. In eam sententiam adducuntur variis Sacræ Scripturæ locis, præsertim Genes. 4. vers. 9. *Ait Dominus ad Cain, &c.* ubi Glossa interlinearis sic ait; *Non quasi ignarus ut discat, sed ut reum puniat*; quia scilicet nemo puniendus est, nisi aut convictus, aut sponte confessus. Non patitur bonum publicum ut impunita remaneant scelera; sed multò minus ut plectantur insontes, qualis autem quisque sit, nemo meliùs novit quàm ipse; nec aliis meliùs innotescere potest, quam ipsius verbis; quæ si sincera sint, veritatem manifestant; si mendacia, non ità componi, aut promi possunt, ut vel ex contextu, vel ex modo, vel ex collatione cum aliis indiciis, & probationibus, aliquam non præbeant Judici criminis detegendi ansam; ut neque famâ, neque testibus solis, neque aliâ quavis ratione tutè omninò, ac expeditè, reo non audito, ad criminis, vel innocentiæ cognitionem perveniri possit. Etenim licet factum ipsum possit omninò notorium, & evidens esse: tamen ejus bonitas, & malitia plurimum ab adjunctis, seu circumstantiis pendet, quarum saltem aliquas nemo alius præter ipsum facti Autorem certò novisse potest, v. g. quâ intentione ductus fuerit, quod maximè in ferendo de qualibet actione judicio attendendum est; quia, ut Divina docent oracula, si oculus intentionis fuerit simplex, totum corpus actionis, quæ benè ac malè fieri potest, erit lucidum: sin autem nequam fuerit intentionis oculus, tenebrosum erit totum actionis corpus. Jurisperiti etiam in criminibus an dolus interceserit, diligenter inquirendum monent.

2. Eâ de causâ inhumana semper habita sunt illa judicia, quæ contra absentes non auditos, nec vocatos prolata fuerant. Ipsimet Pagani ab eis abhorruerunt. *Non est consue-*

tudo

tudo Romanis damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat Accusatores, locumq; defendendi accipiat ad abluenda crimina: Verba sunt Festi ad Judæos S. Pauli damnationem urgentes Agrippæ relata Act. 25. vers. 16. Seneca eam esse putabat ante sententiam audiendæ utriusque partis necessitatem, ut sapienter pronunciaverit; qui *parte inauditâ alterâ aliquid statuerit, licet æquum sit quod statuit, haud æquus fuit.* In Med. vers. 199. & 200.

3. Eam injustitiam sibi à suis Adversariis factam gravissimè conqueritur S. Joannes Chrysostomus in epistola ad S. Innocentium Romanum Pontificem, *Quæ ab ipsis facta, contra omnem sunt ordinem, contra omnes Leges, contra omnes Ecclesiasticos Canones. Et quid dico, Canones Ecclesiasticos? Neque in Gentilium judiciis, neque in Barbarorum Tribunalibus talia attentata sunt unquam, imò verò neque Scythæ, neque Sauromatæ unquam judicarunt, judicium dandum uni parti, absente ea, quæ accusatur, &c.*

4. Sanctus Augustinus epist. 162. ita in Donatistas invehitur: *Ubi est quod Scriptura clamat: Antequam interroges, ne vituperes quemquam, & cum interrogaveris corripe justè; Si ergo nec vituperari, nec corripi, nisi interrogatum Spiritus sanctus voluit, quantò sceleratiùs non vituperati, aut correpti, sed omninò damnati sunt, qui de suis criminibus nihil absentes interrogari potuerunt.*

5. Nec puto à quoquam dubitari, quin audiendus, vel saltem citandus sit reus, antequam in eum, vel etiam pro eo feratur sententia: De citandi tantum ratione interdum ambigitur. Bonifacius VIII. in Constitutione *Rem non novam.* de dol. & contum. in Extravag. commun. quam occasione diffidii cum Philippo IV. Francorum Rege dicitur edidisse, statuerat, ut citationes autoritate Apostolicâ de quibuscumque personis, undecumque, & ubicumque essent, præsertim si impedirent ne citationes ipsæ ad se pervenirent, sive loca tutè, ac liberè adiri non possent, factæ in audientia litterarum Apostolicarum, aut in aula Palatii, postmodum affigendæ in valvis majoris Ecclesiæ loci, in quo Romana Curia resideret, sic valerent, ac arctarent citatos, sicut si eos personaliter apprehendissent, seu ipsismet significatæ fuissent. Quia verò vox illa, *præsertim*, indicare videbatur, id etiam in aliis casibus, ultra expressos in Constitutione, locum habere debere, cæteros omnes Clemens V. in Concilio Vien-

nensi excluſit, his verbis ; *Præfatum modum citandi reſtringimus ad illos tantùm, & in illis locum volumus ſibi vendicare, qui faciunt, impediunt, vel procurant, per ſe, vel per alios, quoquo modo, ne ad eos poſſit citatio pervenire, vel quorum domicilia, ſive loca non poſſunt tutè, liberève adiri.* Clement. *Dudum* de judic.

6. Ergo de jure Divino, ac naturali eſt, ut nemo condemnetur, niſi ſeſe defendendi facultatem obtinuerit. Quamobrem oportet ut citetur, meliori quo poteſt modo ; Ita tamen, ut, quantum eſt ex jure Divino vel naturali, ſatis ſit, quod citatio ad ejus cognitionem perveniat, aut ut, ne pervenire poſſit, ipſe vel efficiat, vel procuret. Cæterùm quantum ad ſpeciales citationis conditiones pro variis perſonarum, & negotiorum circumſtantiis, Canonibus, & legibus ſtandum eſt, quandiù aliqua urgentiſſima cauſa diverſum ordinem ſequi non ſuadet. Si autem hujuſmodi cauſa ſubſit, juſtitia præſcriptis formulis, quæ propter commodiùs ſervandam juſtitiam excogitatæ ſunt, anteponenda eſt, præſertim à ſupremo judice.

7. Porrò ſi reus ſincerè crimen ſuum, aut aliud quid ſibi contrarium fateatur ; ulteriori probatione non eſt opus; præſertim ſi de ſcelere non agatur, cui pœna mortis debeatur (quo caſu non eſſet audiendus, perire volens:) quia non eſt veriſimile, homines, ad privatum ſui amorem propenſiſſimos, velle ſuis rebus nocere, etiam cum veritatis diſpendio, quam econtra plerique propriarum rationum conſervationi poſtponunt. Sed cùm deeſt rei confeſſio, neceſſe eſt, imò, cùm adeſt confeſſio, eſt utile alias conquirere probationes, ut nonniſi plenè comperto facto jus dicatur.

8. Cujuſmodi autem debent eſſe probationes, ut plenam fidem facere cenſeantur, vel ut Judex ad ferendam certam ſententiam procedere queat : pro cauſis quidem ordinariis duo teſtes omni exceptione majores ex jure Divino, in variis Scripturæ locis promulgato, & ex multis legibus humanis, requiruntur, & ſufficiunt. Frequenter tamen plures neceſſarii ſunt, ſeu probationes majores : aliquando ſufficiunt pauciores probationes, pro rerum, & perſonarum conditione, prout crimina, de quibus eſt quæſtio, clam, aut palam ſolent perpetrari ; prout pœna gravior, aut levior infligenda eſt,

est, ac pro cæteris circumstantiis. Quocirca id sequendum est quod præscribunt leges, & consuetudines, aut Judicis arbitrio standum, ubi res à legibus ei permissa est, aut ubi judex supremus est, cujus sententia legis vim habet, quoties juri Divino aut naturali apertè non repugnat.

9. Dubitatur autem, utrum, si pœna pro vero, sed non comperto crimine imponeretur, valeret sententia. Eam certè rescindendam esse probat idem Joannes Monachus loco jam citato, plurimis, gravissimisque rationibus: unde necessariò consequitur abstinendum esse à ferendis hujusmodi judiciis. Reus non tam sui, quàm aliorum causâ punitur à Judice, ut scilicet similis pœnæ timore à malo retrahantur. Si autem crimen confessione, aut alia juris ratione ad publicam lucem deductum non fuerit, non magis malis, quam bonis terror incutitur, nec potiùs culpæ Reorum, quam injustitiæ Judicum pœna adscribitur. *Evidentia patrati sceleris non indiget clamore Accusatoris*, ut habet Glossa in cap. 4. Genes. vers. 10. Indiget tamen examine, ut patet in cap. 18. Genes. ubi Deus cum de peccato Sodomorum & Gomorrhæ dixisset, *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis*; subjungit nihilominus; *Descendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.* Ubi Glossa; *Ut à præcipitatione judicii compesceret, mala Sodomæ priùs voluit probare, quàm judicare.*

10. Cæterùm Superiorum sententia, etiam injusta, præsertim si injustitia circa modum dumtaxat versetur, contemni non debet, ne contemptus dignum reddat pœnâ, quæ fortè injustè fuerat inflicta. Quo circa sapienter monet S. Gregorius homil. 26. in Evang. *Pastor ergo vel absolvere indiscretè timeat, vel ligare. Is autem, qui sub manu Pastoris est, ligari timeat, vel injustè, nec Pastoris sui judicium temerè reprehendat: ne, etsi injustè ligatus est, ex ipsa mentis reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat.*

CAPUT IX.

Discrimina inter potestatem summi Pontificis erga fideles totius Ecclesiæ, & potestatem Archiepiscopi erga subditos suorum suffraganeorum.

1. CLariùs eluceſcet ſummi Pontificis autoritas erga fideles omnes, ſi cum eâ conferatur, quam Archiepiſcopi in ſuffraganeorum ſuorum ſubditos obtinent, idemque de Patriarchis, ac Primatibus erga fideles ſibi non niſi mediatè ſuppoſitos intelligendum eſt.

2. Primum, ac præcipuum diſcrimen, & à quo cætera ferè omnia ſuboriuntur, in eo poſitum eſt; quod poteſtas ſummi Pontificis ex omnium Catholicorum conſenſu à Deo immediatè profecta eſt. Archiepiſcopo verò ab Eccleſia collata eſt juriſdictio. Id luculenter tradit S. Thomas Opuſc. contra impugn. Relig. cujus verba alibi retulimus, & mox repetemus.

3. Secundum diſcrimen ex primo reſultat. Si enim ſummus Pontifex à Deo ſuam accepit autoritatem, ab Eccleſia vel tolli, vel minui nequaquam poteſt, quod ſummi Pontifices proteſtati, & Doctores confeſſi ſæpiſſimè ſunt. At verò Eccleſia poteſtatem, quam Archiepiſcopo contulit, modò auxit, modò minuit. Quo circa S. Thomas loco jam citato juriſdictionem non ſolùm ſummi Pontificis in omnes fideles, ſed etiam Epiſcopi in Sacerdotes ſuæ Diœceſis, juriſdictioni Archiepiſcopi in ſubditos ſuorum ſuffraganeorum anteponit; *Epiſcopus ſubditur Archiepiſcopo ſolùm ex ordinatione Eccleſiæ, & ideo in quibus Eccleſia ſtatuit Epiſcopum Archiepiſcopo ſubjectum, in illis tantum ſubjectus eſt ei. Sacerdos autem, qui ex jure Divino Epiſcopo ſubditur, in omnibus eſt ei ſubjectus, ſicut etiam Papa habet immediatam juriſdictionem in omnes Chriſtianos, quia Eccleſia Romana nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſiis prælata eſt, ſed Evangelica voce Domini, & ſalvatoris noſtri Primatum obtinuit.*

4. Tertium diſcrimen ex ſecundo naſcitur. Quia enim Eccleſia Epiſcopis Archiepiſcopos præfecit, non autem eorum ſubditis, niſi in caſu appellationis, & pauciſſimis aliis; ſummo

mo verò Pontifici Christus omnes suas oves commisit, quo nomine censentur non solùm Prælati, sed etiam eorum subditi: Archiepiscopus jurisdictionem tantùm mediatam habet in suorum suffraganeorum Diœcesanos; summus autem Pontifex immediatam in omnes Christianos. Quod discrimen in variis Juris Canonici locis notatur, ut Can. quamvis dist. 21. cap. Romana de appellat. in 6. &c.

5. Quartò ex illa immediata summi Pontificis in omnes fideles jurisdictione oritur; quod confessiones eorum per se, vel per suos Pœnitentiarios excipere possit, ut supra probavimus, quod Archiepiscopo pro cursu tantùm visitationis concessum est: *Archiepiscopus* (inquit S. Thomas quodlib. 12. art. 30.) *quia non habet immediatam jurisdictionem in omnes sui Archiepiscopatus, nisi ex appellatione, non posset alicui dare licentiam vel autoritatem audiendi confessiones contra voluntatem Episcopi, & Diœcesani suffraganei.*

6. Quintò in causis ad forum contentiosum spectantibus Archiepiscopus ex officio procedere non potest, nec etiam ad querelam unius partis, ut declarat cap. *Venerabilibus* de sentent. excommun. quod potest summus Pontifex, ubi necessitas postulat.

7. Sextò differt potestas summi Pontificis ab Archiepiscopali, quod summi Pontificis autoritas Successoribus S. Petri inhæreat, nec ad alios tranferri queat. At verò dignitas Metropolitica modò uni Sedi, modò alteri, modò etiam, nullâ Sedis habitâ ratione, antiquiori Episcopo delata est, vel à Conciliis, vel ab usu, vel à summis Pontificibus quod tùm reliquarum Ecclesiarum, tùm Africanæ, historiæ testantur. Sed & in ipsa Gallia non defuerunt exempla tum collatæ, tum ablatæ Metropoliticæ dignitatis. Notissimum est S. Leonis factum, qui Hilarii Archiepiscopi Arelatensis erga sanctam Sedem contemptum mulctavit, demptâ illi Ecclesiæ Metropolitanâ jurisdictione, ac Ecclesiæ Viennensi concessâ; Quamquam restitutæ sunt postmodum Arelatensi quædam suffraganeæ.

8. Septimò limitata est Metropolitanorum jurisdictio non solum ad certa loca, certosque articulos, sed etiam ad certum procedendi modum. At summus Pontifex solius justi-

tiæ

tiæ ac rectæ rationis limitibus ſtringitur. Licet enim, ut ſæpè notavimus, non æquale ſemper fuerit Pontificiæ poteſtatis exercitium, ampliſſima tamen ſemper illa poteſtas extitit.

CAPUT X.

De autoritate ſummi Pontificis in bona Eccleſiaſtica.

1. BOna Eccleſiaſtica, ſive in ordine ad Deum ſpectentur, qui ſibi frugum terræ partem reſervavit in ſignum ſupremi, quod in omnia obtinet, dominii, ſive in ordine ad fideles, qui eorum, quæ à Divina bonitate acceperant, partem reddiderunt, ſive in ſe ipſis, ad abſolutum ſummi Pontificis dominium non pertinent, multò minùs aliorum Prælatorum, aut Beneficiariorum. Qui contrariam doctrinam tradunt, præterquam quod Sacrorum Canonum ſtatutis, & ſanctorum Patrum ſententiæ adverſantur, maximam Eccleſiæ perniciem afferunt, Beneficiariis occaſionem præbentes, reditus Eccleſiaſticos ad extollendas proprias familias, ditandos parentes, vel Aulicos, magnifica Palatia conſtruenda, convertendi, eoſque ſive teſtamento, ſive donatione, aut aliâ diſpoſitione diſtrahendi; quæ res & dantium conſcientiam graviſſimè ſauciat; & accipientium ſæpè fortunæ, Deo ità juſtè permittente, ſæpius ſaluti animæ plurimum obeſt.

2. Si bona illa quemadmodum docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de reform. cap. 1. poſt Canonem Apoſtolicum 39. *Dei bona ſunt*; non debent, ut tradit idem Concilium, Epiſcopi, atque adeò nec primus Epiſcoporum, qui cæteris debet eſſe norma, ea ut propria tractare; ſed ut ſibi commendata, in ejus, ad quem pertinent, cultum expendere; quodque ipſi ex his ſibi vendicant, in ſuam, tanquam in Dei hominum ſuſtentationem expendenda percipere. Sunt enim ipſi homines Dei, ut docet Apoſtolus 1. ad Timoth. 6. 11.

3. Fideles bona Eccleſiæ offerentes, etſi Miniſtris Chriſti, ut ejus obſequio commodiùs vacare poſſent, neceſſaria vitæ ſub-

subsidia suppetere voluerint, nunquam tamen illis, aut illorum parentibus, vel consanguineis ditandis, aut aliis expensis inutilibus, sua bona destinarunt. Quocirca pleraque donationum instrumenta perhibent dari, & offerri bona illa sancto Petro, sancto Paulo, vel aliis Sanctis; non autem ipsorum Ministris, quibus ea ut Oeconomis tantùm, & Dispensatoribus commendantur, concessis tantùm ad sustentationem necessariis.

4. Quando primi Christiani pretia divenditorum prædiorum ad pedes Apostolorum perferebant; an vel ipsis fidelibus, vel Apostolis, vel alii cuipiam posteà venit in mentem, Apostolos esse pecuniarum illarum Dominos, & posse in alios usus insumi, quàm in alimoniam pauperum, vel in alia opera pia? An putavit quisquam potuisse S. Petrum, aut alios Apostolos his opibus augere familiam? An B. Petrus id grande piaculum non duxisset? An non autem iisdem legibus tenentur Apostolorum successores, quibus ipsimet Apostoli? An majori pollent autoritate in Ecclesiam, vel in ejus bona, illi, qui hodie præsunt, quàm qui à proprio Christi ore regimen acceperunt.

5. Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 1. ad 7. expressè docet penes summum Pontificem directionem esse bonorum Ecclesiasticorum, non autem dominium. *Quamvis enim*, inquit, *res Ecclesiæ sint ejus* (summi Pontificis) *ut principalis dispensatoris; non tamen sunt ejus, ut Domini, & possessoris.* Quem locum sic commentatus est Cardinalis Cajetanus; *Nota quod cùm potestas Papæ quoad res temporales Ecclesiæ non sit potestas Domini, sed* DISPENSATORIS, *consequens est, ut plenitudo potestatis Papalis circa bona Ecclesiæ temporalia non excedat limites potestatis* DISPENSATIVÆ, *&c.* Et inferiùs; *Ex eodem quoque fundamento, scilicet quod Papa non est Dominus, sed* DISPENSATOR, *sequitur, quod de plenitudine potestatis non possit ad libitum dare bona Ecclesiæ, cui voluerit, aut consanguineis, &c. Sed teneatur* FIDELITER DISPENSARE, *ut recta ratio suadet, juxta illud; Hic jam quæritur inter Dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Et rursùs: Fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam, ut det illis in tempore tritici mensuram, & non ad libitum, quantùm volet.*

6. Longissimè inter se distant bona sacra, & prophana, licet utrorumquo solam dispensationem hominibus concredi-

tam doceant ſancti Patres. Iſta in omnes uſus non prohibitos expendi poſſunt, quantum eſt ex ipſorum conditione; Quod addo, quia ex hominis affectu in eo ſæpiſſimè peccatur: ſacra verò niſi in operibus verè piis, & ſanctis inſumere nefas eſt. Hoc nomen ipſum manifeſtè ſignificat; ſanctum enim, aut ſacrum idem eſt, quod ab omni uſu prophano ſemotum, & cultui Divino mancipatum, ſive immediatè, ut vaſa ſacra, quibus ad peragendam rem Divinam utimur, ſive mediatè, ut decimæ, & alia, quibus Templa ſartatecta, & ornata conſervantur, Altaris Miniſtri aluntur, aliaque operapia perficiuntur.

7. Licet autem Papa non ſit abſolutus bonorum omnium Eccleſiaſticorum Dominus; tamen quæ rationes à jure naturali, & poſitivo, Divino, & humano ductæ probant eum, qui Altari ſervit, de Altari vivere debere, eædem etiam demonſtrant Romanum Pontificem, cùm omnium Eccleſiarum ſit Primas, cùm teneatur, ut illarum Paſtores officio fungantur, invigilare, delinquentes corrigere, atque, ſi peccatum exigat, plectere, illorum jura tueri, aliaque probi Patris, & Paſtoris officia exhibere, poſſe de reditibus Eccleſiarum omnium ea capere, quibus ad congruam ſuam, Officialiumque ſibi collaborantium ſuſtentationem indiget.

8. Itaque, quamvis certa ſint Eccleſiæ Romanæ, ſicut & reliquis aliis, bona deſtinata; ſi tamen illa non ſufficiant, licebit, quæ deerunt, ex aliis Eccleſiis conquirere. Ut enim multiplicem perſonam ſuſtinet Pontifex, ita multiplices ſumptus facit; & unius quidem fortaſſe Diœceſeos neceſſitatibus providenti ſufficerent fructus inde percepti; at non totum Chriſti gregem paſcenti, atque regenti. Si ergò Reges conſumptis domanii, ut vocant, reditibus, qui propriis & Regni expenſis erant deſtinati, ſine injuria poſſunt exigere ſubſidia, ad bella pro Regni tuitione, aut ſecuritate ſuſcipienda, vel ſuſtinenda, aliaque gerenda negotia, publico bono utilia: Quidni poterit Summus Pontifex, iis, quæ à ſpeciali Diœceſi percipit, ad ipſiuſmet Diœceſeos bonum expenſis, ab omnibus aliis Eccleſiis, quibus proſpicere tenetur, neceſſaria ſubſidia ſibi aſſumere. *Quarta poteſtas*, inquit Cancellarius Pariſienſis lib. de vita ſpirit. anim. lect. 3. *Naturaliter Papæ com-*

pe-

veniens habet, & requirit, ut tanquam SVPERIOR, & TVTOR, *atque Conservator honoretur, & juvetur ab omnibus.*

9. Concilium Basileense, quod in id maximè incubuisse videtur, ut Summi Pontificis jura quàm angustos posset in fines arctaret, cùm Annatarum usum abolendum decerneret, hoc tamen temperamento Decretum lenivit; *Pro oneribus autem, quæ ipsum* (Romanum Pontificem) *pro regimine universalis Ecclesiæ subire oportet, proque sustentatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & aliorum necessariorum Officialium hoc sacrum Concilium, ante sui dissolutionem omninò debitè, & congruenter providebit. Quod si contingat aliquam circa hoc provisionem non facere, per hoc eadem sancta Synodus, non intendit in aliquo modo præjudicare sanctæ Romanæ, & universali Ecclesiæ. Datum Basileæ in Majori Ecclesia in sessione publica celebrata anno Domini* 1433. 30. *Julii.*

10. Itaque Clerus Gallicanus, qui tam alacriter, tamque liberaliter Regi suo, tum singulis annis certa rataque, tum quinto quoque anno nova & extraordinaria subsidia confert, quibus Regnum ab hæresi liberet, aut tueatur, iniquus esset, si Summo Pontifici, qui totius Ecclesiæ curam ex divino mandato gerit, ea sine injuriâ denegari posse arbitraretur, quibus ad rectum, & felix totius Christianitatis regimen indiget. Quæ injustitia clariùs appareret, si Summo Pontifici non tam pro sua, suorumque sustentatione, quàm pro totius Ecclesiæ adversus Infideles defensione auxilium postulanti non obtemperaretur; qua de re agemus capite sequenti.

11. Nec justa esset excusatio, si objicerentur nonnulli abusus, qui fortè olim in exigendis hujusmodi subsidiis irrepserunt, ut optimè notavit Joannes Gersonius, *sex considerationes super statu Summi Pontificis, & Dominorum sanctæ Ecclesiæ Cardinalium* ponens. Statutis enim in duabus primis considerationibus dignitate atque autoritate illius status; nec non jure capiendæ sustentationis, considerationem tertiam hanc addit; *status prædictus non ideo perdit jura sibi convenientia, quæ posuit propositio duplex præcedens, si fortè fuerint abusus aliqui personales, olim vel nunc inventi. Alioquin sic argueretur adversus omnem statum, nedum Ecclesiasticum, sed temporalem; quòd dissipandus est, deserendus, & perdendus; quoniam in multis offendimus omnes.* Gers. tom. 1. col. 188.

CAPUT XI.

De potestate Summi Pontificis in exigendis pro Ecclesiæ contra Infideles defensione subsidiis.

1. DOcet nos B Paulus, & post illum unanimi consensu sancti Patres, ac Doctores Catholici, Ecclesiam corpus esse; *Ipsum* (Christum) *dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius*, inquit Apostolus Ephes. 1. *unum corpus & unus spiritus.* Ephes. 4. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Col. 1. v. 24. Illius corporis membra sunt omnes fideles; *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus.* 1. Corint. 12. v. 12. *Vos autem estis corpus Christi & membra de membro.* ibid. v. 27.

2. Quæ autem sint membrorum inter se affectiones, & officia explicat Apostolus 1. Corint. 12. v. 25. & 26. his verbis; *Idipsum pro invicem solicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Quemadmodum igitur in corpore naturali sola membra resciſſa, vel arida cæterorum dolore non afficiuntur; ita in mystico Ecclesiæ corpore, qui singularum Ecclesiarum infortuniis, ac persecutionibus non moventur, se viva mystici corporis Christi membra non esse declarant.

3. Cæterùm mutua illa membrorum solicitudo non in sola sistit passionum communione, sed ulterius in præstanda opera & auxilio, ut imminens, aut jam vexans malum propulsetur. Læsâ manu accurrunt oculi, ut vulnus intueantur, pedes ad remedium properant, lingua illud postulat, altera manus admovet, singula denique membra propria officia obeunt, ad unius partis offensæ solatium. Non ergo Christianæ charitatis præcepto faciunt satis, qui afflictis condolent, nec opem ferunt. Cùm Christiani Jerosolymitani magnâ laborarent egestate, tanto cum affectu illis cæteri succurrerunt, ut effusam illorum liberalitatem moderari ferè opus fuerit; *Quia secundùm virtutem, & supra virtutem voluntarii fuerunt.*

2. Co-

2. Corint. 8. v. 3. Itaque modum hunc præscripsit Apostolus, *non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio; sed ex æqualitate. In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat: ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut sit æqualitas.* ibid. v. 13. & 14.

4. Cùm Saladinus Babyloniæ Rex Saracenus terram Sanctam infestaret, ac Hierosolymam cœpisset, Philippus II Rex Franciæ, Henricus II. Rex Angliæ, cùm antea inimici essent, Guillelmo Archiepiscopo Tyri prædicante, & Domino per gratiam, & per signum miraculosum cooperante, facti sunt amici, susceptâque de manu illius Archiepiscopi Cruce, statuerunt ut omnes (exceptis illis, qui ipsam peregrinationem susciperent) ad impensas expeditionis decimam redituum & mobilium suorum persolverent. Hoc autem, ut notant Rigordus in vita Philippi, & Rogerius de Hoveden in vita Henrici, factum est consentientibus Episcopis, & Baronibus.

5. Porro si fideles, etiam laici bonorum propriorum partem in pium illud opus erogarunt, quantò æquius est, ut Ecclesiæ bona, quæ ideò sacra dicuntur, quod divinis usibus sint destinata, in rem ad Dei gloriam, & animarum salutem tantopere conducentem impendantur? Si laici fratrum suorum calamitates tenentur sublevare, quantò magis Pastores, & in Christo parentes? Si etiam adhibitâ excommunicationis sententiâ, ut testatur Rogerius, & innuit Rigordus, renitentes laicos ad solvendam Decimam de rebus & mobilibus profanis indictam adegerunt: Nonne turpe esset, si ipsi de bonis sacris, quorum sunt tantùm dispensatores, opem in fidei, libertatis, ac vitæ periculo constitutis ultrò non offerrent?

6. Præivit illis nuper ipsorum caput: quis enim obsessâ à Turcis Viennâ toti ferè Ecclesiæ non metuebat exitium? Quis Othomanicæ potentiæ in Germaniam, Italiam, ac remotiores deinde Provincias irrumpenti obstitisset, Christianis Principibus inter se concertantibus, nisi providentia Summi Pontificis in se ipsum avari, & in Ecclesiam liberalissimi, suis consiliis, vigiliis, ac curis assiduis, effusam thesauri sui largitionem adjunxisset, quo Principes, ad communem Christiani nominis hostem repellendum armatos, juvaret; ac, cùm propriis ipsum manibus pugnare non deceret, effusis pecuniis vinceret? Magnum quid præstare sibi videbatur Innocen-

tius III. in Concilio Lateranensi triginta millia librarum ad expeditionem in terram sanctam offerens. Sed quàm exiguum donum, si conferatur cum magna illa vi auri & argenti, quam Innocentius XI. in Germaniam & Poloniam misit? An exemplum adeò insigne reliquorum Episcoporum, & inferioris ordinis Clericorum animos ad depromendos Christianorum Principum conatus non accendet? Cæteri Pontifices præceptis, atque censuris egerunt: Innocentius XI. exemplo invitavit. Sed si qui præeuntem non sequerentur, an de jubente, vel etiam cogente justè conquererentur?

7. Spontanea, inquies, debet esse obligatio. Is sanè quidem modus pietati Christianæ congruentior est. Verùm posse urgente necessitate reluctantes, saltem clericos cogi, docent plurimorum Decreta Conciliorum: solo præcepto usum est Lateranense quartum. At Lugdunense primum censuram adjecit; *Sciantq; se omnes ad hoc fideliter observandum per excommunicationis sententiam obligatos, ita quod illi, qui super hoc fraudem scienter commiserint, sententiam excommunicationis incurrant.*

8. Sed ne quis hanc potestatem solis Conciliis competere obtendat, suadet ratio, ac praxis confirmat, eam etiam penes Summum Pontificem existere. Est ille paterfamilias, ad quem spectat cura totius domus, Pastor universi gregis, & caput visibile universæ Ecclesiæ, ad cujus proinde officium & autoritatem spectat solicitudo de universis domesticis Dei, de singulis Christi ovibus, de cunctis mystici ejus corporis membris.

9. Sanè ita hodie refrixit charitas, totque congregandis Conciliis obstant impedimenta, ut peritura esset maxima Christianitatis pars, si eâ tantùm ratione auxilium esset expectandum. De sapientissimo igitur Ecclesiæ institutore certò credendum est, ipsum Vicario suo, cùm ei sponsam suam commisit, facultatem quoque largitum esse cuncta peragendi, quæ ad securam ejus custodiam, ac defensionem, essent necessaria.

10. Plurima sunt Pontificum hac facultate utentium exempla; Clemens IV. è Gallia oriundus, pietate atque integritate maximè conspicuus, an. 1267. Decimam omnium reditnum Ecclesiasticorum S. Ludovico Francorum Regi ad expeditionem

nem in terram Sanctam sese accingenti ad triennium concessit; cumque Capitula Ecclesiarum Cathedralium onus detrectarent, ea graviter increpuit, & excommunicationis, Beneficiorumque privationis interminatione in ordinem redegit. Vide Raynaldum ad an. 1267. num. 53. & seqq. Urbanus IV. etiam natione Gallus antea, ut videre est apud eundem ad an. 1256. num. 13. non Capitula solùm (ne quis suspicetur secundi tantùm ordinis Clericos cogi solitos) Archipræsules Remensem, Senonensem, & Bituricensem renitentes compulerat. Alia passim in eodem Raynaldi volumine legi possunt exempla, ex ipsorummet Pontificum litteris ab eo citatis educta.

11. Sed ea est hujusmodi subsidiorum, dum necessaria sunt, justitia, ut qui se morosos in eis præstandis exhibuerunt, non tam autoritatis ad ea exigenda defectum in Summo Pontifice, quàm abusus quosdam, aut nimiam in exigendo severitatem causati sint. Verùm, præterquam quod longè abessent hodie omnium illarum excusationum colores, cùm Innocentius XI. suos thesauros exhaurire malit, quàm extra Italiam Decimas imponere, & reliquos Episcopos exemplo allicere, quàm præcepto urgere; non continuò neganda esset Papæ potestas, ut superiori capite cum Gersonio notavimus, etiamsi ejus usui nonnulli olim abusus admixti fuissent.

12. Unum dumtaxat video superfuturum Clero Gallicano, & aliis prætextum, si res eò perducerentur, ut Pontifex consumptis suis reditibus, non posset Christianarum aliquarum Provinciarum adversùs Infidelium impetus securitati consulere, nisi exacto ab aliis Provinciis subsidio: nimirùm non jam de recuperanda terra Sancta, sed de tuendo, vel restituendo Principum sæcularium dominio agi. Quasi verò solius Palestinæ causâ olim petitæ sint Decimæ, ac non unicum sit Ecclesiæ corpus; aut ideò deserendi sint Christiani in fidei periculo constituti; quia si eis manus porrigatur, nonnihil utilitatis illinc in Principes Christianos derivabitur. Nihilne Reges Franciæ perceperunt emolumenti ex compressis in partibus Tholosanis Albigensibus, quâ occasione Honorius III. Philippo Augusto partem etiam pecuniarum subsidio terræ Sanctæ destinatarum concesserat, ut videmus in ejus epist. in append. 2. Tom. 5. Ducheſne relatâ sub num. 10.

13. Mar-

13. Martinum IV. natione Gallum Philippo III. Francorum Regi Decimas ad triennium conceſſiſſe, ut bellum gereret contra Petrum Aragoniæ Regem, Siciliæ invaſorem, teſtantur ejus litteræ ad Joannem Legatum datæ, ut Præſules ad ſolvendas Decimas cogeret, & citatæ ab Oderico Raynaldo ad an. 1283. num. 35. nec dubitavit pius ille Pontifex, ut oſtendunt litteræ ab eodem Hiſtorico citatæ ibid. n. 41. exactas à Clero pro inſtaurandis Syriæ rebus Decimas, olim decretas in Concilio Lugdunenſi, ad defendendam Siciliam derivare. Narrat idem Scriptor, & citatis ejuſdem Pontificis libris probat num. 10. ipſum non ſolùm à Gallis, ſed ab aliis quoque Præſulibus opes in id conferri voluiſſe. Siculos ſimiliter, tum Provinciæ, atque Arelatenſis Archiepiſcopatus Præſules Decimas Regi Carolo, ut hoſtem Regno ejiceret, ſolvere; atque ad id à Legato adigi præcepiſſe. Hæc autem ab eo perperam geſta non fuiſſe ſuadent virtutes & miracula, quibus claruiſſe fertur apud hiſtoricos. Honorius ejus ſucceſſor, quas ille Decimas Philippo III. jam pro Aragonia armis comparanda attribuerat, Philippo IV. ad quadriennium permiſit, ut narrat Raynaldus ad an. 1286. num. 28. ſed de his hactenus, quæ in praxim redigere, utinam nunquam opus ſit.

CAPUT XII.

De jure ſummi Pontificis circa Beneficia.

1. NUllâ in re laudabilior foret Gallorum pro defenſione libertatum Eccleſiæ Gallicanæ zelus, quàm ſi antiquorum Canonum obſervantiam, circa Beneficiorum diſpoſitionem ſartam tectam ſervarent, nec Summum Pontificem cogerent ſuâ ſupra Concilia, & eorum Canones, autoritate uti.

2. Reſtiterunt quidem Galli diſpenſationi ſuper regula, quæ regularia Beneficia regularibus perſonis conferri præcipit, quando ſummi Pontifices beneficia Galliæ Italis, aut alterius Nationis viris, de Eccleſia benemeritis diſtribuebant. At ubi ex Caroli VII. Francorum Regis Edicto anno 1431. dato

dato non nisi indigenis (intellige sine Regis licentia) ea largiri licuit, Commendarum usus in favorem sæcularium adeò invaluit, ut quamvis antiqua Canonica disciplina Concordatis confirmata fuerit tit. de Regia ad Prælaturas nominatione facienda §. volumus, Philippus Probus in addit. ad gloss. Pragmat. Sanction. tit. de collat. §. cui rei num. 17. in hunc modum conqueratur; *Hodiè tamen sit contrarium, adeò quod in Gallia vix posset reperiri decimus Abbatum numerus professionis Regularis. Undè non immeritò videmus omnes penè Domos Regulares ad nihilum in vita, & moribus prout & rebus reduci, & caducitatem amplecti, Monachosq; Mendicantium Ordinum fieri, & extra septa Monastica potiùs eos languescere, quàm vivere.* QVÆ SIT HORVM OCCASIO, VEL CAVSA, DICITVR EX EO QVOD COMMENDATARIIS APERTA EST SVPERIORVM PORTA, QVIBVS HIS, ET ALIIS DE CAVSIS POTERIT CLAVDI IANVA COELI. Qui abusus ex eo tempore magis, ac magis excrevit.

3. Eaque fuit una ex causis cur Concilium Tridentinum à Curia Franciæ non fuerit receptum. Primam enim recusationis rationem eam attulerunt Regina, & Magnus Cancellarius Nuncio, Concilii receptionem urgenti. „Quod Concilium Tridentinum vetaret Beneficia regularia in Commendam tradere, cùm Rex hujusmodi Commendis multos Primates viros sibi devinciret, quorum auxilio difficillimis illis temporibus indigebat. Pallavicinus histor. Concil. Trid. lib. 24. cap. 11. num. 4.

4. Adeò non servantur in Gallia Canon 15. Synodi Nicænæ, 21. Antiochenæ, & 5. Chalcedonensis, ut in nulla Christiani Orbis parte frequentiùs violentur, cùm innumeræ fiant Episcoporum translationes. Unde plurimorum in illa Ecclesia malorum seminarium existit. Non enim tanto affectu Ecclesiæ, quam quis semel gubernandam suscepit, adhæret: non tam sedulò invigilat; non tam facilè permansura opera aggreditur: libentiùs in Aulæ studia, quàm in tuenda Ecclesiæ suæ jura propendet, qui Aulæ beneficio ad pinguiorem se conscendere posse confidit: Hoc ut assequatur non solum Magnatibus blanditur, sed obsequitur, etiam cum Ecclesiastici juris, & libertatis jacturâ: Ambitione tenetur: Hinc avaritiâ, illinc prodigalitate peccat: Ac de-

demum futuri, non animarum, sed honoris, & divitiarum lucri expectatio ita tempus, & cogitationem abripit, ut obeundis susceptis regiminis officiis nihil reliquum sit; Et proprium gregem non perpetui Pastoris animo curet, sed temporanei mercenarii more exugere festinet.

5. Quot excidissent in Gallia è proprio gradu tùm Episcopi tum inferioris Ordinis Clerici, si Beneficiorum pluralitas eâ pœnâ mulctaretur, quam indixit Canon 10. Concilii Chalcedonensis. Quæ regula si valeret, & vigeret, non tanta plerosque ambitio, vel avaritia inflecteret ad Aulicorum officia, aliorumque, quorum ope Beneficia Beneficiis accumulaturos se esse sperent. Non tantus esset Ecclesiasticarum rationum neglectus.

6. Præcipua Ecclesiæ Gallicanæ libertatum pars olim in eo posita est, ne Romanus Pontifex Beneficiorum dispositionem sibi assumeret. Verùm tùm cùm de illa dispositione Galli acerbiùs conquerebantur, Concilium ipsum Basileense jus illud summi Pontificis agnovit, ei aliquorum Beneficiorum dispositionem reservans sess. 31. Decreto de collatione Beneficiorum, ubi sic legitur; *Non tamen intendit prohibere hac sancta Synodus hoc præsenti Decreto, quo minus futuri Romani Pontifices tempore Pontificatus sui modo honesto, & convenienti, de uno Beneficio ad collationem, in qua fuerint decem Beneficia, & de duobus, ubi fuerint quinquaginta, & ultra disponant.....* NEQVE ETIAM COLLATIONES PER PRÆVENTIONEM FIENDAS INTENDIT IMPEDIRE.

7. Quin etiam Universitas studii Parisiensis, quæ tantoperè Curiam Romanam à conferendis Beneficiis arcere contendebat; tamen Romani Pontificis circa illa potestatem sæpè imploravit, nedum agnovit. Hic unus erat ex articulis Martino V. Eugenii Decessori porrectis; *Item cùm nonnulli Doctores, & Magistri infrascripti à Sanctitate vestra gratias expectativas obtinuerint in primo & principali Rotulo dictæ Universitatis per Sanctitatem vestram sub data 4. Kalendas Februarii Anno primo signato, quibus vigore earumdem gratiarum de Beneficiis Ecclesiasticis minimè provisum extitit, dignetur Sanctitas vestra* EISDEM CONCEDERE, *quod dictis gratiis uti, & gaudere valeant una cum gratiis in præsenti Rotulo per sanctitatem vestram ut speramus, faciendis: salvis tamen perintegrè articulis superiùs expressis.* Cui articulo Papa respondit; FIAT PRO OMNIBVS, ET QVIBVS NON EST PRO-

PROVISVM ..... *Datum Romæ anno* 1424. 25. *Maij, Pontificatus præfati Domini noſtri Papæ* (*Martini V.*) *anno ſeptimo.* Refertur in hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis tom. 5. circa prædictum annum 1424. Extant alia multa exempla ſimilia apud eundem Autorem.

8. Verùm cùm Concordata inter Leonem X. Papam, & Franciſcum I. Franciæ Regem inita, uſuſque ſubſecutus contentionibus hac de re naſci ſolitis impoſuiſſe finem videantur, non eſt diutiùs immorandum, ſed expectandum, donec Deus eos, quibus Beneficiorum proviſio incumbit, ad revocandam omni ex parte antiquam Canonicam diſciplinam circa rectam illorum diſpoſitionem moveat.

9. Si omnes Collatores, aut Patroni præ oculis ſemper haberent, quàm ſtricta ſit obligatio ea dignioribus conferendi, non autem indignis, vel etiam minus dignis propinquis, aut à quibus aliquod receptum eſt, vel recipiendum ſperatur officium, quamque terribile futurum ſit ſupremi Patris familias judicium adverſus eos, qui in conſtituendis in ejus Domo Miniſtris & Officialibus, propria commoda, privatoſque affectus magis attenderint, quàm ipſius gloriam, & cultus decorem, aut animarum ſalutem certè magis metuerent, ne non ſatis dignos, aptoſque ſervos Domino ſuo eligerent, quàm gloriarentur de jure illo, aut illud indebitè ſibi vendicare contenderent.

10. Cæterùm non eſt cur Galli Doctores Italicos accuſent, quaſi nimium extulerint Romani Pontificis circa diſpenſationem Beneficiorum poteſtatem, cùm Doctores Galliæ non minus latè illam explicuerint. Petrus Rebuffus in Concordatis tit. de Mandatis Apoſtol. §. Et ut obvietur verb. *gravare*, ſcripſit. *Papa jure præventionis* OMNIA IVRA POTEST CONFERRE, *cùm* TOTVS MVNDVS *ſit Diœceſis Papæ cap. Cuncta per Mundum. Et cap. Per principalem 9. quæſt. 3. Unde non eſt mirum ſi in ſua Diœceſi, & ſic* IER TOTVM MVNDVM *conferre poſſit.*

LIBER SEPTIMUS

De autoritate ſummi Pontificis in definiendis Fidei quæſtionibus occaſione quartæ propoſitionis, ſcilicet,

IN fidei quoque quæſtionibus præcipuas ſummi Pontificis eſſe partes, ejuſq; Decreta ad omnes, & ſingulas Eccleſias pertinere, nec tamen irreformabile eſſe judicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.

CAPUT PRIMUM.

Summaria diſcuſſio hujus propoſitionis.

1. PUtaveram hactenus, libertates Eccleſiæ Gallicanæ nullatenus ad Fidem pertinere, in qua potiſsimùm repoſitam arbitrabar ſtrictam illam Eccleſiæ Gallicanæ cum Romana conjunctionem, quam ceu hæreditatem ab Atavis acceptam, conſtanterque ſemper retentam prædicant illius gentis Scriptores. Verùm cùm ad tuendas illas libertates Decreta ſummi Pontificis circa diſciplinam non valere, niſi acceptata fuerint, jam tradidiſſent aliqui Autores Gallicani; nunc Illuſtriſſimi Antiſtites Decreta circa fidem non eſſe irreformabilia declarant: Itaque neſcio quomodo inpoſterum Galli poterunt de ſtrictiori cum Romano Pontifice gloriari conjunctione.

2. Etenim Eccleſiaſticas leges libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ adverſari, atque adeò non acceptandas eſſe, & conſequen-

quenter non obligare, quoties libebit, cauſabuntur: Deciſiones verò circa fidem incertæ manent, quamdiu judicium de illis prolatum reformabile eſt. Quod autem incertum eſt, de fide non eſt. Iis autem, quæ de fide non ſunt, nemo internum neceſſariò tenetur præbere aſſenſum; ſed poteſt vel eum ſuſpendere, vel omninò negare, & diſſentire, donec irreformabili judicio res definita fuerit.

3. Fruſtrà ergò Antiſtites Gallicani autoritati Pontificiæ graviſsimum vulnus illaturi honorificâ præfatiunculâ ferrum occultant, præcipuas ſummo Pontifici partes concedentes, ejuſque Decreta ad omnes, & ſingulas Eccleſias protendentes. Nam quæ ſunt præcipuæ illæ partes ſummi Pontificis? Quod primus ſententiam ſuam debeat promere, quemadmodum Africana Concilia profeſſa ſunt in epiſt. ad Theodorum Papam, quæ lecta eſt in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. Theodori ſucceſſore anno 649. his verbis; *Antiquis enim regulis ſancitum eſt, ut quidquid quamvis in remotis, vel in longinquo poſitis agentium Provinciis, non prius tractandum, vel accipiendum ſit, niſi* AD NOTITIAM ALMÆ SEDIS VESTRÆ FVISSET DEDVCTVM, *& hujus autoritate juſta quæ fuiſſet pronunciatio* FIRMARETVR. At quantis laudibus donatus eſt ab Epiſcopis anno 1681. Pariſiis congregatis liber Joannis Gerbaſii de cauſis majoribus, in quo primum illarum judicium ad Epiſcopos, & Concilia Provincialia pertinere contendit.

4. An ſummi Pontificis prærogativa in eo erit, ut quæ à Conciliis Oecumenicis decreta fuerint, eorum ipſe urgeat executionem? Sed hæc cura ſummi Pontificis dignitatem non tam arguit, quàm tollit, quandoquidem merus Executor conſtituitur, ſine facultate interpretandi judicii, ità ſaltem, ut illa interpretitio irreformabilis ſit, atque adeo ad conſenſum internum fideles arctet.

5. At privilegium illud ſanctæ Sedis ad hoc valebit, *ut ejus Decreta ad omnes, & ſingulas Eccleſias pertineant.* Verùm non ejus, ſed Conciliorum generalium Decreta id ſibi vendicabunt; ſiquidem penes illa, non penes Papam eſt autoritas controverſias fidei judicandi irreformabiliter. Quod enim fortaſſe aliquis reponat, interim dum expectatur Concilium Oecumenicum, ſtandum eſſe judicio Papæ, efficit, ut publicè

contradicere nemo debeat (quod ad Politiam quandam externam tantùm referendum est); non autem, ut ei quisquam interiùs assentiri teneatur, quandoquidem errori obnoxium est. Sed nec primum quidem illud efficit, saltem si Gersonio credimus.

6. Gersonius quippè de examinatione doctrinarum part. 1. considerat. 5. docet non solùm Concilium Oecumenicum, aut Nationale, vel Provinciale, sed & Doctorem quemlibet posse summo Pontifici obsistere, manifestum errorem contra fidem proponenti. *Staret quod aliquis simplex non autorizatus, esset tam excellenter in Sacris Litteris eruditus, quod plus esset credendum in casu, doctrinæ suæ assertioni, quàm Papæ declarationi; Constat enim plus esse credendum Evangelio, quàm Papæ; si doceat igitur talis eruditus veritatem aliquam in Evangelio contineri, ubi & Papa nesciret, vel ultrò erraret, patet cujus præferendum sit judicium.* Quæ autem veritas in Evangelio adeò expressa esse potest, antequam ab Ecclesia declarata sit, quæ non alicui Doctori, vel etiam pluribus, error manifestus non possit apparere? Quâ ergo poterit autoritate comprimi Doctor ita affectus, interim dum conveniet Concilium, aut quousque consensus Ecclesiæ accesserit, prout requirunt Antistites Gallicani?

7. Quâ verò ratione dignosci poterit Ecclesiæ consensus, si Provinciæ Christianæ circa illam controversiam inter se dissentiant? An illa vera Ecclesia censebitur, quæ Capiti omnium, Romano scilicet Pontifici adhærebit? Recurret idem inconveniens, quod scilicet illius judicium, si non sit irreformabile, possit fideles in errorem pellicere.

8. Verùm, ut videas quantum summi Pontificis sententiæ plerique Gallicani Doctores honorem deferant; & utrum ei provisionaliter obtemperent; aut saltem illam silentio venerentur, ad ea, quæ non ita pridem gesta sunt, oculos converte. Exigitur à Catholicis in Anglia degentibus juramentum, hanc inter alias clausulam continens; *Præterea juro, quod ex corde abhorreo, detestor, & abjuro tanquam impiam, & hæreticam hanc doctrinam, & propositionem, quod Principes per Papam excommunicati, vel deprivati possint per suos subditos, vel alios quoscumque deponi, vel occidi.* Paulus V. in Brevi ad Catholicos Anglos dato 23. Septembris 1606. in quo insertus est prædicti juramenti tenor, illud

lud his verbis reprobat ; *Quæ cùm ita sint , vobis ex verbis ipsis perspicuum esse debet , quod hujusmodi juramentum salvâ fide Catholicâ , & salute animarum vestrarum præstari non potest , cùm multa contineat , quæ fidei , & saluti apertè adversantur.* Quia verò nonnulli Breve illud summo Pontifici de rei veritate plenè non instructo subreptum causabantur ; *Non ex animi nostri sententia , nostraq; propriâ voluntate, sed potiùs aliorum intuitu , & industriâ* , inquit summus Pontifex , ea de re conquerens in altero Brevi dato 23. Octobris 1607. addidit ; *Eapropter ad vos iterùm scribere decrevimus , ac denuò vobis significare litteras nostras Apostolicas anno præterito* 10. *Kal. Octobris datas de prohibitione juramenti non solùm motu proprio , & ex certa nostra scientia , verùm etiam post longam , & gravem deliberationem de omnibus , quæ in illis continentur adhibitam , fuisse scriptas , & ob id teneri vos illas omninò observare omni interpretatione secus rejecta. Hæc est autem mera , pura , integraq; voluntas nostra , &c.* Nihilominus Doctores Parisienses, quos illam Papæ sententiam latuisse non potest , sic censuerunt. *Nos infrascripti Sacræ Facultatis Parisiensis Doctores Theologi censemus jusjurandum , ut in obversa pagina conceptum est , salvâ fide , & tutâ conscientiâ à Catholicis Anglis jurari posse , si modo in propositione , quæ est de depositione , & cæde Principum , quæ damnat ut hæretica , verba Deponi , & occidi , conjunctim accipiantur : imò etsi divisim , itaut tamen propositio hæretica materialiter , id est , verbo Dei contraria siniatur ; quatenus posse Principes deponi effert , formaliter verò etiam quatenus & occidi posse superaddit. Deliberatum , datumq; Parisiis die* 16. *Augusti anno* 1680. *subscripsere* 56. *Doctores die* 19. *Augusti* 1680.

9. Sed consideremus utrum declaratio Illustrissimorum Præsulum Gallicanorum cum Scriptura sacra consentiat , aut Sacris Canonibus , & Patrum traditione , quæ sunt fundamenta libertatum Ecclesiæ Gallicanæ , nitatur ; Annon potiùs verum sit , quod aliqui scripserunt , eam sententiam nonnisi post schisma tempore Concilii Constantiensis in lucem editam ; antea verò judicium summi Pontificis tanquam indubitatum habitum fuisse , non propter , aut post Ecclesiæ consensum, sed etiam propter non errandi privilegium B. Petro , & ejus Successoribus à Christo collatum.

10. Porrò ipsa propositio , quam hic expendimus , satis declarat non agi de Papæ tanquam privatæ personæ , opinionibus ; sed de ipsius tanquam summi Pastoris , & Pontificis to-

totam Ecclesiam instruentis doctrina ; uno verbo de Decretis, quæ ad omnes, & singulas Ecclesias pertineant ; Idque in fidei quæstionibus.

11. Non disquirimus etiam ; An summus Pontifex aliquam fidei quæstionem definiturus egeat consilio , & quo , quave alia diligentia uti debeat. Supponimus enim ipsum , ne Deum tentet , media teneri adhibere ad cognoscendam veritatem ordinata. Sed si Divina providentia eum ad finem , id est fidei veritatem certò , tutoque assequendam dirigat , sine dubio ad assumenda media necessaria etiam inducet. In eo igitur fistimus ; An Papæ judicium nisi Ecclesiæ consensus accesserit, incertum sit , & reformationi obnoxium concurrentibus quibusvis aliis conditionibus.

CAPUT II.

Probatur autoritate sacræ Scripturæ judicium summi Pontificis circa quæstiones fidei esse irreformabile, seu infallibile.

1. SUmmum Pontificem esse Caput Ecclesiæ , professi sunt etiam ipsi Episcopi Parisiis anno proximè præterito congregati ad cohibendam Curiam Romanam , ne , ut ipsi metuere videbantur , jurisdictionis Episcopalis jura paulatim invaderet , & infringeret. Et sanè Concilium Constantiense , cui Galli tantùm deferunt , inter alios Wicleffi articulos, illum damnavit , qui hanc Papæ dignitatem , autoritatemque abrogabat. Quonam autem fundamento nititur Catholica doctrina , Hæreticorum , & schismaticorum acephaliæ oppositа ? Ubinam Evangelii de Pontifice Romano fit mentio? cùm ne quidem Pontifex Romæ existeret , quandò res in Evangelio narratæ gestæ sunt , sufficit (inquies) ut certò sciamus summum Pontificem esse Successorem S. Petri , ut indè certò etiam colligamus , illum hujus esse dignitatis , & autoritatis hæredem. Ità est omninò : ad Divinam enim providentiam pertinet , ut quibus idem confert officium , eandem tribuat autoritatem.

2. At-

2. Atqui evidentiùs in Scripturis (de traditione enim constabit ex sequentibus Capitibus) patet D. Petrum, ut supremum Ecclesiæ Pastorem, privilegium non errandi in fide obtinuisse à Christo, quam Romanos Pontifices fore sancti Petri Successores in cura universarum Christi ovium. Cur ergo qui in Romanis Pontificibus istud sancti Petri officium agnoscunt, etiam nihil à fide alienum statuendi prærogativam eis non concedunt? Petrum ut Ecclesiæ Pastorem privilegium non errandi à Christo accepisse, ita est in Evangelio luculenter significatum, ut nihil videatur in eo luculentiùs. Luc. 22. ait *Dominus, Simon, Simon, Ecce Sathanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quo circa patet primò Christum aliquam Petro præ cæteris Apostolis gratiam postulasse. Ad eum enim singulariter dirigitur sermo; *Simon, Simon; Pro te; fides tua, Et tu; Confirma fratres tuos.* Quodque prælationem Petri specialiùs indigitat, cùm communem omnium Apostolorum circa fidem tentationem commemorasset, reliquis prætermissis ad Petrum solum sermonem dirigit; *Ecce Sathanas expetivit vos; Ego rogavi pro te.* Sed quid dico prætermissis? Imò eorum expressâ factâ mentione; sed eo fine ut doceat eos à Petro, vel eorum Successores à Successoribus ejus confirmandos in fide; *Et tu aliquandò conversus confirma fratres tuos.* Secundò patet hanc gratiam à Christo impetratam Petro, non ut privatæ personæ tantum, sed ut Apostolo, & Apostolorum ipsorum Pastori, *ut non deficiat fides tua, Et tu confirma fratres tuos.* Tertiò conjunctio, &, causam indicare videtur, cur Christus pro Petro specialiter rogaverit, fidemque indeficientem exoraverit, scilicet ut alios confirmaret; *non deficiat fides tua; Et tu confirma fratres tuos.* Quod ad officium, atque adeò ad Successores pertinet.

3. Porrò quâ ratione alios posset confirmare, qui titubaret ipse? Vel potiùs quomodo posset labantes sustinere, aut lapsos erigere, si ipse non solùm per hæresim jam corruisset, sed etiam alios per propositionem hæretici Dogmatis, publicè toti Ecclesiæ factam, ad casum posset impellere? Necesse est, ut firmiter stet, cujus officium est aliorum impedire casum, aut ruinam reparare: Eum, qui dux aliorum

constituitur, oculis valere oportet. Alioquin illorum incolumitati non consulitur, sed utrique ad foveam mittuntur: Præsertim dum non est alius, qui à recto tramite deviantes moneat. Quod addo, ne quis reponat posse fideles à summo Pontifice deceptos ad veritatis viam revocari à Concilio generali. Sicut enim (quod superiori libro notavimus) tribus primis sæculis impossibile fuit Concilium generale congregare, ita totidem, & pluribus posset eadem facultas deesse, his præsertim temporibus.

4. Sed ut ad propositam rationem redeamus, quo Scripturæ loco tam apertè declaratur, Romanum Pontificem esse Beati Petri successorem, & Caput Ecclesiæ, quòd de fide esse concedunt etiam Illustrissimi Episcopi Gallicani, quàm eo quod adduximus testimonio constat, Beato Petro ut Ecclesiæ Capiti, & supremo Pastori datam esse fidem indeficientem.

5. Dum Christus Joann. ultimo suas oves Petro pascendas commisit his verbis; *Pasce oves meas*, nonne cum officio, cætera etiam, illi ritè obeundo necessaria, elargitus est; quo in genere videtur fuisse indefectibile in materia fidei judicium. Cùm enim id maximè curare debeat spiritualis Pastor, ut fides incorrupta servetur in grege, quippè quæ radix sit, quâ permanente reviviscere facilè cæteræ virtutes possint, quâ sublatâ, penè omnis sublata sit spes salutis, ac sine fide impossibile sit placere Deo, vel salutem æternam consequi: convenit omninò, ut cui suprema totius gregis dominici cura incumbit, ea dote præditus sit, ut oves ipsius vocem sequentes à venenosis errorum herbis se non inficiendas, sed salubribus veritatis pascuis alendas, & impinguandas securissimè confidant.

6. Prætercà, ut Ecclesia, quæ est columna, & firmamentum veritatis (hanc enim ei dotem tribuit spiritus Sanctus per B. Paulum 1. Tim. 3.) firmiter stet, necesse est, ut fundamentum, quo nititur, sit in fide firmum, & inconcussum, Petrus autem, ejusque adeò Successor Romanus Pontifex est fundamentum Ecclesiæ, ut ipsemet Christus Petro revelavit; *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam* Matth. 16. Debet ergo Romanus Pontifex

fex ut fundamentum Ecclesiæ; ideſt, quandò toti Ecclesiæ fide credenda proponit, in fide ipſe firmiſſimè ſtare, ne illo deficiente totum Ecclesiæ corruat ædificium. Ecquis enim, niſi fortè ab Ecclesia cum modernis Hæreticis extorris, concedere audeat Ecclesiam concidere poſſe, dicente Chriſto poſt verba modò adducta; *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam?* Quis ſine horrore audiat, vel audit etiam omninò hominem blaſphemantem, & conferentem Chriſtum *Viro ſtulto qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam.* Hinc enim ſequeretur error hæreticorum; *Et deſcendit pluvia, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina ejus magna.* Nonne potiùs Chriſtus ſuper Petrum ædificans Ecclesiam ſuam aſſimilabitur *Viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſuper Petram. Et deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit?* Sed quæ tantæ firmitatis eſt cauſa? FVNDATA ENIM ERAT SVPER PETRAM. *Matth.* 7.

7. Certè non ſine aliquo myſterio Chriſtus nomen proprium Simonis in nomen Petri, aut petræ commutavit, hoc enim tantum ſignificat vox Græca, & ita Chriſtus ipſe interpretatur. Myſterium autem illud indicant verba ſupra relata; *Tu es Petrus, & ſupra hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quorſum enim Chriſtus poſt confeſſionem ſuæ Divinitatis à Petro revelante Patre Cœleſti factam, dixiſſet; *Tu es Petrus*, niſi eo nomine ſignificare voluiſſet ſe hanc ei dignitatem pro illius confeſſionis præmio conferre, ut immotum eſſet Eccleſiæ fundamentum, ſicut explicant verba ſequentia; *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

8. Hæc autem dixit Chriſtus Petro poſt publicam illam fidei profeſſionem; *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*, quam tantoperè laudavit Chriſtus; *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt*; *Et ego dico tibi*; *Quia tu es Petrus*, &c. quam confeſſionem ſolus edidit Petrus, licet interrogati omnes Apoſtoli fuiſſent; *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Ut intelligas eum totam Eccleſiam repræſentaſſe, cujus futurus erat fundamentum.

CAPUT III.

Confirmatur eadem doctrina contra Joannem Launoium.

1. QUod ex illis Christi ad Petrum, verbis omninò perspicuis, *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua* Luc. 22. necessariò non sequatur, in fidei quæstionibus Romani Pontificis judicium esse irreformabile, nonnisi ex duplici capite videtur posse procedere, vel ex eo, quod Christi oratio non fuerit exaudita, vel ex eo, quod idem non deficiendi privilegium ad Petri successores non emanaverit. Utrumque verbis continuò sequentibus excluditur, ut superiori capite insinuavimus. Primum quidem, quia Christus Petro munus imponit confirmandorum in fide fratrum, idque tanquamex oratione pro eo facta consequens; *Rogavi pro te, & tu confirma fratres tuos*; quasi diceret. Ego indeficientem tibi fidem impetravi; da operam, ne alii deficiant, quibus verbis exauditum se innuit sine dubio. Secundum autem, quia fidem indeficientem Petro, non solius ipsius causâ, sed in bonum gregis ipsi commissi, atque adeò tanquam supremi Ecclesiæ Pastoris privilegium, ad omnes in illo successuros officio transiturum, obtentam fuisse significat hæc copulativa, *&*, quæ collectivæ seu rationalis vim habet; *Ideo ego rogavi, ut non deficiat fides tua, ut tu confirmes fratres tuos*; seu; *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; Tu ergo illo indeficientis fidei munere præditus confirma fratres tuos.

2. Adeò sancto Augustino certum erat exauditam fuisse hanc Christi pro Petro orationem, ut secus dicere, ceu blasphemiam haberet; *An audebis*, inquit lib. de corrept. & grat. cap. 8. *dicere, etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri*, DEFECTVRAM FVISSE; *si Petrus eam deficere voluisset, hoc est si eam usque in finem perseverare noluisset: quasi Petrus aliud ullo modo vellet, quàm pro illo Christus rogasset ut vellet, &c.* Et beatus Prosper in epistola ad Ruffinum; *Certè pro eo rogaverat Dominus*, NE DEFICERET FIDES IPSIVS, *nec utique frustrà rogaverat, cujus una erat cum eo, quem rogaverat operatio.* Privilegium autem illud B. Petri ad ejus successores Romanos transmittendum apertè declarant Concilia, Pontifices, Pa-

Patres, & Doctores in sequentibus capitibus producendi, qui ubi de propositâ Ecclesiæ à Romanis Pontificibus circa fidem doctrinâ meminere, ad S. Petrum eam retulerunt.

3. Utrumque complexus est Leo IX. in epistola 9. quæ est ad Michaëlem Constantinopolitanum Episcopum his verbis; *Ego autem rogavi, &c. Erit ergo quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne à Sede Principis Apostolorum, Romanâ videlicet Ecclesiâ, tam per eundem Petrum, quàm per suos successores convicta, atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus nec defecit, neque in finem deficiet, sunt confirmata?*

4. Joannes tamen Launoius argumentum, quod ex eo Evangelii loco desumitur ad struendum Romani Pontificis in fidei quæstionibus non errandi privilegium, part. 5. epist. 6. more suo dissolvere conatur, proposito primum Decreto Concilii Tridentini sess. 4. contra unanimem consensum Patrum Scripturam sacram interpretari vetantis; tum constitutis quatuor Patrum, & Tractatorum Ecclesiasticorum in alio sensu locum illum Luc. 22. aliter exponentium, Classibus. Sed primò, ut alibi notavimus, si nullum est argumentum, quod à Scripturæ sacræ loco deducitur, si ab aliquo ex Patribus in alio sensu fuerit acceptus: Nihil unquam concludi poterit ex tot illis locis, circa quæ Launoius varias attulit interpretationes, & speciatim ex isto, quem præ manibus habemus, quem quatuor modis expositum probat.

5. Secundò variæ illæ interpretationes, cùm inter se contrariæ non sint, nequaquam se destruunt, imò nec alias, quæ addi possunt: ut enim docet S. Thomas quodlibet. 7. art. 14. ad quintum: *Auctor principalis Sacræ Scripturæ est Spiritus sanctus, qui in uno verbo Sacræ Scripturæ intellexit multò plura, quàm per Expositores Sacræ Scripturæ exponantur, vel discernantur.* Quam doctrinam pluribus in locis repetit, adeò illi certa erat. Eam etiam ejus Magister S. Augustinus, aliique sancti Patres longè antea tradiderant. *Itaque*, inquit S. Augustinus lib. 12. Confess. cap. 31. *cùm alius dixerit, hoc sentit* (Moyses, idemque in alio quovis Scriptore Canonico locum habet) *quod ego: & alius, immò illud quod ego: religiosius me arbitror dicere; cur non utrumque potius, si utrumque verum est? Et si quid tertium, si quid quartum, & si*

quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non omnia illa vidisse credatur, per quem unus Deus Sacras Litteras, verâ, & diversa visuris multorum sensibus temperavit? Alioquin enim Patres posteriores, qui antiquiores tantâ veneratione prosequebantur, tantoque Spiritûs sancti lumine illustratos existimabant, non tam facilè novas interpretationes excogitassent, suas præferentes alienis, si vel unum tantùm esse ejusdem Scripturæ sensum, aut antiquas interpretationes per novas everti credidissent.

6. Tertiò, sed videamus quæ sint illæ interpretationes, quas affert Launoius. Prima, pro qua refert 44. testes, est; *orasse Christum ut Petrus veram fidem nunquam amitteret, quantumvis tentaretur à Diabolo, sed in ea, & gratia Dei tum demum perseveraret.* Verissima quidem est illa interpretatio, sed num excludit privilegium non errandi, cùm Petrus fidei quæstionem aliquam Ecclesiæ proponet? num perpetua Petri in fide perseverantia contraria est certitudini ejus judiciorum circa fidem? Num quia ipse erroris erit omninò, ac certò expers, fideles sibi à Christo commissos in errorem impellet? aut numquid prædicta interpretatio privilegium non errandi fistit, ne ad successores Petri pro rectè gerendo supremi Pastoris officio transeat? Nonne è contra in aliquibus ex iis testimoniis contrarium expressè affirmatur? Quid enim sibi volunt illa S. Leonis verba ex serm. 3. de Anniversario die Assumptionis suæ ad Pontificatum, quæ Launoius refert sub num. 15. *Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis; & Divinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quia Diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo firmatur, & Divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Cùm itaque dilectissimi tantùm nobis videamus præsidium Divinitùs institutum, rationabiliter, & justè in Ducis nostri meritis, & dignitate lætamur, gratias agentes sempiterno Regi Redemptori nostro Jesu Christo, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesiæ Principem fecit, ut, si quid etiam nostris temporibus rectè per nos agitur, rectèque disponitur, illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est; Et tu conversus confirma fratres tuos; & cui post resurrectionem suam Dominus ad Trinam*

æterni

æterni amoris professionem mysticâ insinuatione ter dixit, Pasce oves meas; quod nunc quoque procul dubio facit, & mandatum Domini pius Pastor exequitur, confirmans nos cohortationibus suis, & pro nobis orare non cessans. Idem, iisdemque ferè verbis continet alter locus ibidem relatus ex serm. 2. de Natal. Apost. Petri, & Pauli.

7. Consonat Theodoretus, his verbis à Launoio sub n. 17. relatis; *Ego autem rogavi, &c. Quemadmodum enim ait, ego te fluctuantem non despexi, ita & tu* SVSTENTACVLVM *esto fratribus conturbatis:* ET QVO SERVATVS ES AVXILIO IPSE ALIIS IMPARTIRE, *neque labascentes impellas, sed erige periclitantes. Idcirco enim & te labare sino,* CADERE NON PERMITTO, *stabilitatem per te fluctuantibus procuræns. Sic orbem terrarum universum fluctuantem atque labantem* MAGNA HÆC COLVMNA CONFIRMAVIT, *& ut corrueret, omninò non permisit, sed erexit, stabilemq; reddidit, oves Divinas pascere jussus.* Idem insinuat Theophilactus sub num. 19. relatus his verbis in capite 22. Luc. *Tu verò conversus confirma fratres tuos: planus hujus intellectus est, quia te habeo ut Principem discipulorum, postquam negato me fleveris, & ad pœnitentiam veneris confirma cæteros. Hoc etiam te decet, qui post me* PETRA ES ET FIRMAMENTVM ECCLESIÆ.

8. An non eodem tendunt verba Euthymii Zigaboni in eundem locum, relata sub num. 21. *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Conversus post negationem, videlicet post fletum amarum. Hoc est in pristinum locum denuò restitutus. Fratres autem ejus dicit reliquos Apostolos, aut illos, qui per eos erant credituri.*

9. Nonne aliqui ex his, quos in hac Classe reposuit Launoius, sicut in iis, quæ hîc refert, locis non excludunt à privilegio non errandi, neque Petrum, neque Pontifices in ea dignitate, atque officio ei successuros, ita in aliis locis expresis verbis infallibile Romani Pontificis judicium luculentissimè asserunt, v. g. S. Thomas, cujus alibi verba referimus? Putasne Caietanum, quem sub num. 34. exscribit, sensisse Pontificem in proponenda toti Ecclesiæ doctrina fidei errare posse? Non eum tam malè alibi habuisset Launoius. Testantur egregii illius Doctoris mentem tria prima ejus opuscula, digna omninò quæ legantur. Sufficiat hic referre illius verba ex commentariis in S. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 2. *Papâ determinante judicialiter, & definitivè aliquid esse hæreticum, & ab Ecclesia pro hæresi habendum, constat, quod omnes tenentur acceptare,*

&

& HÆRETICVS CENSERETVR, *quicumque de cætero teneret oppositum pertinaciter.*

10. Sed cujusmodi est probatio, quam Launoius mutuatur ex testimonio Maldonati, quem num. 40. fatetur in ipsomet loco ab eo citato docere summum Pontificem errare non posse, quia aliàs non posset fideles confirmare? An quia Maldonatus dixit; *sibi non displicere interpretationem S. Ambrosii, Theophilacti, & Euthymii, qui conversum exponunt à peccato, quo Christum negavit, actâ pœnitentiâ, quasi aliis de suo vulnere fecerit medicinam.* An illæ interpretationes inter se pugnant, & se invicem perimunt? An sententiam mutavit Maldonatus circa infallibile judicium Papæ, aut ideò illam minus certam habuit, quia ei non displicuit interpretatio S. Ambrosii, Theophylacti, & Euthimii nequaquam contraria.

11. Stephanus Menochius 43. loco relatus etiam apertè innuit, se indeficientem fidem Petro ut privatæ personæ non tribuere, sed ejus officio, cui succedunt Romani Pontifices. *Et tu igitur aliquando conversus, scilicet à peccato negationis, confirma in fide orthodoxa, & reliquis ad salutem ducentibus, fratres tuos, non Apostolos tantùm, sed omnes etiam fideles.* Quomodocumque intelligenda sit vox illa *Conversus*, quæ, ut alibi dicemus, aliud, quàm conversionem à peccato propriè significare potest; planum est, non defecturam Petri fidem, ut posit fratres suos confirmare.

12. Itaque Launoius causæ nostræ profuit plurimum testes conquirens, & congerens, cùm si diligentiùs eorum testimonia expendantur, nobis consentire nedum non adversari comperiantur.

13. Sed quid reponemus ad autoritatem Alexandri VII. qui Classi huic finem imponit? Nimirum summus ille Pontifex Epistolam ad Lovanienses Theologos scripsit anno 1662. in qua *præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum Augustini, & Thomæ Aquinatis inconcussa, tutissimaq; dogmata nuncupavit. Ubi inquit Launoius, doctrinam B. Augustini probando suam facit..... Quod igitur de B. Augustino dogma retulimus, inconcussum, & tutissimum decernente Pontifice haberi debet.* Facilis est ad hominem responsio. Alexander VII. doctrinam Beati Thomæ probando suam facit; Atqui certò certiùs est, & ex verbis sancti Thomæ suo loco referendis luce clariùs

rius est, sanctum illum Doctorem sensisse summi Pontificis judicium in quæstionibus fidei esse irrefragabile, & indefectibile; Illud igitur dogma inconcussum, & tutissimum decernente summo Pontifice haberi debet. Cæterùm si utriusque Sancti doctrinæ, quam alibi proponimus, comparatio instituatur; longè evidentiùs erit nobis suffragari sanctum Thomam, quam refragari Divum Augustinum. Quamquam supradictum elogium non eo pertinet, ut quidquid illi Sancti dixerunt, Pontifex suum faceret. Alioquin enim non potuisset Constitutionem illam edere circa Conceptionem Beatissimæ Virginis, ex qua Launoius probat, ipsum approbasse Concilium Basileense, cujus Decretum, sicut & ipsa Alexandri Constitutio Divi Thomæ doctrinæ non consonat.

14. Secunda interpretatio loci supra relati ex Luc. 22. est eorum, qui tradunt *orasse Christum, ut Romana Ecclesia, per Petrum fundata, à fide nusquam deficiat.* Hanc etiam interpretationem libenter amplectimur. Non enim excludit autoritatem summi Pontificis, imò eam adstruit. Quis enim Ecclesiam Romanam ideò in fide immobilem esse non fatebitur, quod ejus specialiori modo Caput sit summus Pontifex, à quo privilegium illud in ejus membra, quatenus ipsi conjuncta sunt, derivatur. Id apertissimè declarant ipsamet testimonia, quæ Launoius in hanc Classem conjicit, quæque nos suis locis reddemus. Nec videtur aliunde peti posse illud privilegium. *Propter illam orationem Christi*, inquit Joannes Dartis Regius in Academia Parisiensis Professor, de Beneficiis sect. 1. cap. 3. *seu illa ejus verba, omnes colligunt* ECCLESIAM ROMANAM NON POSSE ERRARE. Oratio autem Christi pro solo Petro facta est, atque adeò ejus effectus ad Ecclesiam Romanam nonnisi per ipsum, ac per ejus successores derivatur.

15. Tertia Classis est eorum, qui tradunt *orasse Christum ut Sedes Petri, seu Apostolica Sedes à fide nusquam deficiat.* Idem de ista dicimus, quod de secunda. Quia enim B. Petri Apostolorum Principis, & Romani Pontificis, eadem est Sedes; eadem erit doctrinæ certitudo.

16. Quarta Classis est eorum, qui tradunt *orasse Christum, ut universalis Ecclesia, vel etiam universale Concilium à fide nunquam deficiat.* Hæc etiam interpretatio vera est in sensu S. Leonis

ſupra relati, & aliorum accepta; ut nimirùm à B. Petro tanquam à Capite ad cætera membra defluat doctrinæ circa fidem certitudo. Ita ſe ipſos explicant plurimi ex iis, quos in hac Claſſe reponit Launoius, præſertim Leo IX. S. Thomas, Beatus Vincentius Ferrerius. Quod ex eorum verbis ſuis etiam locis referendis patebit.

17. Idem molitur Launoius in duabus Epiſtolis ſequentibus adverſus alia duo Scripturæ loca in ſuperiori capite tractata; ſed cum eandem ſequatur methodum, eodem modo repellendus eſt. Nec enim in illis opus eſt diutiùs immorari.

18. Prætermittere tamen non poſſum, quod ipſemet Launoius obſervat in epiſtola 7. diſtributis in quatuor Claſſes Scriptoribus, qui verba hæc; *Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, explicuerunt juxta quatuor varias interpretationes. *Et primo quidem*, inquit, *nonnulli Patres, in expoſitione, ſeu Claſſe prima, & ſecunda comparent Origenes, Cyprianus, & Hieronymus, qui & in quarta: Alii in expoſitione, ſeu Claſſe prima, & tertia, ut Hilarius, Ambroſius, Cyrillus, & Leo. Quidam in expoſitione ſeu Claſſe tertia, & quarta ut Beda. Sed Auguſtinus in ſingulis expoſitionibus prima, ſecunda, tertia, & quarta.* Quid ergo colligitur ex varietate interpretationum, quas circa tot Scripturæ ſacræ loca, congeſtis pro unaquaque quampluribus Autoribus, Launoius diſtinguit; niſi, juxta ipſius regulam, nihil ex iis locis colligi poſſe; quippe cùm non ſit unanimis circa ea Patrum conſenſus: juxta verò S. Thomæ ſupra relati regulam, ſequitur, Spiritum Sanctum plura in eiſdem verbis intellexiſſe, quàm poſſint ab Interpretibus intelligi, aut exponi? Undè Launoius nihil efficit, allatis variis interpretationibus adverſus Theologum, qui aliam ab eo prætermiſſam adducat, niſi aliis omnibus eſſet contraria. Omnibus, dico; quia, ſi aliquibus congruat, & ab aliquibus diſſentiat, non erit contra unanimem conſenſum ſanctorum Patrum, cui repugnare prohibuit Concilium Tridentinum. Validior quidem eſt probatio, quo propiùs ad unanimem conſenſum Patrum accedit; ſed non ideò nulla, quia non ita expreſſè apud ipſorum plurimos invenitur; ſi communibus eorum dogmatibus conſonet; ſi ſolidis fulciatur rationibus, ſi ex ſacræ Scripturæ, vel ex traditionis prin-

ci-

cipiis convenienter deducatur. Si etiam quantum ad sensum novitate non laboret, aliæve concurrant circumstantiæ.

19. Adde quod cùm illæ interpretationes mutuò se non destruant (alioquin enim sanctus Augustinus, qui quatuor complexus est, Hieronymus tres, plures alii duas, non solùm inter se, sed sibi ipsis contradixissent, quod de talibus, ac tantis viris præsumere non licet, quodque illorum testimoniis autoritatem omnem demeret) si una ex illis causæ patrocinetur, perindè probat Scripturæ testimonium illi suffragari, ac si nulla esset alia explicatio, quamvis non æquè validè, ac si illud in eodem sensu omnes exposuissent. Quid ergò, si & una evidenter faveat, & aliæ lucem afferant, ut hic; *Prima Classis Patrum, & Ecclesiasticorum Tractatorum, quæ est eorum, qui docent Ecclesiam super Petrum ædificatam esse*, nonne evidenter favet Romanis Pontificibus apud Catholicos, qui contra hæreticos credunt Ecclesiam nunquam corruisse? Quid autem nocet secunda dicentium *super Apostolos, vel eorum Successores ædificatam esse Ecclesiam*? Aut tertia quæ est eorum, qui dicunt *super Petram, id est super illam fidem, quam confessus est Petrus, ædificatam esse Ecclesiam*; Vel quarta *scribentium ædificatam esse super Petram Christum Ecclesiam*. Hæc enim omnia vera sunt. Nam & Christus primum, & præcipuum Ecclesiæ fundamentum est; & post Christum Petrus; & alii Apostoli post Petrum, ac cum Petro illorum capite: Et fides est fundamentum; & qui fidei custos, ac quæstionum circa eam supremus Judex, fundamentum est. Id luculentissimè testantur sancti Patres, qui vel omnes illas, vel plures simul ex illis interpretationibus secuti sunt. Nec qui unam tantùm afferunt, alias excludunt; etiamsi secus aliquandò prima facie videatur. Qui enim v. g. solum Christum fundamentum Ecclesiæ vocant, non ideò Apostolos negant esse fundamenta. Nam de Apostolis dicit sanctus Paulus ad Ephesios 2. *Estis Cives sanctorum, & domestici Dei, super-ædificati super fundamentum Apostolorum*; de Christo autem dicit idem Apostolus 1. ad Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod est Christus Jesus.* Est enim Christus præcipuum fundamentum, minus præcipuum Apostoli, quos inter eminet S. Petrus. Sed nonne quatuor Classibus, quas in duabus his Epistolis distinxit Launoius, quintam adjun-

gere debuit ? Debuisse videbimus in sequentibus Capitibus.

20. Idem in octava Epistola, quod in duabus aliis, cum proportione observandum. Licet enim varias Classes non ità distinctè constituat ; tamen à diversis, quasi à contrariis, plerumque argumentatur ; ut cùm probat alios Apostolos à Petro fuisse Pastores, & illis dictum ; *Pasce oves meas* ; quod quidem verissimum est. Sed non inde sequitur Petrum supremum non fuisse Pastorem ; nam ideò aliis dictum est ; *Pasce oves meas*, quia Petri, cui uni propriè id dictum est, officii, ac muneris participes erant ?

CAPUT IV.

Probatur autoritate Conciliorum Orientalium judicium summi Pontificis circa quæstiones Fidei esse irreformabile.

1. ARgumentum optimum ad probandum judicium summi Pontificis circa quæstiones fidei esse irreformabile, duci potest, ex eo quod nihil unquam à summis Pontificibus sit propositum toti Ecclesiæ tanquam fide Divina credendum, in quo à Conciliis Oecumenicis reformandum fuerit eorum judicium ; quin etiam eorum sententia, tanquam ex Petri Cathedra pronunciata, semper cum reverentia susceptа sit. Quid enim credere vetat Spiritum Sanctum, qui per septemdecim ferè sæcula summis Pontificibus res fidei definientibus sic adfuit, ut eorum judicium à Conciliis Oecumenicis, tanquam fidei omninò consonum, susceptum fuerit, inposterum etiam adfuturum, ut irreformabiliter judicent ? Certè periculum mali, quod per tot sæcula nunquam contigit, non usque adeò metuendum erat, ut Illustrissimi Episcopi Gallicani, omissis veris, & præsentibus Ecclesiarum suarum malis, huic incerto, vel potiùs nunquam futuro, remedium præparare curarent, eo præsertim Ecclesiam universam regente Pontifice, qui, si quis unquam, maxima cum

cum gravitate, patientia, & maturitate res omnes, præsertim arduas, tractat.

2. Scio equidem omnes Hæreticos, aliquos etiam ex Catholicis, quibusdam Pontificibus errores contra fidem tribuere; sed novi etiam eis ab aliis Catholicis, quorum libri omnium manibus teruntur, fuisse optimè responsum; nec defuturos, qui si novum quidpiam objiciatur, illud pari efficacia retundant. Sed de hoc infra recurret sermo. Ut autem ad propositum redeamus, videndum est, quî se habuerint Concilia, præsertim generalia, & Gallicana, circa judicia summorum Pontificum de rebus fidei.

3. Non utemur Canonibus Concilii primi Nicæni, in editionibus vulgaribus non contentis, &, ut aiunt, ex Arabia delatis eorum discussionem criticorum examini relinquentes, ne in suspicionem veniat jus causæ, dubiis probationibus assertæ. Cæterùm veritas, instar Solis, antequam oculis nostris sese exhibeat, nonnihil subobscuræ, non injucundæ tamen lucis præmittit, quæ paulatim crescit usque ad meridiem. Ita licet in antiquis monumentis non adeò clarè luceant veritates, quæ postmodum diligentiùs investigatæ, atque, ut sese obtulit occasio, accuratiùs versatæ, plenam tandem, aut saltem majorem lucem adeptæ sunt: non ideò tamen contemnenda sunt prima earum vestigia, præsertim insignia.

4. In Concilio generali Ephesino anno 431. art. 3. Philippus Presbyter, & Apostolicæ Sedis Legatus nemine contradicente legationis suæ, ac secum missorum, mandatum in hunc modum exposuit, qui indicat autoritatem, ac in fide firmitatem à sancto Petro ad ejus successores derivatam; *Nulli dubium, imò sæculis omnibus notum est, quod sanctus, beatissimusq; Petrus, Apostolorum Princeps, &* CAPVT, FIDEIQVE COLVMNA, ET ECCLESIÆ CATHOLICÆ FVNDAMENTVM *à Domino nostro Jesu Christo Salvatore humani generis, ac Redemptore, claves Regni accepit, solvendiq;, ac ligandi peccata potestas ipsi data est: qui ad hoc usque tempus, &* SEMPER IN SVIS SVCCESSORIBVS VIVIT, ET IVDICIVM EXERCET. *Hujus itaque secundùm ordinem successor, & locus tenens sanctus, beatissimusq; Papa noster Cœlestinus Episcopus, nos ipsius præsentiam supplentes, ad hanc sanctam Synodum misit.* Quorsum beati Petri mentio,

nisi, ut insinuetur, ejus successores eâdem pollere autoritate, præsertim dum quæstiones fidei judicant? Quo enim modo FIDEI COLVMNA, ET ECCLESIÆ CATHOLICÆ FVNDAMENTVM SEMPER IN SVIS SVCCESSORIBVS VIVERET, ET IVDICIVM EXERCERET, si isti toti Ecclesiæ possent, proposito errore, casus, ruinæque occasionem præbere?

5. In Art. 2. Firmus Cæsareæ Episcopus dixit; *Apostolica & sancta Sedes Cœlestini sanctissimi Episcopi de præsenti negotio* SENTENTIAM REGVLAMQVE PRÆSCRIPSIT, *quam nos quoque secuti formam, illam executioni mandavimus, Canonicum, Apostolicumq; judicium in illum (Nestorium) proferentes.* Vides sententiam Romani Pontificis tanquam regulam præscriptam executioni mandatam, & beatum Petrum, dum judicia de rebus Ecclesiasticis ore sui successoris pronunciat, humiliter auditum.

6. Sed ne putes singulares tantùm Episcopos ita sensisse, ac dixisse, toto Concilio, saltem suo silentio consentiente, summorum Pontificum, ut beati Petri, sententiam esse suscipiendam: In Concilio generali Chalcedonensi Art. 2. lectâ epistolâ sancti Leonis Papæ ad Flavianum Archiepiscopum Constantinopolitanum, in qua Eutychetis doctrinam, ut hæreticam damnabat, & fidei orthodoxæ normam præscribebat, Reverendissimi Episcopi clamaverunt; *Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides. Omnes ità credimus, Orthodoxi ita credunt. Anathema ei, qui ita non credit.* PETRVS PER LEONEM ITA LOCVTVS EST, *&c.* Sed inquies ita clamatum est, quia revera Episcopi, sancti Leonis doctrinam cum recta fide consentire, judicarunt; hinc tamen regula generalis constitui non potest. Certè hoc, ut suprà insinuavi, parum non est, quod in hoc, & in reliquis Conciliis generalibus, sententia summorum Pontificum de rebus fidei toti Ecclesiæ pronunciata, ut orthodoxa susceptа fuerit. Verùm hunc judicii Romani Episcopi cum fide consensum, non eruditioni sancti Leonis, sed ejus dignitati tribuendum, id est lumini Spiritûs Sancti, beato Petro, ejusque successoribus, ne deficeret eorum fides, à Christo impetrato, non solùm ultima illa verba, PETRVS PER LEONEM LOCVTVS EST, significant; sed etiam Synodica ad sanctum Leonem epistola, ubi Concilium eum FIDEI CVSTODEM, & SANCTI PETRI INTERPRETEM appellat, *quam*, in-

inquit de fide loquens, *ex præcepto Legislatoris venientem usque ad nos* IPSE *servasti*, VOCIS BEATI PETRI OMNIBVS CONSTITVTVS INTERPRES. Non est supervacaneum pronomen, *ipse*: indicat enim Romanum Pontificem specialiter esse vocatum à Christo Fidei Custodem; *Et* VOCIS BEATI PETRI OMNIBVS CONSTITVTVM INTERPRETEM: Statim autem Concilium profitetur se, sancto Leone Autore, Antistite, sive Præside, ea enim est vocis Græcæ significatio, veritatem fidelibus ostendisse. *Unde & nos te ut* DVCEM *utiliter habentes Ecclesiæ filiis hæreditatem, sortemq; veritatis ostendimus..... quibus tu quidem sicut membris* CAPVT *præeras, in his, qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam præstitum.* in tertia part. act. Concil. Chalced. cap. 2.

7. Eam Romani Pontificis dignitatem, & autoritatem generatim explicat beatus Petrus Chrysologus Episcopus Ravennas litteris ad Eutychem in 1. par. Act. ejusdem Concilii exscriptis; *Quoniam beatus Petrus, qui in propria Sede vivit, & præsidet,* PRÆSTAT QVÆRENTIBVS FIDEI VERITATEM. Quomodo vivit & præsidet in propria Sede, nisi quia, ut suprà notavimus, ejus successor, in fidei veritate toti Ecclesiæ exponenda, indeficienti gaudet, sicut ille Spiritûs Sancti auxilio, & ductu, ET PRÆSTAT QVÆRENTIBVS FIDEI VERITATEM.

8. Agatho Papa suum de rebus fidei judicium, etiam ante Concilii universalis acceptationem, irreformabile esse non dubitabat; quandoquidem Legatos ad Concilium sextum generale mittens in secunda quam ad Imperatorem Constantinum Pogonatum, ejusque fratres Heraclium, & Tiberium scripsit epistolâ, quæque in Act. 4. Concilii recitata fuit, audacter, ac securè pronunciat, se suis Legatis mandasse, non ut quæ ipse cum suo Concilio declaraverat, tanquam dubia, & incerta examinarentur, sed ut certa, & immutabilia publicarentur. *Personas*, inquit, *prævidimus dirigere, non tamen tanquam de incertis contendere, sed ut certa, atque immutabilia compendiosâ definitione proferre.* Mox condemnationis sententiam profert in eos, qui traditæ à se doctrinæ contradicerent; *Qui verò hæc confiteri noluerint, ut infestos Catholicæ, atque Apostolicæ confessioni perpetuæ condemnationis reos esse censemus.* Quis ità nisi vel imprudentissimus, vel de suæ veritate sententiæ certissimus, loqui audeat, à

Con-

Concilio Oecumenico, si falsa proferret, vel injusta, mox redarguendus? Numquid autem summus ille Pontifex Concilio visus est nimiam sibi tribuisse autoritatem? Ejus doctrinam non solùm ut veram, sed etiam tanquam à Spiritu Sancto dictatam, & à Beato Petro prolatam se suscipere declaravit, primò Dometius Episcopus Prusiados his verbis; *Suggestiones directas à Patre nostro Agathone sanctissimo Archiepiscopo Apostolicæ, & principalis Sedis antiquæ Romæ,* TANQVAM EX SPIRITV SANCTO DICTATAS *per os sancti, ac beatissimi Principis Apostolorum Petri, & digito prædicti beatissimi Papæ Agathonis scriptas suscipio, & amplector, & ita credo, ità sentio.* Totum deinde Concilium sententiam Agathonis in prædicta Epistola contentam amplexum est, & Macharium Patriarcham Antiochenum eam admittere recusantem deposuit.

9. In prima verò Epistola docet apertissimè Agatho, Ecclesiam Romanam, non solùm in fide non deficere, sed ejus etiam esse, reliquas omnes in fide confirmare. *Spiritales oves Ecclesiæ* (inquit loquens de beato Petro) *ab ipso Redemptore omnium ternâ commendatione pascendas suscepit: cujus annitente præsidio hæc Apostolica ejus Ecclesia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, cujus autoritatem, utpotè Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt, omnesq; venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi, per quam & probatissima Ecclesiæ Christi lumina claruerunt, & sancti quidem Doctores Orthodoxi venerati, atque secuti sunt. Hæretici autem falsis criminationibus, ac derogationum odiis insecuti.* Et quibusdam interjectis; *Hæc est enim* VERÆ FIDEI REGVLA, *quam & in prosperis, & in adversis vivaciter tenuit, ac defendit hæc spiritalis Mater vestri tranquillissimi Imperii, Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit. Sed ut ab exordio fidei Christianæ percepit ab Autoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibatâ fide tenus permanet, secundùm ipsius Domini Salvatoris Divinam pollicitationem, quam suorum Discipulorum Principi in Sacris Evangeliis satus est: Petre, Petre, inquiens, Ecce Sathanas expetivit, ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum:* EGO AVTEM PRO TE ROGAVI, VT NON DEFICIAT FIDES TVA; ET TV ALIQVANDO CONVERSVS CONFIRMA FRATRES TVOS. *Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Do-*

Dominus, ac Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædecessores, considenter FECISSE SEMPER *cunctis est cognitum.* Non ergò pro solo Petro, sed & pro Petri successoribus rogavit Christus, ne deficeret eorum fides, ut scilicet possent fratres confirmare, si quando in fide vacillarent.

10. Utramque autem epistolam quomodo exceperit Concilium, testati sunt non solùm singulatim aliqui Episcopi, sed ipsummet Concilium universum, non solùm nihil adversùs testimonia in favorem sanctæ Sedis prolata excipiens, sed & submissionem significans his verbis; *Sancta, & universalis Synodus suscipiens, &* EXPANSIS MANIBVS AMPLECTENS *tam suggestionum, quæ à sanctissimo, ac beatissimo Agathone Papa antiquæ Romæ facta est..... adæquè amplexa est & alteram Synodalem suggestionem, quæ missa est à Sacro Concilio, quod est sub eodem sanctissimo, ac beatissimo Papa, &c.* In epistola ad eundem Agathonem; *Tibi ut primæ Sedis Antistiti universalis Ecclesiæ, quid agendum sit relinquimus,* STANTI SVPER FIRMAM FIDEI PETRAM, *libenter perlectis veræ confessionis litteris à vestra paterna Beatitudine ad piissimum Imperatorem missis, quas ut à summo Apostolorum vertice* DIVINE' PERSCRIPTAS AGNOSCIMVS, *per quam exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus.* Confer ista cum iis, quæ suprà ex aliis Conciliis retulimus, & observabis quantùm inter se concordent in veneranda fidei beati Petri soliditate, ejusque in successoribus illius Apostoli Romanis Pontificibus agnoscenda continuatione. Sed progrediamur ulteriùs, ut veluti perpetua texatur traditionis series.

CAPUT V.

Idem aliorum probatur autoritate Conciliorum, & Episcoporum.

1. QUanto cum applausu excepta sit doctrina Adriani I. Papæ in epistolis ad Imperatorem, & ad Patriarcham Constantinopolitanum scriptis, in actis septimæ Synodi anno 787. habitæ videri potest, scilicet Act. 2. in qua lectæ

sunt. Continent autem etiam illæ epistolæ sanctæ Sedis in dirimendis de fide controversiis prærogativæ testimonia. In prima habentur hæc verba de beato Petro, & ejus Sede; *Iste itaque tam præcelso prælatus honore promeruit confiteri fidem, supra quam fundatur Ecclesia Christi. Beatam Confessionem beatitudo secuta est præmiorum, cujus prædicatione sancta universalis illustrata est Ecclesia, &* EX EA CÆTERÆ DEI ECCLESIÆ FIDEI DOCVMENTA SVMSERVNT. *Nam ipse Princeps Apostolorum beatus Petrus, qui Apostolicæ Sedis primitias præsedit, sui Apostolatûs Principatum, ac Pastoralis curæ, successoribus suis, qui in ejus sacratissima Sede perenniter sessuri sunt, dereliquit; Quibus & auctoritatis potestatem, quemadmodum à Salvatore nostro Domino Deo ei concessa est, & ipse quoque suis contulit, ac tradidit Divino jussu successoribus Pontificibus.* In eodem Concilio act. 2. Joannes sanctissimus Episcopus Tauromaniæ dixit: *Cùm veluti Divinus* ORTHODOXIÆ TERMINVS (sive Divina definitio) *sint litteræ, quæ ab Adriano Papa senioris Romæ ad pios Imperatores nec non, & ad Tarasium universalem Patriarcham nostrum missæ sunt, ita profiteor.*

2. Nicolai I. & Adriani II. judicium de Photio, & de sacris Imaginibus doctrinam secuta est octava Synodus, ad quam nemo admissus est, quin professioni fidei ab Adriano missæ subscripsisset, in quæ hæc continentur, *quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis;* TV ES PETRVS, ET SVPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM. *Hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus; quia in Sede Apostolica immaculata est semper reservata Religio, & sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide, atque doctrina separari minimè cupientes, & Patrum, & præcipuè Sanctorum Sedis Apostolicæ Præsulum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes hæreses simul cum Iconomachis.* Quomodo autem prædicta Synodus octava summorum illorum Pontificum amplexa sit constituta, declarant hæc ejus verba, Can. 2. *Obedite Præpositis vestris tanquam rationem reddituri, Paulus magnus Apostolus præcipit. Itaque beatissimum Papam Nicolaum* TANQVAM ORGANVM SANCTI SPIRITVS HABENTES, *necnon & sanctissimum Adrianum Papam successorem ejus, &c.* Concilia Oecumenica summum *Pontificem tanquam organum sancti Spiritûs habent.* Antistites Gallicani ejus judicia reformabilia esse decernunt.

3. In Concilio Lugdunensi anno 1274. Imperator Græcorum & per Epistolam, & per Nuncium juravit, se Catholicam,

cam, & Orthodoxam fidem acceptare, profiteri, ac servare velle. PROUT, inquit, EAM VERACITER TENET, *fideliter docet, & prædicat Sacrosancta Romana Ecclesia.*

4. Concilium Lateranense sub Innocentio III. vocat Ecclesiam Romanam Matrem, & Magistram omnium fidelium. Possent omnes fideles in errorem induci, si erraret Magistra, quam tenentur audire.

5. Clemens V. Clementinâ de summa Trinitate, & fide Catholica §. Nos igitur docet, *quod ad Apostolicam considerationem dumtaxat hæc* (quæ in Scripturis obscura sunt) *declarare pertinet*; Quod etsi dixerit Concilio Oecumenico, Viennensi scilicet, Præsidens; Necessitatem tamen Concilii non induxit, sed potiùs exclusit, particulam illa, *dumtaxat*. Ut autem à Conciliis generalibus ad Gallicana descendamus.

6. Cui unquam ex antiquis Episcopis Gallicanis venit in mentem, non esse irreformabile sanctæ Sedis judicium, donec à Concilio Oecumenico confirmatum, aut ab Ecclesia universa fuisset acceptatum? Et Episcopi singuli, & eorum Cœtus, sive Concilia illud tanquam indubitatam fidei normam populo proponebant. Hac regula Concilium Arausicanum II. anno 529. Fausti Regensis errores confutavit, & veritatem orthodoxam declaravit. *Id nobis*, ità præfantur Episcopi, *secundùm admonitionem, & autoritatem Sedis Apostolicæ justum, ac rationabile visum, & pauca Capitula* AB APOSTOLICA SEDE NOBIS TRANSMISSA, *quæ ab antiquis Patribus de sanctarum Scripturarum voluminibus in hac præcipuè causâ collecta sunt ad docendos eos, qui aliter quam oportet, sentiunt, ab omnibus observanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus. Quibus locis, qui huc usque non sicut oportebat de gratia, & libero arbitrio credidit, ad ea, quæ fidei Catholicæ conveniunt, animum suum inclinare non differat.* Contradicere quidem superiorum declarationi, nisi evidenter falsæ, non licet. At verò *animum suum* nemo tenetur *inclinare*, nisi in obsequium fidei. An ergo Conciliis Provincialibus, an autoritati Papæ debetur, ut fideles *animum inclinent* ad ea, quæ definiuntur? Vide notas Severini Binii in hanc præfationem.

7. Sanctus Avitus Episcopus Viennensis anno 517. non suo solius, sed & omnium Episcoporum Galliæ nomine, protestatus est Horsmisdæ Papæ, se ejus sententiæ in mate-

ria fidei adhæsurum. *Quia*, inquit, *jam securus, non dicam de Viennensi, sed de totius Galliæ devotione polliceor*, OMNES VESTRAM SVPER STATV FIDEI CAPTARE SENTENTIAM. *Orate, ut sic nos prædictorum professio sucata non fallat, sicut ab unitate, quam regitis; veritas comperta non separat.*

8. Ravennius, aliisque Episcopi Gallicani in Epistola Synodica ad S. Leonem Magnum pluribus testati sunt, quanti facerent ejus circa dubia de fide, sententiam, etiam antequam Concilii generalis Chalcedonensis consensus accessisset; *Quæ*, inquiunt, *Apostolatus vestri scripta ita, & symbolum fidei, quisquis Redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis adscribit, & tenaci, quo ad confutandos Hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit ..... Doctrinæ post Deum vestræ debet quisque fidelis, ut constanter teneat, quod credebat: Debet etiam infidelis, ut à perfidia sua, agnita veritate discedat, & APOSTOLICÆ INSTITVTIONIS LVCE PERFVSVS erroris sui tenebras derelinquat, magisq; sequatur, & credat, quod per os vestrum Dominus noster Jesus Christus de Sacramento Incarnationis suæ docet, quam id teneat, quod Diabolus humanæ salutis, & veritatis inimicus instillat.* Post epistolam 51. S. Leonis.

9. Ceretius Salonius, & Veranus Episcopi Gallicani eandem erga sancti Leonis epistolam reverentiam professi fuerant his verbis; *Illa specialis doctrinæ vestræ pagina ita per omnium Ecclesiarum conventicula celebratur, ut verè consona omnium sententia declaretur; meritò illic Principatum Sedis Apostolicæ constitutum, unde adhuc Apostolici Spiritus oracula referentur.* Post epist. 98. S. Leonis.

10. Concilium Turonense II. anno 570. Can. 21. suam erga sanctæ Sedis Decreta observantiam significat his verbis; *Quis Sacerdotum contra Decreta talia, quæ à Sede Apostolica processerunt, agere præsumat ..... & quorum Autorum valere possit prædicatio, nisi quod Sedes Apostolica semper aut intromisit, aut apocryphos fecit? Et Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcepit autoritas. Nos ergo hoc sequentes, quod vel Apostolus Paulus, VEL PAPA INNOCENTIVS statuit, in Canonibus nostris inserentes statuimus observandum, &c.*

11. Quam huic antiquorum Gallorum reverentiæ erga sanctæ Sedis de fide oracula concordaverint, eorum posteri usque ad extrema tempora; in illorum historiis licet observare, nec non in Gallicanorum Conciliorum monimentis

à Pa-

à Patre Jacobo Sirmondo collectis, iterumque in sequentibus capitibus demonstrabitur.

12. Interim tamen animadvertendum est cæteras Nationes in ea obedientia Gallis non cessisse. De Italica nemo dubitat, de Ecclesia Africana, quæ à Gallis in exemplum tam libenter assumitur, dicemus inferius. De Hispanica præter ea, quæ in primo libro retulimus, libet Epistolæ Concilii Tarraconensis ad Hilarium Papam scriptæ, ac in Concilio Romano lectæ anno 465. principium, & finem exscribere. *Etsi nulla extaret* (inquiunt Episcopi Tarraconensis Provinciæ cum suo Metropolitano) *necessitas Ecclesiasticæ disciplinæ, expetendum re vera nobis fuerat illud privilegium Sedis vestræ, quo susceptis Regni clavibus post Resurrectionem Salvatoris per totum Orbem beatissimi Petri singularis prædicatio universorum illuminationi prospexit: cujus Vicarii Principatus, sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus, & amandus. Proinde vos Deum in vobis penitus adorantes, cui sine querela servitis, ad fidem recurrimus, Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes,* VNDE NIHIL ERRORE, *nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur.* Queruntur posteà de Sylvano Episcopo Calaguræ, ejusdem Provinciæ, quod multa patrasset, *postponens Patrum regulas, & Romani Pontificis instituta, denique contra vetustatem Canonum, contra Synodi constituta.* (Has enim veras Ecclesiæ libertates sartas tectas servari cupiebant) Concludunt in hunc modum; *Proinde quia his præsumptionibus, quæ unitatem dividunt, quæ schismæ faciunt, velociter debet occurri: quæsumus Sedem vestram, ut quid super hac parte observare velitis,* APOSTOLICIS AFFATIBVS INSTRVAMVR *quatenus fraternitate collectâ, prolatis in medium venerandæ Synodi Constitutis contra rebellionis spiritum vestrâ autoritate subnixi, quid oporteat de ordinatore & ordinato fieri intelligere, Deo adjuvante, possimus. Erit profecto vester triumphus, si Apostolatus vestri temporibus, quod sancti Petri Cathedra obtinet, Catholica audiat Ecclesiæ, si novellarum assertionum semina fuerint extirpata.*

13. Sanctus Thomas Archiepiscopus Cantuariensis epist. 97. edit. P. Lupi. Omnibus Episcopis Angliæ, quorum erat Primas scripsit; *Quis Romanam Ecclesiam Caput omnium Ecclesiarum, &* FONTEM CATHOLICÆ DOCTRINÆ *ambigit esse? Quis claves Regni Cælorum Petro traditas esse ignorat? Nonne* IN FIDE, ET DOCTRINA PETRI, *totius Ecclesiæ structura consurgit, donec occurramus omnes Christo in virum perfectum, in unitatem fidei, & agnitionem filii Dei? ..... Quicumque*

que sit, qui rigat, aut plantat, Deus nulli dat incrementum, nisi illi, qui plantavit in fide Petri, & doctrinæ ipsius acquieſcit. Sanè ad eum maxima populi judicia referuntur, à Romano examinanda Pontifice, &c.

CAPUT VI.

Probatur ſanctorum Patrum, ac primò à ſancti Irenæi autoritate, certitudo judicii ſummi Pontificis in quæſtionibus Fidei.

1. QUoniam Illuſtriſſimi Antiſtites Gallicani libertatum ſuarum fundamenta, non ſolùm Sacris Canonibus, ſed etiam Patrum traditione, niti volunt; poſtquam Conciliorum teſtimonia protulimus, exhibenda eſt ſanctorum Patrum doctrina, in qua generatim tria potiſſimùm notanda ſunt (ne ſæpiùs repetere cogamur): quamvis non omnia ſemper in ſingulis teſtimoniis occurrant. Primum, Eccleſiam Romanam eſſe unitatis centrum, quò concurrendum ſit ad vitanda ſchiſmata. Secundum; illuc confugiendum, quando dubia, præſertim difficiliora, oriuntur circa fidem; & hinc veritatem fidei ab Apoſtolis traditæ addiſcendam. Tertium; has ſanctæ Sedis prærogativas autoritati beato Petro à Chriſto impetratæ, & collatæ, necnon ejuſdem autoritatis ad beati Petri ſucceſſores tranſmiſſioni, non autem accedenti Eccleſiæ conſenſui, tribuendas; atque adeò Chriſtum non pro ſolo Petro, ſed pro ejus etiam ſucceſſoribus Romanis Pontificibus rogaſſe, ut non deficeret fides eorum; ac ſi qua emergat, præſertim circa fidem, contentio, in petræ illius firmitate ſtare debere, quicumque voluerit caſum devitare; illi petræ incumbere, qui intra Eccleſiam ſuper illam ædificatam permanere cupierit; ab hærede Petri confirmandos, qui à Sathana fuerint expetiti, & contra fidem tentati.

2. Schiſma eſt, ut docet ſanctus Thomas 2. 2. quæſt. 39. art. 1. cùm à ſummo Pontifice receditur: in ſchiſmate autem non eſt fides, ut tradit S. Ambroſius §. 10. referendus: ut ergo & ſchiſma, & hæreſis periculum vitentur, adhærendum

dum est summo Pontifici ; *Ecclesiæ unitas*, inquit S. Thomas, *in duobus attenditur, scilicet in connexione membrorum Ecclesiæ adinvicem, seu communicatione, & iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum Caput..... hoc autem Caput est ipse Christus, cujus vicem in Ecclesia gerit summus Pontifex ; & ideò schismatici dicuntur, qui subesse renuunt summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant.* Sed quorsum sancti Patres tam diligenter monent vitandum esse schisma. Nam si Romani Pontifices in eodem, quo alii periculo erroris versantur, longè præstaret illis non tam arctè conjungi. Quid enim, si, ut p sse creduntur, revera fallantur ; nonne illos sequi pernicioſum erit ?

3. Quomodò certi, ac securi erunt in fide summo Pontifici adhærentes, si summus ipse Pontifex labilis sit ? Philosophorum axioma est ; quidquid multiplex, varium, incertum, inconstans est ; debere ad aliquid reduci, quod sit simplex, uniforme, certum, ac constans. Si igitur Episcopi dissentiant inter se circa veritatem fidei, adeoque ab invicem separentur, quâ poterit regulâ discerni, à quorum partibus stet veritas, & apud quos sit vera Ecclesia ; nisi summus Pontifex immobile sit unitatis, & communionis centrum, fidelissimus veritatis Custos, firmum Ecclesiæ fundamentum, & sanum mystici Corporis Christi Caput, cui quî communicet, & consentiat, Catholicus judicetur ? sed ad sanctorum Patrum doctrinam accedamus.

4. Adeò est insigne testimonium sancti Irenæi, ad probandam summi Pontificis in solvendis fidei quæstionibus autoritatem ; ut vel solum declarationi Comitiorum Cleri Gallicani præponderet, atque ad certam fidem faciendam penè sufficiat. Si enim testis probitatem spectes, Sanctus est, fidei zelo flagrantissimus, dignusque, qui cùm omnibus ferè civitatis suæ Christianis glorioso Martyrio vitam clauderet : si ætatem, est omnium Patrum Latinorum antiquissimus (licet ex ejus stylo aliqui eum Græcè scripsisse conjiciant, alii utroque idiomate suspicentur) Episcopus Lugdunensis jam anno 180. si scientiam, ab Apostolorum discipulis, præsertim à beato Polycarpo Divinas traditiones edoctus : si locum, atque ordinem, in celeberrima Galliarum Civitate Antistes, atque adeò omnium, quæ in illis partibus erant, Christia-

Christianorum sententiæ conscius : si testimonium ipsum inspicias, luculentum judicabis.

5. Sic enim Irenæus lib. 3. adversùs hæreses cap. 3. traditionem Ecclesiæ opponens hæreticis, ait; *Sed quoniam valdè longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis, traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquam oportet colligunt.* AD HANC ENIM ECCLESIAM PROPTER POTENTIOREM PRINCIPALITATEM NECESSE EST OMNEM CONVENIRE ECCLESIAM, *hoc est, eos, qui sunt undique fideles.* IN QVA SEMPER AB HIS, QVI SVNT VNDIQVE CONSERVATA EST EA, QVÆ EST AB APOSTOLIS TRADITIO.

6. Unica statim occurrit difficultas, quod scilicet S. Irenæus non de solo summo Pontifice, sed de Ecclesia Romana loquatur. Verum hoc discrimen nihil Episcopos Gallicanos juvat, qui ut Papæ judicium irreformabile sit, non solius Ecclesiæ Romanæ particularis, sed Ecclesiæ universæ consensum requirunt. Equidem si res eò reducatur, ut summi Pontificis Decreta circa fidem indubitata futura sint accedente solius Ecclesiæ Romanæ consensu, faciliùs schismatibus via præcludetur, cùm omnino prompta sint ejus membra ad sequendum Capitis sui ductum. Adde quod si concedatur Ecclesiam Romanam prout ab aliis Ecclesiis particularibus distinguitur, privilegio non errandi esse præditam; non erit operosè laborandum, ut demonstretur quidquid habet Ecclesia Romana vel dignitatis, vel autoritatis, totum à Capite, summo scilicet Pontifice, in alia membra effluere, ut ex iis patet, quæ jam contra Launoium disputata sunt.

7. Nec opus erit ad B. Cypriani autoritatem recurrere, qui Ecclesiam in Episcopo esse scribit ad Florentium Pupianum epist. 69. edit. Pamel. ut Ecclesiam Romanam in Romano Pontifice continere dicamus : sanctus ipse Irenæus in verbis supra relatis satis insinuat, quæ Ecclesiæ Romanæ tribuit, ipsi propter successionem episcoporum à B. Petro inchoa-

choatam competere ; *A gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem per successionem Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, &c.* Ideò continuò post verba suprà exscripta, B. Petri successores singulatim enumerat.

8. Observandum est autem ex mente sancti Irenæi ad statuenda contra Hæreticos fidei dogmata, solam Ecclesiæ Romanæ traditionem sufficere, nec omninò esse necessarium aliarum Ecclesiarum traditiones inquirere, licet utile sit, cùm id commodè fieri potest, ad opprimendam Sectariorum pertinaciam ; *Sed quoniam* inquit, *valdè longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præter quam oportet colligunt*, id est separatim ab Ecclesia universali conventicula faciunt, sesequè congregant. Sed, si summi Pontificis, seu Ecclesiæ Romanæ, judicium non est irreformabile, quomodo indicatâ ejus traditione confundentur omnes hæretici ? Non erit satis continuatam à S. Petro usque ad nos Episcoporum successionem ostendere, atque quid tradant Principis Apostolorum successores, exhibere, nisi accedat Ecclesiæ universæ consensus, & demonstretur similiter Episcoporum omnium aliarum Ecclesiarum successio, atque accepta per illos ab Apostolis traditio.

9. Sed dixerit quis non solius Ecclesiæ Romanæ, sed & cujuslibet alterius traditio indubitatæ fidei esset, si constaret eam ab Apostolis descendisse. Quis enim hæreticus auderet, certum Apostoli cujusvis testimonium recusare ? Ita sanè ; atque hinc colligitur S. Irenæum non reposuisse vim convincendorum hæreticorum, in eo solo, quod Apostoli Petrus, & Paulus contrariam doctrinam tradiderint, sed in eo etiam quod certissimum sit Petri successores esse, qui eam nobis traditionem communicant. Alioquin enim quid opus fuisset illius successionis in Episcopatu seriem tam accuratè

texere ? Cur non potuissent alii , quam illius Apostoli successores , testes adhiberi ? Quia inquies , verisimiliùs est, ut notat S. Irenæus , Apostolos Arcana fidei suis successoribus concredituros. Valet quidem hæc ratio in B. Petro , qui Coadjutores habuisse dicitur illos , qui ei successerunt. Sed id in subsequentibus locum non habet ; quippè cùm sæpiùs ignorarint, qui sibi essent successuri.

10. Adde quod eadem ratio militaret pro Ecclesia Antiochena , in qua primùm sedit B. Petrus , & in qua successorem suum ipse constituit ; & pro Alexandrina , quam per B. Marcum fundavit ; Imò pro qualibet alia , cùm nulla sit quæ vel immediatè , vel mediatè fundata non fuerit ab aliquo ex Apostolis , quibus omnibus dixit Christus. Joan. 15. v. 15. *Omnia quæcumque audivi à Patre meo nota feci vobis.* Sumitur quidem veritatis argumentum ex illa Episcoporum jam ab Apostolis propagatione ; sed certitudo à solius Petri successorum serie , vel à tota Episcoporum ab Apostolis descentium collectione ; non autem à cujusvis alius singularis Episcopi , præter Romanum , testimonio.

11. Sanctus Irenæus solius Ecclesiæ Romanæ traditione indicatâ , censet confundendos hæreticos , causamque affert; *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem , necesse est omnem convenire Ecclesiam ; hoc est eos , qui sunt undique fideles.* Quomodo si ad Ecclesiam Romanam *omnis Ecclesia , & omnes undique fideles convenire teneantur* , & ab ea decipi possent , non sequeretur totam Ecclesiam in errorem induci posse. Non enim illuc convenire tenentur , nisi ut doceantur , non docentur , nisi ut discant , & credant.

12. Apertiùs significat idem S. Episcopus causam , cur ad Ecclesiam Romanam , omnem Ecclesiam , omnesque fideles convenire oporteat , eam esse ; quod scilicet ibi semper conservata sit traditio Apostolica pro universa Ecclesia , seu pro omnium omninò instructione. *In qua semper ab his , qui sunt undique , conservata est ea , quæ est ab Apostolis traditio.*

13. Quod comprobat propositum à S. Irenæo Corinthiorum exemplum. Licet enim Corinthi Ecclesia à B. Paulo fundata , & docta fuisset , ejusque adhuc recens esset memoria, dissenserunt tamen inter se Corinthii circa veritatem ab ipso tradi-

traditam. Quare neceſſe illis fuit ad Eccleſiam Romanam, utpotè fideliſſimam Apoſtolicarum traditionum cuſtodem, pro cunctorum informatione recurrere. *Diſſentione non modicâ inter eos, qui Corinthi eſſent, fratres, ſactâ, ſcripſit quæ eſt Romæ Eccleſia, potentiſſimas litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans, & annuntians, quam in recenti ab Apoſtolis receperant traditionem.* Si Apoſtolicis temporibus viciniores, de ea, *quam in recenti ab Apoſtolis receperant traditione*, ambigentes ad concordiam nonniſi per Sedem Apoſtolicam revocati ſunt, quanto magis qui longiùs ab Apoſtolica origine receſſerunt, ut unitatem fidei cuſtodiant ad illud unitatis centrum convenire indigent, eique firmiter adhærere?

14. Tribuuntur autem Eccleſiæ Romanæ litteræ ad Corinthios miſſæ, licet à S. Clemente ſcriptæ ſint, ut tradit Euſebius hiſtor. Eccleſ. lib. 3. cap. 12. his verbis, *hujus vero Clementis una ſertur eſſe epiſtola, omnium judicio approbata, illuſtris illa quidem, & digna planè admiratione, quam* TANQVAM EX ROMANÆ ECCLESIÆ PERSONA *ad Corinthiorum Eccleſiam tùm quidem exaravit, cùm jam Corinthi gravis eſſet inflata ſeditio. Hanc ſanè cùm veterum, tum noſtrâ ipſorum memoriâ plurimis in Eccleſiis publicè lectam, uſurpatamq; cognovimus.* Ideòigitur à S. Irenæo dicitur, *ſcripſit quæ eſt Romæ Eccleſia*; quia S. Clemens ſcripſit, *tanquam ex Romanæ Eccleſiæ perſona.* Ita S. Hieronymus lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis cap. 25. de S. Clemente ait; ſcripſit *ex perſona Romanæ Eccleſiæ ad Eccleſiam Corinthiorum valdè utilem epiſtolam, quæ & in nonnullis locis publicè legitur.* Non, quòd Pontifex eſſet tantùm ab Epiſtolis, aut à ſecretis Eccleſiæ Romanæ, ſed quia licet penes ipſum eſſet autoritas, res tamen nonniſi præmiſsâ conſultatione decernebat.

15. Itaque S. Irenæus, dum ait, quod ad hanc Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, non ſolùm quid ipſe ſentiret, ſed etiam quid traditio à temporibus Apoſtolorum faciendum doceret, declaravit. Eccleſia enim Corinthi ad Eccleſiam Romanam recurrerat, tanquam ad unitatis centrum, ut hinc peteret diviſionis ſuæ remedium, & Apoſtolicam traditionem certò ediſceret. Nam antequam ſanctus Clemens Corinthiis ſcriberet *potentiſſimas litteras, ad pacem eos congregans, & reparans fidem*

eorum, consultus fuerat à Corinthiis, ut docent illæ litteræ, quas publicæ luci restituit Patricius Junius Scoto-Brittannus: in iis enim excusat Clemens suam in respondendo tarditatem; *Propter calamitates, & casus adversos, qui nobis acciderunt, Fratres dilecti, postulatis vestris tardiùs nos animum adjecisse veremur.*

16. Quantâ verò cum reverentiâ excepta sit sancti Pontificis responsio, animadvertere licet in verbis Eusebii, ac sancti Hieronymi supra relatis, siquidem adhuc eorum tempore, ideſt post tria sæcula publicè in Ecclesiis legebantur ejus litteræ, quas verè sanctus Irenæus appellavit potentissimas, tum propter eam, quam continent doctrinam, tum propter scribentis potentiorem principalitatem.

17. Ad sanctum Anicetum Romanum Pontificem similiter, ut testatur idem sanctus Irenæus in epistola, cujus fragmentum refertur ab Eusebio lib. 5. histor. Eccles. cap. 24. recurrit Asiana Ecclesia pro quæstione de die celebrandi Paschatis, licet non perinde illius responsis acquieverit; quod tamen facere debuisse comprobavit eventus receptâ à Concilio generali Nicæno, ac tandem à tota Ecclesia, Sedis Apostolicæ sententiâ. Omni denique tempore ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem omnis convenit Ecclesia. Omnes illa ubique Christianos curavit, ad pacem congregans, & reparans fidem eorum.

CAPUT VII.

Aliorum Patrum eadem de re testimonia.

1. A Beato Hyppolito Episcopo, & Martyre, qui circa annum 230. obiit, oratione de consummatione Mundi dicitur *Princeps Petrus*, FIDEI PETRA, *quem beatum judicavit Christus Deus noster*, *ille* DOCTOR ECCLESIÆ, *ille primus Discipulorum*, *ille qui* REGNI CLAVES HABET, &c. Si ut indubitatum est, Romanus Pontifex Petri officio successit, cur etiam ipse non erit *fidei Petra*, *Doctor Ecclesiæ*, *Regni claves habens?*

2. Sanctus Basilius Magnus epist. 52. quæ est ad S. Athanasium, quanta sit Episcopi Romani autoritas in decidendis fidei quæstionibus, & in corrigendis quæ perperam à Conciliis

ciliis generalibus gesta sunt, his verbis significat; *Visum est mihi consentaneum, ut scribatur Episcopo Romano, ut quæ hic geruntur, confidenter, & sententiam suam expromat: Et quoniam difficile est, ut communi, ac Synodico decreto aliqui illinc mittantur, ipse* SVA AVTORITATE IN ISTA CAVSA VSVS *viros eligat ..... omniaq; secum habentes, quæ in Arimino facta sunt, ad ea rescindenda, quæ illic per vim, & violentiam gesta sunt ..... Quæritur autem, & hoc à nonnullis illic, ut & nobis ipsis videtur, necessariò ut Marcelli hæresim illi cùm venerint, tanquam malam ac noxiam, & à sana fide alienam exterminent.* Non putabat sanctus Basilius ad stabiliendam fidem opus esse Concilio generali, quod congregari non posse videbat (*Difficile est ut communi, ac Synodico decreto aliqui illinc mittantur*) postulandum tantum censet ut Romanus Pontifex *sententiam suam expromat ..... Ipse sua autoritate, ut in ista causa*, scilicet Concilii Ariminensis, *usus viros eligat, &c. ut Marcelli hæresim illi cùm venerint, tanquam malam, & noxiam, & à sancta fide alienam exterminent.* Conqueritur quidem acerbè S. Basilius de Episcopis Occidentalibus, etiam de Romano Pontifice in alia epistola, de modo scilicet agendi. Cæterùm enim hujus autoritatem & sanctus Basilius, & alii Episcopi Orientales summè venerabantur, ut ex epist. 74. ejusdem sancti Patris evidens fit. Sic enim de Eustathio Episcopo Sebasteno scribit. *Quæ verò sint illi à Beatissimo Episcopo Liberio propsita, & ad quæ consenserit, nobis clam est: nisi quod Epistolam attulit, per quam restitueretur: Eam ubi Tyanæ Synodo exhibuit, in suum locum restitutus est.*

3. Sancto Basilio conjunctissimus sanctus Gregorius Nazianzenus, carmine de vita sua perseverantiam Ecclesiæ Romanæ in fide, à qua Constantinopolitana exciderat, tribuit dignitati Capitis, veterem Romam sic novæ opponens;

Fides vetustæ recta erat jam antiquitùs,
Et certa perstat nunc item nexu pio
Quodcumque labens sol videt, devinciens:
Ut universi Præsidem mundi decet,
Totam colit quæ numinis concordiam.
Nova verò quondam (de mea jam non mea,
Nunc sermo nobis) RECTI-PES ERAT IN FIDE,
At non item post mersa sub letho gravi.

Oratione autem 26. ſuper Petrum fundatam Eccleſiam tradit. *Vides*, inquit, *quemadmodum ex Chriſti diſcipulis magnis utique omnibus, & exceiſis, atque electione dignis hic Petra vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta in fidem ſuam accipiat.* Quamobrem orat. 7. vocat cum Eccleſiæ columen, quod conſervandæ inconcuſſæ Eccleſiæ Dei officium ſignificat.

4. S. Optatus Epiſcopus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum ſupradicta confirmat. *Cathedra*, inquit, *una eſt, & negare non audes ſcire te Petro primam in urbe Cathedram eſſe collocatam, ubi ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus, inde Cephas appellatus, in quo una Cathedræ unitas ab omnibus ſervaretur, nec cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, ut jam ſchiſmaticus, & peccator eſſet qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra una eſt, quæ eſt prima de duobus. In ea ſedit primus Petrus*, probat autem Donatiſtas clavibus carere, eo quod Petri Cathedræ adverſarentur, *claves leginus accepiſſe Petrum, Principem ſcilicet noſtrum, cui à Chriſto dictum eſt; Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & portæ inferorum non vincent eas. Unde eſt ergo quod claves Regni vobis uſurpare contenditis, qui contra Cathedram Petri veſtris præſumptionibus, & audaciis, ſacrilegio militatis?* Lib. 1. dixerat, *Cæcilianus omnium ſupra memoratorum ſententiis innocens eſt pronunciatus, etiam Melchiadis ſententia*, QVA IVDICIVM CLAVSVM EST. Quæ quidem verba ſic interpretatur Illuſtriſſimus Gabriel de Laubeſpine Epiſcopus Aurelianenſis; *Quaſi diceret etiam à ſumma Pontifice abſolutus*, POST CVIVS IVDICIVM DE CÆCILIANI INNOCENTIA NON EST DVBITANDVM.

5. Sanctus Ambroſius duo docet notatu digniſſima; Primum; Catholicitatis, ut ita dixerim notam eſſe conſenſum cum Romana Eccleſia: Alterum, fidem non eſſe in ſchiſmate, quod, ut capite ſuperiori ex Divo Thoma oſtendimus, non conſiſtit in ſola ſeparatione ab univerſo Eccleſiæ corpore, ſed etiam in diviſione à capite; *Inde* (à Romana Eccleſia) *in omnes, venerandæ communionis* jura dimanant, inquit Concilium Aquileienſe in epiſt. Synodic. quæ eſt 4. inter epiſt. S. Ambroſii. Sic igitur ſcribit S. Ambroſius in libro de obitu Satyri fratris; *Advocavit ad ſe Epiſcopum, nec ullam veram putavit, niſi veræ fidei gratiam, percontatuſq; ex eo eſt, utrummam cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt cum Romana Eccleſia conveniret, & ſortè ad id locorum in ſchiſmate Religionis illius Eccleſia erat. Lucifer enim ſe à noſtra tunc temporis*

communione diviserat, & quamquam pro fide exulasset, & fidei suæ reliquisset haredes, non putavit tamen fidem esse in schismate. Sermone autem 62. de temp. seu in Evang. Dom. 4. post Pentecost. insinuat firmitatem in fide à Christo per Magisterium Petri Ecclesiæ conferri, *dicitur Petro duc in altum, hoc est in profundum disputationum generationis Divinæ. Quid enim tam profundum, quam quod ait Petrus ad Dominum: Tu es Christus filius Dei vivi?* ..... HANC IGITVR SOLAM ECCLESIÆ NAVEM ASCENDIT DOMINVS, IN QVA PETRVS MAGISTER EST CONSTITVTVS, *dicente Domino:* SVPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM. Libro autem 4. de fide ad Gratianum cap 3. ita Petrum Ecclesiæ Præpositum à Christo docet & Ecclesiæ firmitatem cum Ecclesiæ firmitate conjunctam, ut ad eam conjunctionem significandam Petri nomen institutum fuerit. *Habes in Evangelio, quod Petro dixit: rogavi pro te ut non deficiat fides tua: eidem autem supra dicenti: Tu es Christus filius Dei vivi, respondit: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum. Ergo cui propria autoritate Regnum dabat, hujus fidem firmare non poterat? Quem cum Petram dicit, firmamentum Ecclesiæ indicavit.*

6. Sanctus Hieronymus epist. 57. sic scribit ad Damasum Papam; *Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus indiscissam Domini tunicam, & desuper textam minutatim per frusta discerpit, & Christi vineam exterminat vulpes, ut inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile, ubi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi. Ideo mihi* CATHEDRAM PETRI, ET FIDEM APOSTOLICO ORE LAVDATAM CENSVI CONSVLENDAM. *Inde nunc meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi ..... ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini Tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior:* SVPER ILLAM PETRAM ÆDIFICATAM ECCLESIAM SCIO. *Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio ..... quicumque tecum non colligit, spargit; Hoc est; qui Christi non est, Antichristi est.* Et epist. 58 quæ est ad eundem Damasum; *Hinc præsidiis fulta Mundi Ariana rabies fremit. Hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat: Monachorum circa manentium antiqua in me surgit autoritas. Ego interim clamito:* SI QVIS CATHEDRÆ PETRI IVNGITVR MEVS EST. *Meletius, Vitalis, atque Paulinus sibi hærere se dicunt: Possem credere, si hoc unus assereret. Nunc, aut duo*

duo mentiuntur, aut omnes. Idcircò obtestor Beatitudinem Tuam per Crucem Domini, per necessarium fidei nostræ decus, per Passionem Christi, ut qui Apostolos honore sequeris, sequaris & merito.

7. Hoc sancti Hieronymi exemplo docemur ad Petri successorem confugiendum in periculo schismatis; cùm ille constitutus sit Caput, ut per conjunctionem cum illo constaret Ecclesiæ unitas, ac firmitas, & schismatis tolleretur occasio, quod sanctus Hieronymus docet lib. 1. in Jovinianum his verbis; *At dicis super Petrum fundatur Ecclesia, licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves Regni Cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim* VNVS ELIGITVR, VT CAPITE CONSTITVTO SCHISMATIS TOLLERETVR OCCASIO. Beati Hieronymi doctrinâ, & exemplo fortassis adductus fuit Justinianus, priusquam esset Imperium adeptus, ut Hormisdam Pontificem consuleret, an unus de Trinitate crucifixus prædicari deberet; cùm esset hac de re dissensio. *Hoc enim*, inquit epist. 3. post Hormisdæ sexagesimam quintam, CREDIMVS ESSE CATHOLICVM QVOD VESTRO RELIGIOSO RESPONSO NOBIS FVERIT INTIMATVM.

8. Tribuitur eidem sancto Doctori epistola quædam ad sanctum Damasum, continens Symboli explanationem. Sed Bellarminus de Scriptor. Ecclesiast. probat eam esse Pelagii hæresiarchæ. Argumentum tamen, quod ex ea sumitur ad probandam infallibilem judicii summi Pontificis circa fidei quæstiones certitudinem, non videtur minoris efficaciæ. Demonstrat enim adeò jam primis Ecclesiæ sæculis apud omnes constitisse, Romanum Pontificem esse hujusmodi controversiarum Judicem, ut vel ipsi Hæresiarchæ ab hæreseos accusatione tutos se esse scirent, dummodo ipsorum fides Papæ probaretur. His autem verbis clauditur illa epistola; *Hæc fides est Papa beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quamq; semper tenuimus, & tenemus. In qua si minus peritè, aut parum cautè aliquid forte positum est, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem, & Sedem tenes. Sin autem hæc nostra confessio Apostolatûs tui judicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum; non me hæreticum comprobabit.* Alia sunt quamplurima hæreticorum, Sedis Apostolicæ communionem ambientium, & per frau-

fraudem obtinere ſtudentium, exempla; ut intelligas ex ipſorum etiam hæreticorum praxi, vera eſſe, quæ ſancti Patres de Eccleſia Romana effati ſunt.

9. A ſancto Joanne Chryſoſtomo de decem millium debitore, ſerm. 1. Petrus appellatur *Chori Apoſtolorum Princeps, os Diſcipulorum*, COLVMNA ECCLESIÆ, FIRMAMENTVM FIDEI, *confeſſionis fundamentum, orbis terrarum Piſcator, qui genus noſtrum ex profundis errorum in Cœlum ſubtraxit.* Et lib. ad eos, qui ſcandalizati ſunt cap. 17. *fundamentum Eccleſiæ, Princeps Cœtus Diſcipulorum.* Docet autem idem Sanctus pluribus in locis, Petri nomen ob fidei firmitatem Apoſtolorum Principi impoſitum, inſinuatque illum ob eam firmitatem fundamentum Eccleſiæ fuiſſe conſtitutum tom. 5. in illa verba, Paulus vocatus ſerm. 49. ante medium; *Petrum quidem*, inquit, *certè à virtute ſic vocavit, & in ejus nomine* FIRMITATIS FIDEI ARGVMENTVM, ET INDICIVM *collocavit, ut appellatione ſuâ* PERPETVÒ *tanquam Magiſtrâ quâdam ejuſmodi firmitatis utatur.* Et in cap. 2. epiſt. ad Gal. *ſed prius dicendum eſt de Petro, & quomodo hic unus ante cæteros Diſcipulos ſolitus ſit profiteri: quandoquidem etiam cognomen ſortitus eſt* OB IMMVTABILEM, ET IMMOBILEM FIDEM. *Cùm enim omnes eſſent interrogati, hic ante cæteros profiliens: Tu es, inquit, Chriſtus filius Dei vivi. Quo tempore illi & claves Regni Cœlorum traditæ ſunt.* Vide quæ diximus lib. 5. cap. 12. In hoc ſicut & in cæteris ferè omnibus ſancto Joanni Chryſoſtomo conſonat Theophylactus Bulgarorum Archiepiſcopus in illud Lucæ 22. *Rogavi pro te Petre, &c.* Ejus verba cap. 3. §. 3. retulimus.

10. S. Cyrillus Alexandrinus libro 4. Dialog. de Trinitate, B. Petri de Chriſti Divinitate confeſſioni præmium illud collatum ſcribit, ut Eccleſia in ejus fide fundaretur ac firmaretur immobiliter & inſuperabiliter. *Ubi*, inquit, *interrogavit Salvator circa fines Cæſareæ, quæ vocatur Philippi: Quem dicunt homines eſſe filium hominis: & quis rumor de illo per Judæorum vagetur regionem, hoc eſt finitimas Judææ Civitates. Puerilibus & indecoris populariorum opinionibus relictis valde ſapienter & ſcienter clamabat dicens: Tu es Chriſtus filius Dei vivi. Jam* VERO DE ILLO SENTENTIÆ REMVNERATIONEM NON MVLTO POST REPORTAVIT, *Chriſto dicente: Beatus es Simon Barjona: quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus cæleſtis. Et ego dico tibi, quod tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,*

& portæ inferi non prævalebunt contra illam. Per annominationem ALIVD NIHIL QVAM INCONCVSSAM ET FIRMISSIMAM DISCIPVLI FIDEM VOCAVIT, *in qua Ecclesia Christi ita fundata & firmata esset, ut non laberetur & esset inexpugnabilis inferorum portis, in perpetuum manens.*

11. Theodoretus epist. ad Renatum Presbyterum Romanum hanc tribuit Ecclesiæ Romanæ laudem; *Tenet sancta ista Sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum, cùm propter alia, tum quia semper hæretici fatoris expers permansit.* Non est autem adepta sancta Sedes privilegium regendarum cuncti orbis Ecclesiarum, postquam experientia comprobavit ipsam permansisse hæreseos expertem; suas namque prærogativas jam à Christo ipso acceperat, sed propter acceptum etiam à Christo privilegium non errandi, ac in errorem non mittendi, quod perpetua demonstravit experientia.

12. Sanctus Gregorius epist. 52. lib. 4. quæ est ad omnes Galliæ Episcopos, qui erant sub Hildeberto, anno 595. scripta, se fidei quæstionum Judicem declarat, asseritque sententiam, quâ illas determinaturus sit, congruam sine dubio fore: *Si quam verò*, inquit, *contentionem, quod longè faciat Divina potentia, de fidei causa evenire contigerit, aut negotium emerserit, cujus vehemens sit fortasse dubietas, & pro sua magnitudine judicio Sedis Apostolicæ indigeat. Examinatâ diligentiùs veritate, relatione suâ ad nostram studeat perducere notionem, quatenus* A NOBIS VALEAT CONGRVA SINE DVBIO SENTENTIA TERMINARI.

13. Exstat in Codicibus plurium Bibliothecarum, & à Baronio refertur epistola sancti Maximi Martyris ad Marinum Diaconum scribentis, in qua continetur istud de Romano Pontifice, ejusque Sede elogium. *Omnes termini terræ, & quicumque ubique terrarum Christum Dominum purâ mente, & orthodoxâ fide confitentur, quasi ad solem æterni luminis sanctissimam Romanorum Ecclesiam, & ejus confessionem, & fidem intenti respiciunt, ex ipsa rutilantem splendorem recipientes spiritualium, & sanctorum dogmatum. Quemadmodum sex illæ sanctæ Synodi disertis verbis, & magna cum Religione exposuerunt apertissimè pronunciantes Fidei Symbolum. Ab initio enim Adventûs Incarnati Verbi universæ utique terrarum Christianarum Ecclesiæ à sancta Romanorum Ecclesia originem habuerunt,* FVNDAMENTVM SOLIDVM, *& maximum, contra quod portæ inferi nullo pacto prævalebunt, juxta ipsiusmet Salvatoris promissionem,*

rem, VT HABEAT CLAVES, *scilicet* ORTHODOXÆ *in ipsum* FIDEI, *& confessionis, & aperiat illis, qui ad ipsam Romanam Ecclesiam cum pietate accedunt, veram, & realem solam pietatem quærentes. Et claudat è contra, & obstruat omne os Hæreticorum, quod loquitur iniquitatem in Cœlum.* Ubi vides *Romanorum Ecclesiam ideò esse fundamentum solidum, & maximum, contra quod portæ inferi nullo pacto prævalebunt*, quia *habet claves orthodoxæ fidei*, quæ sine privilegio non errandi constare non possunt.

14. Beda homil. in festo Petri, & Pauli eandem sententiam his verbis profitetur; *Ideò beatus Petrus, qui Christum verâ fide confessus, vero est amore secutus specialiter claves Regni Cœlorum, & Principatum judiciariæ potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab unitate fidei, vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec peccatorum vinculis absolvi, nec januam possint Regni Cœlestis ingredi.* Ex quibus concludit; *Unde nos* NECESSE EST *tutâ intentione, fratres charissimi,* ET FIDEI, QVAM DOCVIT SACRAMENTA DISCERE, *& congruentia fidei opera demonstrare.* Adeò certum erat Pothoni Abbati Prumiensi, errorem apud sanctam Sedem locum habere non posse, ut secus sentientes stultitiæ arguat. *Stultitia quidem elogio denotandi, qui illam Petri Sedem* ALIQVO PRAVO DOGMATE FALLERE POSSE *arbitrati sunt, quæ nec se fefellit, nec ab aliqua hæresi* VNQVAM FALLI POTVIT. In Chron. ad annum 865.

15. Decreveram prætermittere testimonium Petri Damiani in serm. 23. qui est de nativit. S. Joann. Baptistæ, eo quod Ecclesiam materialem cum vera Ecclesia Romana ex hominibus constante commiscere, atque adeò argumentum non multùm efficax subministrare videretur; sed illud apud Launoium legenti, & rursùs attentiùs consideranti mihi visum est præstantissimi viri mentem luculenter significare; Ait ergo Petrus Damianus: *Illa mater, &* MAGISTRA ECCLESIARVM OMNIVM ECCLESIA ROMANA, *cui dictum est*; EGO PRO TE ROGAVI, VT NON DEFICIAT FIDES TVA, *in honore sancti Joannis Baptistæ post Salvatoris nomen consecrata est, & signata.* Undè habet nisi à summo Pontifice Romana Ecclesia, quod sit Magistra Ecclesiarum omnium, quodque non deficiat ejus fides? sed absque ullius æquivocationis umbra mentem suam aperit. Petrus Damiani opusc. 5. cap. 1. dum ait; *Non dubium quia quis-*

quis cuilibet Ecclesiæ jus suum detrahit, injustitiam facit : qui autem Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur : & cùm ille notetur injustus: hic est dicendus hæreticus Fidem quippè violat, qui adversùs illam agit, quæ MATER EST FIDEI, *& illi contumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesiis præstitisse cognoscitur.*

16. Sanctus Bernardus clarissimum Gallicanæ, atque universalis Ecclesiæ lumen, infallibile summi Pontificis judicium in decidendis circa fidem controversiis passim in suis scriptis commendat. *Oportet* (inquit epist. 190. scribens ad Innocentium II.) *ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum : hæc quippè hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est;* EGO PRO TE ROGAVI PETRE, VT NON DEFICIAT FIDES TVA. *Ergo quod sequitur à Petri successore exigitur,* ET TV ALIQVANDO CONVERSVS CONFIRMA FRATRES TVOS. *Id quidem modò necessarium. Tempus est ut vestrum agnoscatis, Pater amantissime, Principatum, probetis zelum, ministerium honoretis; in eo planè Petri impletis vicem, cujus tenetis & Sedem, si vestrâ admonitione* CORDA IN FIDE FLVCTVANTIA CONFIRMATIS, SI VESTRA AVTORITATE CONTERITIS FIDEI CORRVPTORES. Liberiùs solebat sanctus Bernardus de summis Pontificibus, & ad summos Pontifices loqui, quàm ut adulationis possit esse suspectus. Audi adhuc de privilegiis beati Joannis Baptistæ concionantem, paulò ante finem; *Mater, & Magistra omnium Ecclesiarum Ecclesia Romana, cui dictum est.* EGO PRO TE ROGAVI, PETRE, NE DEFICIAT FIDES TVA, *&c.* Non ergo pro solo Petro, sed pro ejus etiam in Ecclesia Romana successoribus rogavit Dominus, ut non deficeret fides eorum.

17. Sanctum Bernardum secutus est Petrus Abbas Cellensis in epist. 1. quæ est ad Alexandrum Romanum Pontificem; *In gravissimis quæstionibus, sicut olim ad Moysem, sic nunc, Pater venerande,* AB OMNI ECCLESIA DEI *recurritur ad beati Petri, & vestram Sedem. Tam enim communiter communis imponitur vobis solicitudo omnium Ecclesiarum, quàm singulariter, & specialiter Petro videtur dictum.* ET TV CONVERSVS CONFIRMA FRATRES TVOS. Verba illa *singulariter, & specialiter* non excludunt Petri successores ab officio & privi-

vilegio confirmandorum fratrum (alioquin enim evidenter sibi contradiceret Scriptor) sed munus illud reliquis Prælatis modo illo singulari , & speciali competere negant.

CAPUT VIII.

Sententia Sancti Cypriani de judicio Papæ in materia Fidei.

1. QUi judicium summi Pontificis de fidei quæstionibus negant esse irreformabile , proferunt ex antiquis Patribus , & Doctoribus præcipuè sanctum Cyprianum , & sanctum Augustinum , quorum hac de re testimonium , sicut magni momenti , sic luculentum arbitrantur.

2. Equidem diffiteri non possumus Beatum Cyprianum , cùm de baptismate ab hæreticis collato disceptaret adversus sanctum Stephanum , ejus judicium non solùm uti reformabile non suscepisse , sed etiam tanquam falsum , & Ecclesiasticæ consuetudini contrarium , rejecisse.

3. Sed primò docet nos sanctus Augustinus , Divi Cypriani doctrinam ad sacræ Scripturæ normam esse revocandam. *Nos enim* , inquit lib. 2. contra Cresconium Grammaticum cap. 31. *nullam Cypriano facimus injuriam , cùm ejus quaslibet litteras à Canonica Divinarum Scripturarum autoritate distinguimus.* Et cap. 32. *Ego hujus epistolæ autoritate non teneor , quia litteras Cypriani non ut Canonicas habeo , sed eas ex Canonicis considero , & quod in eis Divinarum Scripturarum autoritati congruit , cum laude ejus accipio , quod autem non congruit , cum pace ejus respuo.*

4. Secundò animadvertendum est Beatum illum Martyrem quantumvis dignitatis , ac jurisdictionis suæ tuendæ studiosum , reverentiùs de sancta Sede locutum ante celebrem illam de baptismo ab hæreticis collato , disceptationem. Nam de Felicissimo , qui ejus ad Episcopatum Carthaginensem electioni adversatus fuerat , ac postmodum in eum schisma conflaverat , & de Fortunato , hæc inter alia scripsit ad sanctum Cornelium Papam epist. 55. seu 3. lib. 1. quorum partem

Episcopi Gallicani anno 1681. in processu verbali retulerunt. *Navigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde dignitas Sacerdotalis exorta est, à schismaticis, & prophanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides, Apostolo prædicante, laudata est) ad quos perfidia habere non possit accessum.* Si Ecclesia Romana *Petri Cathedra* est; cur, qui in ea sedet Pontifex, privilegio non gaudeat Beato Petro, ut non deficeret ejus fides, & ut fratres à Sathana tentatos confirmare posset, à Christo obtento? *Si unitas Sacerdotalis ab Ecclesia illa principali exorta est*, nonne ad eam, ceu ad centrum immobile conveniendum est, cùm Ecclesiæ particulares, schismate, aut contentionibus circa fidem commoventur, concutiuntur, discinduntur? Ut quid Romanorum fides laudatur, & quomodo arcebitur ab eis perfidia, si illic fides deficiat?

5. Tertiò sanctus Cyprianus non solum sanctam Sedem, sed & in ipsa sedentem Romanum Pontificem, tanquam centrum unitatis Ecclesiasticæ, ac signum conjunctionis cum Ecclesia Catholica notavit his verbis epist. 52. seu 2. lib. 4. *Scripsisti etiam ut exemplum earumdem litterarum ad Cornelium Collegam nostrum transmitterem, ut depositâ omni solicitudine jam sciret, te* (scribit ad Antonianum Episcopum) *secum, hoc est cum Ecclesia Catholica communicare.* Et in epist. 45. sanctum Cornelium sic alloquitur; *Scimus nos hortatos eos esse, ut* ECCLESIÆ CATHOLICÆ RADICEM, ET MATRICEM AGNOSCERENT, AC TENERENT..... *ut te universi Collegæ nostri, & communionem tuam, id est Catholicæ Ecclesiæ unitatem pariter, & charitatem probarent firmiter, ac tenerent. Quod Divinitùs eveniſſe, & Consilium nostrum providenter profeciſſe gaudemus. Sic enim nunc Episcopatus tui, & veritas pariter, & dignitas apertissimâ luce, & firmissima comprobatione fundata est.*

6. Quartò eam dignitatem non ut nudum signum, sed ut Primatum cum jurisdictione conjunctum esse sentiebat, cùm S. Stephani autoritatem contra hæreticos, ideſt contra Marcianum Episcopum Arelatensem, Novatiani sectam secutum, exerceri postulabat his verbis; *Dirigantur in provinciam, & ad plebem Arelatæ consistentem à te litteræ, quibus abstento Marciano alius in locum ejus substituatur, & grex Christi qui in hodiernum ab illo dissipatus, & vulneratus contemnitur, colligatur.* Epist. 67.

7. Quintò sanctus Cyprianus epist. 69. hæresum, & schisma-

matum originem tribuit Episcopi, qui unus est, contemptui. *Inde enim schismata, & hæreses obortæ sunt, & oriuntur, dum Episcopus, qui unus est, & Ecclesiæ præest, superbâ quorumdam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus judicatur.* Plurimi eum Episcopum, qui unus esse dicitur à sancto Cypriano, Romanum Pontificem toti Ecclesiæ præfectum, intelligunt; Alii, quorum interpretatio Autoris magis videtur intentioni congruere, cujuslibet Diœcesis Episcopum significatum volunt. Sed si Episcopi particularis ea est dignitas, ut ab ejus obedientia sine schismatis, aut hæresis periculo non declinetur, quia peculiari Dei auxilio juvari præsumitur, licet Episcopi multi hæretici, aut etiam Hæresiarchæ fuerint. Quantò putamus auxilio juvandum Episcoporum Caput, Petri successorem, Christique Vicarium, & unitatis centrum. Nonne quisquis ab eo recedet, aut in hæresim, aut in schisma necesse est impingat?

8. Postquam autem permittente Deo Cyprianus in errorem lapsus est, circa baptismum eorum, qui ab hæreticis hoc sacramentum receperant; non solùm, ut diximus sancti Stephani Papæ sententiæ non acquievit, verùm etiam eam quantum potuit, adhibito etiam aliorum Episcoporum suffragio, impugnare conatus est. Sed in hoc deflenda est humana infirmitas; eique qui stat, videndum ne cadat. Absurdum autem est quæ tunc temporis vel egit, vel scripsit Cyprianus, in exemplum, vel autoritatem adducere. Primò enim certum est ipsum tunc in erroris tenebris versatum, atque adversus sanctum Stephanum modestiæ, ac mansuetudinis metas transgressum, circa ejus autoritatem caligare facile potuisse.

9. Secundò, si audiendus esset Cyprianus in hac contentione disputans, quilibet Episcopus non solum à Romano Pontifice, sed etiam à Concilio Oecumenico corripi non posset, in iis etiam, quæ ad fidem pertinerent: sic enim in Concilio Carthaginensi 87. Episcoporum præfatus est; *Superest, ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, si adversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum Episcopum sese Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit: Quandò habeat*

beat omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suæ arbitrium propium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum judicare; sed expectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus, & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesia suæ gubernatione, & de actu nostro judicandi. Si unus, & solus Jesus Christus haberet potestatem de actu Episcoporum judicandi, eamque cum nemine communicasset, non haberet illam Concilium Oecumenicum magis, quàm Papa. Sed si Papa eâ caret, cur antea Beatus Cyprianus hortatus fuerat sanctum Stephanum, ut Marcianum deponeret, quantumvis hæreticum?

10. Itaque qui sanctum illum Martyrem contra summi Pontificis autoritatem in decidendis fidei quæstionibus laudant, magnam suæ causæ invidiam conflant; & sancto Cypriano faciunt injuriam, dum ea commemorant, quæ aut ipse adhuc vivus correxit, aut certè jam improbat. Sicut sanctus ille Martyr in errore versabatur circa Baptismum, dum ab Ecclesia principali dissentiebat, à qua unitatem Sacerdotalem exortam esse docuerat; ita in eo quod judicium illius Sedis in quæstionibus fidei reformabile putavit, facile potuit à recto tramite declinare. Quamquam in illo ipso loco, qui frequentiùs, & ab hæreticis contra Primatum, & à quibusdam Catholicis contra plenitudinem potestatis summi Pontificis objicitur, ex libro scilicet de unitate Ecclesiæ, beatus Cyprianus jam circa Baptismum ab hæreticis administratum errans, non potuit non perspicere, Petri Cathedram nequaquam deleri posse, nisi Ecclesiâ ipsâ desertâ, summumque Pontificem singulari quodam modo esse Christianorum Pastorem? *Super illum* VNVM (nota vocem illam, VNVM quam de beato Petro accipit Cyprianus) *ædificat Ecclesiam suam; illi pascendas mandat oves suas.....* & infra, *qui Cathedram Petri,* SVPER QVAM FVNDATA EST ECCLESIA, *deserit, in Ecclesia se esse confidit?*

11. Sanctum Cyprianum hæreticorum baptisma rejicientem excusat beatus Augustinus; Primò quidem charitatem ejus commendando; *Illum nævum in candore sanctæ animæ charitatis ubera contegebant.* De baptismo contra Donatistas lib. 1. in fine: & alibi sæpè. Secundò supponendo ipsum sententiam mutasse: *Correxisse istam sententiam*, inquit epist. 48. quæ est ad Vincentium,

tium, *non invenitur, non incongruenter tamen de tali Viro existimandum est, quòd correxerit, & fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.* Tertiò opponendo Martyrii meritum, ut, si qua in ejus lucidam mentem ex humana conditione nebula irrepserat, gloriosâ serenitate fulgentis sanguinis fugaretur. *Quod ergo ille vir sanctus de Baptismo aliter sentiens, quàm res se habebat, quæ postea pertractata, & diligentissimâ consideratione firmata est, in Catholica unitate permansit, & charitatis ubertate compensatum est, & passionis falce purgatum.* Quartò, allegando rem nondum à Concilio universali definitam fuisse. Quæ ratio, quia videtur supponere judicium summi Pontificis esse reformabile, quo in sensu sit accipienda, diligentiùs est inquirendum.

CAPUT IX.

Sententia sancti Augustini de judicio Papæ in materia Fidei.

1. QUi sancti Cypriani autoritatem summi Pontificis infallibili de quæstionibus Fidei judicio opponunt, fatentur quidem, nec enim diffiteri possunt, eum in causa Baptismatis errasse, non autem in eo, quod sententiæ Romani Pontificis sibi necessariò assentiendum esse non duxit; idque S. Augustini testimonio confirmant. Sufficeret fortasse reponere sanctum Augustinum non ita sentire potuisse, quandoquidem, ut in superiori capite vidimus, non est ausus B. Cyprianum omninò à peccato excusare, quamvis insinuet veniale fuisse ejus peccatum, ideoque nebulam illam serenitate fulgentis sanguinis fugatam, errorem charitatis ubertate compensatum, & passionis falce purgatum. Quæ autem potuit alia esse Cypriani culpa, quàm inobedientia erga decretum summi Pontificis?

2. Etenim variis ille rationibus, & Scripturæ locis sententiam suam tueri conabatur; & tutiorem sequi videbatur partem, cùm iteratio Baptismi salutem apud hæreticos baptizatorum securiorem redderet; nec injuria fieret Sacramen-

to, quod cùm hominum causâ inſtitutum ſit, nec cenſetur prophanari, dum neceſſarium exiſtimatur, neque cenſetur iterari, quod, an ritè factum fuerit, dubitatur. Præterea non ſolâ ſuâ opinione ductus fuerat Cyprianus. Nam aliqui ante illum, multò plures cum illo, idem ſentiebant. Cujus igitur culpæ reus eſſe potuit, niſi quod hæc omnia poſt Romani Pontificis ſententiam non poterant excuſare, quæ innoxium effeciſſent, ſilente hoc oraculo. Volunt tamen aliqui (quod Cypriani peccatum minuit) rem tanquam de fide non fuiſſe definitam à Romano Pontifice.

3. Sed indicat ſanctus Auguſtinus de verbis Apoſtoli ſerm. 2. in fine, ſufficere ad certitudinem perfectam judicium ſanctæ Sedis, nec ulterius quidquam requirendum. *Jam de hac cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt,* CAVSA FINITA EST, *error utinam finiatur*, & lib. 1. contra Julianum cap. 4. *Cui Eccleſiæ* (Romanæ) *præſidentem B. Innocentium ſi audire voluiſſes, jam tunc periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit vir ille ſanctus, Africanis reſpondere Conciliis, niſi quod antiquitùs Apoſtolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perſeveranter Eccleſia.*

4. Et epiſt. 157. condemnationem à ſummis Pontificibus factam in toto orbe docet eſſe exſequendam. *Conciliorum Epiſcopalium vigilantiâ, in adjutorio Salvatoris, qui ſuam tuetur Eccleſiam, etiam à duobus venerabilibus Antiſtibus Apoſtolicæ Sedis, Papa Innocentio, & Papa Zozimo, niſi correcti etiam egerint pœnitentiam toto Chriſtiano orbe damnati ſint.* Cur autem B. Innocentius aliud non potuerat Africanis reſpondere Conciliis, niſi quod omnes tenebant Eccleſiæ? aut cur Concilia Epiſcopalia toto orbe damnent, ab illo, & à Zozimo damnatos? quia nimirùm portæ inferi non poſſunt prævalere adversùs Petri Sedem, ut inquit idem Doctor in Pſalmo contra partem Donati. *Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri Sede, & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſerit, videte, ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.*

5. Si quando ergo ſanctus ille Doctor Concilium plenarium poſt judicium Papæ, neceſſarium dicit, neceſſitatem illam refert, non ad veritatem rei definitæ, quaſi omninò, & indubitatè certa non ſit, ſed ad convincendam errantium pertinaciam, ſupremum Pontificis Tribunal non tantùm ne-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nerantium, quando solum judicat, quàm dum cæteri omnes Episcopi consentiunt. Id patet in epist. 162. ubi de Donatistis hoc scribit, quod præcipuè pro Conciliis contra Romanum Pontificem allegatur; *Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos Judices fuisse, restabat adhuc plenarium universæ Ecclesiæ Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus causa posset agitari, ut si malè judicasse convicti essent eorum sententiæ solverentur.* Ubi sanctus Augustinus argumentatur ad mentem Donatistarum. *Ecce putemus.* Quodnam autem fuisset illorum consilium, aperuerat his verbis, quæ immediatè præcedunt. *Elegerunt, sicut dicitur, ad duas agere causam cum Cæciliano apud Ecclesias transmarinas, parati ad utrumque, ut si eum potuissent quacumque versutia falsæ criminationis vincere, satiarent plenissimè cupiditatem suam: si autem non possent, in eâdem quidem perversitate durarent; sed jam tamen quasi haberent, quod dicerent, malos Judices se esse perpessos, quæ vox est omnium malorum litigatorum, cùm fuerint etiam manifestissimâ veritate superati: quasi non eis ad hoc dici posset, & justissimè dici. Ecce putemus, &c.* Ex quibus verbis colligitur Sanctum disputare in eo loco, non tam de autoritate judicii à Romano Pontifice prolati, quàm de ejus justitia; idque ad mentem Donatistarum, conquerentium malos Judices se esse perpessos; cui querelæ respondet sanctus Doctor, restare adhuc plenarium universæ Ecclesiæ Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus causa posset agitari; ut si malè judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur. Sufficiebat sancto Augustino, ut probaret vanam esse Donatistarum excusationem, schisma ob iniquitatem suorum Judicum falsò excusantium; quæ certè excusatio vana comprobatur, ex eo quod, sicut à Romano Pontifice ad Concilium Arelatense causa delata fuerat, ita potuisset ad Concilium universale perferri, ut adhuc diligentiùs negotium discuteretur, ac omnis tolleretur schismatis occasio, seu prætextus.

6. Cæterùm Concilium illud absolutè necessarium non fuisse sentiebat S. Augustinus, cum subjungat de Arelatensi; *Dedit ille* (Imperator Constantinus) *aliud Arelatense judicium, aliorum scilicet Episcoporum, non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere.*

7. Adde quod non comparat S. Augustinus Romanum Pontificem cum Concilio Oecumenico, à quo ipse absit, sed

Pontificem ſine Concilio, cum Pontifice in Concilio. Licet autem infallibile ſit Pontificis ſine Concilio Oecumenico judicium in cauſis fidei; clariùs tamen apparet ejus judicii æquitas, cauſâ coram omnibus Epiſcopis agitatâ, & ab omnibus prolatâ ſententiâ. Maximè cùm de facto eſt quæſtio vel principalis, vel acceſſoria.

8. Locus alter, ubi ſanctus Auguſtinus Concilium plenarium videtur Papæ anteferre, eſt in tractatu de Baptiſmo contra Donatiſtas. lib. 1. cap. 18. cujus hæc ſunt verba. *De Baptiſmi ergo quæſtione jam quantum arbitror, ſatis diſſerui, & quia hoc manifeſtiſſimum ſchiſma eſt, quod Donatiſtarum nomine nuncupatur, reſtat, ut hoc de Baptiſmo piè credamus, quod univerſa Eccleſia, à ſacrilegio ſchiſmatis remota, cuſtodit. In qua tamen ſi aliud alii, & aliud alii adhuc de iſta quæſtione ſalvâ pace ſentirent, donec univerſali Concilio unum aliquid eliquatum ſincerumq; placuiſſet, humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitas unitatis, ſicut ſcriptum eſt, quia charitas cooperit multitudinem peccatorum. Quâ enim abſente cætera inaniter habentur, eâdem præſente, quædam venialiter non habentur.* Verùm in his verbis non comparatur Concilium plenarium cum ſummo Pontifice, cujus quidem nulla in illis fit mentio: ſed ſupponitur caſus, in quo diverſæ eſſent opiniones inter Catholicos: tunc enim quiſque ſuam tueri poſſet; donec controverſia eſſet ab Eccleſia univerſi definita, quæ definitio in Concilio plenario ſine dubio fieri potuiſſet.

9. Sed quæres fortaſſe, cur S. Auguſtinus hanc definitionem à Concilio plenario fieri voluerit, potius quàm à Romano Pontifice, ſi utriuſque judicium erat irreformabile? Quia contra Donatiſtas diſputabat, qui nec S. Melchiadis, nec Conſtantini, nec Concilii Arelatenſis judicio acquieverant. Quamobrem nullum ſupererat, ad quod vocari poſſent Tribunal, præter Concilium Oecumenicum: non quod neceſſarium eſſet ad certitudinem, & rectitudinem ſententiæ, ut notavit S. Auguſtinus Epiſt. 162. ſed ut inexcuſabilis appareret illorum contumacia, & ab Eccleſia diſceſſio; *Dedit ille* (Conſtantinus) *aliud Arelatenſe judicium, aliorum ſcilicet Epiſcoporum:* NON QVIA IAM NECESSE ERAT, SED EORVM PERVERSITATIBVS CEDENS, *& omnimodo cupiens tantam impudentiam cohibere.* Quia etiam unius, quantæcumque ſit Dignitatis, ju-

judicium esse infallibile, supra humanam rationem est, nec nisi fide, ac traditione sciri potest : quòd autem sententia Senatorum ex toto orbe congregatorum, nec minus merito quàm numero insignium, veritatem attingat, etiamsi fides non doceret, ratio suaderet humana. Ideo Concilium generale pertinacissimis hominibus erat proponendum, quod si recusarent, rei à nemine non haberentur. Nec tamen quod de Concilio generali affirmavit S. Augustinus, de summo Pontifice negavit ; standum scilicet ejus sententiæ.

10. At, inquies, in causa, de qua S. Augustinus agebat, summus Pontifex jus jam dixerat. Non constat S. Stephanum definiisse tanquam de fide, baptizatos ab Hæreticis non esse rebaptizandos, sed tantùm jussisse non rebaptizari ; cujus signum est, quod non excommunicavit, sed excommunicatione dignos censuit secus agentes. Præterea S. Augustinus non loquebatur de illa quæstione pro illo statu, in quo res tunc temporis erant ; sed ex hypothesi, quod essent diversæ opiniones, ut patet ex his verbis ; *Restat ut hoc de baptismo piè credamus, quod universa Ecclesia, à sacrilegio schismatis remota, custodit. In qua tamen si aliud alii, & aliud alii adhuc de ista quæstione salvâ pace sentirent, &c.* Cùm autem S. Augustinus adversus Donatistas scribebat, quæstio jam à plenario Concilio definita fuerat, ut ipsé frequenter repetit. Itaque non poterat Concilii plenarii autoritatem requirere pro eo, in quo res erat, statu ; atque adeo nec ad Pontificis judicium respicere, sed ad controversiam, quasi nondum diremptam. Alioquin licuisset *aliis aliud sentire*, dummodò *salva pace*, etiam circa *id quod universa Ecclesia à sacrilegio schismatis remota custodiebat.* Non erat igitur S. Augustino proposita comparatio plenarii Concilii cum Romano Pontifice in ferendo de quæstionibus fidei judicio.

11. Quid quod S. Augustinus nusquam tam apertè de summi Pontificis, ut de Concilii Oecumenici judicio, pronunciavit, non esse irreformabile. Nam lib. 2. contra Donatistas objectioni Donatistarum, quam cap. 1. his verbis proponit ; *Quid ergo isti dicunt, cùm veritatis viribus præfocantur, cui consentire nolunt ? Cyprianus, inquiunt, cujus tantum meritum novimus, tantamq; doctrinam cum multis Coepiscopis suis, sententias proprias conferentibus,*

in Concilio ſtatuit, Hæreticos, vel ſchiſmaticos, id eſt omnes, qui extra unius Eccleſiæ communionem ſunt, baptiſmum non habere; & ideò quiſquis ab eis baptizatus ad Eccleſiam venerit, eſſe in Eccleſia baptizandum. Huic, inquam, objectioni reſpondens cap. 3. ſic reſumit; *Vos certè nobis objicere ſoletis Cypriani litteras, Cypriani ſententiam, Cypriani Concilium. Cur autoritatem Cypriani pro veſtro ſchiſmate aſſumitis, & ejus exemplum pro Eccleſiæ pace reſpuitis. Quis autem neſciat S. Scripturam Canonicam tam veteris, quàm novi Teſtamenti, certis ſuis terminis contineri, eamq; omnibus poſterioribus Epiſcoporum litteris ita præponi, ut de illa omninò dubitari, & diſceptari non poſsit, utrum verum, vel utrum rectum ſit, quidquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit, Epiſcoporum autem litteras, quæ poſt confirmatum Canonem vel ſcriptæ ſunt, vel ſcribuntur, & per ſermonem fortè ſapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Epiſcoporum graviorem autoritatem, doctioremq; prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, ſi quid in eis fortè à veritate deviatum eſt. Et ipſa Concilia, quæ per ſingulas regiones, vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum autoritati, quæ fiunt ex univerſo Orbe Chriſtiano ſine ullis ambagibus cedere: ipſaq; plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari, cùm aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat, ſine ullo Typho ſacrilegæ ſuperbiæ, ſine ulla inflata cervice arrogantiæ, ſine ulla contentione lividæ invidiæ cum ſancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Chriſtiana.* Reſpondeant huic S. Auguſtini loco, qui judicium Concilii judicio Papæ in quæſtionibus fidei præponunt. Quod illi pro Concilio, nos pro Pontifice, tantoque faciliùs, quod, primò hic expreſſiſſima emendationis Concilii mentio fit; *Ipſaq; plenaria ſæpè priora poſterioribus emendari, &c.* Quæ de plenariis Africanis intelligi non debent, cùm de illis loquatur, *quæ fiunt ex univerſo Orbe Chriſtiano.* De Papæ ſententia non ita clarè S. Auguſtinus. Secundò hæc de Concilio dicta ſunt occaſione hæreſis, ſcilicet Donatiſtarum baptiſmum iterantium. Quod verò epiſt. 162. de Melchiadis ſententia, ex ſuppoſitione quod fuiſſet falſa, per Concilium emendari potuiſſe ſcripſit, ad fidem non pertinebat, ſed ad electionem Cæciliani. Nam tempore Melchiadis, nondum Donatiſtæ Hæretici evaſerant. Quod autem ea lib. 1. de baptiſm. contra Donatiſtas objectum eſt, dictum quidem eſt occaſione erroris S. Cypriani, baptizatos ab Hæreticis iterùm baptizandos contendentis, ſed ſine expreſſa ſummi Pontificis definitionis mentione, qui quidem baptiſ-

baptismum repeti vetuerat, & rectissimè, sed rem tanquam de fide ab illo definitam fuisse non constat.

12. Denique, si verum esset, S. Augustinum illi sententiæ favisse, quæ infallibilitatem soli Concilio Oecumenico tribuit, imò totam Africam in agnoscendâ sanctæ Sedis auctoritate, non solùm in materia fidei, sed in aliis etiam, v. g. in Appellationibus, difficilem se aliquando præbuisse; meminisse oporteret, Deum, qui non omnia simul omnibus solet clarè manifestare, sed per partes & gradus, prout ipsi placet, ad hanc cognitionem tandem Africanos perduxisse, imò quasi necessitate pertraxisse. Jam quidem antea ad Concilia Cleri Romani circa lapsos post mortem S. Fabiani, & ad auxilium S. Cornelii pro conservanda propria Dignitate confugerat sanctus ipse Cyprianus. S. Augustinus Innocentii & Zosimi autoritate maximè Pelagianos impugnavit. Hujus Sedis sententiâ Cæcilianus, ejusque defensores Donatistas repressérunt. Et, ne plura commemorem, ac extra quæstionem, quam præ manibus habeo, excurram, potuitne Ecclesia Africana luculentiùs infallibile sanctæ Sedis judicium in definiendis fidei quæstionibus confiteri, quàm epistolâ illâ Synodicâ trium Conciliorum Africanorum, quæ ad Theodorum Papam scripta, lecta est sub ejus successore Martino I. in Concilio Lateranensi an. 649. act. 2.

13. *Magnum & indeficientem* (sic incipit illa epistola) *omnibus Christianis fluenta redundantem apud Apostolicam Sedem consistere fontem, nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter, universum largissimè irrigantes orbem Christianorum, cui etiam in honorem beatissimi Petri, Patrum Decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, quæ omnino & solicitè debent, maximè verò justeq; ab ipso Præsulum examinari vertice Apostolico, cujus vetusta solicitudo est tam mala damnare, quàm probæ laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid, quamvis in remotis, vel in longinquo positis ageretur Provinciis, non prius tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam Almæ Sedis vestræ fuisset deductum, ut hujus autoritate justa quæ fuisset pronunciatio firmaretur, indeq; sumerent cæteræ Ecclesiæ velut de natali suo fonte prædicationis exordium, & per diversas totius mundi Regiones puritatis incorruptæ manarent fidei Sacramenta salutis.* Videri potest ibidem, id est act. seu decr. 2. Concil. Lateranens. anno 649. libellus Stephani Episcopi Dorensis, ubi præter

ter alia dicitur ; *In Apoſtolica Sede Orthodoxorum dogmatum ſundamenta exiſtere.*

14. Relatio Poſſeſſoris Epiſcopi Afri per Juſtinum Diaconum Hormiſdæ Papæ, quæ exſtat poſt epiſt. 69. ejuſdem Hormiſdæ, ſic incipit; *Decet & expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de ſanitate membrorum. Quis enim majorem circa ſubjectos ſolicitudinem gerit, aut à quo magis eſt nutantis fidei ſtabilitas expectanda, quàm ab ejus Preſide, cujus primus à Chriſto Rector audivit : Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

CAPUT X.

Sententia Cleri Gallicani de judicio Papæ in cauſis Fidei.

1. TOti Clero Gallicano tribuendum non eſt, quod geſtum eſt ab Epiſcopis Pariſiis congregatis. Non enim conventus ille, qui non errandi privilegium ſummo Pontifici adimere tentavit, Concilium Nationale erat, nec ii, ex quibus conſtabat, aliorum procurationem ad definiendas eas quæſtiones acceperant. Imo admodum odioſa reliquis omnibus, vel ferè omnibus in Gallia, ſicut & in omnibus aliis Nationibus viſa eſt declaratio illorum Epiſcoporum, vel ob id ſaltem, quod tunc temporis edita eſſet, cùm non aliò ſpectare poſſe videretur, quàm ut ſummum Pontificem pro Eccleſiarum Gallicanarum libertate contendentem deterreret.

2. Si autem ex cæteris (quod præſumendum non eſt, ſaltem de multis) pœnarum in Edicto Regio declarationem illam confirmante contentarum metu, aliqui ad iſtorum ſententiam accederent, audienda potiùs eſſet Gallicana Eccleſia, tunc temporis loquens, cùm minus ſuſpectus erat ejus clamor. Epiſcoporum illius Nationis tum ſeorſim, tum ſimul, de ſanctæ Sedis Decretis circa fidem olim diſſerentium verba retulimus in capitibus ſuperioribus. Sed ne putes ſequentibus temporibus defeciſſe Fidem ac Religionem illius Cleri, addenda ſunt diverſorum temporum exempla, ex qui-

quibus & aliis, quasi perpetuæ traditionis series contexi posset.

3. Hincmarus Archiepiscopus Remensis, quem ad extollendam nimis autoritatem Pontificis Romani proclivem nemo, qui ejus ingenium perspectum habuerit, facilè suspicabitur, illustre testimonium hac in parte reddit sanctæ Sedi in præfatione opusculi de divortio Lotharii Regis, & Gerbergæ Reginæ. *De omnibus dubiis vel obscuris*, inquit, *quæ ad rectæ fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, sancta Romana Ecclesia, ut omnium Ecclesiarum Mater & Magistra, nutrix & doctrix, est consulenda, & ejus salubria monita sunt tenenda, maximè ab his, qui in illis Regionibus habitant, in quibus Divina gratia per ejus prædicationem omnes in fide genuit, & Catholico lacte nutrivit, quos ad vitam præordinavit æternam.* Si omnium Ecclesiarum *Magistra & Doctrix est Ecclesia Romana*, cur non Ecclesiæ Gallicanæ, vel etiam universæ? An hæc tota distinguitur ab omnibus suis partibus? An sensus compositus à sensu diviso hac in re olim discretus est? At, inquies, *Ecclesia Romana consulenda est, & ejus monita tenenda*, sed eâ conditione dummodo sint *salubria*. Irridet, & non profitetur, qui summum Pontificem in eo sensu alloquitur, aut de Ecclesia Romana ita loquitur; cujus enim vel vilissimi hominis *monita* non *sunt tenenda*, si *salubria* sint? sed eâ ipsâ ratione quod ab Ecclesia Romana dantur, quæ est *omnium Ecclesiarum Magistra & Doctrix*, *salubria* habenda sunt, & *tenenda*.

4. Ivo Carnotensis epist. 8. ad Riccherium Senonensem Archiepiscopum, eum qui Ecclesiæ Romanæ non concordat, hæreticum declarat; *Dicitis etiam in litteris, me Sedem invasisse Gaufridi Cœpiscopi vestri, in quo manifestè contra sedem Apostolicam caput erigitis, dum quod illa ædificat, vos, quantùm in vobis est, destruitis; & quod illa destruxit, vos ædificare contenditis.* HVIVS IVDICIIS ET CONSTITVTIONIBVS OBVIARE PLANE EST HÆRETICÆ PRAVITATIS NOTAM INCVRRERE, *cùm Scriptura dicat: Hæreticum esse constat, qui Romanæ Ecclesiæ non concordat.*

5. Jacobus Cardinalis Vitriacus in hist. Orient. cap. 75. anno 1230. *Patet ergo*, inquit, CVM SVPER HANC PETRAM, PRO QVA DOMINVS ROGAVIT VT NON DEFICERET FIDES EIVS, POST CHRISTVM ÆDIFICATA SIT ET FVNDATA CHRISTI ECCLESIA, QVOD OMNES QVI AB ECCLESIA

ROMANA RECEDVNT, ABSQVE FVNDAMENTO ÆDIFICENT *in vanum laborantes, & ab eo qui à Domino Cephas appellatus est, separati, Acephali, & monstruosi homines meritò sunt reputandi.*

6. Quæ esset Ecclesiæ Parisiensis de judicio summi Pontificis in decidendis quæstionibus ad fidem spectantibus sententia anno 1324. declaravit Stephanus Episcopus Parisiensis literis pro B. Thomæ Aquinatis doctrina editis. *De Concilio*, ut ibi dicitur, *venerabilium virorum Decani & Capituli Parisiensis, & Venerabilis P. D. Guillielmi Dei gratiâ Archiepiscopi Viennensis Sacræ Theologiæ Professoris, & aliorum* 23. *Magistrorum in Theologia, necnon* 39. *Baccalaureorum in Theologia.* Hæc enim declaratio facta est ob eam causam, quæ his verbis exprimitur. *Nos igitur attendentes cum eis quod* SACROSANCTA ROMANA ECCLESIA FIDELIVM OMNIVM MATER ET MAGISTRA IN FIRMISSIMA PETRI CHRISTI VICARII CONFESSIONE FVNDATA, AD QVAM VELVT AD VNIVERSALEM REGVLAM CATHOLICÆ VERITATIS PERTINET APPROBATIO ET REPROBATIO DOCTRINARVM, DECLARATIO DVBIORVM, DETERMINATIO TENENDORVM, ET CONFVTATIO ERRORVM, *præfatum Doctorem venerabilem, cujus doctrinâ fulget Ecclesia ut Sole Luna, nuper Sanctorum Catalogo asscribendum, doctrinæ diligenti excussione & examinatione prahabitâ super vita ipsius & doctrina, ipsumq; quoad vitam puram, ac doctrinam salutarem orbi terræ commendabilem prædicavit, &c.* Quæ declaratio eo majoris est ponderis, quod qui eam edidit Episcopus, idem antea quasdam D. Thomæ sententias impugnari permiserat. Unde constat illum ideo mutasse sententiam, quia, ut significat Romana Ecclesia sancti Doctoris doctrinam commendarat. Hist. Univers. Paris. tom. 4. ad dictum an. 1324.

7. Franciscus Archiepiscopus Rotomagensis in Apologia Evangelii pro Catholicis ad Jacobum Majoris Britanniæ Regem, Parisiis anno 1625. edita lib. 2. cap. 1. multa scribit, quibus infallibile summi Pontificis judicium in materia fidei probat. *Grandi*, inquit, *quodam privilegio Romanus Pontifex Custos Fidei* φύλαξ τῆς πίστεως *à Patribus habitus, ut Ephesina acta Cœlestino Papa* χελεστίνῳ τῷ φύλακι πίστεως *Cœlestino Custodi Fidei acclamatum testatur. Nec non & postea insertum Chalcedonensibus actis insigne monumentum illud est Petri Episcopi Ravennatis epist. ad Eutychem. In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his, quæ à beatissimo Papa Romanæ Civitatis scripta sunt*

sunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria Sede & vivit & præsidet, præstat quærentibus Fidei veritatem. Nos enim pro studio Pacis & Fidei extra consensum Romanæ Civitatis Episcopi causas fidei definire non possumus, &c. Denique multa colligit Romani Pontificis epitheta idipsum significantia; quod sit *Custos Fidei, violatæ Fidei Vindex, Caput totius Fidei, &c.* Cap. 2. refert partem epistolæ Agathonis Pontificis in sextæ Synodi act. 4. Synodicè lectæ, de Ecclesia Romana dicentis ad Imperatores; *Hæc spiritualis Mater vestri tranquillissimi Imperii Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei Omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam erravisse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio Fidei Christianæ percepit ab Autoribus suis Apostolorum Christi Principibus illibata sine tenus permanet.* Cap. 12. majori cum energia; CVI NON PATET, inquit, FIDEI OSTIVM ROMANIS CLAVIBVS APERIENDVM, A ROMANOQVE PONTIFICE PATEFACIENDVM ESSE.

8. Jam à primis sæculis, ut testatur S. Leo epist. 89. sancta Sedes ab Episcopis Gallicanis innumeris est relationibus consulta, qui mos nunquam non viguit. Porrò ejus responsa ita suscipiebantur, ut posteà consulentes non vacillarent, atque adeò reformabilia esse non suspicarentur, quod tum ex multis, quæ jam diximus constat, tum hic confirmandum est testimonio celeberrimi Ægidii Archiepiscopi Bituricensis, qui expositione cap. cum Marthæ. De celebr. Miss. ait; *Archiepiscopus igitur Lugdunensis de omnibus his dubitans*, SEDEM PETRI, AD QVAM PERTINET MAIORES CAVSAS, ET PRÆSERTIM ARTICVLOS FIDEI, ET EA QVÆ AD ARTICVLOS ORDINANTVR, DECIDERE, CONSVLVIT, NE IN IPSIS VLTERIVS VACILLARET.

9. Nicolaus Coeffeteau Theologus Parisiensis, ac postea Massiliensis Episcopus in tractatu pro sacra Monarchia Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ adversùs Rempublicam Marci Antonii de Dominis Archiepiscopi Spalatensis part. 5. discuss. num. 5. cap. 12. lib. 1. Indefectibile fidei lumen in summo Pontifice his verbis astruit; *Dico igitur non esse par lumen in reliquis cum summo Pontifice. Namq;* VNI EI IN PERSONA PETRI DICTVM EST, EGO ROGAVI PRO TE VT NON DEFICIAT FIDES TVA. *Quare eâ luce collustratus plus ejus oculus cernit quàm multorum oculi, &c.*

10. Luculentius mentem ſuam aperit Illuſtriſſimus Gabriel Albaſpineus Aurelianenſis Epiſcopus in hæc verba Tertulliani, *Epiſcopus Epiſcoporum* lib. de Pudicitia; *Quâcumque igitur*, inquit, *ratione aut mente de Romano Pontifice hæc dixerit Tertullianus, ſeriò vel per libidinem, illis tamen temporibus* PENES EVM FOTESTATEM FVISSE DE REBVS FIDEI IVDICIA PEREMPTORIA FERRE, *& totius orbis Epiſcopos monere atque docere, quis non agnoſcit? Eoq; magis quod unus Tertullianus jam hæreſi implicitus, de hac re cæteris Eccleſiæ Epiſcopis non reluctantibus conqueratur: nam de his rebus eum oppugnando conjecturam facit, eâ tempeſtate id juris Romanis Epiſcopis conceſſum fuiſſe, eoſq; revera hanc poteſtatem exercuiſſe.* Vide ejus notam in hæc verba S. Optati Epiſcopi Milevitani de B. Petro loquentis lib. 2. de ſchiſm. Donat. *Qui ducit ad ſe Angelum.*

11. Illuſtriſſimus Petrus de Marca Archiepiſcopus Toloſanus in quodam M. S. quod Stephanus Baluzius in compendio ejus vitæ libris de Concordia præfixo, aſſerit ultimum eſſe Illuſtriſſimi illius Archiepiſcopi opus, paulò ante mortem ab ipſo confectum, infallibile Papæ in Fidei quæſtionibus judicium ita defendit, ut opinionem contrariam antiquorum Doctorum Univerſitatis Pariſienſis (Gerſonium & alios innuebat, de quibus poſteà) ab Eccleſia tolerari tantùm aſſeruerit; cæterùm tunc ipſiuſmet Univerſitatis, & aliarum omnium Doctores, pro infallibili Papæ judicio ſtare.

12. Non Epiſcopi ſingulares tantùm, ſed ut olim Concilia, ita poſterioribus temporibus conventus, & Comitia Cleri Gallicani privilegium illud ſanctæ Sedis venerata ſunt. Celeberrimus Conventus Melodunenſis an. 1579. tit. 1. Conſtitutionum, qui eſt *de fidei profeſsione*, ſic decrevit; *operam dabunt ii quibus hæc cura demandata eſt, Epiſcopi ſcilicet & eorum Vicarii, ut in omnibus Synodis tam Diœceſanis quàm Provincialibus, omnes &* SINGVLI TVM CLERICI, TVM LAICI AMPLECTANTVR, ET APERTA PROFESSIONE EAM FIDEM PRONVNCIENT, QVAM S. ROMANA ECCLESIA, MAGISTRA, COLVMMA, ET FIRMAMENTVM VERITATIS PROFITETVR ET COLIT. *Ad hanc enim propter ſuam principalitatem neceſſe eſt omnes convenire Eccleſias.*

13. Sed quid ſibi volunt verba illa epiſtolæ Comitiorum Generalium Cleri Gallicani ad Innocentium X. Pontificem Maximum 8. Kal. Novembr. 1650. SCIMVS VBI CA-

PVT

PVT ECCLESIÆ IBI TOTIVS FIDEI ARCEM, TOTIVS ET DISCIPLINÆ METROPOLIM; *Eoq; convenitur à nobis libentius, quo in Præsulum Primatis simul Præsules, si quando illis dolet, maximè à vulneribus Ecclesiæ justissimas querelas suas deponere par est.* Adeone parum tuta est Religio nostra, ut *totius fidei arcem* hæresi disjici posse sentiamus? Adeone parum firma est Petra, super quam Christus ædificavit Ecclesiam suam, ut portæ Inferi prævalere possint adversus eam? Adeone ineficax Christi Oratio, ut Petri, pro quo rogavit, defectura sit fides in ejus successoribus? Sed Ecclesiæ Gallicanæ mens luculentius apparet in Epistolis anno 1653. in ultimo capite hujus libri referendis.

CAPUT XI.

Probatur autoritate Universitatis Parisiensis ac Doctorum Particularium illius, nec non Senatus Parisiensis, Papæ judicium in causis Fidei esse irreformabile.

1. ANno 1387. tota Universitas Parisiensis in Consistorio apud Clementem, quem tanquam legitimum Pontificem sequebatur, per Magistrum Petrum de Alliaco infallibile Romani Pontificis judicium in Causis fidei esse professa est his verbis in histor. Univers. ad hunc annum relatis; *Igitur pro vestris humilibus filiis Universitatis prædictæ, & pro nobis eorum Nunciis, qui suis in hac parte obsequimur mandatis, & documentis innitimur, corde & ore unanimiter protestamur, quod quidquid hactenus in hac causa per eos actum est, & quidquid in ea nunc vel alias pro eis acturi, aut dicturi sumus, totum correctioni, & judicio Sedis Apostolicæ & sedentis in ea summi Pontificis humiliter submittimus; dicentes cum B. Hieronymo 24. quæst. 1. Hæc est fides, Pater Beatissime quam in Catholicæ Ecclesia didicimus, in qua si minus peritè, aut minus cautè forte aliquid positum est,* EMENDARI PETIMVS A TE, QVI PETRI FIDEM ET SEDEM TENES. NON IGNORAMVS ENIM SED FIRMISSIMÈ TENEMVS, ET NVLLATENVS DVBITAMVS, QVOD SANCTA SEDES APOSTOLICA EST ILLA CATHEDRA PETRI, SVPRA QVAM EODEM

DEM HIERONYMO TESTE FVNDATA EST ECCLESIA, ut habetur eádem quæstione in cap. *Quoniam vetus. Et sicut dicit Cyprianus* 93. dist. *Qui Cathedram.* DE QVA SEDE, IN PERSONA PETRI APOSTOLI IN EA SEDENTIS DICTVM EST, PETRE ROGAVI PRO TE VT NON DEFICIAT FIDES TVA *Luc.* 22. *Hæc est igitur ad quam determinatio fidei, & approbatio veritatis Catholicæ, ac hæreticæ impietatis detestatio maximè pertinet.*

2. Adeo erat veneranda illi Universitati sententia de infallibili judicio Papæ, ut ante hunc annum nullus ejus Facultatis Doctor ab ea recesserit, & postea, licet occasione schismatis, aut aliorum dissidiorum ab ea nonnulli declinaverint, nunquam tamen ab ipsis Universitatis incunabulis usque ad postremas contentiones defuerint Doctores, qui eam sequerentur. De antiquis testatur generatim Andreas Duvallius Academiæ Parisiensis alumnus, ac Theologiæ Professor, in lib. *De suprema Romani Pontificis in Ecclesiam potestate*, anno 1614. in lucem emisso, & à duobus aliis Doctoribus approbato, sensisse illos privilegium in fide non errandi à Petro ad ejus successores defluxisse, nec nisi à ducentis annis quemquam ab ea sententia recessisse. Hæc sunt ejus verba; *Velint nolint Adversarii, liquidò constat veteres Ecclesiæ Gallicanæ Proceres hanc in summis Pontificibus Petri successoribus infallibilitatem semper agnovisse, Christique Domini Orationem in Petro non stetisse, sed ad ejus successores certissimè transisse,* EOSQVE, QVI HANC VERITATEM IMPVGNARE CONATI SVNT, A DVCENTIS AVT CIRCITER ANNIS, QVIBVS IN ECCLESIAM HORRENDA SCHISMATA IRRVERVNT, COEPISSE. Quæ Doctoris assertio exemplis est roboranda.

3. Alcuinus S. Benedicti Monachus Caroli Magni Præceptor, eique, ut volunt Galli, fundandæ illius Universitatis autor, hæc habet lib. 1. de Divin. offic. cap. 19. *Religionis cultum sic Dominus instituit, ut in Beatissimo Petro principaliter collocaret, atque ab ipso quasi capite dona sua vellet in corpus omne manare.* (Nota hæc verba, *in corpus omne*, ne putes Alcuinum sensisse, à summo Pontifice in alias Ecclesias seorsim acceptas, non autem in corpus ipsum Ecclesiæ universalis, fidei veritatem, aliaque Divina dona manare.) *Unde constat ab universali Orbis communione separatos esse, sicut docet* B. *Pelagius, qui qualibet dissensione inter sacra Mysteria Apostolici Pontificis memoriam secundum consuetudinem non frequentant.*

4. Al-

4. Albertus Magnus S. Thomæ Magister, qui tanto Discipulorum concursu Parisiis docuit, ut, cùm schola nimis esset angusta, in foro quod ab ejus nomine nuncupatur, legere coactus sit, ex verbis Christi ad Petrum; *Rogavi pro te, &c.* infert, Petri successores à fide, quantumvis illa impetatur, non defecturos. *Hoc argumentum* inquit, *efficax est pro Sede Petri, & successore ipsius, quod fides ejus non finaliter deficiat.* Obscuritatem aliquam paret vox illa, *finaliter*, ac fortè de perseverantia finali in fine aliquis eam interpretaretur; nisi constaret eam quidem interpretationem S. Petro posse accommodari, non autem successoribus ejus, quibus si non esset datum in determinandis fidei quæstionibus non errandi privilegium, multò minus affirmare liceret, promissam ipsis, ut privatis personis, finalem in fide perseverantiam, multò minus de Sede ipsa B. Petri, cujus etiam meminit (*Pro Sede Petri & successore ipsius*) posset illa vox, *finaliter*, accipi. Ea igitur vis est vocis illius; posset scilicet Romanum Pontificem in rebus ad fidem spectantibus, dum eas agitat, ac discutit, aliquatenus fluctuare, quemadmodum Joanni XXII. contigit circa visionem Beatificam ante judicium universale; rebus tamen agitatis & discussis non posse quidquam solemniter definire, ac toti Ecclesiæ credendum proponère, quod sit ab Orthodoxa fide alienum.

5. Sanctus Thomas Aquinas Universitatis Parisiensis Alumnus, ac in ea deinde celeberrimus Magister, non potuit luculentiùs supremum & infallibile summi Pontificis, in decidendis circa fidem dubiis judicium profiteri, quàm his verbis 2. 2. quæst. 1. art. 10. *Ad illius autoritatem pertinet editio symboli, ad cujus autoritatem pertinet* DETERMINARE EA, QVÆ SVNT FIDEI, VT AB OMNIBVS INCONCVSSA FIDE TENEANTVR. HOC AVTEM PERTINET AD AVTORITATEM SVMMI PONTIFICIS, *ad quem majores & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in Decret. extra de Baptismo c. Majores. Unde & Dominus Luc. 22. Petro dixit, quem summum Pontificem constituit, Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Qua cavillatione locum istum obscurabit Launoius? Non hic ad *Ecclesiam Romanam*, non hic ad *Sedem Apostolicam*, sed *ad autoritatem summi Pontificis* pertinere dicitur *finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussè teneantur.*

6. At fortasse, licet non exprimat, intelligit tamen S. Thomas casum, cùm summus Pontifex in Concilio Oecumenico sedet, ac præsidet. Contra verò eam restrictionem expressis verbis rejicit S. ille Doctor de potentia quæst. 10. art. 4. ad 13. ubi postquam summo Pontifici, sicut & Concilio Oecumenico autoritatem tribuit interpretandi Symbolum, subjungit; *Sicut autem posterior Synodus potestatem habet interpretandi Symbolum à priore Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad ejus explanationem, ut ex prædictis patet; ita etiam Romanus Pontifex hoc sua autoritate potest, cujus autoritate sola Synodus congregari potest, & à quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur. Quæ omnia patent ex gestis Chalcedonensis Synodi.* Objectionem de necessitate Concilii præoccupat his verbis; NEC EST NECESSARIVM, QVOD AD EIVS EXPOSITIONEM FACIENDAM VNIVERSALE CONCILIVM CONGREGETVR, *cùm quandoque id fieri prohibeant bellorum dissidia, sicut in septima Synodo legitur, quod Constantinus Augustus dixit, quod propter imminentia bella universaliter Episcopos congregare non potuit: sed tamen illi qui convenerunt, quædam dubia in fide exorta, sequentes sententiam Agathonis Papæ determinaverunt. Scilicet quod in Christo sint duæ voluntates & duæ actiones, & similiter Patres in Chalcedonensi Synodo congregati secuti sunt sententiam Leonis Papæ, qui determinavit Christum esse in duabus naturis post incarnationem.*

7. Antiquos secuti sunt novi quamplures: Joannes à Celaia Doctoratus Lauream in Universitate Parisiensi assecutus, in 3. sentent. dist. 25. quæst. 4. quintam hanc ponit conclusionem; QVINTA CONCLVSIO EST ISTA. ROMANÆ SEDIS IVDICIVM IN HIS QVÆ FIDEI SVNT, ET AD HVMANAM SALVTEM NECESSARIA, ERRARE NEQVIT; *Quod probatur ex promissione salvatoris Nostri Luc. 22. quæ verba allegat Bernardus scribens Innocentio Papæ ..... Idem asserunt D. Cyrillus, & D. Chrysostomus, & D. Gregorius.* Deinde illorum rejicit sententiam, qui infallibilitatem penes Ecclesiam universalem tantum, non autem penes Romanum Pontificem solitariæ sumptum reponunt. *Contra istam conclusionem arguitur. Doctores Catholici glossant illam autoritatem Salvatoris de universali Ecclesia, & non de Sede Romana, ergo malè assumitur talis autoritas pro fundamento istarum conclusionum. Ad hanc replicam respondetur negando antecedens, imò necessarium est dicere, quod non intelligitur de universali Ecclesia. Nam subjungitur; Et tu aliquando conversus, &c.*

Idcirco

Idcirco D. Cyrillus, & D. Chryſoſtomus, & D. Leo, & B. Agatho, & D. Bernardus, & Anſelmus, & Albertus Magnus, & D. Thomas gloſſant prafatam autoritatem de Eccleſia Romana, ut diſtinguitur ab aliis Eccleſiis.

8. Andreas Duvallius, ut ſupra diximus Doctor Sorbonicus, & in Academia Pariſienſi Regius Theologiæ Profeſſor de ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate Tractatum emiſit in lucem ann. 1614. eumque approbarunt G. J. Roger, & J. Roche Facultatis Theologiæ Pariſienſis Doctores his inter alia verbis. *Juris ut ſiat publici operæ pretium duximus ad ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ autoritatem tuendam, nec non ad ſummam cum eodem Capite ſuo viſibili Romano Pontifice unionem arctiſſimè retinendam, cui aliter ſchiſmaticorum mala mens maluſq; animus malè & ſeditiosè conſultum vellet.* 10. *Kal. Febr. an. ſal.* 1614.

9. Joannes Puteanus Auguſtinianus Profeſſor Regius in Academia Toloſana, qui Pariſiis Theologiam didicerat, in 2. 2. S. Thomæ quæſt. 1. art. 6. dubit. 2. concluſionem hanc ſecundam ponit; SOLIVS PONTIFICIS MAXIMI EST RES DE FIDE CATHOLICA DEFINIRE, ET EASDEM CERTO ET INDVBITANTER PROPONERE CREDENDAS, quam ſacræ Scripturæ, Patrumque, atque aliorum Doctorum teſtimoniis probat. In ſolutione autem primæ objectionis infallibilitatem, quàm habent Epiſcopi in Concilio univerſali, connexioni, quam habent cum ſummo Pontifice, adſcribit, eamque Concilio, abſente ſummo Pontifice, denegat. *Infallibilis iſta aſſiſtentia Spiritus ſancti non eſt aliundè repetenda, quàm à promiſsione D. Petro facta. Unde propter connexionem quam ſupponimus dari inter Epiſcopos & Pontificem Maximum, in Concilio Generali, ſtatuendum eſt, Epiſcopos illic congregatos nullo modo errare poſſe in rebus de fide decidendis.* SI TAMEN EVERINT CONGREGATI TOTIVS ORBIS EPISCOPI ABSENTE PONTIFICE MAXIMO, ET EIVS LEGATIS, EPISCOPI EVEIICIVNTVR ERRORIEVS.

10. Leonardus Coquæus etiam Auguſtinianus in Univerſitate Pariſienſi Doctor Theologus in Antimornæo tom. 1. pag. 83. QVOMODO IGITVR, inquit, ÆGRE FERVNT (Hæretici) NOS ROMANVM PONTIFICEM CONCILIIS SVPERIOREM ASSERERE? ET ROMANO PONTIFICI, ET CONCILIIS OECVMENICIS IN SPIRITV SANCTO LEGI-

TIMÈ CONGREGATIS TANTVM DEFERIMVS, VT NEC ILLVM, NEC ISTA, IN DEFINIENDIS, QVÆ AD FIDEM ET MORES PERTINENT, AC REGIMEN ECCLESIÆ SPECTANT, ERRARE POSSE ASSERAMVS: NEC QVIDQVAM TOTI ECCLESIÆ PROPONERE CREDENDVM, QVOD SIT ERRONEVM; *ut hæreticus aut temerarius ille sit nobis, qui vel Romani Pontificis, vel Oecumenicorum Conciliorum statutis ac definitionibus refragari audeat.* Tomo autem 2. pag. 237. *Cùm sedeat in Cathedra Petri, pro quo Dominus rogavit ut non deficeret fides ejus; & ut confirmaret fratres suos, non sinet cum ex illa Cathedra aliquem errorem loco fidei salutiferæ obtrudere fidelibus credendum.*

11. Hervæus Natalis Brito Ordinis Fratrum Prædicatorum Generalis in tract. de potestate Papæ, quem refert, & sequitur S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, ejusdem Ordinis, 3. part. summæ Theologiæ tit. 22. cap. 2. §. 3. probat necessitatem unius capitis in Ecclesia ex necessitate conformitatis in veritate fidei & morum hoc modo; *In tota universitate Christiana debet esse conformitas de his, quæ pertinent ad veritatem fidei & bonos mores circa necessaria ad salutem. Sed talis conformitas non potest salvari, nisi in ordine ad unum Caput, seu unum Præsidentem, ad quem spectet sententiare quid credendum, & quid non credendum. Ergo, &c.* An Christus constituens summum Pontificem ad definiendas ejusmodi controversias *pro tota universitate Christiana*, negavit quæ necessaria erant, ut certa esset ejus definitio, *circa necessaria ad salutem?*

12. Infallibile judicium Papæ in decidendis fidei controversiis probat Michael Mauclerus Parisinus Doctor Sorbonicus in libris de Monarchia Divina Ecclesiastica & seculari Christiana Parisiis an. 1622. editis, & Gregorio XV. ac Ludovico XIII. Regi Franciæ dicatis 2. part. lib. 4. capp. 4. §. 6. & 7. eamque communem esse in Scholis Theologorum sententiam asserit dicto cap. 4. his verbis; *Hæc illa communis sacræ sapientiæ Professorum, quæ docetur in Scholis, assertio, disceptationum causarumq; de fidecursum, motumq; Romani Pontificis in Cathedra Petri sedentis consopitum judicio finiri.* Sic senserunt Doctores Gallicani aliquâ schismatis, vel alterius dissidii occasione non exasperati.

14. Ita ad autoritatem Joannis Gersonii ejusque sequacium respondet Andreas Duvalius part. 2. quæst. 1. *Scio quidem*

in re Pontificia, Alliacensem, Gersonium, & Almainum non esse tantæ autoritatis, quia tempore schismatum floruerunt & scripserunt, duo priores, quando tres se pro Pontificibus gerebant : postremus verò, nempè Almainus tempore Julii II. & Conciliabuli Turonensis, quo Gallia sub Ludovico XII. à Sede Apostolica defecerat, &c. Aliam affert responsionem quæst 4. ad nonum. *Joannes Gerson*, inquit, *Jacobus Almain & Joannes Major celebres scholæ Parisiensis Doctores cum nonnullis aliis privilegium infallibilitatis Pontifici denegarunt, sed illud ei concesserunt alii, quorum quidam multò sunt illis celebriores, ut D. Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 10. Ad summum Pontificem pertinet ea, quæ sunt fidei definire, ut ab omnibus inconcussâ fide teneantur. Itemque D. Bonaventura singulare scholæ Parisiensis decus & ornamentum, & cujus doctrinam Gerson ad studentes in Collegio Navarræ miris laudibus ad Cœlum usque extollit : Herveus Armoricus, Henricus Gandavensis, & Joannes de Celaia ambo Societatis Sorbonicæ : itemque Doctores illi, qui in Comitiis scholæ Generalibus errores Malesoni condemnarunt, his verbis; Ad sanctam Apostolicam Sedem pertinet autoritate judiciali suprema circa ea, quæ sunt fidei definire. Quo fit ut iniquè Vigorius me tanquam scholæ Parisiensis desertorem, & veluti perduellem scriptis suis traducere & proscindere præsumat, præsertim cùm, ut in Elencho contra Richerium apertè significavimus, nihil quidquam à Facultate Parisiensi contra Pontificis infallibilitatem unquam sit definitum.*

14. Ludovicus Bail in apparatu ad Concilia quæst. 43. & sequ. non solùm juxta S. Thomæ, quam supra declaravimus mentem, sed & per ipsa ejus verba respondet ad quæstiones de judicio Papæ in quæstionibus Fidei. Hunc, aliosque nonnullos citamus; quia licet fortasse non tanti sint ponderis: tamen cùm Galli sint, Galliæ mentem testantur.

15. Denique tamen Universitas Parisiensis nonnihil ab antiqua doctrina recessit; sed certis gradibus ac ferè invita. Namque adhuc mense Maio 1663. quo tempore ortum fuerat dissidium inter Alexandrum Papam, & Regem Christianissimum, prodiit Decretum cum hoc titulo; *Declarationes sacræ Facultatis factæ apud Regem Christianissimum super quibusdam propositionibus, quas nonnulli ipsi voluerunt adscribere.* Quintus articulus erat iste; *Doctrinam Facultatis non esse, quod summus Pontifex sit supra Concilium.* Sextus; *Non esse doctrinam, vel dogma Facultatis, quod summus Pontifex nullo accedente Ecclesiæ consensu sit infallibilis.* Hic Facultas modo negativo respondet *non esse doctrinam, &c.* Apertiùs deinde locuta est

in censura librorum Jacobi Vernant anno 1664. & Amadæi Guimenei anno 1665.

16. Nihilominus antiquum usum nondum immutavit, neque mutare suadentibus obtemperandum duxit, de quo usu Andreas Duvalius; *Laudabilis*, inquit, *in Academia Parisiensi viget consuetudo, qua Baccalaurei de quæstionibus Theologicis solemniter responsuri protestationes præmittunt, se nolle quicquam contra Decreta sanctæ Matris Ecclesiæ, necnon sanctæ Sedis Apostolicæ & Romanæ asserere, aut defendere, & si quid in æstu disputationis adversùs ejusmodi Decreta, illis excideret, v ignorantiæ, vel immemoriæ, vel linguæ præcipitio attribuendum velle.*

17. Autoritati Universitatis Parisiensis adjungenda est, quam illa tam frequenter imploravit, cuique ut primum ultrò, ita deinde invita subjacuit, Senatûs Parisiensis autoritas. Ille igitur Senatus ad Ludovicum XI. per Joannem Lozellier Inquisitionum Cameræ Præsidem, cujus oratio refertur à Petro Puteano inter Tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, ita Regem alloquitur art. 20. „ Protestatur Curia Vestræ „ Majestati se nullo modo propter quæcumque inferiùs di„ cenda velle excellenti sanctitati, dignitati, honori, & „ autoritati nostri sancti Patris Papæ, sanctæque Sedis Apostoli„ licæ derogare: sed contra ei omnem honorem, reveren„ tiam, & obedientiam, quam omnes boni fideles Catholi„ ci supremo Ecclesiæ Pastori præstare tenentur, sicut ve„ ros filios Ecclesiæ Matri sanctissimæ reddere, & exhibere: „ protestans insuper si quid dictum factumque à se fuerit quod „ correctione egeat, illud totum velle se omninò Ecclesiæ „ sanctæ Apostolicæ & Romanæ determinationi submittere, „ quæ errare non potest juxta Canonem. A recta 24. quæst. 1.

CAPUT XII.

Probatur testimonio summorum Pontificum in quæstionibus Fidei Romani Pontificis judicium esse certissimum.

1. SI summorum Pontificum tanquam in propria causa loquentium rejicienda esset autoritas, nec eorum Dignitatis, Sanctitatis, aut meriti habenda ratio, pari vel potiori etiam

etiam ratione recusari posset Concilium Constantiense, cujus Decretis, quæ alibi examinata sunt, nititur hæc propositio, cùm in propria etiam causa loqueretur. Verum nefas est de illis præsertim, qui sanctitate ac doctrina conspicui fuerunt, suspicari eos propriæ Dignitatis augendæ causâ doctrinam inducere voluisse, quæ, si erronea esset, totius Religionis Christianæ fundamenta concuteret.

2. Sanctus Innocentius à S. Augustino, & ab aliis Patribus tantopere commendatus epist. 25. ad Episcopos Milevitani Concilii an. 417. Romanam Ecclesiam ut fidei fontem perenniter fluentem exhibet; *Neque enim hoc vestram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmastis, scientes quod per omnes Provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanant. Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est sui nominis & honoris autorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse.* Notentur hæc verba, *nonnisi ad Petrum*, ad quem fidei quæstiones referuntur, dum referuntur ad ejus successorem; Quia nimirùm sicut officio, sic & fidei firmitati officio necessariæ, succedit.

3. Relationes olim ad sanctam Sedem ex omnibus Christiani Orbis Provinciis, præsertim ex Gallia fieri solitas fatentur Galli: sed forsan responsiones non esse irreformabiles existimant. Contrarium S. Innocentius sentiebat, quandoquidem epistolâ ad Episcopos Macedoniæ à Dionisio Exiguo cum aliis collectâ, injuriæ adversùs sanctam Sedem tribuebat, quod secundùm consuleretur, quasi ejus sententia in dubium revocaretur. *Adverti*, inquit, *Sedi Apostolicæ, ad quam relatio quasi ad caput Ecclesiarum missa currebat, aliquam fieri injuriam, cujus adhuc in ambiguum sententia duceretur.* Hanc etiam exceptionem excludunt multi Doctores, quorum testimonia supra reddita sunt, ut in eis observare licuit.

4. Sanctus Cælestinus Legatos mittens in Orientem, ipsis contendere prohibuit, præcepit verò de aliorum sententiis judicare: qua jussione significabat non esse ab Episcopis expectandum consensum, ut esset irreformabile Papæ judicium, sed per ipsius judicium, & per instructionem ab eo datam componenda, atque ad unitatem redigenda variè sentientium

Episcoporum suffragia. *Ad disceptationem si fuerit deventum, vos de eorum sententiis dijudicare debetis, non subire certamen.* Commonitor. Cœlest. apud Christianum Lupum ad Ephesin. Concil. varior. Patr. Epist. cap. 236.

5. Sancti Leonis Magni testimonium protulimus cap. 3. sed Launoius, ut illi vim detrahat par. 5. epist. 2. illud de S. Petro tantùm, ac pro tempore Passionis dumtaxat interpretatur, malæ fidei accusans Bellarminum, quod omiserit eam partem, in qua Passionis fit mentio. Sed cadit hæc accusatio, si reddatur pars alia testimonii, quam Launoius ipse omisit, & in qua sermo fit de tempore post Passionem. Sequitur enim; *Cùm itaque dilectissimi, tantum nobis videamus præsidium Divinitùs institutum, rationabiliter & justè Ducis Nostri meritis, & Dignitate lætamur, gratias agentes sempiterno Regi Redemptori Nostro Jesu Christo, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesiæ Principem fecit, ut si quid etiam nostris temporibus rectè per nos agitur, rectèque disponitur, illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est; Et tu confirma fratres tuos; & cui post resurrectionem suam Dominus ad trinam æterni amoris professionem mystica insinuatione ter dixit; Pasce oves meas: quod nunc quoque procul dubio facit, & mandatum Domini pius Pastor exequitur, confirmans nos cohortationibus suis, & pro nobis orare non cessans.* Non enim Christus post Passionem Petro commisit oves suas, ut tempore Passionis eas pasceret; nec de illo tantum tempore intelligi possunt hæc verba; *Quod nunc quoque procul dubio facit, &c.* At inquies facit hoc Petrus *cohortationibus suis & orationibus.* Ita est; sed facit etiam quia, ut idem S. Leo dicit in serm. 2. in Anniversario Assumptionis suæ ante medium, in Romano Pontifice *omnium Pastorum solicitudo cum commendatarum sibi ovium custodiâ perseverat, & ejus etiam dignitas in indigno hærede non deficit.* Non est autem inutilis proposito Bellarmini S. Leonis autoritas, etiamsi partem tantùm attulerit, nec quæ ex illa consequuntur, expresserit; quia scilicet cùm ex verbis, quæ recitaverat, sequeretur, potestatem sancto Petro collatam, tanquam supremo Pastori, & ut fratres confirmaret; in promptu erat unicuique concludere, eâdem potestate muniri, qui eidem officio à Domino præponatur.

6. Sancti Agathonis etiam testimonium jam reddidimus, sed multiplici telo Launoius illud impetit. Primò distinguens

guens *Apostolicam Christi Ecclesiam*, (ideſt Romanam, de qua, ut fatetur Launoius loquitur Agatho) à Romano Pontifice. Sed ut jam alibi inſinuavimus, inutilis eſt diſtinctio. Sufficit enim ut non errandi privilegium Eccleſiæ Romanæ concedatur; Planum eſt enim illud à Pontifice in Clerum derivari, idque verba ipſa Evangelii ab Agathone recitata oſtendunt; *Ego autem rogavi pro te, &c.* Adde quod ad propoſitum noſtrum ſatis eſt, ut Pontificis judicium certum ſit, antequam univerſæ Eccleſiæ conſenſus acceſſerit. Secundò diſtinguit Launoius jus à facto, notatque quod *Agatho quæſtionem facti non juris tractat, cùm ait Apoſtolica Chriſti Eccleſia, ideſt, Romana, à tramite Apoſtolicæ traditionis nuſquam erraſſe probatur, aut Hæreticis novitatibus unquam depravata ſuccubuit.* Benè quidem Launoius, ſi ibi ſiſteret Agatho; ſed cauſam continuò affert, quæ jus validius quàm factum adſtruit. Proſequitur enim; *Quia dictum eſt Petro: Simon ecce Sathanas, &c. Ego autem rogavi pro te, &c. Hic Dominus fidem Petri non defecturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit. Quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædeceſſores confidenter feciſſe cunctis eſt agnitum.* Tertiò Launoius circa hæc ultima verba notat, *Agathonem indefinitè ſcribere: Apoſtolicos Pontifices Prædeceſſores confirmaſſe fratres ſuos: ſed definitè non ſcribere Apoſtolicos Pontifices Prædeceſſores omnes confirmaſſe fratres.* Sed nonne juxta regulas Dialecticæ propoſitio indefinita de facto circumſtantiis non limitato, æquivalet univerſali? At, inquit Launoius, multi Pontifices ſecus fecerunt. Utrum aliqui præcepto implendo defuerint, ſive defectu ſpei conſequendi fructus, ſive etiam per negligentiam, quæſtio eſt de facto nequaquam juri præjudicans. Sufficit ut Pontifices præceptum ſibi à Chriſto impoſitum de confirmandis fratribus ſcientes, regulariter & ordinariè illud cum autoritate, ſæpe cum utilitate, præſtiterint. Sancti Gregorii teſtimonium jam retulimus.

7. Nicolaus I. in epiſtola ad Michaelem Imperatorem privilegia ſanctæ Sedi in perſona B. Petri à Chriſto collata immota ſemper futura eſſe conſtanter affirmat, inter quæ illud ſine dubio præcipuum eſt, ut vacillantes in fide confirmet, quemadmodum fecerat S. Leo erga Concilium Epheſinum ſecundum. *Quomodo*, inquit, *non egeat qualibet Synodus Romanæ Sedis, quomodo in Epheſino Latrocinio cunctis Præſulibus, & ipſis quoque Patriar-*

triarchis prolabentibus, nisi Magnus Leo, imitator scilicet illius Leonis, de quo scriptum est; Vicit Leo de tribu Juda; divinitùs excitatus, os aperiens totum Orbem, & ipsos quoque Augustos concuteret, & ad pietatem commoveret; Religio Catholica penitùs corruisset. Et inferius; *Cum Ecclesiæ Romanæ privilegia Christi ore in B. Petro firmata in Ecclesia ipsa disposita, antiquitùs servata, & à Sanctis Universalibus Synodis celebrata, atque à cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus: & quod Deus statuit, firmum validumq; consistit, &c.*

8. Parcius de privilegiis Ecclesiæ Romanæ Nicolaus, quàm ad eum scribens S. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus, cujus epistola lecta est in act. 3 octavæ Synodi, & in quatum Petri dignitatem & potestatem, tum ad successores transmissionem luculentissimè profitetur his præcipuè herbis; DIXIT PETRO MAGNO, ET SVMMO APOSTOLORVM, TV ES PETRVS, ET SVPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM, ET PORTÆ INFERI NON PRÆVALEBVNT ADVERSVS EAM. ET ITERVM; TIBI DABO CLAVES REGNI CÆLORVM: ET QVODCVMQVE LIGAVERIS SVPER TERRAM ERIT LIGATVM ET IN CÆLIS: ET QVODCVMQVE SOLVERIS SVPER TERRAM ERIT SOLVTVM ET IN CÆLIS. TALES ENIM BEATAS VOCES NON SECVNDVM QVANDAM VTIQVE SORTEM APOSTOLORVM PRINCIPI SOLVM CIRCVMSCRIPSIT, ET DEFINIVIT, SED PER EVM AD OMNES, QVI POST ILLVM SECVNDVM IPSVM EFFICIENDI ERANT SVMMI PASTORES ET DIVINISSIMI SACRIQVE PONTIFICES SENIORIS ROMÆ, TRANSMISIT. *Et ideò ab olim & prisco tempore in exortis hæresibus, & prævaricationibus Eradicatores, & Interemptores malorum zizaniorum & labefactorum & penitùs insanabiliter ægrotantium membrorum multi multoties facti sunt eorum, qui sanctitatem & summam Paternitatem tuam illic præcesserunt, sicuti Principis Apostolorum, & illius zelum in fide, quæ secundùm Christum est imitantes.* Quibus verbis non solùm B. Petri, sed & successorum ejus autoritas explicatur. Si quis eorum ponderi aliquid detractum velit, quod eo tempore scripta sint, cùm S. Ignatius Romani Pontificis ope indigeret, animadvertat sanctum esse qui scribit, adeoque in rebus tanti momenti ab adulatione remotum; non illum dumtaxat sanctum Patriarcham Con-

Constantinopolitanum ad beati Petri Sedem confugisse : Epistolam ejus in Concilio generali lectam ab aliquo improbandam fore, si quid Episcopo Romano concessisset in præjudicium Concilii generalis.

9. Quod argumentum multò efficacius evadit, si animadvertatur plures epistolas, ejusdem autoritatis facientes mentionem perlectas, & similia elogia in favorem Romani Pontificis ab Episcopis, à Legatis, vel à Pontificibus ipsis prolata, contradicente nemine, fuisse. Quod jam de Legatis Cœlestini in Concilio Ephesino notavimus, de epistola Agathonis in sexta Synodo recitata, aliisque nonnullis. Id, si semel aut bis tantùm contigisset, inadvertentiæ tribui posset ; sed quomodo fieri potuisset, ut tantus Præsulum numerus toties rem adeò insignem inattentâ mente audisset ?

10. Quæ circa testimonia Sanctorum Leonis I. & Agathonis adversùs Launoii objectiones notata sunt, valent etiam adversùs ea, quæ Nicolai I. modò adductis, & Leonis IX. cap. 3. relatis, & ex parte etiam Innocentii III. mox exscribendis verbis opponit.

11. Sed repetendum est testimonium S. Leonis IX. ut ex ejus cum altero ejusdem Sancti collatione clarior fiat adversùs Launoium ejus sententia. Igitur S. Leo IX. qui ab aliis VIII. tantùm numeratur, antea Episcopus Tullensis, indefectibilem Romani Pontificis fidem Christi oratione impetratam non potuit luculentiùs explicare, quàm his epistolæ 5. quæ est ad Petrum Antiochenum, verbis ; *Nimirùm solus est ille* (Petrus) *pro quo, ne deficeret ejus fides, Dominus & Salvator asseruit se rogasse dicens, Simon Simon ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua ; Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Quæ venerabilis & efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius usque in sæculum sæculi : sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitationibus, sicut usque nunc confirmare non cessavit.*

12. Vox illa, *creditur*, etsi, quando de fide Divina est sermo, assensum omninò firmum significat, cùm de opinione humana dicitur, dubitationem plerumque, aut suspicionem de contrario innuit, quod nimirùm solus Deus erroris &

 frau-

fraudis expers sit. Itaque, ne quis in secundo sensu vocem illam interpretetur, afferendus est alius locus ex epistola prima ejusdem sancti Pontificis, ubi omni cum securitate, ac firmitate loquitur, ac mirum in modum explicat verba Christi toties laudata. *Taliter*, inquit cap. 6 epist. 1. *sancta Ecclesia super petram, id est Christum, & super Petrum vel Cepham filium Joannis, qui priùs Simon dicebatur, ædificata; quia inferi portis, disputationibus scilicet Hæreticorum, quæ vanos ad interitum introducunt, nullatenus foret superanda, sic pollicetur ipsa veritas, per quam sunt vera quæcumque sunt vera, portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, cujus promissionis effectum se precibus impetrasse à Patre, idem filius protestatur dicendo ad Petrum: Simon ecce Sathanas, &c. Erit ergò quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare?* Audi jam quantâ cum constantiâ privilegium B. Petri ad successores transiisse continuatâ omnium temporum experientiâ confirmet. *Nonne à Sede Principis Apostolorum, Romanâ videlicet Ecclesiâ, tam per eundem Petrum quàm per successores suos reprobata, & convicta, atque expugnata sunt omnium Hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus nec deficit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata.*

13. Launoius hanc autoritatem elidere duplici præcipuè ratione molitur. Prima interpretando eam de Ecclesia universali. Sed quàm sit consona textui glossa, judicet quicumque Latinam linguam intelligit. Convenit quidem Ecclesiæ universæ firmitas, de qua Leo in principio loquitur, sed specialiter Ecclesiæ Romanæ aptatur, quia scilicet ab ea in alias derivatur. Secunda Launoii responsio est, verum non esse quod ait Leo, à Petri Sede commenta Hæreticorum omnium expugnata esse; quod inductione nititur demonstrare: quasi possit Launoius scire, an non intervenerit autoritas S. Petri, aut successorum ejus, sive in principio, sive in progressu profligationis hæresum. Et interveniisse de facto contra nonnullas earum, quas enumerat, si opus esset, ex certis documentis demonstraretur, v. g. contra Pauli Samosateni, contra Eunomii & aliorum errores, ex S. Athanasii epist. ad Orthodoxos, Theodoreto Eccles. hist. lib. 5. cap. 8. 9. 10. & 11. libello Synodico exstante in tom. 2. Juris Canonici veteris Christophori Justelli, Photio de Synodis, & epist. ad Michaelem Bulgariæ Principem cap. 2. epist. Damasi ad Pauli-

linum Antiochenum in collect. Rom. Holstenii par. 1. Et P. Labbe tom. 2.

14. Leonis testimonium confirmat his verbis Gregorius VII. in lib. 8. epist. 1. quæ est ad Simandensem Archiepiscopum; *Quæ* (Ecclesia Romana) *per B. Petrum, quasi quodam privilegio ab ipsis Fidei primordiis a sanctis Patribus omnium Mater Ecclesiarum adstruitur, & ita usque in finem semper habebitur in qua nullus unquam hæreticus præfuisse dignoscitur, nec unquam præficiendum, præsertim Domino promittente, confidimus. Ait enim Dominus Jesus: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Hunc locum profert Launoius, ut verba illa, *Ego rogavi pro te*, ostendat non de solo Romano Pontifice, sed de Ecclesia Romana esse accipienda. Sed patet sanctum illum Pontificem hoc privilegium Ecclesiæ Romanæ eâ tantum de causa tribuere, quod illi Petri successor præsit. Hoc significat particula illa, *enim*. Ideò enim Ecclesia Romana est mater omnium aliarum, quia ei nunquam præfectus est, neque præficietur hæreticus. Ideò non est præfectus, neque præficietur hæreticus, quia Dominus rogavit pro Petro, ut non deficeret fides ejus, scilicet neque in ipso, neque in ejus successoribus.

15. Superfluum esset posteriorum Pontificum hac de re testimonia proferre, cùm nemo dubitet, eos suum in fidei quæstionibus judicium irreformabile æstimasse. Unicum igitur dumtaxat adducam, scilicet Innocentii III. qui verba Innocentii I. quæ principio retulimus, interpretabitur, si tamen cuiquam possunt videri obscura: Igitur Innocentius III. in epist. ad Episcopum Arelatensem docet majores causas, & præsertim quæ ad fidem pertinent, ideò ad Romanum Pontificem esse perferendas, quod indefectibilis sit ejus, ut Petri, fides. *Majores*, inquit, *Ecclesiæ causas, præsertim articulos Fidei ad Petri Sedem referendas intelligit, qui novit pro eo Dominum exoraſſe ne deficiat fides ejus.*

16. Notat Launoius *Innocentium non dicere id, quod ad Sedem Apostolicam judicandum refertur, ibi certò, & sine ullo erroris periculo judicatum iri.* Quid igitur sibi volunt illa verba, quæ rationem continent, cur causæ fidei ad Petri Sedem referendæ sint; *Dominum exoraſſe ne deficiat fides ejus? Nam si certò & sine ullo erroris periculo judicatum non erunt, Dominus* quidem oravit, sed non *exoravit*. Exoraſſe

autem Innocentius, & plures alii affirmant. Apertiùs mentem ſuam explicat Innocentius ſerm. 2. in conſecrat. Pont. Max. *Niſi enim ego ſolidatus eſſem in fide, quomodo poſſem alios in fide firmare? Quod ad officium meum noſcitur ſpecialiter pertinere. Domino proteſtante; Ego, inquit, pro te rogavi Petre ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Rogavit & impetravit: quoniam exauditus eſt in omnibus pro ſua reverentia. Et ideò fides Apoſtolicæ Sedis in nulla unquam turbatione defecit, ſed integra ſemper & illibata permanſit: ut Petri privilegium perſiſteret inconcuſſum.* Jam etiam ſuprà vidimus Innocentium I. ægrè tuliſſe quod ſancta Sedes ſuper iiſdem quæſtionibus ſecundùm conſuleretur, quaſi non eſſet indubitata prima ejus ſententia.

17. Agnoſcunt omnes, etiam Gallicani hujus relationis neceſſitatem, cujus tot legerunt exempla Epiſcoporum ſanctitate inſignium, præſertim ſuæ nationis jam à primis ſæculis, ut S. Victricii Rotomagenſis, S. Exuperii Toloſani, S. Cæſarii Arelatenſis, & aliorum circa diſciplinam; aliorum circa fidem & mores, ut jam olim S. Leo Magnus ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis ſcripſerit; *Nobiſcum itaque fraternitas veſtra recognoſcat Apoſtolicam Sedem pro ſui reverentia à veſtra etiam Provincia Sacerdotibus, innumeris relationibus eſſe conſultam, & per diverſarum, quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat, appellationem cauſarum, aut retractata, aut confirmata fuiſſe judicia.* Sed undè oritur illa neceſſitas conſulendæ ſanctæ Sedis in cauſis majoribus, præſertim articulos Fidei contingentibus, niſi ex eo quod pro Petro Dominus exoraverit ne deficeret fides ejus, ut inquit Innocentius III. ac plures alii iam citati? Quiſnam autem ex tot antiquis Epiſcopis Gallicanis huiuſmodi cauſas ad Apoſtolicam Sedem referentibus exiſtimavit reformandum, aut reformabile eſſe illius judicium.

CA-

CAPUT XIII.

Quàm sit Generalis in Ecclesia consensus de irreformabili judicio Romani Pontificis in fidei quæstionibus.

1. COmmunis adeò est hæc doctrina de infallibili Romani Pontificis judicio in quæstionibus fidei; ut hanc ipsam conditionem habere videatur, quâ cum Illustrissimi Præsules Gallicani judicium illud irreformabile esse profitentur; ut scilicet Ecclesiæ universæ consensus accesserit. Etenim tot tantique Doctores ex omni natione, ex omni facultate, ex omni ordine eam defenderunt, ut nesciam quid, ad eam toti Ecclesiæ adscribendam, desideretur. Eorum Cathalogum texuerunt multi, præsertim Theophilus Rainaudus in opusc. inscripto αὐτὸς ἔφα, ubi, puncto scilicet undecimo, hanc esse totius Societatis Jesu sententiam affirmat, enumeratis quamplurimis ejus Doctoribus, quorum multi tempora controversiarum occasione Libri Cornelii Jansenii motarum antecesserunt, ne putes eam à Societate ad faciliorem Jansenii oppugnationem advocatam, sed veritatis & religionis studio jam olim delectam. Eandem cum D. Thoma tuetur Ordo Dominicanorum, & alii quasi certatim: quamvis privatus aliquis Principibus addictus à majorum ac fratrum semita interdum recedat.

2. Jam suprà notavimus D. Petrum de Marca testari eam omnibus Universitatibus esse communem, contrariam autem, quam antiquis tantùm Parisiensibus (puta Gersonio & ejus cœtaneis aut suparibus) tribuit, solùm ab Ecclesia tolerari. Emissus fuit in lucem anno 1682. liber cum hoc titulo; *Doctrina quam de primatu, auctoritate ac infallibilitate Romani Pontificis tradidrunt Lovanienses sanctæ Theologiæ Professores tam veteres quàm recentiores*, in quo quàmplurimi enumerantur. Sperandum est idem à cæteris Academiis præstandum. Porrò Lovanienses ita judicium Papæ reformabile esse non censuit, ut tanquam fidei regulam proposuerit anno 1544. nam inter articulos circa fidem Orthodoxam editos, iste vigesimus quintus est; *certa fide tenenda*

sunt non solum quæ Scripturâ expressè sunt prodita, sed etiam quæ per traditionem Ecclesiæ Catholicæ credenda accepimus, & quæ definita sunt super fidei & morum negotiis PER CATHEDRAM PETRI, *vel per Concilia Generalia legitimè congregata.*

3. Doctoribus jam adductis paucos adjungemus, quia vel Galli, vel à Launoio citati, vel pietate ac doctrinâ conspicui extiterunt. Scribebat Alexandro III. Petrus Blesensis epist. 68. *Sicut eminentiam Apostolicæ Sedis magistram omnium Ecclesiarum profitemur: Sic ab ipsa consilia in ambiguis, in angustiis solatia, responsa in dubiis expectamus.* Si erraret magistra omnium Ecclesiarum, errarent omnes Ecclesiæ, atque adeò universa Ecclesia, quæ nonnisi ex illis constat, ut sæpè notavimus.

4. Hugo seu Ugo de S. Caro à Launoio citatus sic interpretatur hæc verba Joan. ult. *Dicit Simoni Petro Jesus. Nota quod specialiter loquitur Petro soli, alios preteriens. Cur hoc? Respondemus. Eximius Apostolorum erat Petrus, & os Apostolorum, & vertex Collegii. Ideò & Paulus ascendit videre Petrum præ aliis Gal.* 1. Ita ergo Petrus erat vertex Collegii, ut prætermissis aliis eum solum tanquam Collegium integrum repræsentantem Christus alloqueretur: ita erat aliorum os, ut pro omnibus respondere posset, aliis etiam non consultis.

5. Augustinus Triumphus sanctorum Thomæ ac Bonaventuræ Parisiis Discipulus, deinde in ejus urbis Academia Doctor, ac denique Professor, de potestate Ecclesiastica quæst. 10. art. 3. sic scribit; *Papam posse aliquid addere supra illa quæ sunt fidei, dupliciter potest intelligi, vel quantum ad dubiorum interpretationem, vel quantum ad occultorum, & implicitorum explicationem. Utroque modo potest Papa aliquid addere super illa, quæ sunt fidei: qua* SI ALIQVA SVNT DVBIA, ET OBSCVRA IN FIDE, AD EVM PERTINET INTERPRETARI, ET DETERMINARE. POST CVIVS DETERMINATIONEM HÆRETICVM ESSET CONTRARIVM PERTINACITER ASSERERE.

6. Nicolaus Liranus ad hoc verbum, *confirma*. Luc. 18. addit; *Hoc dicit ei* (Petro) *quia Ecclesia erat sibi committenda, ut habetur Joan. ult. ubi ter dicitur ei à Christo. Pasce agnos meos. Ex hoc etiam patet,* FIDEM NON DEFICERE VSQVE AD FINEM MVNDI IN ECCLESIA ROMANA, QVÆ A PETRO POST CHRISTVM FVNDATA EST.

7. Dio-

7. Dionysius Carthusianus, cujus etiam autoritate utitur Launoius, in hæc verba; *Ego autem rogavi pro te. Item*, inquit, *quoniam Petro specialiter fuit Ecclesia committenda. Unde quod dicitur, ut non deficiat fides tua, exponitur, ut non deficiat fides Ecclesiæ tibi committendæ.* Hactenus videtur Ecclesiæ tantùm universæ indeficientem fidem adstruere: sed ecce unde in reliquas Ecclesias hæc fidei firmitas derivetur; SICQVE EX VERBIS HIS SVMITVR ARGVMENTVM, QVOD FIDES ROMANÆ ECCLESIÆ, QVAM IN EA PETRVS PLANTAVIT, SIT VSQVE IN FINEM SÆCVLI DVRATVRA.

8. Quoniam Launoio Dominicum Bañes tanquam sibi faventem adducere placuit, referamus ejus hac de re doctrinam, ex qua cuncta, quæ hactenus dicta sunt, confirmantur. Bañes igitur in 2. 2. S. Thomæ quæst. 1. art. 10. has ponit conclusiones. Conclusio prima. *In publico fidei judicio non est distinguenda Sedes ab Apostolico Præside vel summo Pontifice, neque Romana Sedes a Pontifice Romano.* Vide jam quomodo faveat Launoio illum citanti, ut probet Christi orationem pro Petro factam, ne fidem unquam amitteret quantumvis tentaretur à diabolo, sed in ea & gratia Dei tum demum perseveraret, quasi ultra processurus non esset orationis effectus. Hæc est quarta Conclusio. *In publico fidei judicio non potest summus Pontifex errare. Hanc Conclusionem asserit D. Thomas*; & citatis multis aliis Autoribus subjungit; QVOCIRCA ARBITROR HANC CONCLVSIONEM TANQVAM APOSTOLICAM TRADITIONEM ESSE TENENDAM. ET QVIDEM, VT TALIS HABERETVR AB OMNIBVS FIDELIBVS, NISI A TEMPORE CONCILII CONSTANTIENSIS IN AGRO DOMINI INIMICVS HOMO, ID EST DIABOLVS, ZIZANIAM SVPERSEMINASSET. ETENIM VSQVE AD ILLA TEMPORA SOLI GRÆCI ERRABANT IN HAC PARTE. *Atque ita D. Thomas inepte citato hunc errorem tanquam Græcorum singularem narrat. Et procul dubio, si quæstio hæc ad Concilium deferretur, non dubito quin prædicta Conclusio definiretur tanquam vera fides.*

9. Non magis favet Launoio Maldonatus, cujus etiam testimonio usus est. Maldonatus enim super verba multoties repetita; *Ego autem rogavi pro te, &c.* sic scribit; *Quodq; dicit Petro, ejus quoque Successoribus totiq; Ecclesiæ dictum putandum est: tamq; certi debemus esse successorum Petri, totiusq; Ecclesiæ fidem non defuturam, quàm*

quàm certi ſimus ejus, cùm tentatus eſt, fidem non defeciſſe. Obſcuritatem fortaſſis pareret totius Eccleſiæ cum Petro in illis verbis conjunctio: ſed eam tollunt quæ ſequuntur; *Itaque rectè ex hoc loco antiqui, graveſq; Autores collegerunt Eccleſiæ Romanæ, & ſucceſſorum in ea Petri fidem fore perpetuam. Omnis enim Eccleſiæ fides aſſerebatur in Petro, qui Eccleſiæ Caput futurus erat.* Et ſuper hæc verba; *Et tu aliquando, &c. Hinc demum manifeſtum eſt, nec de illo ſolùm tempore, quo negavit Petrus, nec de illo ſolùm Petro; ſed de omnibus ejus Succeſſoribus loqui Chriſtum. Nec enim tempore Paſsionis cæteros Apoſtolos Petrus confirmavit: & confirmandi alios neceſsitas perpetua futura erat. Itaque* IN PERSONA PETRI OMNES PETRI SVCCESSORES IVBET FRATRES IN FIDE SERVARE. QVOMODO FIRMARE POSSVNT, SI ERRARE IPSI POSSVNT? PROPTEREA ENIM CHRISTVS PRO FIDE ORAVIT PETRI, NE DEFICERET, VT ALIOS CONFIRMARE POSSET, INTELLIGENS ALIOS CONFIRMARE NON POSSE, SI EIVS FIDES DEFECISSET. *Id etiam ſignificat illud, aliquando, ideſt ſi quando opus erit, ſi quis in fide aliquando nutabit.*

10. Si extra Galliam Autores quæreremus Gallis opponendos, qui tempore Concilii Conſtantienſis doctrinam invexerunt autoritati Romani Pontificis adverſam, non defuturi eſſent, qui nec doctrinâ inferiores, & vitæ ſanctitate Eccleſiæ judicio eſſent ſuperiores. S. Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis celeberrimus libertatum Eccleſiæ Defenſor, & Martyr epiſt. 97. edit. P. Chriſtiani Lupi, quæ eſt ad omnes Epiſcopos Angliæ. *Quis Romanam Eccleſiam*, inquit, *Caput omnium Eccleſiarum & fontem Catholicæ doctrinæ ambigit eſſe? Quis claves Regni Cœlorum Petro traditas eſſe ignorat? Nonne in fide & doctrina Petri totius Eccleſiæ ſtructura conſurgit, donec occurramus omnes Chriſto in virum perfectum, in unitatem fidei, & agnitionem filii Dei? ..... Quicumque ſit qui rigat aut plantat, Deus nulli dat incrementum, niſi illi qui plantavit in fide Petri, & doctrinæ ipſius acquieſcit, &c.* Et epiſt. 122. quæ eſt ad Gilbertum Londonienſem Epiſcopum; *Solus infidelis, aut qui eum errore ſuperat, hæreticus aut ſchiſmaticus Apoſtolicis obrectat obedire mandatis.* Vide epiſt. 69.

11. Circa ipſamet tempora Concilii Conſtantienſis floruerunt, in Italia præſertim, ſanctiſſimi Doctiſſimique viri, qui Romani Pontificis autoritatem ſtrenuè propugnarunt, quos

quos inter sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, cujus mentionem suprà fecimus, in summa Theologica par. 4. tit. 8. cap. 3. §. 5. irreformabile declarat judicium Papæ his verbis; LICET PAPA IN PARTICVLARI ERRARE POSSIT, VT IN IVDICIALIBVS, IN QVIBVS PROCEDITVR PER INFORMATIONEM, ALIAS IN HIS QVÆ PERTINENT AD FIDEM, ERRARE NON POTEST, SCILICET VT PAPA IN DETERMINANDO, *etiamsi ut particularis & privata persona. Unde magis standum est sententiæ Papæ de pertinentibus ad fidem quam in judicio proferret, quàm opinioni quorumcumque sapientium.* Papam autem Concilio superiorem esse pluribus probat in 3. par.

12. Beatus Joannes de Capistrano de Papæ & Concilii, sive Ecclesiæ autoritate 3. par. 2. Principalis, eandem superioritatem, quæ infallibilitatem judicii circa fidem necessariò supponit, adstruit variis rationibus, quarum una hæc est; *Succedit*, inquit, NAMQVE PAPA LOCO PETRI IN EADEM PERFECTIONE POTESTATIS, ET VICARIATVS DIGNITATE, QVA ET IPSE B. PETRVS A CHRISTO FVIT IN VNIVERSALI ECCLESIA SVBLIMATVS.

CAPUT XIV.

Respondetur argumentis, quæ autoritati Papæ in decidendis infallibiliter Fidei quæstionibus opponuntur.

1. EX iis quæ adversùs privilegium non errandi in decidendis Fidei quæstionibus objici solent, duo tantùm alicujus momenti videntur. Cætera enim vel parvi ponderis sunt, vel jam aliâ occasione soluta. Primò igitur objicitur inutilem fore Conciliorum Oecumenicorum convocationem ad dirimendas circa fidem controversias, si solus Pontifex certò, ac sine ullo erroris periculo eas posset definire; cùm tamen videamus summos ipsos Pontifices, Imperatores, Episcopos nullis curis, nullis impensis, nullis laboribus pepercisse, ut celebrarentur Concilia Generalia. Objicitur secundò errasse de facto plures Pontifices in causis fidei; atque adeò, cùm necessaria sit ab actu ad potentiam consecutio,

cutio, potuisse in suis judiciis falli, qui revera decepti sunt.

2. Quod ad Concilia spectat, utilitas à necessitate distinguenda est: & necessitas quidem, aut ex ipsa re nascitur, aut ex personarum quibuscum agitur conditione. Conciliorum præsertim Generalium maximam esse utilitatem nemo inficiatur. Necessaria etiam illa esse ad frangendam Hæreticorum pertinaciam plurima confirmant Ecclesiasticæ historiæ exempla: an autem ad certitudinem judicii omninò iis opus sit, quæstio est, & affirmantibus incumbit onus probandi: cùm, ut lib. 5. cap. 10. probavimus; Scriptura sacra Pontifici clarè suffragetur, & ejus judicii certitudinem multis probationibus jam constituerimus.

3. Non colligitur illa necessitas ex summorum Pontificum ad congreganda Concilia consensu, vel etiam curâ & solicitudine: quia cùm summus Pontifex diligentiam adhibere teneatur, quam requirit negotii gravitas, & patitur rerum status, nec modò Scripturas, sed & traditiones scrutari; nulla est convenientior assequendæ veritatis ratio, quàm si totius orbis Christiani Episcoporum sententia requiratur, ac singularum Ecclesiarum traditiones, & singulorum Pastorum sententiæ inter se conferantur. Itaque quantùm commodè fieri potest, non est prætermittenda ea investigandæ veritatis via, quæ utinam semper præsto esset. Illam suo exemplo primus Pontifex Petrus præmonstravit.

4. Etenim quamvis B. Petrus, cùm loco proditoris Judæ substituendus esset alius, qui Apostolico fungeretur officio, potuisset eum eligere; tamen præ humilitate ac prudentia non solùm alios Apostolos, sed etiam reliquos fideles congregatos, electionis participes effecit, ut observat S. Joannes Chrysostomus homil. 3. in Act. Apost. ubi post hæc verba; *Viri fratres, oportet eligere è nobis*, addit; *Multitudini permittit judicium, simul eos qui eligebantur, reddens reverendos, & se ipsum liberans ab invidia simultatesq́, quæ poterat à cæteris oberiri. Nam & semper ingentia gignit mala.* Et infrà: *An non licebat ei eligere? licebat, & quidem maximè. Verùm id non facit, ne cui videretur gratificari. . . . . Cæterùm sententiam ipse protulit, sed hanc quoque declarans suam non esse, sed è supernis profectam, juxta prophetiam. Itaque recitator fuit, non præceptor.*

5. Na-

5. Natura pares non gignit; peccatum ad ambiendum præ aliis & in alios Principatum impellit: ut etiam inter Apostolos fuerit contentio, quis eorum videretur esse major; quod dissidium noluit Christus componere assignato unicuique suo ordine, sed potiùs præscriptâ humilitatis formâ, ut quisque alteri se supponere contenderet. *Qui major est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator.* Luc. 22. vers. 26. Quamobrem, excepto Petro, quem aliis præposuit, nullum inter eos potestatis discrimen constituit. Itaque ut levius sit subjectionis, & obedientiæ jugum, communi concordiæ, ac regiminis suavitati expedit, ut rectores quæ propriâ autoritate efficere possent, communi subditorum consilio exequantur. Nil igitur mirum, si in Christi familia, in qua pax summa, & humilitas tantò profundior, quantò quis altiori eminet dignitate, vigere debent, Romanus Pontifex cum fratribus suis communi sententiâ quoties & quantum commodè potest, graviora Ecclesiæ negotia gerere studeat, etiamsi solus posset.

6. Præterea qui ad Concilia accedunt, vel Fideles sunt, vel Hæretici: si Fideles, instruuntur non tantùm de veritate, quæ fortè ipsis erat occulta, sed etiam de causis, ac rationibus, ut juxta præceptum Apostoli sint *parati semper ad satisfactionem omni poscenti eos rationem de ea, quæ in ipsis est.* 1. Petri cap. 3. vers. 14. Cumque ex cunctis orbis Christiani partibus aliquis in Conciliis Oecumenicis interest; *in omnem terram exit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Hæretici autem *convincuntur ab omnibus, dijudicantur ab omnibus.* 1. Corint. cap. 14. vers. 24. Et vel convertuntur, vel confunduntur, & à Christi grege separantur, ne alios secum in ruinam trahant, ut pluries in Conciliis factum legimus.

7. Frequenter enim non de dogmate ipso, sed de personis ferendum est judicium, &, ne qua supersit injustitiæ, vel obreptionis suspicio, aut prætextus, examinanda est illorum doctrina, audiendæ rationes, colligenda suffragia, ut & procedendi ratio, & Senatorum numerus, ac Senatûs dignitas & majestas obstruant os loquentium iniqua; cujus diligentiæ tunc major est necessitas, cùm Hæretici vel Sectatorum numero, vel potentiâ sæculari, vel aliâ quâpiam autoritate pol-

pollent. Ideo Adrianus II. epist. 2. ad Basilium Imperatorem scribebat; *Volumus ergo per vestræ pietatis industriam numerosum celebrari Concilium, cui nostri quoque ministri præsidentes, & culparum personarumque differentias liquidò cognoscentes, juxta quod in mandatis acceperunt, singulorum liberè discretiones exerceant; in quo videlicet sacrato cœtu execrandi vanitatis Concilii, quod adversus Sedis hujus actum est prorsùs injuriam, cuncta decernimus exemplaria prorsùs à possessoribus suis ablata in medium, delata contemplantibus cunctis igni cremari; nec superesse apud quemlibet ex his omnibus saltem unum iota, vel unum apicem, nisi fortè quis totius Clericatus, immò totius Christiani nominis dignitate anathemate perculsus carere voluerit, &c.*

8. Circa dogma etiam, quantumvis certum sit, aliquâ interdum utendum est œconomiâ, ut libentius recipiatur; quæ quatenus adhibenda sit, in plurimorum Cœtu facilius agnoscitur. Ita in Concilio Jerosolymitano, quod Act. 15. describitur, licet B. Petrus suâ sententiâ veritatem certò assecutus fuisset; scilicet, non esse circumcidendos, qui ad fidem convertebantur; *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices Discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus:* tamen S. Jacobus huic sententiæ addidit; *scribendum, ut abstinerent se* non solùm *à contaminationibus simulacrorum, & fornicatione,* sed etiam *à suffocatis & sanguine*; nimirùm, ne, si Moysi, qui maximo ubique ab aliquibus in honore habebatur, lex tota statim rejiceretur, multi ejus veneratores à suscipienda Christi fide retardarentur; Quod temperamentum omnibus placuit. Licet Petrus *à Deo electus esset, ut per os ejus audirent gentes verbum Evangelii, & crederent*: tamen ad controversiam, quam solus potuisset definire suaviùs & convenientiùs componendam, Concilium haberi consensit. Verùm se aliorum consilio non omninò indigere ad assequendam veritatem fidei satis indicavit, dum primus sententiam ferens, illam adeò indubitatam habuit, ut illi sine tentatione Dei contradici non posse intrepidè affirmaverit; *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices Discipulorum, &c.* Act. 15. Quod verò à S. Jacobo additum est, temperamentum erat partim lumine naturali notum, partim temporarium & prudentiale.

9. Quia autem summi Pontificis judicium ideò minoris faciunt, quia non ita suscipitur ab omnibus, ut aliqui, vel etiam

etiam multi non repugnent, & Concilium Generale poſtulent; non advertunt ſimiliter Eccleſiæ univerſæ ſententiam contemni. Sunt enim innumeri Hæretici, qui Eccleſiæ Catholicæ ſenſui repugnant. Imò in hoc ſunt Hæretici. Atque ſi quis attentè conſideret res in Conciliis Generalibus tractatas, comperiet eas plerumque adeò non fuiſſe dubias, ut Patres ad Hæreticorum voces, tanquam ad Blaſphemias execrandas inhorruerint, aliquando etiam aures occluſerint, ne vel auditâ impietate polluerentur. Hæreticorum illud eſt ingenium, ut & ſummi Pontificis, & Concilii, & Eccleſiæ univerſæ doctrinam aliquando fraudulenter eludant, & occultè rejiciant, aliquando vi apertâ impetant, & impugnent, quod nihil ejus veritati, ac certitudini detrahit.

10, Quamobrem ſæpè ſignificarunt ſummi Pontifices ad Concilia Generalia ſcribentes ſe non doctrinam eorum examini ſubjicere, ſed tanquam indubitatam ab omnibus recipiendam eorum operâ optare. Hoc teſtatur Commonitorium Papæ Cœleſtini Epiſcopis & Presbyteris euntibus ad Orientem, ſupra citatum. Eo etiam pertinent hæc S. Leonis verba in epiſt. ad Concilium Chalcedonenſe; *Nunc in Vicariis meis adſum, & jam dudum in fidei Catholicæ prædicatione non deſum; ut qui non poteſtis ignorare quid ex antiqua traditione credamus, non poſſitis dubitare quid cupiamus.* UNDE FRATRES CHARISSIMI, REIECTA PENITVS AVDACIA DISPVTANDI CONTRA FIDEM DIVINITVS INSPIRATAM, VANA ERRANTIVM INFIDELITAS CONQVIESCAT, NEC LICEAT DEFENDI, QVOD NON LICET CREDI; CVM SECVNDVM EVANGELICAS AVTORITATES, SECVNDVM PROPHETICAS VOCES, APOSTOLICAMQVE DOCTRINAM, PLENISSIME ET LVCIDISSIME PER LITTERAS, QVAS AD B. MEMORIÆ FLAVIANVM EPISCOPVM MISIMVS, FVERIT DECLARATVM, QVÆ SIT DE SACRAMENTO INCARNATIONIS DOMINI NOSTRI JESV CHRISTI PIA ET SINCERA CONFESSIO.

11. In epiſtola 1. S. Agathonis ad Imperatores Conſtantinum, Heraclium, & Tiberium, quæ lecta eſt in act. 4. Concilii ſexti Generalis plurima ſunt, quæ judicium Romani Pontificis ut certiſſimum à Conciliis Generalibus recipi docent. Ejuſmodi ſunt iſta; *Cujus* (Petri) *annitente præſidio, hæc Apo-*

Apoſtolica ejus Eccleſia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt, CVIVS AVTORITATEM, VTPOTE APOSTOLORVM OMNIVM PRINCIPIS, SEMPER OMNIS CATHOLICA CHRISTI ECCLESIA, ET VNIVERSALES SYNODI FIDELITER AMPLECTENTES, IN CVNCTIS SECVTÆ SVNT, &c. Non minorem præſefert ſecuritatem ac certitudinem epiſt. ejuſdem Agathonis ſimul & Romanæ Synodi ad eoſdem Imperatores.

12. Adrianus I. eâdem conſtantiâ ſcribit epiſt. 2. ad Taraſium Patriarcham Conſtantinopolitanum. *Sed veſtra Sanctitas*, inquit, *eiſdem piiſsimis Imperatoribus & Triumphatoribus alacriter ſuggerat, ut inprimis Pſeudoſyllogus* (*id eſt falſus cœtus ſeu conventus*) *ille, quì ſine Apoſtolica Sede inordinatè & inſyllegiſticè factus eſt adverſus venerabilium Patrum traditionem contra Divinas imagines anathematizetur, præſentibus Apochriſariis noſtris, & omne zizanium eradicetur ab Eccleſia, & Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſermo compleatur; quia portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: Et rurſus: Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum; & quæcunque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlis.*

13. Non ſoli Pontifices ſupremam hanc autoritatem ſibi tribuerunt. S. Flavianus Conſtantinopolitanus epiſt. ad S. Leonem, quæ refertur in actis Concilii Chalced. part. 1. num. 4. ſolam S. Leonis autoritatem ſufficere affirmat ad extinguendam Eutychetis hæreſim abſque convocatione Concilii Generalis. Itaque Chalcedonenſe, quod poſteà fuit habitum, neceſſarium non fuiſſet, niſi hæreſiarcha ille ope Dioſcori Patriarchæ Alexandrini, & Chryſaphii Theodoſii Junioris Imperatoris Eunuchi ope Epiſcopos in latrocinio Epheſino ad ſuas partes vi armatâ traxiſſet, aut in exilium mittendos curaſſet, quod horrendam in Eccleſia Orientali pepererat confuſionem. Similes cauſæ, non autem incertitudo judicii ſummorum Pontificum in cauſis Fidei, aliorum Conciliorum Generalium celebrandorum neceſſitatem induxerunt. Sunt autem hæc S. Flaviani verba in epiſt. prædicta; CAVSA EGET SOLVMMODO VESTRO SOLATIO ATQVE DEFENSIONE, *qua debeatis conſenſu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere:* SIC ENIM HÆRESIS QVÆ SVRREXIT, ET TVRBÆ QVÆ PROPTER EAM FACTÆ SVNT, FACILLIME DESTRVENTVR, *Deo compe-*

rante

rante per vestras sacratissimas litteras. REMOVEBITUR AUTEM ET CONCILIUM, QUOD FIERI DIVULGATUR, *quatenùs nequaquam ubique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ.*

14. *Non enim*, inquit Barlaamus Episcopus Gyracensis ad amicos suos in Græcia constitutos scribens, EO QUOD SIT MAIORIS AUTORITATIS, ET MAGIS POSSIT GENERALE CONCILIUM, QUAM APOSTOLICA SEDES, GENERALIA AGGREGENTUR CONCILIA, *sed quia incidentes quæstiones difficiliores sint & majori indigeant discussione.* Est autem summi Pontificis, ut patet ex Concilio Tridentino sess. 25. de recip. & observan. Decret. Concil. discernere, an tanta sit difficultas, ut Concilii Generalis Concilio indigeat.

15. Joannes Monachus sup. 6. Decret. de sent. & re judic. ca. *Ad Apostolica* num. 3. vers. revocare. Concilii Generalis Consilium ad solemnitatem tantùm requiri affirmat. *Nota quod Papa sententiam suam non supposuit correctioni vel emendationi de consilio Concilii seu aliorum, sed suæ dumtaxat emendationi reservavit, sed dicit quod super emendatione sententiæ suæ consilium Concilii quæreret, & hæc requisitio non est necessitatis, sed solemnitatis tantùm; quia Papa sine Concilio potest procedere ad sententiam, cùm habeat plenitudinem potestatis. 2. quæst. 6. Decret. 1. de pœn. & remiss. cùm ex eo in fin. n. 4. Et Papa dat robur Conciliis non è contra sup. de elec. significasti.*

CAPUT XV.

Respondetur argumento à fictitiis Pontificum erroribus desumpto.

1. HÆretici antiqua Ecclesiæ monumenta diligentissimè pervolverunt, adversus Catholicam fidem argumenta perquirentes, speciatim verò adversus dignitatem & autoritatem Romani Pontificis, quà diligentiâ quadraginta Pontificibus errorem affinxerunt. Verùm illi à Catholicis scriptoribus validissimè confutati sunt: & in plerisque quidem res erat admodum facilis, siquidem hæretici sententias suæ hæresi contrarias, errores vocaverant, vel aliàs contra historiam aut rationem non obscurè peccaverant; adeò ut in numero,

mero, qui propter ſuam magnitudinem ſuſpicionem aliquam incautis, aut nimiùm credulis ingeſturus videbatur, nullus demonſtretur hæreticus. Verùm quia aliquorum innocentia, & in fide firmitas, vel propter defectum, vel propter obſcuritatem antiquorum monumentorum non ita evidentibus argumentis oſtenditur, Catholici quidam ſcriptores, veritatis, ut ſibi videbantur, ſtudio, ſed fortaſſe veriùs averſo à ſummi Pontificis poteſtate animo (quod de nonnullis ſine temeritatis nota liceret affirmare) à partibus hæreticorum hac in re ſtare maluerunt, eorumque ſententiam confirmare, quàm pium erga ſanctam Sedem aliorum Catholicorum affectum imitari, qui ejus Paſtores ab hæreſis accuſatione ſtrenuè vindicarunt; alii aliquem unum, alii plures, alii omnes. Joannes Launoius in ea controverſia aliquid novi adversùs ſummum Pontificem detexiſſe ſibi viſus eſt, quod à nobis prætermitti non debet.

2. In primis par. 5. epiſt. 1. conatus eſt S. Stephanum non minùs quàm S. Cyprianum in errore circa Baptiſma hæreticorum verſatum probare; quia ſcilicet ſicut iſte nullorum, ſic ille omnium omninò hæreticorum Baptiſma probabat, modo Chriſti Baptiſma eſſet. Hoc autem ſic oſtendere nititur.

3. Sanctus Auguſtinus in lib. de unico Baptiſmo cap. 14. aſſerit quod *Stephanus Baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſebat, & hoc facientibus graviter ſuccenſebat.* In libro autem 3. contra Donatiſtas cap. 15. *quod ſi Evangelicis verbis in nomine Patris & Filii & Spiritûs ſancti, Marcion Baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum.* Sanctus verò Cyprianus, inquit Launoius, epiſtolâ ad Tubaianum, ſcribit Marcionem non baptizaſſe in nomine Patris & Filii & Spiritûs ſancti. Ex quibus ſic concludit; *Quapropter nemini mirum videri debet, Doctorem ſanctum* (loquitur de B. Auguſtino) *Romano Pontifici indeficientis judicii privilegium nuſquam adſcribere, nec illum pro ſupremo, vel ultimo controverſiarum fidei Judice habere. Quippe Judex talis nuſquam errare debet, ut Stephanum hac in re erraſſe Auguſtinus ſignificat, conſentiens Baptiſmum qui verbis Evangelicis, In nomine Patris & Filii & Spiritûs ſancti non conſecratur, caſſum & irritum eſſe, contra quam Stephanus in epiſt. ad Africanos decreverat.* Pluribus vitiis laborat iſte diſcurſus.

4. Primò enim falſum eſt S. Auguſtinum conſenſiſſe, aut ſal-

saltem significasse *Baptismum qui verbis Evangelicis In nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti non consecratur, cassum & irritum esse.* Dicit quidem Augustinus loco suprà citato Baptismum, si ita consecretur, integrum esse Sacramentum; non tamen negat, Baptismum in nomine Christi collatum valere, quæ duo valde diversa sunt. Sciebat enim Magistrum suum S. Ambrosium lib. 1. de Spiritu sancto cap. 3. quem postea plures secuti sunt, quos citat Bellarminus de Baptismo lib. 1. cap. 3. validum putasse. De hujus sententiæ veritate non est modò quæstio, (eam optimè tractavit Bellarminus loco citato) sed de S. Augustini testimonio.

5. Secundò falsum est S Stephanum docuisse Baptismum sine expressa invocatione Sanctissimæ Trinitatis valere. Contrarium testatur Firmilianus in epist. ad S. Cyprianum, inter cujus epistolas est ordine 75. in edit. Pam. & Rigal. Refertur etiam à Philippo Labbeo tom. 1. Concil. Sic enim scribit Firmilianus Cæsareæ Cappadocum Episcopus de S. Stephano, & de aliis qui sancto huic Pontifici consentiebant; *Illud quoque absurdum quo non putant quærendum esse, quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit gratiam consequi potuerit, invocatâ Trinitate nominum Patris & Filii & Spiritûs Sancti.* Quibusdam interjectis addit: *Non omnes autem, qui nomen Christi invocant, audiri, & invocationem suam consequi aliquid gratiæ posse Dominus ipse manifestat, dicens; Multi venient in nomine meo dicentes; Ego sum Christus, & multos fallent. Nulla quippe differentia est inter Pseudo-Prophetam & Hæreticum. Nam ut ille in nomine Dei, aut Christi, ita iste in Sacramento Baptismi fallit.* Ex quibus colligitur illam invocationem Christi, de qua in hac materia fiebat sermo, supposuisse *invocatam Trinitatem nominum Patris & Filii & Spiritûs sancti*, ut *qui baptizabatur gratiam consequi posset.*

6. Etenim S. Stephanus nihil innovandum statuerat: atqui certissimum est, Baptismum cum invocatione Trinitatis conferri solitum, hæc enim est antiquitas, quam retentam fuisse studio præsertim S. Stephani docet Vincentius Lerinensis infrà citandus. Id etiam constat ex Tractatu, cujus titulus est; *Non debere denuò baptizari qui semel in nomine Domini nostri Jesu Christi sunt tincti.* Exstat tom. 1. Concil. Philippi Labbei ante Concilium Carthaginense tertium sub S. Cypriano habitum; eumque prædictus Labbeus ex dictione conjicit, Autoris esse ab ævo Cypriani parum distantis. Habetur etiam inter opera

S. Cypriani edit. Rigaltii. Hæc sunt verba illius Autoris ante medium tractatus. *Nec æstimes huic tractatui contrarium esse quod dicit Dominus : Ite, docete gentes, tingite eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti. Quia cùm hoc verum & rectum, & omnibus modis in Ecclesia observandum sit, & observari quoque solitum sit, &c.* Atqui S. Stephanus, quod in Ecclesia observari solitum erat, omnibus modis observandum volebat. Prosequitur autem continuò Autor; *Et tamen considerare oportet, quod invocatio nominis Jesu non debet à nobis futilis videri, &c.* Non ergo invocatio Trinitatis & invocatio Christi sese mutuò excludebant.

7. Eusebius lib. 67. hist. Eccles. cap. 3. S. Stephani consilium exprimit his verbis ; *Verùm Stephanus nihil adversùs traditionem, quæ jam indè ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, gravissimè id tulit*; scilicet quod rebaptizarentur ii, qui ab hæreticis baptizati fuissent, juxta traditionem quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, secundùm quam expressè invocanda erat sanctissima Trinitas.

8. Si quando igitur S. Stephanus de Baptismo loquens Christi mentionem fecerat. Nunquam tamen docuerat Baptismum per solam invocationem Christi valere, absque invocatione trium personarum sanctissimæ Trinitatis ; nec id de eo scripsit S. Cyprianus : nec etiam tradidit Marcionis Baptisma eo tantùm fieri modo solitum, ut ex ejus approbatione illa Stephani opinio colligi possit. Christi ergo mentio eo pertinebat, ut assereretur Baptisma Christi, hoc est à Christo institutum, ac juxta formam ab eo præscriptam & in ejus nomine collatum, ab ipso virtutem habere, à quocunque conferretur; *Nec quærendum esse*, ut referebat Firmilianus, *quis esset ille qui baptizasset, eo quod qui baptizatus esset, gratiam consequi potuisset invocatâ Trinitate.* Sanctus quidem Cyprianus epist. ad Jubaianum hæc scripsit, quæ opponit Launoius; *Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam imò & contra Ecclesiam modò in nomine Jesu Christi ubicumque & quomodocumque Gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari juberet in plena & adunata Trinitate.* Verùm hæc verba non significant omissam fuisse invocationem sanctissimæ Trinitatis, sed baptizantibus ac baptizatis defuisse veram fidem Trinitatis, atque ideo Christi nomen non potuisse vim Baptismo conferre.

9. Is

9. Is Cypriani sensus, præter illa quæ jam diximus, colligitur ex eo quod in tota illa epistola vim faciat in fidei rectæ defectu. Ita cùm post initium epistolæ dixisset; *De Marcione interim solo, cujus mentio in epistola à te ad nos transmissa facta est, examinemus an possit baptismatis ejus ratio constare: Dominus enim post resurrectionem Discipulos suos mittens, quemadmodum baptizare deberent, instituit & docuit dicens: Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra. Ite ergo & docete omnes gentes baptizantes eos, In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Insinuat Trinitatem, cujus Sacramento gentes baptizarentur.* Subsumit, non negando Marcionem ita baptizasse; sed, cùm malè de Trinitate sentiret, utiliter baptizare potuisse. *Numquid hanc Trinitatem Marcion tenet? Numquid eundem asserit quem & nos Patrem Creatorem? Numquid eundem unum Filium Christum de Maria Virgine natum, qui sermo caro factus sit? qui peccata nostra portaverit, &c.* Ex quibus verbis & ex historia Ecclesiastica constat Marcionem circa Christum errasse, sicut circa alias Sanctissimæ Trinitatis personas; atque adeò non est quod credamus ipsum in nomine solius Christi, potiùs quàm in nomine totius Trinitatis baptizasse.

10. Præterea (quod in Launoii Dialectica argumentum est efficacissimum) S. Augustinus in eo ipso loco, quem ipse refert ex lib. de unico Baptismo cap. 14. non dicit S. Stephanum censuisse valere Baptismum in solius Christi nomine collatum; sed (quod plus quàm negativum argumentum est) *quod Stephanus Baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat.* Quinam autem est *Baptismus Christi*, nisi quem Christus instituit, & cujus formam præscripsit?

11. Denique si Launoius S. Stephanum errasse contendat, necesse est ut ejusdem erroris conscium ac reum faciat ipsum S. Augustinum, cujus testimonio illius errorem probare nititur. Nam S. ille Doctor propugnavit adversus S. Cyprianum baptismum in nomine Christi datum, quem S. Stephanus adversus eundem defenderat, ut legere est in libris de baptismo contra Donatistas, in quorum §. tertio, quarto & quinto confutat epistolas ad Jubaianum, & ad Pompeium, quibus utitur Launoius. Præcipuè autem lib. 4. cap. 10. respondet his S. Cypriani verbis epist. ad Jubaianum; *Aliud est eos qui intus in Ecclesia sunt, de nomine Christi loqui: aliud eos qui foris sunt, & con-*

tra Ecclesiam faciunt, in nomine Christi baptizare. Lib. autem 5. cap. 13. S. Stephani mentem & exponit & confirmat. *Qui utique Stephanus*, inquit, *non propterea communicavit hæreticis, quia baptisma Christi, quod in eorum perversitate integrum mansisse cognovit, improbare non ausus est.* Ecce quod erat illud baptisma hæreticorum, quod S. Stephanus non improbabat; scilicet quod *in eorum perversitate integrum mansisse cognoverat.* Quomodo ad ista cæcutiit Launoius? Nimirum vehementi ad deprimendam sanctæ Sedis Dignitatem studio excæcatus. At addit Augustinus; *Apostoli autem nihil quidem ex inde præceperunt, sed consuetudo illa quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est; sicut sunt multa quæ universa tenet Ecclesia.* Non errabat ergo Stephanus illam consuetudinem servans & servari præcipiens, quæ ab Apostolis orta fuerat.

12. Oculatior fuit Launoius in detegendo Stephani errore, quam Centuriatores Magdeburgenses, qui tantâ curâ in Pontifices inquisierunt, ut haberent quod objicerent. Sanctum enim Stephanum prætermiserunt, non omissuri si quid erroris in eo prætexere potuissent, cùm tot alios injustè accusaverint. Pudeat hodie Catholicum erroris accusare Pontificem, quem non solum moderni hæretici silentio, sed etiam antiqui Elogio commendarunt. Nam illud ipsum caput 14. lib. 1. S. Augustini de unico baptismo contra Petilianum Donatistarum Episcopum Constantinensem, quod citat Launoius sic incipit; *sed volo solvat mihi iste quæstionem: quandoquidem cùm Romana Ecclesiæ per ordinem commemoraret Episcopos, inter eos commemoravit & Stephanum, quos Episcopatum illibatè gessisse confessus est. Cùm ergo Stephanus non solum non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel, ut fieret, decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum, & ipsius Cypriani litteræ ostendunt; tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit.* Gessit ergo illibatè Stephanus Episcopatum, ac nonnisi calumniosè potest accusari.

13. Tardiùs venit, in manus octava pars epistolarum Launoii, in quarum ultima idem argumentum versat, cumque responsionem meditarer, comperi, si quid novæ difficultatis illic occurreret, optimè fuisse discussum ab eruditissimo viro Emanuele Schelstrate, Antiquitatis illustratæ par. 2. cap. 5. præsertim art. 5. Quamobrem nihil necesse est circa epistolam illam immorari.

CA-

CAPUT XVI.

Respondetur quibusdam aliis exemplis à Launoio adductis.

1. INter B. Petri successores nullus est, qui tum ab hæreticis, tum ab iis Catholicis qui non errandi privilegium Romano Pontifici denegant, crebrioribus telis impetatur, quam Honorius I. In eum frequentiùs convertitur & validiùs infigitur Launoii stylus, sed ejus patrocinium susceperunt plures Catholici, ex quibus R. P. Franciscus Marchese Presbyter Oratorii Romani integrum volumen in ejus defensionem scripsit. Illic omnia quæ à Launoio contra Honorium allegantur, fusè subtiliterque discussa invenies; licet Autor Launoium non nominet, ejus, vel potiùs ab eo repetitis rationibus respondens: multa reperies quæ seorsim sumpta, multo magis aliis, quæ ejusdem non sunt ponderis (resistente scilicet antiquitatis obscuritate) adjuta, æquo & bene affecto Judici sufficiant ad ferendam pro summi illius Pontificis fide, atque innocentia sententiam.

2. Si Launoius Eruditissimi P. Sirmundi, cui multum se debere fatetur, ob eam nimirùm causam, quam notat Ludovicus Moreri in suo magno Dictionario Gallico, scilicet quod eum tanquam Magistrum habuerit artis censoriæ, seu critices, si, inquam, Discipulus Magistri pium erga sanctam Sedem affectum imitatus fuisset, Honorium ab omni erroris labe purum præstitisset. Nam quæ Pater Sirmundus monimenta ab Anastasio collecta edidit, certa sunt illius Pontificis fidei testimonia. Si testes eo majorem faciant fidem, quo & res quas narrant certiùs norunt, & ob vitæ integritatem, pietatem ac sanctitatem à mendacio magis abhorrent; duæ illæ conditiones in iis eminuerunt, qui pro Honorio adducuntur.

3. Joannes IV. Papa zelo fidei, misericordiâ erga pauperes, constantiâ, & vitæ sanctitate conspicuus triennio post obitum Honorii Apologiam scripsit pro eo, quia Pyrrhus Patriarcha Constantinopolitanus hæresis suæ fautorem extitisse fal-

sò asserebat. In qua quidem Apologia Joannes explicat mentem Honorii, quam ostendit à Monothelitarum errore valdè fuisse diversam.

4. Eam autem interpretationem Joannes non pro suo erga Honorium affectu excogitaverat; sed ab eo ipso, qui Honorio ab epistolis fuerat, qui illas ipsas scripserat, quas Pyrrhus pro se interpretabatur, quique doctrinâ, & pietate totum Occidentem, teste S. Maximo, illustrabat, diligenter scisitatus erat veram dictantis sententiam.

5. Sanctus erat Maximus, qui Honorium tùm in disputatione cum Pyrrho, tùm in duabus epistolis paucis post annis defendit, atque adeò de mendacio minimè suspectus. Græcus erat, atque adeo nimio erga Ecclesiam Romanam studio minimè excæcatus. Coætaneus erat, & partem eorum quæ referebat, suis ipse oculis viderat, atque adeò veritatis bene conscius.

6. Satis superque Launoio fuissent hæc testimonia, si Honorium defendum suscepisset, ut eum innoxium demonstraret, & ea dilueret quæ summo illi Pontifici opponit epist. 1. to. 3. & alibi, præsertim cùm testimonia prædicta omnibus, quæ adversus Pontificem illum proferuntur, antiquiora sint. Imò suffeciisset silentium illustrium scriptorum satis antiquorum, v. g. Pauli Diaconi Aquileiensis, Theophanis, Georgii Monachi. Est enim illi admodum familiare istud argumenti genus. Sed eam laudem non ambibat: ad oppugnandum non ad propugnandum proclive erat ejus ingenium. Cumque receptis communiter opinionibus bellum frequentibs indiceret, conjecturis supradictorum testimoniorum robore longè inferioribus uti cogebatur; quas tamen ceu demonstrationes habebat.

7. Liberii etiam exemplum commemorat Launoius. Peccavit ille quidem, ut verisimiliùs apparet: non tamen aliquid fidei contrarium Ecclesiæ credendum proposuit. Certè qui summo Pontifici negant non errandi privilegium, quia Liberius exilii ærumnarum pertæsus S. Athanasii condemnationi, & formulæ fidei veritatem integram non explicanti, sed falsi nihil continenti subscripsit, pari ratione Concilia Generalia errori obnoxia fateri cogetur, quia Concilium Ariminen-

minense Arianis ita favit, ut totus pœnè orbis Christianus miraretur se esse Arianum, & secundum Concilium Ephesinum S. Flavianum Episcopum Constantinopolitanum à sua Dignitate dejecit; Eutichem hæresiarcham ob hæresim à Flaviano Synodicè dejectum restituit, ejusque errori non rejecto mutilo symbolo, patrocinatum est. Si autem Arimini, & Ephesi vim factam Episcopis, etiam verè Catholicis, fuisse respondeas: adeoque Concilio Oecumenico non esse tribuenda illorum gesta: similiter etiam quæ à Liberio fidem integram interiùs servante, extorta sunt, non debent ipsi, nisi ut privatæ personæ adscribi, quam à peccato tutam non facit Dignitas.

8. Peccatum autem Liberii alicujus hæresis promulgationem, aut etiam professionem non fuisse constat: quia fidei formula cui subscripsit, nullum exprimebat errorem; Videquæ optimè notavit Joannes David Doctor Gallicanus dissertatione de judiciis Canonicis Episcoporum cap. 7. art. 3. Sed, ut jam diximus, neque istum, neque alium quenquam Pontificem aliquid fidei contrarium tanquam de fide credendum proposuisse plures ostenderunt. Itaque pauca tantùm adjicimus, quæ à Launoio, vel solo vel diligentiùs notata sunt.

9. Vel Bonifacium VIII. vel Clementem V. errasse ostendere nititur epist. 1. tom. 3. supra citatâ, quia Clemens V. constitutionem Bonifacii, quæ incipit, *Unam sanctam, nullius esse, aut futuram esse roboris, & autoritatis decernit* in cap. *Meruit. de privil. sed falsum est quod ait Launoius Clementem V. in cap. Meruit.* Constitutionem, *unam sanctam, nullius esse, aut futuram esse roboris* decrevisse. Declaravit enim dumtaxat se nolle Regi aut Regno Francorum per dictam constitutionem aliquod præjudicium generari, aut ampliùs Regem vel Regnum quàm antea Ecclesiæ subjici. Notentur verba hæc, *ampliùs quam antea. Hinc est* (inquit) *quod nos dicto Regi & Regno per definitionem, seu declarationem bonæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, quæ incipit, Unam sanctam, nullum volumus, vel intendimus præjudicium generari. Nec quod per illam Rex, Regnum, Regnicolæ prælibati ampliùs Ecclesiæ sint subjecti, quàm antea existebant. Sed omnia intelligantur in eodem esse statu quo erant ante destitutionem præfatam, tam quantùm ad Ecclesiam, quam etiam quoad Regem & Regnum superius nominatos.*

10. Nes-

10. Nescio quâ fide possit Joanni XXII. invidia conflari, quasi definierit animas corpore exutas nonnisi post judicium finale Deum intuitivè visuras, cùm ipse tam apertè negaverit controversiam à se definitam. An solemnis definitio à summo Pontifice ita fit ut Ecclesiam lateat; cui nisi proponatur ut fide divinâ tenenda, solemnis haberi non debet? Mentem suam declarat Joannes epist. 1. *Ne super his quæ de animabus separatis à corpore & purgatis, an citra resumptionem corporum, Divinam essentiam visione illâ videlicet, quam vocat Apostolus facialem, videant, tam per nos quàm per nonnullos alios in præsentia nostra, recitando & allegando Sacram Scripturam, ac originalia & dicta Sanctorum vel aliàs ratiocinando, sæpius dicta sunt, aliter, quàm per nos dicta & intellecta fuerant, intelligantur, ac dicantur, & auribus fidelium valeant inculcari: ecce quod nostram intentionem, quam circa statum animarum separatarum habemus & habuimus, seriè præsentium declaramus. Fatemur siquidem & credimus quod animæ purgatæ separatæ à corporibus, sint in Cœlo, Cœlorum Regno & Paradiso cum Christo in consortio Angelorum congregatæ, & videant Deum facie ad faciem, & Divinam essentiam clarè, in quantum conditio & status patitur animæ separatæ.*

11. Si quis autem Joanni ipsi asserenti se contrarium antea non dixisse, *nisi fortè recitando, & allegando Sacram Scripturam, ac originalia & dicta Sanctorum, vel alias ratiocinando*, fidem adhibere dubitet, confirmabitur testimonio Doctorum Parisiensium tunc temporis à Rege Francorum Philippo VI. seu Valesio consultorum. Ipsi enim cùm sententiam suam promere verentur ob debitam summo Pontifici reverentiam, eò tamen adducti sunt, *Advertentes*, inquiunt, *quod multorum fide dignorum relatione audivimus, quod quidquid in hac materia Sanctitas suas dixit, non asserendo seu opinando protulerit, sed solummodo recitando.* In hist. Univers. Paris. tom. 4. ad an. 1332.

Julium II. errasse contendit, quia *definiit Simoniam veram atque indubitatam hæresim esse, & Papam simoniacè electum non hæreticum modò, sed etiam hæresiarcham esse*: verum Julius in ea Constitutione, quam sine dubio intelligit Launoius, quæque incipit, *Cùm tam Divino, &c.* nihil definit de Simonia. Est enim illius Constitutionis scopus impedire, ne summus Pontifex simoniacè eligatur. Eâ occasione §. 1. hæresis Simoniacæ meminit, non definiens Simoniam esse hæresim, sed eam illo nomine notans,

notans, quo in Jure Canonico passim insignitur. Non definit etiam Papam simoniacè electum hoc ipso fore hæresiarcham, sed eisdem pœnis plectendum, quibus si hæresiarcha existeret. *Si contigerit*, inquit, electionem Romani Pontificis *per Simoniacam hæresim celebrari* ..... *Electus non Apostolicus, sed Apostaicus, & tanquam Simoniacus* (vel Simon Magus) *& hæresiarcha, & ad prædicta omnia & singula perpetuò inhabilis habeatur & sit.* Verbum illud *sit*, refertur, ut patet, ad verbum, *inhabilis*, non autem ad verbum hæresiarcha. Voces autem *tanquam*, & *habeatur*, apertè declarant Julium nullam hic definitionem constituere circa hæresim Papæ simoniaci, nisi fortè definitionem appelles simplicem nuncupationem in jure usitatam; sicut non definit hujusmodi Pontificem simoniacè electum fore Magum, Ethnicum & Publicanum, licet §. 3. permittat *eum ut Magum, Ethnicum, Publicanum, & Hæresiarcham evitare.*

13. Pluribus in locis, sed præcipuè epist. 5. tom. 1. Launoius Sixti V. exemplum profert, ut probet posse Summos Pontifices errare. Et quia nonnulli Theologi hoc sibi exemplum objicientes, non satis aptè respondisse videbantur, variis facetiis eorum doctrinam exagitat; ut ita non solùm eorum responsiones, sed & sententiam quam tuentur, ridiculam exhibeat. Verùm satis est ut legantur verba illa Sixti V. quæ Launoius adducit, ut illa nullo modo ejus proposito favere Lector advertat. Sic enim Sixtus V. apud Launoium habet: *Illud sanè certum atque exploratum esse volumus nostros hos labores ac vigilias eò unquam spectasse, ut nova Editio in lucem exeat, sed ut vulgata vetus ex Tridentina Synodi præscripto emendatissima, pristinæq; suæ puritati, qualis primùm ab ipsius interpretis manu stylogs prodierat, quoad ejus fieri potest, restituta imprimatur.* Addit Launoius; *Verba hæc virum sibi præsidentem, & de Bibliorum emendatione perfectissima securum objiciunt. At neque Bibliorum editio, neque Sixti diploma suppressa essent, nisi Sixtus errasset.* Possemus nos subjungere; verba hæc Launoium Pontificiæ Dignitati infensum, & præ nimio illam persequendi ardore excæcatum objiciunt.

14. Quænam enim ex his Sixti verbis significant ipsum *de Bibliorum emendatione perfectissima securum?* An quia Pontifex declarat se eò spectasse, asserit etiam pervenisse? Semperne qui ad aliquem scopum tetendisse se affirmat, confidit etiam se eum

attigisse ? Quin etiam, si Sixtus declarasset se *Bibliorum emendationem perfectissimam assecutum*, ea verba de fidei certitudine nullatenus intelligi possent, sed tantùm de morali, quæ post adhibitam accuratam diligentiam haberi potest. Non enim aliter accipi possunt illa verba, *quoad ejus fieri potest*, quàm ut indicent id cum absoluta securitate asseri non posse.

15. *At*, inquit Launoius, *neque Bibliorum editio, neque Sixti diploma suppressa essent, nisi Sixtus errasset.* Quasi verò error sola supprimendorum Actorum causa sit. Emendaverat Sixtus V. editionem vulgatam peritissimorum virorum operâ usus. Emendationem illam, quamvis admodùm utilem, ad perfectiorem statum, sive repertis novis Codicibus, sive habitâ aliorum peritissimorum Virorum copiâ, perduci posse animadvertens Clemens VIII. editionem Sixti non suppressit; sed eam perficiendam, priusquam publicaretur, curavit. Quamobrem in lucem deinde fuit emissa, præfixis & Sixti & Clementis nominibus, ut videre est in variis editionibus exinde factis cùm alibi, tùm in Gallia.

16. Cæterùm quis cum voluptate non contempletur Launoium inter tot conatus ad abrogandam Papæ infallibilitatem, tam diligenter, tamque frequenter Adriani VI. autoritatem jactare; quasi cæteri Pontifices quamplurimi errassent, & omnes errare potuissent in proponenda Ecclesiæ universæ fidei doctrina; solius autem Adriani privati adhuc Doctoris, & antequam de Pontificatu vel ipse, vel alius quisquam pro eo cogitaret, infallibile fuisset judicium. At Pontifex factus sententiam non retractavit. Tot tamque gravibus negotiis & curis distentus fuit per illud tempus, aliundè satis breve, quo Ecclesiæ clavum tenuit, ut mirum non sit, eum de corrigendis Commentariis Scholasticis minimè cogitasse. Sed etsi pristinam retinuisset sententiam, num idcirco vinceret Launoius? An privata Pontificis opinio solemnis definitionis loco habenda esset? An in deneganda sibi infallibilitate solùm infallibilis existimandus esset Pontifex?

CAPUT XVII.

An judicium Papæ sit infallibile, quod ei Ecclesiæ consensus accedat: an verò ei accedat Ecclesiæ consensus, quod infallibile sit.

1. QUæcumque hactenus dicta sunt, eò tendebant ut ostenderetur judicium Papæ in fidei quæstionibus esse certissimum, antequam accedat Ecclesiæ consensus; imò ideo Ecclesiæ consensum accedere, quia certissimum est. Tribuitur enim, ut animadvertere licuit, illa certitudo promissioni Petro factæ, aut orationi pro illo à Christo porrectæ, aut alii simili rationi, quæ indicat Romanum Pontificem, sicut in pascendi totius Gregis Christi, ac regendæ universæ illius Ecclesiæ officio; ita & salubris fidei ac morum pastus ab erroris veneno discernendi, & fratrum adversus hæresum flatus, per doctrinam à Patre cœlesti revelatam confirmandorum privilegio successisse. Id nihilominus in hoc capite specialiùs est ostendendum.

2. Illustrissimi Antistites Gallicani aliquid, & quidem eximium Summo Pontifici concedere voluerunt magnificis illis quartæ propositionis verbis; *In fidei quoque quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, ejusq; Decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinere.* Hinc ad minimùm colligendum videtur omnes, & singulas Ecclesias judicio Papæ in causis fidei stare debere, donec reformetur à Concilio universali, etiamsi nondum Ecclesiæ universæ consensus accesserit. Equidem hoc pacto schismati occurritur, si modò fideliter servetur ab omnibus & singulis Ecclesiis. Verùm (quæ est hominum conditio, ac propriæ sententiæ studium) difficile est, ut conquiescant partes, quamdiu judicium prolatum errori obnoxium putabunt; itaque cùm difficillima sit Concilii generalis congregatio, perpetuis diffidiis turbabitur Ecclesia. Cùm autem innumera extent exempla hæresum absque autoritate Conciliorum generalium solo Romanorum Pontificum judicio extinctarum, quod signum est illud tanquam infallibile fuisse susceptum; quor-

sum hodie præmissa commendatione obex apponitur, ne illi, utpotè reformabili internus præstetur assensus?

3. Nescio an aliquod habitum fuerit Concilium generale à primo Nicæno ad Tridentinum, quod absolutè necessarium à Catholicis judicaretur ad detegendam fidei veritatem. Neque enim ante Concilium Nicænum dubitabant Catholici; an Filius esset consubstantialis Patri, neque ante Constantinopolitanum; an Spiritus sanctus esset consubstantialis Patri & Filio, & sic de cæteris Conciliis, quæ omnia necessaria fuerunt, non quod dubium esset inter Catholicos circa fidem, sed quod frangenda esset hæreticorum pertinacia, & inquirendæ viæ ad sistendum hæresis progressum, & promovendam fidei publicationem. Itaque Conciliorum congregatio nullum arguit erroris periculum in judiciis Papæ, quæ fortè præcesserant: ècontra verò infallibilem eis certitudinem inesse ostendit præstitus ab Ecclesia universa consensus in damnatione infinitarum propemodum hæresum absque convocatione Concilii generalis, ut mox dicebam.

4. Certè si Papæ judicium ante Ecclesiæ universæ assensum non est irreformabile, nescio quæ sint præcipuæ illæ summi Pontificis partes, & ejus Decretorum vis in omnes & singulas Ecclesias. Nam & cujuslibet, non solùm Episcopi, vel Doctoris, sed etiam fidelis judicium est irreformabile accedente consensu Ecclesiæ. Cùm enim Ecclesia sit columna & firmamentum veritatis, errori fidei contrario consentire non potest. Ne igitur inanis sit autoritas B. Petro collata, cùm in præmium fuæ fidei constitutus est Ecclesiæ fundamentum: ne confirmandis fratribus inutilis fuerit Christi pro ejus fide indeficiente oratio; ne illius curæ commissum sit Christi ovile absque certa discretione pasculorum, quæ oves impinguatura, aut infectura sint; neve transeunte ad ejus successores officio, non transiisse quoque autoritatem dicamus; ut in fidei quæstionibus præcipuas summi Pontificis esse partes asserere liceat; ejusque Decreta ab omnibus & singulis Ecclesiis tutò recipi possint; ne deceptis universis & singulis Ecclesiis Ecclesia universa (quod fieri nequit) decepta inveniatur, affirmandum videtur Ecclesiam judicio summi Pontificis ideò consentire, quia est infallibile, & illa nonnisi certæ veritati assen-

assentire potest; non verò illud judicium ideo esse infallibile, quia Ecclesia ei consentit. Priùs enim est rem esse certam, quàm Ecclesiam ei consentire. Summus Pontifex est omnium fidelium Doctor, atque adeò suscipienda est ejus doctrina, quia certa est; non autem solùm certa est, quia suscipitur. Illequidem Ecclesiæ consensus signum est certitudinis judicii, quia, ut diximus Ecclesia errori consentire non potest. At non est certitudinis causa, sed illam potius supponit.

5. Hanc esse mentem Ecclesiæ, quæ in toto hoc libro adduximus, suadent argumenta. Sed præcipuè, quod ex universæ historiæ Ecclesiasticæ serie constet Ecclesias omnes, omnique tempore ad Romanam recurrisse in dubiis circa fidem, & ejus responsa tanquam oracula suscepisse, idque speciatim de Gallicana testatur S. Leo epist. 89. jam citatâ. *Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem pro sui reverentia à vestræ etiam Provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam:* & regula est ab universa Ecclesia recepta, causas fidei ad sanctam Sedem esse referendas; hanc tradidit S. Innocentius I. epist. 25. seu rescripto ad Milevitanum Concilium; *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Fratres & Coepiscopos nostros, nonnisi ad Petrum, idest, sui nominis & honoris autorem referre debere:* renovarunt plurimi alii Pontifices, & executi sunt Antistites, præsertim, ut diximus, Gallicani. Absurdum autem esset dicere consultum fuisse Romanum Pontificem tanquam Jurisperitum, aut Doctorem aliquem privatum, cujus sententiæ stare, vel ulteriori examini subjicere liberum esset consulentibus. E contra in omnibus ferè hujusmodi consultationibus fit expressa mentio permanentis in Ecclesia Romana & in ejus Pontifice indeficientis fidei Petri. *Postulabatur ut pro ambiguitate tollenda confessio Episcoporum autoritate Sedis Apostolicæ firmaretur*; quod docet exemplum S. Cæsarii Arelatensis: inter epistolas Bonifacii II. epist. 2.

6. In tota historia Ecclesiastica pauciſſimi reperiuntur Catholici, qui solemni Papæ judicio circa fidem restiterint, eosque omnes in errore versatos eventus comprobavit, quod adhuc signum est, illud certissimum esse antequam accedat Ecclesiæ consensus; nec nisi ad convincendam hæreticorum obstinationem res iterum in Conciliis tractatas fuisse, an-

nuentibus ipsismet Pontificibus. Unde B. Augustinus, qui ut B. Cyprianum excuset, Concilium plenarium, sive generale alicubi videtur exigere ad statuendum indubitatum dogma, in aliis locis sufficere judicium Romani Pontificis affirmat. Ita serm. 2. De verbis Apost. causam finitam esse post Romanorum Pontificum rescripta, licet nondum finitus esset error, declaravit. Verba jam alibi retulimus. Et caput 50. lib. 2. retractationum sic inchoat. *Postea quam Pelagiana haresis cum suis autoribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ, prius Innocentio, deinde Zozimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum litteris, convicta atque damnata est; scripsi duos libros adversus eos, unum de gratia Christi, alterum de peccato Originali.* Illa autem convictio non potest intelligi de convictione argumentorum vi factâ, aut de illius hæresis extirpatione. (Alioquin enim non fuisset opus, ut D. Augustinus duos illos libros postea scriberet, nec tamdiu perstitisset error) sed de judicio irreformabili. Neque autoritate illa præditum erat judicium ex eo quod accessisset Ecclesiæ consensus; tantum enim Conciliorum Africanorum fit mentio, quæ Ecclesiam universam representare nequaquam potuerant. Quamobrem sanctus Doctor epist. 157. quæ est ad Optatum, damnationem prædictorum hæreticorum per totum orbem tribuit autoritati eorundem Pontificum, Conciliis autem Episcopalibus (Africanis scilicet) solam vigilantiam, *Cujus (hæresis) vel autores, vel certè acerrimi notissimique suasores, cùm Pelagius, & Cælestius extitissent, Conciliorum Episcopalium vigilantiâ in adjutorio Salvatoris, qui suam tuetur Ecclesiam, etiam à duobus venerabilibus Antistitibus Apostolicæ Sedis, Papa Innocentio, & Papa Zozimo, nisi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Christiano orbe damnati sint.*

7. Animadverte hic, prolatâ Romanorum Præsulum solemni sententiâ, damnationem in toto Orbe factam censeri; nondum enim Ecclesiæ universæ consensus accesserat, cùm nondum constaret; an Episcopi encyclicas Summorum Pontificum litteras accepissent. Addit enim Augustinus: *De quibus exempla recentium litterarum, sive quæ specialiter ad Afros, sive quæ universaliter ad omnes Episcopos de memorata Sede manarunt, ne fortè ad vestram Sanctitatem nondum pervenerint, vobis curavimus mitti ab eis fratribus, quibus & has litteras, ut tuæ venerationi dirigerent dedimus.*

8. Dum igitur S. Augustinus B. Cyprianum excusat S. Stephano

phano Papæ circa baptismi ab hæreticis collati validitatem resistentem; eo quod causa nondum fuisset à plenario Concilio definita, supponit judicium illud non fuisse solemnem definitionem, quæ nonnisi post examinatam, & agitatam cum eaquâ par est diligentiâ causam profertur; sine qua diligentia vel à Conciliis etiam œcumenicis quæstiones ejusmodi definiri posse negat idem S. Augustinus de baptismo contra Donatistas lib. 2. cap. 4. *Quomodo enim inquit potuit ista res tantis altercationis nebulis involuta ad plenarii Concilii luculentam illustrationem, confirmationemq; perduci, nisi primò diutiùs per Orbis terrarum Regiones, multis hinc atque hinc disputationibus & collationibus Episcoporum pertractatam constaret?* Apertiùs in capite immediatè præcedenti dixerat; *Ipsa plenaria (Concilia) sæpè priora posterioribus emendari, cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat.* Itaque non censebat irreformabilia esse Conciliorum judicia, nisi debitam adhibuissent ad detegendam occultam, & latentem veritatem diligentiam, quo etiam sensu accipiendus esset ficubi videretur innuere, judicium Summi Pontificis non esse irreformabile; ut scilicet intelligeretur de casu, in quo non præcessisset examen necessarium ad solemnem edendam definitionem. Quamquam non videtur Deus permissurus, ut vel Concilium generale legitimum, vel Summus Pontifex quidquam solemniter definiant, nisi præviâ discussione necessariâ ad omnimodam certitudinem. Alioquin enim liceret semper de illorum definitionibus dubitare, etiamsi nulla vis aperta intercessisset ad eas extorquendas. Quomodo enim privati Christiani scire possent, quo quantove opus fuisset examine, ac utrum decisionem antecessisset?

9. Atque ita sensisse S. Augustinum credendum est, nisi dicas, quod non est verisimile, ipsum solius Ecclesiæ universalis, non autem vel Concilii generalis, vel Summi Pontificis judicium irreformabile putasse: quam doctrinam tradidit Panormitanus, inter Catholicos solus quem sciam.

10. Non recolo modo alium ex iis, quos Ecclesia veneratur ut Sanctos, præter Cyprianum tunc temporis errantem, Summi Pontificis judicio circa fidei quæstionem repugnasse. Imò dum alius quis circa principalia disciplinæ capita à Romano Pontifice dissensit, sequiorem partem secutus fuisse totius Ec-

Ecclesiæ judicio compertus est. Ita v. g. referente Eusebio Eccles. hist. lib. 5. cap. 23. & 24. cùm S. Polycarpus à S. Aniceto, ac postmodùm alii Asiæ Episcopi ab aliis Pontificibus Romanis dissentirent circa diem, quo celebrandum erat Pascha, licet in favorem Asianorum S. Joannis Apostoli, & aliorum Sanctorum Traditio, imò Evangelium ipsum allegaretur, prevaluit judicium Summorum Pontificum, Pascha die tantùm Dominico celebrandum statuentium, sententiæ Asianorum decimâ quartâ Lunâ, quocumque die accideret, sive Dominico, sive alio illud celebrantium, plurimisque Conciliis, etiam primo generali Nicæno decretum est, Pascha die Dominico fieri debere.

11. Non tamen usque ad Ecclesiæ consensum in Concilio Nicæno, ac in aliis præstitum suspensa est vis judicii Romani Pontificis. Nam, ut verbis Eusebii ex antiqua versione utar; *Victor, qui tum Romanæ Ecclesiæ præerat, totius Asiæ Ecclesias cum aliis finitimis, tanquam alterius fidei, & opinionis, simul omnes* (ut complectar brevi) *à communi unitate Ecclesiæ amputare conatur, & in eos per litteras graviter invehitur: atque omnes fratres eam incolentes Regionem, prorsus à communione seeludendos edicit.* Tantùm aberat, ut S. Victor decreti sui validitati necessarium crederet Ecclesiæ universæ consensum, ut plurimas Ecclesias invitas ad consensum illum censuris compelleret. Licet autem aliæ Ecclesiæ, quæ Victori circa diem celebrandi Paschatis consentiebant, censurarum usum contra tot Ecclesias Orthodoxas non probarent; auctoritatem tamen non negabant, ut videre est apud Eusebium loco citato, ubi de sancto Irenæo Episcopo Lugdunensi nominatim sic scribit; *Irenæus quamquam per litteras scriptas ex persona fratrum in Gallia quibus præerat, tradit Mysterium Resurrectionis Domini solo die Dominico recolendum quidem esse: Victorem tamen de hoc, videlicet ne tam multas Ecclesias omninò propter traditionis ex antiqua consuetudine inter illas usurpatæ observationem à corpore universæ Christi Ecclesiæ penitus amputet, cùm pleraque alia, tum ista, quæ sequuntur, appositè & convenienter admonet, &c.* Nota hæc verba, *A corpore universæ Christi Ecclesiæ penitùs amputet*, quæ apertè significant Romani Pontificis in universam Ecclesiam autoritatem. Non enim Victor ab illarum Ecclesiarum communione solus recedebat, sed eas ab universo Ecclesiæ corpore sequestrabat. Si cui fortè nimius videretur ejus Pontifi-

cis

eis erga tot Ecclesias rigor pro re ad fidem, saltem proximè, non spectante, causas legerit apud Baronium ad annum 198. rigorem illum tunc temporis necessarium fuisse ostendentem.

12. Sed ut redeamus ad quæstiones fidei, hæresibus, & schismatis via panditur in tanta congregandarum hodie Synodorum Generalium difficultate, & tam modicâ inter diversarum, vel etiam inimicarum ditionum, & nationum Præsules communione, nisi judicium Romani Pontificis tanquam certissimum suscipiendum sit. Quamobrem consultiùs est modernorum Antistitum Gallicanorum declarationem postponere sententiæ aliorum multò plurium, qui non ita pridem, & consulendam sanctam Sedem in quæstionibus fidei, & ejus Decretis internum animi obsequium deberi, etiam antequam Ecclesiæ universæ consensus accesserit, tam apertè declaraverant, ut eorum mens nullis argutiarum nebulis possit obscurari. Sic enim legimus in litteris octuaginta quinque Episcoporum Galliæ ad Innocentium X. an. 1653. scriptis. *Majores causas ad Sedem Apostolicam referri solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure suo postulat. Equissimæ huic legi obsequentes, &c.* Vides hic, jus esse Romani Pontificis in *fide Petri nunquam deficiente* fundatum, ut majores causæ ad eum referantur. Audi jam quanta sit ejus Decretorum vis & efficacia; *Experta est nuper Beatitudo vestra quantum Apostolicæ Sedis in gemini capitis errore profligando valuerit autoritas. Continuò sedata est tempestas, atque ad Christi vocem venti, & mare obedierunt.* Non esse autem necessarium reliquorum Episcoporum consensum, ut illis Decretis Christiani omnes, ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur, docent aliæ litteræ à 30. ex iis Episcopis, reliquis absentibus, scriptæ eidem Pontifici 19. Julii eodem anno; *Non solùm ex Christi Domini Nostri pollicitatione Petro factâ, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex Anathematismis adversus Apollinarium, & Macedonium, nondum ab ulla Synodo Oecumenica damnatos, à Damaso, paulò ante jactis,* IVDICIA PRO SANCIENDA REGVLA FIDEI A SVMMIS PONTIFICIBVS LATA SVPER EPISCOPORVM CONSVLTATIONE (SIVE SVAM IN ACTIS RELATIONIS SENTENTIAM PONANT, SIVE OMITTANT, PROVT ILLIS COLLIBVERIT) DIVINA ÆQVE, AC SVMMA PER VNIVERSAM

ECCLESIAM AVTORITATE NITI : CVI CHRISTIANI OMNES EX OFFICIO IPSIVS QVOQVE MENTIS OBSEQVIVM PRÆSTARE TENEANTVR. *Eâ nos quoque sententiâ, ac fide imbuti, &c.* Licet autem hic Episcoporum sententiæ mentio fiat; tamen, præterquam quod eam exprimi non esse necessarium declaratur, de Episcopis tantùm consulentibus est sermo, quorum nomine non intelligitur Ecclesia; quippe cùm vel singulares, vel alicujus Provinciæ aut Regni, non totius orbis Antistites simul sanctam Sedem consultant. Unde circa finem Epistolæ addunt Præsules Gallicani; *Porrò nos Innocentio X. cujus ore Petrus loquutus est, ut Leoni I. acclamabat quarta Synodus, hanc Divinam lauream gratulati, sacrós inter Ecclesiæ fastos, quod olim de Synodis Oecumenicis fieri solitum, constitutionem istam ab eo editam lubentes ex animo reponemus.*

13. Eadem fuit antiquorum Gallorum sententia, ut jam probavimus, & adhuc probari posset. Epistola sex Episcoporum ad Innocentium II. an. 1140. scripta inter S. Bernardi Epistolas 370. sic incipit; NVLLI DVBIVM EST QVOD EA, QVÆ APOSTOLICA FIRMANTVR AVTORITATE, RATA SEMPER EXISTVNT, NEC ALICVIVS POSSVNT DEINCEPS MVTILARI CAVILLATIONE, VEL INVIDIA DEPRAVARI. *Ea propter ad vestram Apostolicam Sedem, Beatissime Pater, referre dignum censuimus, quædam, quæ nuper in nostra contigit tractari præsentia. Quæ quoniam & nobis, & multis Religiosis & sapientibus viris rationabiliter acta visa sunt, vestræ serenitatis expectant comprobari judicio, simul & autoritate perpetuò roborari.*

14. Potho Presbyter Prumiensis de statu domus Dei lib. 3. *Hoc namque privilegium*, inquit *B. Petro Apostolorum Principi Cœlesti Decreto principaliter traditum atque firmatum, sancti Patres cum magna veneratione susciptentes, atque sanctam Romanam Ecclesiam servantes; tam in Generalibus Conciliis, quàm & in cæteris scripturis, & gestis suis, universalem Matrem appellaverunt, & sicut ejus documenta in confirmatione fidei, & eruditione sacræ Religionis, ita etiam judicia susceperunt in hoc consentientes, & quasi uno spiritu, & una voce concordantes, omnes majores res, & præcipua negotia, nec non omnium Ecclesiarum judicia ad eam quasi ad Matrem & Caput debere referri, ab ea nusquam appellari, judicia ejus à nemine retractari, aut refelli debere vel posse.*

15. Præiverat illi ejusdem Monasterii Abbas Regino, qui longè

longè antea scripserat in Chron. ad annum 859. quod jam supra retulimus ; scilicet STVLTITIÆ QVIDEM ELOGIO DENOTANDI , QVI ILLAM PETRI SEDEM ALIQVO PRAVO DOGMATE FALLERE POSSE ARBITRATI SVNT , QVÆ NEC SE FEFELLIT , NEC AB ALIQVA HÆRESI VNQVAM FALLI POTVIT.

CAPUT XVIII.

De Autoritate summi Pontificis circa Censuram Librorum.

1. ACcendit nostro ævo multorum Litteratorum animos vehemens nova circa res antiquas scribendi prurigo ; quasi nihil jam laudis esset in sequendis communibus sententiis, aut certiùs moderni scire possent quæ primis sunt gesta temporibus , quàm qui viciniores extiterunt. Si novitatis amor ille circa disciplinas tantum humanas & naturales versaretur , æquiori animo ferretur , ut minùs utilibus studiis occupati subtilioris ingenii acumen in illo exercerent , atque illinc , quam fortè ambiunt , qualemcumque gloriam perciperent. Sed ipsam etiam Religionis disciplinam tentant : quam circa , quoniam innumeri prodierunt libri , parvi æstimandi viderentur qui de novo eduntur , nisi legendi cupiditatem acueret novitas , aut forsan temeritas. Unde fit ut multitudo Doctorum , quorum tanta fuerat penuria , tantaque necessitas ad hæreticos , Catholicorum inscitiâ magis , quàm propria eruditione venenum erroris facilè propinantes , veritatis solidè ac scitè propositæ vi cohibendos , incipiat ferè ipsi Ecclesiæ gravis evadere , ob nimiam librorum illorum copiam, quorum lectio propter subtiliorem & audaciorem doctrinam Christianæ simplicitati , docilitati , atque adeò religioni non parùm nocet , vel saltem hoc habet incommodi , quod ab evolvendis utilioribus antiquorum operibus avertat , ac disputandi magis , quàm benè vivendi studium pariat.

2. Quoniam autem Romani Pontificis , utpotè supremi

Pastoris est, curare ut oves sibi à Christo commissæ in Pascua omninò salubria inducantur ; dare operam debet, non solùm ut error à veritate discernatur, quid orthodoxum, quid hæreticum, quid salubre, quid corruptum sit declarando; sed etiam ut amoveantur pericula sorbendi veneni sub specie salutiferi potus, ac cibi proficui. Qua in re, cùm nihil sit humanæ præsumptioni & arrogantiæ graviùs, quàm si opera, quæ plerique Autores magis deplorant, quàm parentes proprios liberos, censurâ publicâ inurantur; raros videas qui adversus suorum librorum Judicem non obmurmurent; multos qui sententiam iniquitatis accusent ; nonnullos qui in Pontificem calamum convertant.

3. Vix quidem inter Catholicos quemquam reperias, qui jus illud damnandorum, prohibendorumve librorum Romano Pontifici competere neget. Sed multi ejus censuram violantes, inobedientiæ culpam obvolvere futilibus excusationibus conantur, obtendentes illam, sicut alia pleraque Decreta, ultra montes vim non habere, quasi Romani Pontificis potestas à Christo fuerit Alpibus circumscripta, vel Ecclesia monstruosum corpus sit, cujus pars capitis ductum sequi, altera se ipsam regere debeat. Alii, ut liberiùs Pontificis ordinationibus sese subtrahant, eas asserunt non à Pontifice proficisci, sed à Congregationibus, in quibus Monachorum, antiquioris, reconditioris ac solidioris litteraturæ ignarorum, & certis quibusdam Scholarum formulis servilitèr addictorum, suffragia prævaleant; quasi Decreta, inscio Papâ, nec ad eum factâ fideli omnium relatione, ab Officialibus ad id muneris deputatis proferrentur, aut deberet illa edere Pontifex non adhibitis convenientibus mediis, Theologorum scilicet consultationibus: aut illorum dumtaxat expetenda essent suffragia, qui sibi cæteris doctiores videntur ac sapientiores.

4. Apostolicum est oraculum, quod *corrumpunt mores bonos colloquia mala* 1. Cor. 15. vers. 33. cujus veritatem etsi Spiritus Sancti autoritas indubitatam non faceret, infelix nimis experientia comprobaret. Est enim sermo malus flatus pestilens, qui homines innumeros inficit, ac plerosque interficit, non solùm simplices & incautos, sed etiam sibi præfidentes.

Tunc

Tunc autem periculosior est corrupta doctrina, cùm ex libris hauritur. Qui enim ad legendum accedit, discipuli affectum atque docilitatem affert : ac sæpè Autorem scriptis differentem, ceu Magistrum habet, quem vivâ voce loquentem audire dedignaretur. Præterea difficile est, ut liber cum voluptate legatur, (quemadmodum ferè semper legitur : quis enim invitus lectionem prosequitur) quin ei fides habeatur; præsertim si, ut solet, error sub verborum lenocinio, aut compositionis artificio latens propinetur. Sapientissimum igitur Pastorum, ac præcipuè Supremi consilium est, ut fideles sibi subditos à legendis perniciosis libris avertant, ipsosque libros exterminent.

5. Quod non est de illis tantùm accipiendum, quî doctrinam continent apertè falsam ac malam. Hi enim nonnisi volentes decipiunt, aut fortè omninò ignaros : at verò qui venenum occultum gerunt, etiam prudentiores fallunt. Undè non rarò contingit, ut pernicioſiores sint ac virus longiùs profundant, quàm ii, quorum aperta corruptio fideles salutis suæ non immemores à lectione dehortatur.

6. Quamobrem miror, quod in Gallia tam parvi fieri videantur Decreta libros damnantia, vel prohibentia. Eorum Autores fortasse sua opera iniquè notata ob nimiam existimationem credentes, aut ad fugiendum pudorem aliis suadere conantes, violationem præcepti excusant sub eo injustitiæ prætextu : alii verò propensioni naturæ corruptæ ad falsam libertatem inditæ indulgentes nituntur in vetitum, excitatâ per prohibitionem curiositate.

7. An enim deest summo Pontifici autoritas ad damnandos ac prohibendos malos libros ? An ejus judicia in fidei ac morum quæstionibus ad omnes & singulas pertinebunt Ecclesias, eisque omnes Christiani parere tenebuntur : & impunè contemni poterunt ejus Decreta, libros, quos ipse judicarit hæresim continere, aut doctrinam ad fidei, vel proborum morum corruptionem, inducentem, à fidelium manibus amoventia ? Sanè quantumvis angustis limitibus coerceas supremi Pastoris potestatem, non video qua ratione quis diffiteri queat, ipsum jus habere impediendi

quò minus fides ac mores Christianorum in discrimen per doctrinam ad minus periculosam adducantur?

8. Hanc ejus facultatem Conciliis Generalibus non esse subordinatam significavit Concilium Tridentinum in continuatione sess. 25. cap. 3. ubi librorum examen à Patribus ad id deputatis confectum Romano Pontifici exhiberi præcipitur; ut res, ejus, non autem Concilii, à quo inchoata fuerat, autoritate concludatur; *Sacrosancta Synodus*, hæc sunt verba Decreti, *in 2. sessione sub sanctissimo Domino nostro Pio IV. celebrata, delectis quibusdam Patribus commisit, ut de variis censuris, ac libris, vel suspectis, vel perniciosis, quid facto opus esset, considerarent; atque ad ipsam sanctam Synodum referrent: audiens nunc huic operi ab eis extremam manum impositam esse; nec tamen, ob librorum varietatem, & multitudinem posset distinctè, & commodè à sancta Synodo dijudicari; præcipit, ut, quidquid ab illis præstitum est,* SANCTISSIMO ROMANO PONTIFICI EXHIBEATVR: VT EIVS IVDICIO, ATQVE AVTORITATE TERMINETVR, ET EVVLGETVR.

9. Sed ut Gallis domesticum & antiquum Canonem proponamus, audi Concilium Turonense secundum an. 567. can. 20. summi Pontificis autoritatem, stylo rei gravitate digno, vindicantis; *Et quorum Autorum valere possit prædicatio, nisi quos Sedes Apostolica semper aut intromisit, aut Apocryphos fecit, & Patres nostri hoc semper custodierunt quod eorum præcepit autoritas?*

10. At, inquies, libris qui reprobantur, bona insunt plurima: quidni ergo juxta Pauli præceptum primæ Thessal. 5. Omnia probentur, ut quod bonum est teneatur? Respondeo eum delectum non ad quemlibet pertinere; sed ad peritos: nec ad illos quidem, nisi ex commissione; aut cum licentia, postquam autoritate Superiorum Ecclesiasticorum libri prohibiti sunt. Alioquin inutilis erit omnis censura. Quotus enim quisque est inter eos, qui litteris operam dederunt, adeò modestus, ut suam eruditionem agnoscendis in libris quos legit, erroribus, aut suam virtutem rejiciendis illis imparem arbitretur? Præterea num desunt Ecclesiæ libri, quos inoffenso pede quisque percurrat? Num quæ nobis scitu necessaria, vel utilia sunt, alibi reperire licet, quàm in hujusmodi libris ad minus suspectis, atque adeò periculosis?

11. Sed vanus, aut etiam injuſtus eſt timor ad librorum valdè utilium damnationem aut prohibitionem impellens. Autoris juſtè damnati, vel viri errori jam adhærentis, aut de ſe arroganter ſentientis voces ſunt iſtæ. Pius enim ac humilis Chriſtianus in obedientia legitimis ſuperioribus præſtitâ ſecurius ad ſalutem præſidium poſitum, quàm in mediis, proprio arbitrio, ac contra Ducis à Chriſto conſtituti præceptum adhibitis, confidit. Quandonam tanta eſt legendi alicujus libri prohibiti neceſſitas, tam tuta omnis ejus doctrina, tam probè affectus Lector, ut judicare liceat rem Deo gratiorem præſtiturum, qui ejus Vicarii mandatum hujuſmodi lectione violaverit? Nonne ita ſentientium temeritas meretur, ut à Deo deſerantur, & in errorem aliàs facilè devitandum impingant. Equidem, ſi attentè obſervaveris, paucos videas libris prohibitis evolvendis delectari, qui aliquo pravo vel periculoſo præjudicio non ſint imbuti.

LIBER OCTAVUS

De origine Jurisdictionis Ecclesiasticæ.

I. QUemadmodum Illustrissimi Antistites Gallicani quæstiones gravissimas, ac sopitas excitarunt, easque contra sanctam Sedem præjudicarunt, eo, quantùm ex temporis circumstantia conjicere licet, fine, ut summum Pontificem à proferendo circa Regaliæ controversiam judicio deterrerent; aut, si quod pronunciaret, minoris videretur esse autoritatis; ità & ipsi, & qui eorum partibus favent, jurisdictionem Episcoporum extollere satagunt; ut depressâ illinc dignitate sanctæ Sedis, elatâ hinc Episcoporum potestate, minoris culpæ videatur contemptus, sive neglectus Decretorum Papæ, libertatem Ecclesiarum Gallicanarum tuentis. Idcircò inculcatur frequenter Jurisdictionem Episcoporum ità esse de Jure Divino, ut eam à sancta Sede neutiquam accipiant.

II. Satiùs esset ut omissis hujus contentionibus, inter caput, & membra is vigeret consensus, quem sanitas corporis postulat, ne scissuræ fierent, quæ nunquam sine periculo, imò nunquam

quam sine damno contingunt. Sed metuunt fortassis Præsules, ne, si suam jurisdictionem à summo Pontifice recognoscant, nimis Episcopalis autoritas vilescat: verùm nonne tantundem metuendum est, ne Papæ mandata pro Ecclesiæ utilitate contemnantur ab Episcopis, si suam jurisdictionem, non secus ac ipse suam, à Deo immediatè se obtinere arbitrentur? Jure Divino Romanus Pontifex in alios Episcopos Primatum etiam jurisdictionis habet; satis hoc est, ut justa ejus præcepta non possint ab eis absque culpâ detrectari, aut negligi. Data est illi hæc potestas in ædificationem, non in destructionem; sufficit hoc, ut nonnisi justa, & possibilia præcipiat. Supprimendæ fuerant aliæ contentiones.

III. Verùm tamen quoniam ex origine jurisdictionis, pendere quodammodo creditur, & vis præcipiendi, & obligatio parendi, juvat hic eam paulò diligentiùs investigare.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Jurisdictio Ecclesiastica.

1. IN communi quidem Jurisdictio autoritatem quandam significat, vel in personas, vel in res, ut rectè, justeque ordinentur; Jurisdictio autem Ecclesiastica dicitur Jus illud, quod pænes Ecclesiasticos Pastores est, ut & Christiani Homines, & res Deo consecratæ, ad Dei cultum, & Religionis exercitia ritè disponantur.

2. Ut ista Jurisdictionis descriptio magis elucidetur, & quid in controversiam veniat, unusquisque facilè possit agnoscere, animadvertere juvat, in Ecclesiæ Ministro quinque distingui; Primò characterem, cum potestate in co fundata offerendi Sacrificii, aut aliqua munia circa illud obeundi; Extremam unctionem, &, si Episcopus ordinetur, Confirmationem etiam & Ordinem conferendi. Secundò potestatem ligandi, & solvendi in foro interno, idest peccata audiendi, convenientes pro eis satisfactiones injungendi, & remittendi, vel, si opus sit, retinendi, & hoc quidem indefinitè, hoc est non assignatis personis, in quas debeat, aut possit potestas illa exerceri. Tertiò determinationem illius potestatis ad certas personas, quæ illi potestati subjiciuntur. Quartò potestatem ligandi & solvendi in foro externo, idest in ordine ad Ecclesiam, & communitatem, Leges ferendo, ad earum observationem obligando, ab iis dispensando, Censuras ferendo, ab iis absolvendo, aliaque præstando, ad externum fidelium regimen necessaria. Quintò potest etiam in hac potestate, quæ forum externum respicit, considerari ordo ad subditos determinatos; quamvis ille ordo sive subditorum assignatio, vix ab ipsius potestatis collatione sejungatur.

3. Character imprimitur, & potestas circa Sacrificium communicatur in receptione Sacramenti Ordinis, in quo, quia non solùm circa Christi corpus naturale, sed etiam circa mysticum operandi datur facultas, cùm Spiritus sanctus accipitur, obtinetur potestas retinendi & remittendi peccata: sed quia nullius momenti est ea sententia, quæ profertur in non subditum, si tempore Ordinationis non supponatur ordinato plebs aliqua, sibi collatâ uti non poterit facultate, donec Diœcesi, Parochiæ, aut aliquibus fidelibus præfectus fuerit.

4. De duobus primis, scilicet de potestate offerendi Sacrificii, & potestate solvendi, vel ligandi sine ordine ad aliquos subditos, vix aliqua nascitur difficultas. Licet enim possit Episcopus ordinare Clericos, vel ab eorum ordinatione abstinere, licentiam sacrificandi, vel concedere, vel negare; tamen ubi quis semel ordinatus fuerit, charactere utpotè

potè indelebili, nunquam ſpoliari poterit, adeoque, quamvis licitè juſtum ſuperioris mandatum circa celebrandam Miſſam tranſgredi non poſſit; tamen ſi tranſgrediatur, verè ſacrificium conficiet, etiam invito ſuperiore. Uſu quoque ſolvendi vel ligandi carebit, ſed non poteſtate illa, quaſi aptitudinali, quippè cùm, ut diximus utriuſque fundamentum ſit character, quem ſemel à Deo impreſſum nullus mortalium poſſit delere. Circa juriſdictionem in foro externo maximè, vel etiam in foro interno, quoad uſum, & applicationem, eſt controverſia; de qua in proximè ſequentibus capitibus.

5. Sed in ipſo limine graviſſima occurrit difficultas; cur ſcilicet poteſtas juriſdictionis neceſſaria ſit, ultra poteſtatem Ordinis, quatenus iſta refertur ad Corpus Chriſti myſticum. Etenim cùm ordinatur Sacerdos, non ſolùm traditur ei poteſtas conficiendi verum Chriſti Corpus, ſed etiam ſanctificandi ejus corpus myſticum, ideſt fideles, per abſolutionem à peccatis, ut patet ex ordinationis forma. Cujus igitur rei Sacerdos indiget ad abſolvendum à peccatis, poſtquam ad dandam illam abſolutionem Spiritum ſanctum tempore ordinationis accepit: Cùm hæc verba; *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*, quæ Sacerdotibus, dum ordinantur, ab Epiſcopo dicuntur, illa ipſa ſint, quæ Chriſtus protulit, cùm Apoſtolos Sacramenti pœnitentiæ Miniſtros conſtituit: Cur modò minoris erunt, quàm tunc, efficaciæ? Cur ſicut tunc Apoſtoli abſque nova facultate poterant à peccatis abſolvere quoslibet fideles, non poterunt etiam modò Presbyteri?

6. Nemini quidem fideli dubitare licet, quin præter poteſtatem Ordinis requiratur adhuc alia, ſcilicet Juriſdictionis, ut qui jam Sacerdos ordinatus eſt, peccata validè remittat. Id enim definitum eſt à duobus Conciliis Oecumenicis, Florentino ſcilicet, & Tridentino. Declarat Concilium Florentinum in Decreto unionis Armenorum, quod *Miniſter hujus Sacramenti* (Pœnitentiæ ſcilicet) *eſt Sacerdos, habens autoritatem abſolvendi, vel ordinariam, vel ex commiſsione ſuperioris.*

7. Clariùs illam diſtinctionem expreſſit Concilium Trid. ſeſſ. 14. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 7. *Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur,*

persuasum semper in Ecclesia Dei fuit ; & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ORDINARIAM, AVT SVBDELEGATAM *non habet jurisdictionem.* Constat igitur, quod *quamvis*, ut inquit idem Concilium sess. 23. de Reform. cap. 15. *Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant*, eâ tamen uti non possunt etiam validè, nisi eis subjiciantur fideles, quod idem de aliis jurisdictionis partibus dicendum est.

8. Quomodò autem illa Jurisdictionis potestas à potestate Ordinis differat, non ità facilè explicatur. Deus quidem potestatem solvendi, & ligandi per se immediatè confert omnibus Episcopis & Presbyteris. Ad ipsum enim solùm pertinet remittendarum injuriarum in se commissarum facultatem concedere. Sed quia hoc debet fieri per modum judicii : judicium autem à superiore in subditos ferendum est ; non potest facultas illa solvendi ac ligandi in usum reduci, nisi ab eo qui subditos habeat. Quæ Prælatio seu subditorum assignatio, Jurisdictio dicitur. Quamvis autem omnibus Presbyteris in ordinatione dicatur ; *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c.* Solis tamen Apostolis antea dictum est à Christo ; *Sicut misit me Pater & ego mitto vos*, quibus verbis secundùm probabiliorem sententiam jurisdictionem, & quidem amplissimam illis contulit, cæteris autem, quibus illa missio in ordinatione non datur, præter Ordinem necessaria est alia potestas, quæ dicitur Jurisdictio. Discrimen inter potestatem Ordinis & potestatem Jurisdictionis alii aliter exponunt ; Omnes tamen, quod ad propositum nostrum satis est, consentiunt illas distinctas esse, utramque ad validam Sacramenti administrationem, saltem extra casum mortis requiri, neutram seorsim sufficere ; atque Jurisdictionis eam esse vim, ut potestas absolvendi à peccatis in ordinatione accepta, validè possit exerceri circa plebem, aut personas aliquas determinatas, circa quas nullum esset alioquin ejus exercitium. Videri potest Suarez de pœnit. disput. 16. sect. 3.

9. Præcipuus hujus libri scopus est Jurisdictionis causam inquirere : & de primaria quidem atque originaria, non est ambigendi locus. Certum enim est, ut jam innuimus, illam Christo

Christo acceptam referri debere, qui ait Matt. 28. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes*; & Joan. 20. *Sicut misit me Pater & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, &c.* De proxima verò Jurisdictionis causa non ità constat. Summum quidem Pontificem à Deo ipso suam jurisdictionem habere, non autem ab Ecclesia, soli Hæretici negant, quamvis ejus exercitium, seu usum Ecclesiæ dispositioni nonnulli Catholici, quos secuti sunt nuper Illustrissimi Antistites Gallicani, subesse contendant. De iis è contra, qui jurisdictione tantùm delegatâ præditi sunt, vulgata Theologorum, & Jurisperitorum doctrina est, eos à suis delegantibus potestatem mutuari. Difficultas igitur tantùm est de jurisdictione ordinaria cæterorum Prælatorum, utrum à Deo sit immediatè; an autem ab eo, qui Titulum, Beneficium, seu Dignitatem, cui annexa est, confert.

CAPUT II.

De distinctione, ac distributione Dignitatum Ecclesiasticarum.

1. Ascensurus in Cœlum Christus prædicare, baptizare, & docere per universum mundum omnibus Apostolis præcepit his verbis Matt. ult. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritûs Sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Verùm quamvis quilibet Apostolus posset in qualibet mundi parte ea omnia efficere: tamen ex communi consensu, & ex Sancti Spiritus instinctu divisérunt sibi orbis terrarum Provincias, ac in quam quisque profecturus esset, decreverunt, ut sic ordo servaretur, & faciliùs adimpleretur Psalmistæ vaticinium. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* Psal. 18.

2. Joannes Gersonius ita factam suspicatur inter ipsos etiam Apostolos divisionem, ut non posset quilibet in quemlibet uti sua potestate, sed tantùm in assignatam sibi quisque Provinciam, ut jam tunc Monarchicum regimen exerceretur.

Et fortè, inquit Gerſonius de poteſtate Eccleſiaſtica conſid. 9. *quoad uſum, vel exercitium poteſtatis Eccleſiaſticæ ſic evenit ipſis etiam Apoſtolis, & Diſcipulis, quod poſt immediatam conceſsionem utriuſque ſcilicet poteſtatis, & uſus, factam à Chriſto, poſtmodum creſcente numero fidelium, fuit ad tollendum ſchiſma, & ad exemplar dandum Poſteris. Limitatio facta talis poteſtatis quoad uſum, & hoc per Petrum ſummum Pontificem de conſenſu totius Eccleſiæ primitivæ, vel generalis Concilii, ut non quilibet poſſet in quemlibet uti poteſtate ſua, attentâ Chriſti ordinatione primaria, quâ voluit Eccleſiam ſuam regi principaliter* SVB VNO, ET AB VNO MONARCHA, *ſicut eſt una fides, unum Baptiſma, & una Eccleſia unitate capitis tam primarii, quàm Vicarii, quoniam iſte eſt optimus Principatus præſertim in ſpiritualibus ad conſervationem unitatis fidei, ad quam obligantur omnes.* Non tamen adeò ſcrupulosè obſervata videtur ab ipſis Apoſtolis illa Provinciarum diſtinctio, ut ſi qua ſeſe offerret occaſio, non ſuſciperetur ab uno cura illorum, qui videbantur ad alterum pertinere, dummodò nulla hinc oriretur perturbatio. Itaque Paulus poſtmodùm convertendis præcipuè Gentibus deſtinatus, circa Judæos plurimùm laboravit, ſimiliter & Petrus, qui Judæorum peculiarem ſibi curam aſſumpſerat, prædicavit etiam Gentibus, atque apud eas Primatus ſui cathedram conſtituit.

3. Quoniam autem Apoſtolis nec ubique adeſſe, nec ſemper vivere datum fuerat, neceſſe fuit, ut poteſtatem ſuam cum aliis communicarent, qui Apoſtolica munia, defunctis illis, aut abſentibus, obirent: *hujus rei gratia*, inquit Paulus ad Tit. 1. *Reliqui te Cretæ ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per Civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Sed quæ in Apoſtolis pleniſſima, & unita fuit, inter alios eſt diviſa pro Apoſtolorum arbitrio, à quibus alii uni tantum Civitati præpoſiti ſunt, alii pluribus: alii plebi tantùm, alii etiam Paſtoribus; unde orta creditur Patriarcharum, Exarchorum, Primatum, Metropolitanorum, & Epiſcoporum varietas: Quæ eò pertinet; ut ordinatè cuncta in Eccleſia gerantur, quemadmodum de diviſione inter Apoſtolos ipſos factâ notavit Gerſonius.

4. Limitatam ab Apoſtolis Epiſcoporum Juriſdictionem fuiſſe, colligunt ex illis B. Pauli ad Titum verbis, S. Joannes Chryſoſtomus, ejuſque interpretationum ſectator Theophylactus;

lactus; ista sunt S. Chrysostomi verba Homil. 2. in Epist. ad Titum; *Et constitueres*, inquit, *per Civitates Presbyteros. Episcopos hic intelligi vult, quemadmodum alias sæpius diximus: Ut ego tibi constitui, si quis est sine crimine. Per civitates, inquit. Neque enim profecto volebat Insulam totam uni viro permitti*; SED VNICVIQVE PROPRIAM CVRAM, AC SOLICITVDINEM INDICI.

5. Mirabilem illum variorum graduum Ecclesiasticorum ordinem elegantissimè describit S. Leo Epist. 84. cap. ult. *Etsi Dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis: quoniam, & inter Beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut cæteris præmineret, de qua forma Episcoporum orta est distinctio, & magnâ ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis Provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: Et rursus quidam in majoribus urbibus constituti solicitudinem susciperent ampliorem, per quos* AD VNAM PETRI SEDEM VNIVERSALIS ECCLESIÆ CVRA CONFLVERET, *& nihil usquam à suo capite dissideret.*

6. Epistola verò 89. docet non solùm Ecclesiæ curam per varios gradus ad B. Petrum tanquam ad Caput reduci: sed & ab illo capite per Dei dona in omne corpus Ecclesiæ manare; *Hujus*, inquit, *muneris Sacramentum ita Deus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut* IN BEATISSIMO PETRO APOSTOLORVM OMNIVM SVMMO PRINCIPALITER COLLOCARIT: *& ab ipso quasi quodam capite, dona sua velit in corpus omne manare: ut exortem se mysterii intelligeret esse Divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere.* Locum hunc clarè interpretatus videtur Mauclerus 2. p. lib. 2. cap. 15. *S. Petrus à Christo Domino tanquam Vicarius ejus, ac princeps totius Ecclesiastici cœtus, & orbis solus potestatis juridicæ claves accepit, ut in persona totius Ecclesiæ, idest omnium Pastorum, & Prælatorum Ecclesiasticarum, ut quidquid jurisdictionis Ecclesiasticæ à quocumque Pastore exerceretur, id totum S. Petro supremo Ecclesiæ Principi, ac visibili capiti acceptum referretur, ab ejusque autoritate in totum corpus Christi Domini, quod est Ecclesia, visibile diffunderetur.* Vide S. Bonaventuram cap. 12. referendum.

7. Non exstant quidem antiqua monimenta, quibus doceamur quonam tempore, aut quonam modo fuerit facta prima distributio Diœceseon, ac Provinciarum Operariis Evangelicis, qui convertendis ad fidem, aut jam conversis plebibus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bus præfecti sunt. Ordinem tamen à B. Petro observatum eum fuisse, quem secuti sunt ejus Successores, vel illi simillimum prudens quisque sibi facilè suadebit. Eximium ejus exstat exemplum in lib. 12. epist. 15. S. Gregorii Magni, qui collapsam in Anglia Religionem, cùm per S. Augustinum illuc missum restituissset, regendi Populi fidelis formam præscripsit, & varia officia instituens, unicuique suam contulit autoritatem, ut scilicet S. Augustinus cæteris omnibus præesset; Archiepiscopus Londonienſis duodecim sub se haberet Episcopos; Episcopus Eboracensis totidem, si modò tum ab illa civitate, tum à circumvicinis fides susciperetur, ac numerum illum Prælatorum, numerus fidelium exigeret. Nec præsenti tantùm necessitati occurrit, sed & futurum regimen disposuit, puta Londonienſem Archiepiscopum à Synodo propria consecrandum, Eboracensem Londonienſi non cessurum, sed priorem fore qui prius fuisset ordinatus: communi utriusque consilio generalia illius Christianitatis negotia gerenda. Ut autem nunquam non meminissent à quo fonte profluxisset illorum autoritas, voluit, ut uterque à Sede Apostolica pallium acciperet.

8. Aliud habetur exemplum in Capitulari Gregorii II. art. 3. ubi Martiniano Episcopo, Georgio Presbytero, &c. in Bavariam missis ita præcipit; *Ut consideratis locorum spatiis, juxta gehennationem uniuscujusque Ducis Episcopia disponatis, & subjacentia singulis Sedibus terminetis. Et si tres, aut quatuor vel majoris numeri visa fuerint constitutæ Sedes, reservato præcipuæ Sedis loco pro Archiepiscopo residendo, adhibito trium Episcoporum conventu, probabiles fide, ac boni testimonii, & eruditos sana doctrinâ viros ordinetis Antistites* EX AVTORITATE B. PETRI APOSTOLI, *& in subsequentis vigoris traditâ dispensatione locis eis traditis collocantes.*

CA-

CAPUT III.

Dignitatem & autoritatem Ecclesiarum Patriarchalium à B. Petro vel ejus successoribus ortam esse.

1. CHristum, antequam ex hoc mundo proficiscereturr, nullam Parochiarum, Diœceseon, Provinciarum, Exarchatuum, vel Patriarchatuum distinctionem constituisse, ex tota Evangelii serie colligitur, præsertim ex verbis illis, quæ in Cœlum profecturus ad Apostolos habuit Matt. ult. *Euntes docete omnes gentes*, quæ indistinctam, & illimitatam missionem continent; licet fortè Apostolis formam præscripserit, juxta quam disponendi essent Pastorum gradus & officia, quò cuncta suaviùs administrarentur, & utiliùs, essetque Ecclesia hostibus suis *terribilis ut Castrorum acies ordinata*. Amplissima erat potestas omnium Apostolorum, prout exigebat primo illo tempore rerum status, cùm nimirùm non tam regenda, quàm efformanda erat Ecclesia. Tunc enim dispergendi erant per totum orbem Pastores, qui oves undique ad Christi caulam adducerent; Piscatores, qui collectis undique piscibus, Ecclesiæ sagenam implerent; Venatores, qui ubique venantes viventem prædam in domum Dei reportarent.

2. Verùm cùm maxima exstitit fidelium copia, constituenda fuit totius regiminis Ecclesiastici forma. Quamobrem sicut in exercitu Imperator seu Dux unicuique Officiali præsertim primario suas partes, suumque munus assignat, imò & dignitatem tribuit, nisi jam id à Principe præstitum fuerit: ita B. Petrus, quem suum in terris Vicarium, & supremum omnium fidelium Pastorem Christus creaverat, varias Dignitates Ecclesiasticas, & officia instituit, secundùm formam à Christo acceptam, vel à Spiritu sancto suggestam, ultra ea quæ per se Salvator ipse ordinaverat.

3. Itaque Sedem suam in Ecclesia Romana defigens, eam cæterarum omnium Matrem, ac Magistram esse voluit, eique ultra reliquarum communem solicitudinem specialem re-

servavit Occidentalium curam. Alexandrinam & Antiochenam, ad Patriarchalem Dignitatem evexit, plurimarum ei Provinciarum præfecturam committens. *Est ergo*, inquit Gelasius I. in Concilio Romano anno 494. *prima Petri Apostoli Sedes Romana Ecclesia, non habens maculam, neque rugam, nec aliquid ejusmodi. Secunda autem Sedes apud Alexandriam B. Petri nomine à Marco ejus Discipulo & Evangelista consecrata est, ipseq; A* PETRO APOSTOLO *in Ægyptum directus verbum veritatis prædicavit & gloriosum consummavit Martyrium. Tertia verò Sedes apud Antiochiam ejusdem Beatissimi* PETRI NOMINE *habetur honorabilis, eò quod illic, priusquam Romam venisset, habitavit, & illic primum nomen novellæ gentis exortum est.* Baronius, & alii putant hæc ad verbum desumpta ex alio antiquiori Concilio habito sub Damaso anno 382. Similia etiam habet Nicolaus I. in respons. ad consulta Bulgarorum cap. 92.

4. Harum Ecclesiarum fundationem, & exaltationem S. Petro luculentiùs adscribit S. Gregorius lib. 6. epist. 37. quæ est ad Eulogium Episcopum Alexandrinum; *Quis enim*, inquit, *nesciat Sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus à Petra vocaretur? cui veritatis voce dicitur*: TIBI DABO CLAVES REGNI COELORVM: *cui rursus dicitur*: ET TV ALIQVANDO CONVERSVS CONFIRMA FRATRES TVOS: *Iterumq;, Simon Joannis amas me?* PASCE OVES MEAS. *Itaque, cùm multi sint Apostoli, pro ipso tamen Principatu* SOLA APOSTOLORVM PRINCIPIS SEDES *in autoritatem convaluit. Ipse enim sublimavit Sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est.* IPSE DECORAVIT SEDEM, IN QVA EVANGELISTAM DISCIPVLVM MISIT. IPSE FIRMAVIT SEDEM, IN QVA SEPTEM ANNIS QVAMVIS DISCESSVRVS SEDIT.

5. Licet autem majorum Urbium Episcopis sæpè in plures alios tributa sit autoritas, quia commodior erat ad illos recursus, ob frequentia negotia, quæ illuc ex circumjacentibus Provinciis Præsules evocabant: tamen non à civili Urbium excellentia, sed à S. Petri autoritate præstantiam suam consecutas esse illas Ecclesias affirmat sanctus Innocentius I. Epistola 18. quæ est ad Alexandrum Episcopum Antiochensem cap. 1. ubi de Antiochena Ecclesia loquens; *Advertimus*, inquit, *non tam pro Civitatis magnificentia hoc eidem attributum, quàm quod prima Primi Apostoli Sedes esse monstretur, ubi & nomen accepit Religio Christia-*

Christiana, & quæ conventum Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit, quæq; urbis Romæ Sedi non cederet, nisi, quod illa in transitu meruit, SVSCEPTVM ISTA APVD SE, CONSVMMATVMQVE GAVDERET.

6. Ridet S. Gelasius primus Epist. 13. quæ est ad Episcopos Dardaniæ, illos, qui Ecclesiarum prærogativam ab urbium politica dignitate repetunt; *Risimus autem, quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia Episcopus fuerit regiæ Civitatis. Numquid apud Ravennam, apud Mediolanum, Sirmium, apud Treviros multis temporibus non constitit Imperator? Nunquid-nam harum urbium Sacerdotes ultra mensuram sibimet antiquitùs deputatam, quidpiam suis Dignitatibus usurparunt?*

7. Hincmarus Archiepiscopus Remensis in Opus. 55. Capitulorum cap. 16. Ecclesiarum Patriarchalium dignitatem ad B. Petrum referendam multifariam ostendit; *Sedes Ecclesiarum, inquit, scilicet Romanæ, Alexandrinæ atque Antiochenæ, idcircò specialiter legimus, Sedes dici, cùm plurimæ Sedes, & Apostolorum, sicut Jacobi Hierosolymæ, & Joannis apud Ephesum, in qua sedit & Timotheus B. Pauli Discipulus, & multæ aliæ principalium Civitatum, quoniam Sedes sunt, quin potius, licet disparentur longinquitate terrarum,* VNA SEDES SVNT MAGNI PETRI APOSTOLORVM PRINCIPIS, &c.

8. Beatus Petrus Damiani lib. 2. Epist. 16. propositâ sibi difficultate circa Ecclesiarum excellentiam, quod scilicet Hierosolymitana cæteris preferenda videatur, quia Hierosolymis perfectum est redemptionis mysterium, respondet Ecclesiarum dignitatem, non Christi, qui omnibus præsidet excellentiâ; sed Petri privilegio esse metiendam; *Quoniam Hierosolymis passus est Dominus universis Ecclesiis non Romana, sed Hierosolymitana potiùs præesse deberet Ecclesia. Verumtamen cùm ex autoritate Canonum, Romana Ecclesia primum teneat locum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Constantinopolitana quartum, Hierosolymitana jam quintum; constat Dominum salvatorem non uniculibet Cathedræ speciali jure præesse, sed cunctis unum Pastorem universaliter præsidere. Liquet ergò Ecclesiarum ordinem esse dispositum* IVXTA PRIVILEGIVM PETRI, *non secundùm incomparabilem excellentiam Redemptoris.* Quod ait Petrus Damiani, *ex autoritate Canonum Romanam Ecclesiam primum tenere locum*, non ita est accipiendum, quasi Canones hanc illi Ecclesiæ prærogativam contulerint, sed tantùm, quod illi collatam fuisse declaraverint. Itaque

ſenſiſſe illum dubitare non ſinunt alia ejus verba, præſertim opuſ. 5. cap. 1. ubi mirum in modum Eccleſiæ Romanæ dignitatem, & autoritatem explicat. *Romanam*, inquit, *Eccleſiam, ſolus ipſe fundavit, & ſuper Petram fidei mox naſcentis erexit, qui B. Petro æternæ vitæ clavigero, terreni, ſimul & Cœleſtis Imperii jura commiſit, &c.*

9. Quia ejuſdem eſt concedere, ac in conceſſorum poſſeſſione confirmare; ſi quando ambitio Eccleſias privilegiis à B. Petro conceſſis ſpoliare tentavit, earum tuitionem pro virili ſuſceperunt ejus Succeſſores. Ita cùm Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolitanus acceptâ occaſione depoſitionis Dioſcori Alexandrini in Synodo Chalcedonenſi factæ, nec non deſtitutionis Domni Antiocheni à latrocinio Epheſino tentatæ, & à S. Leone perfectæ, utriuſque illius Eccleſiæ jura invadere moliretur, & à Concilio Chalcedonenſi uſurpationem ſuam probandam curaſſet, obſtitit ei validiſſimè S. Leo, ut ex multis patet ejus Epiſtolis, præſertim ex 46. cap. 5. ubi hæc inter alia leguntur; *Nihil Alexandrinæ Sedi, ejus, quam per S. Marcum Evangeliſtam B. Petri Diſcipulum meruit, pereat Dignitatis; Nec Dioſcoro impietatis ſuæ pertinaciâ corruente, ſplendor tantæ Eccleſiæ tenebris obſcuretur alienis. Antiochena quoque Eccleſia, in quâ primum prædicante Apoſtolo Petro Chriſtianum nomen exortum eſt, in paternæ conſtitutionis ordine perſeveret, & in gradu tertio collocata, nunquam ſe ſiat inferior. Aliud enim ſunt Sedes, aliud præſidentes.* Quia verò, ut diximus Epiſcopi Concilii Chalcedonenſis, ſanctæ Sedis Legatis tùm abſentibus, ac poſtea reclamantibus, Patriarchalem Dignitatem prædicto Anatolio detulerant, eorum Decretum, ſeu Canonem caſſavit S. Leo ut patet ex ejus Epiſtola 55. quæ eſt ad Pulcheriam Auguſtam cap. 3. *conſenſiones verò*, inquit, *Epiſcoporum ſanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, unitâ nobiſcum veſtræ fidei pietate in irritum mittimus & PER AVTORITATEM B. PETRI APOSTOLI, generali prorſus definitione caſſamus.*

10. Nec inanem fuiſſe illius S. Pontificis conatum in comprimenda Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum ambitione teſtantur ejus litteræ tum ad Anatolium, tum ad Marcianum Imperatorem. Ad illum ſic ſcribit in epiſt. 71. cap. 3. *Illam autem culpam, quam de augenda poteſtate, aliena (ut aſſeris) adhortatione cau-*

contraxeras, efficaciùs atque sincerius, tua charitas diluisset, si quod tentari sine tua voluntate non potuit, non ad sola Clericorum consilia transtulisses. Quia sicut in mala suasione delinquitur, ita & in mala consensione peccatur; sed gratum mihi, frater charissime, est, quod dilectio tua id profitetur sibi displicere, quod tunc etiam placere non debuit, &c. Epistolâ verò 59. Marcianum Dignitatis Patriarchalis Episcopo Constantinopolitano delatæ abrogationi acquievisse, apertè insinuat his verbis: *Mihi autem multùm fiduciæ, Deo per vos operante collatum est, quod probasse vos observantiam meam de Custodia Canonum paternorum, pietatis vestræ affatibus indicatis. Et meritò geminatur gaudium meum, cùm vobis religiosissimè placere cognosco, ut & Fides Nicæna suam teneat firmitatem, & privilegia Ecclesiarum illibata permaneant.*

11. Idem confirmat Gelasius epistolâ 13. quæ est ad Episcopos Dardaniæ. *Audiant*, inquit, *Marcianum, S. Memoriæ Papam Leonem summis laudibus prosecutum, quod Canonum regulas violari nullâ fuerit ratione perpessus. Audiant Anatolium Clerum Constantinopolitanum potiùs, quàm se, talia tentasse confitentem, atque in Apostolici Præsulis totum dicentem positum potestate.* Anatolii Epistola ad S. Leonem edita est in collectione Romana Lucæ Holstenii in secunda sectione Synodi Romanæ sub Bonifacio secundo num. 22. In ea & se excusat Anatolius, & S. Leonis potestatem agnoscit; *Quæ Constantinopolitanæ gratiâ Sedis sancita sunt*, inquit, *in Chalcedonensi nuper universali Synodo, pro certo Beatitudo vestra hoc habeat nullam esse culpam in me.* Et infrà; *Cùm & sic gestorum vis omnis, & confirmatio autoritati vestræ Benedictionis fuerit reservata.*

12. Acacio similiter eâdem de causa obstitit Gelasius, ut videre est in ejus Epistola 13. supra citata, quæ est ad Episcopos Dardaniæ; Nec minorem adhibuerunt diligentiam subsequentes Pontifices in conservandis Patriarchalium Ecclesiarum privilegiis. Idcircò Dioscorus Diaconus, ut ipse scribit ad Hormisdam Papam in Epistola, quæ exstat post 65. prædicti Hormisdæ, impedivit, quò minus Paulus Presbyter Constantinopolitanæ Ecclesiæ in Patriarcham Antiochenum electus, ordinaretur Constantinopoli, ne adversus Ecclesiam Antiochenam hæc ordinatio, tanquam præjudicium opponi aliquando posset. *Hinc*, inquit Dioscorus, *etsi post labores, etsi post intentiones plures Antiochena Ecclesia ordinata est, electus est quidam Paulus nomine Presbyter Constantinopolitanæ Ecclesiæ, quem huic*

honori aptissimum Imperatoris testimonio comprobatum voluerunt, & tentaverunt hic ordinare. Ego jussionis vestræ non immemor CONTRADIXI, *dicens:* JVSSIT D. NOSTER BEATISSIMVS PAPA SECVNDVM ANTIQVAM CONSVETVDINEM IBI (scilicet Antiochiæ) EVM EPISCOPVM ORDINARI. *Hoc obtinuit quod præcepistis.*

13. Leo Papa IX. epistolâ 5. quæ est ad Petrum Episcopum Antiochenum, suam ei opem pollicetur ad tuenda Patriarchalia jura Ecclesiæ Antiochenæ; *Pro cujus (B. Petri) excellentia tertiam à Romana Ecclesia dignitatem retinet Antiochena, quam te defendere summopere monemus, non tuæ gloriæ causâ, sed pro Sedis, cui ad tempus præsides, antiqua honorificentia. Nec revoceris ab hac intentione cujuslibet pompâ, vel arrogantiâ, quin constanter defendas honorem, quem Antiochenæ Ecclesiæ reliquerunt omnia sanctorum Patrum Concilia. Ad quod utique, si oportuerit,* MAXIMA MATER, ROMANA SCILICET, ATQVE PRIMA SEDES, *tàm dilectæ sibi filiæ, immo consociæ nusquam deerit, quia quosdam conari minuere antiquam dignitatem Antiochenæ Ecclesiæ audivimus.* Epistolâ 6. corripit Michaelem Archiepiscopum Constantinopolitanum, quod Patriarchas Alexandrinum, & Antiochenum suæ potestati subjicere conaretur.

14. Cæterùm ne (quod facillimè accidit; adeò ad affectandam libertatem & independentiam propendet hominum ingenium) è memoria Patriarcharum excideret, undè suam mutuati fuissent Dignitatem, reservata sunt nonnulla summo Pontifici in signum superioritatis. Varia enim sunt in historiis Ecclesiasticis exempla petitæ Patriarcharum confirmationis à sancta Sede. Quædam affert D. Petrus de Marca lib. 6. cap. 5. §. 2. ex Epistolis S. Leonis & S. Simplicii: sed illa communionis Ecclesiasticæ signa, non veras confirmationes fuisse vult. Verùm ipse textus contrarium suadet. Etenim in Epist. 44. S. Leonis plurima sunt, quæ autoritatem summi Pontificis declarant. Ut ista cap. 2. *ejùm secundùm sitæ consecrationis* (Anatolii Episcopi Constantinopolitani, qui Patriarchatum ambiebat, nondum tamen adeptus erat) *autores ejus initia titubarent, benigniores circa ipsum, quàm justiores esse voluimus.* Et ista cap. 3. *satis sit quod prædicto vestræ pietatis auxilio,* & MEI FAVORIS ASSENSV *Episcopatum tantæ urbis obtinuit* (*Anatolius.*) *Non dedignetur regiam Civitatem, quam Apostolicam non potest facere Sedem.* Et in Epistola sequenti, quæ est ad Pulcheriam Augustam cap. 2. *fratri*

frater & Coepiscopus meus Anatolius parùm considerans quanto pietatis vestræ beneficio, & MEI FAVORIS ASSENSV Constantinopolitanæ Ecclesiæ Sacerdotium fuerit consecutus, non tam de acceptis gavisus, quàm de immodicis appetendis supra mensuram sui honoris accensus est.

15. In epistola autem 17. S. Simplicii, quæ est ad Acacium clariùs exprimitur confirmatio; *Nuper ab Ægyptia Synodo quæ & numero plurima, & Fidei Catholicæ est communione suffulta, atque ab ipsâ omni propemodum Clero Alexandrinæ Sedis ad nos ex more relatio missa patefecit, sanctæ memoriæ fratrem quemdam* (vel quondam) *& Coepiscopum nostrum obiisse Timotheum, inque ejus vice consona fidelium voluntate Joannem, cui ad Sacerdotium constare crederentur omnia, subrogatum, ut nihil omnino restare videretur, nisi ut Deo nostro gratias agentibus nobis, atque gaudentibus, ut sine strepitu, quod Catholicus in defuncti ministerium successisset Antistes,* APOSTOLICÆ QVOQVE MODERATIONIS ASSENSV *votivam sumeret firmitatem, &c.* Hoc igitur, quod restabat, erat necessarium ad firmitatem electionis, scilicet APOSTOLICÆ MODERATIONIS ASSENSVS.

16. Prætermitto ordinationes autoritate summorum Pontificum in Patriarchalibus Sedibus factas, vel suspensas, & alia subjectionis signa. Istum tantum addo, in quo exhibetur velut typus constitutionis Patriarchalium Dignitatum. Quando in Generali Concilio Lateranensi sub Innocentio III. facta est unio Græcorum cum Ecclesia Latina, quæ occasio postulabat, ut Græci à Latinis humanissimè haberentur, non aliter confirmata est Patriarcharum Dignitas, quàm adjectâ conditione de testificatione superioritatis Romanæ Sedis, ut habet cap. 5. illius Concilii Decretorum, cujus sunt hæc verba; *Antiqua Patriarchalium Sedium privilegia renovantes, sacrâ universali Synodo approbante sancimus, ut post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino* SVPER OMNES ALIAS ORDINARIÆ POTESTATIS OBTINET PRINCIPATVM, *utpotè mater universorum Christi fidelium, & Magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant servatâ cuilibet propriâ Dignitate, ita quod postquam eorum Antistites à Romano Pontifice receperint pallium, quod est plenitudinis officii Pontificalis insigne,* PRÆSTITO SIBI FIDELITATIS ET OBEDIENTIÆ IVRAMENTO, *licenter & ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam, &* PRO ROMANA ECCLESIA *sponsionem obedientiæ ab eisdem.*

C A-

CAPUT IV.

De phantaſtico Galliæ Patriarcha.

1. EDitis in lucem duobus voluminibus Petri Puteani de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, ſuſpicatus quidam ob doctrinam in illis contentam, & ob alia indicia conſilium eſſe creandi Patriarchæ in Gallia, epiſtolam Paræneticam ſcripſit ſub nomine Optati Galli ad omnes Epiſcopos illius Regni, ut huic molimini ſeſe maturè opponerent. Exagitata eſt illa ſuſpicio cùm ab Iſaacio Haberto Theologo Pariſienſi, ac poſteà Epiſcopo Vabrenſi, opuſculo quodam ſtylo Oratorio conſcripto, tum ab Illuſtriſſimo Petro de Marca libris de Concordia Sacerdotii, & Imperii compoſitis. Inſedit nihilominùs plurium animis concepta de affectato Patriarchatu opinio, quam fovent ſubobſcuri quandoque rumores. Vanæ quidem ſunt ea de re minæ, ac in flectendis ad prætermittendum officium animis ſapientum, quorum intereſt, minus idoneæ: Quia tamen ſimpliciores hinc commoveri videntur, propiùs ad conſiderandum idæalem illum Patriarcham admovenda eſt conſideratio.

2. Cui metuendum eſſet ab illo monſtro? Certè non ſummo Pontifici, cujus autoritas, cùm Chriſtum ipſum habeat autorem, nullis humanis machinationibus imminui poteſt ab iis, qui in Religione Chriſtiana perſeverare ſtatuerunt: *Præſertim*, inquit Nicolaus I. epiſt. 8. quæ eſt ad Michaelem Imperatorem, *cùm Eccleſiæ Romanæ privilegia, Chriſti ore in B. Petro firmata, in Eccleſia ipſa diſpoſita, antiquitùs obſervata, & à Sanctis Univerſalibus Synodis celebrata, atque à cuncta Eccleſia jugiter venerata, nullatenus poſſint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari; Quoniam fundamentum, quod Deus poſuit humanus non valet amovere conatus. Et quod Deus ſtatuit firmum, validumq; conſiſtit. Illeq; potiſsimum peccat, qui Dei ordinationi reſiſtere tentat. Privilegia, inquam, illius Sedis, vel Eccleſiæ perpetua ſunt, Divinitùs radicata, atque plantata ſunt*; IMPINGI POSSVNT, TRANSFERRI NON POSSVNT; TRAHI POSSVNT, EVELLI NON POSSVNT. Inſinuaverat eidem Pontifici Hermintrudis Regina Fran-

Franciæ Carolum Calvum Regem Sedis Apostolicæ jura impetiturum, nisi quod optabat à Papa consequeretur, auctarum verò, si voti compos fieret; sed intrepidè respondit Nicolaus epist. 36. *Quod autem scripsistis, quia si exaudiamus filium nostrum, non detrimentum sed augmentum Ecclesiæ nostræ privilegiis generetur. Nos certissimè credimus, quia* PRIVILEGIA SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ NVLLVM POSSVNT SVSTINERE DETRIMENTVM, *nec plantatio, quam Cœlestis Pater noster plantavit, eradicari, nec fundamenta, quæ summus posuit Architectus, queant quibuslibet, & quantislibet fluctuationibus amoveri.* Epistolâ etiam 42. juxta aliam epistolam Gelasii ad Orientales; *Privilegia sua*, inquit, *à Christo Ecclesiæ Romanæ per Petrum consecuta est.*

3. Verisimilior esset timendi ratio Episcopis ipsis Gallicanis, si quando in Principem æquitatis & religionis minus amantem, ac in Archiepiscopum urbis Regiæ ambitiosum, & Regis studio, atque autoritate fultum inciderent, ne instituto Patriarchatu, libertate Canonicâ, & magnâ propriæ Dignitatis parte privarentur. Unde enim orta est Episcoporum Metropolitanorum, Exarchorum, ac denique Patriarcharum Orientalium depressio, nisi ab Episcopis Constantinopolitanis ambitionis æstro percitis, & Imperatorum potentiâ armatis? A quibus etiam deinde totus Oriens in schisma, & demùm in hæresim attractus est: Homines scilicet carnales, Dignitates Ecclesiasticas ex urbium amplitudine, ac Principum illic commorantium Majestate, non ex Apostolorum, vel Ecclesiæ primaria dispositione metientes, putarunt, sicut Civitates Regiæ cæteris præeminent, ita qui in eis sedent Præsules, Coepiscopis posse dominari. Quâ in re ipsimet Coepiscopi eorum apud Principem gratiam modò metuentes, modò implorantes, propriæ servituti colla, partim sponte, partim inviti submiserunt.

4. Sed ut ad Patriarcham Gallicanum redeamus; à quo crearetur? A quo suam Dignitatem & autoritatem acciperet? A Christo? A summo Pontifice? A Rege? Ab Episcopis ipsis Gallicanis? Non à Christo: quis enim ita desipiat, ut arbitretur Dignitatem Ecclesiasticam in Evangelio per septemdecim sæcula non detectam, ab Apostolis, ipso jubente, non collatam, ab ipso rursùs de Cœlo descendente

fore tribuendam. Fidem non inveniret hujuſmodi conſtitutio extraordinaria ſine plurimorum miraculorum confirmatione.

5. Chriſtiani ſunt, & Catholici, qui Regnum Franciæ incolunt, atque adeò verendum non eſt, ne Patriarchalis Dignitatis cum autoritate ſpirituali creandæ jus Regi adſcribant. Illam ſine autoritate Romani Pontificis inſtitui, aut alicui Eccleſiæ impertiri non poſſe, quantumvis intercedat Principum ſæcularium voluntas, docet S. Leo epiſt. 44. quæ eſt ad Marcianum Auguſtum cap. 3. occaſione Anatolii Epiſcopi Conſtantinopolitani Dignitatem Patriarchalem ambientis; *Habet*, inquit, *ſicut optamus Conſtantinopolitana Civitas ſuam gloriam, & protegente dexterâ Dei diuturno clementiæ veſtræ fruatur imperio. Alia tamen eſt ratio rerum ſæcularium, alia Divinarum*; *Nec* PRÆTER ILLAM PETRAM, QVAM DOMINVS IN FVNDAMENTO POSVIT, *ſtabilis erit illa conſtructio.* Idem etiam ſcribit Nicolaus I. reſpondens ad conſulta Bulgarorum cap. 73. verbis infra referendis. Imò Concilium Chalcedonenſe Dignitatem, quâ ex aſſenſu Imperatoris Epiſcopum Conſtantinopolitanum auxerat, ſtare ſine Romani Pontificis autoritate non poſſe ſenſit, ut in ejus Synodica ad S. Leonem videre eſt. Certè ſi Principes non poſſunt Metropolim Eccleſiaſticam facere, ut capite ſequenti probabimus, quî poterunt Sedem Patriarchalem conſtituere? Aut quam habebit juriſdictionem ſpiritualem Patriarcha hoc modo creatus.

6. A Summo quidem Pontifice poſſet quis ad Patriarchalem Dignitatem provehi; ſed tunc Patriarcha non minùs, immò magis ſubjectus eſſet ſanctæ Sedi. Vocaretur enim in partem ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis, ipsâque ſolicitudinis participatione ad arctiorem cum ſupremo Eccleſiæ capite conjunctionem adſtringeretur. Verùm exemplis Conſtantinopolitanorum, & aliorum Epiſcoporum edocti Pontifices, quàm difficile ſit, ut ambitio adeptis tranquillè fruatur, & ulteriora, etiam vetita, non appetat, vix ad indulgendam illam exaltationem inducerentur.

7. At numquid poſſent Epiſcopi, Curiæ id optantis favorem aucupantes, vel indignationem metuentes, ſibimet caput unum imponere, ac ſuam in id poteſtatem conferre? Certè, ſi

juxta

juxta vulgatam Juris regulam, *nemo plus juris ad alium transferre potest quam ipse habeat* ff. de jur. l. 54. non eximeret Episcoporum consensus Patriarcham à summi Pontificis autoritate, cui nihilominus subjacerent ipsi, nec prorsùs successores suos ligarent. Etenim, si, ut communiter docent Juris Canonici periti, Episcopus sine summi Pontificis licentia Ecclesiæ suæ servitutem nequit imponere, & quæ circa hujusmodi fiunt, suos tantum tenent Autores; non magis ad Successores transiret Patriarchæ ab ipsis constituti, quàm Vicarii ab ipsis nominati potestas.

8. Accedit quòd Summi Pontificis est omnium Ecclesiarum jura defendere, sedulamque operam dare, ne vel ab ipsis Præsulibus lædantur. Atqui Gallicanæ Ecclesiæ maxima ex creato Patriarcha detrimenta paterentur. Plurimùm enim earum imminueretur libertas, si Episcopis omnibus novus superior præficeretur. Metropolitanorum Dignitas obscuraretur, ac ferè deperiret, si vigeret Patriarchalis.

9. Denique non potest major Dignitas à minore constitui, Patriarchalis à Metropolitica, vel ab Episcopali, ut monet Nicolaus I. in resp. ad consl. Bulg. cap. 73. his verbis: *A quo autem sit Patriarcha ordinandus, interrogatis: Et idcircò scitote, quia in loco, ubi nunquam Patriarcha, vel Archiepiscopus constitutus est, à majori est penitùs instituendus: quoniam secundùm Apostolum minus à majori benedicitur. Deinde verò acceptâ licentiâ, & pallii usu, ordinat ipse sibi deinceps Episcopos, qui Successorem suum valeant ordinare. Vos tamen sive Patriarcham, sive Archiepiscopum, sive Episcopum vobis ordinari postuletis, à nemine nunc velle consuentiùs, QVAM A PONTIFICE SEDIS B. PETRI, A QVO ET EPISCOPATVS ET APOSTOLATVS SVMPSIT INITIVM, hunc ordinari, valetis.* Præter rationem generalem, specialem aliam considerabat Nicolaus, quod scilicet Bulgari ad fidem Catholicam fuissent conversi ope Romani Pontificis, quæ ratio etiam locum habet in Gallia, in qua ex Innocentio I. à B. Petro, aut ab ejus Successoribus, sive illorum autoritate omnes illic fundatæ sunt Ecclesiæ.

10. Sanè licet, ut diximus, Episcopi Concilii Chalcedonensis, favente Imperatore Marciano, Ecclesiam Constantinopolitanam Patriarchali Dignitate insignire, refragantibus Apostolicæ Sedis Legatis, tentassent, Canon ille diu effectu

caruit, renitentibus Summis Pontificibus, nec plenè obtinuit, donec acceſſit eorum aſſenſus.

11. Concludamus igitur cum S. Leone epiſt. 89. quæ eſt ad Epiſcopos per Provinciam Viennenſem conſtitutos in cauſa Hilarii Arelatenſis Epiſcopi aliquam juris Patriarchici partem ambientis, neminem debere jus indebitum in alios Epiſcopos uſurpare, neque poſſe Epiſcopos propria Dignitatis jura in alium transferre, & ad ſanctam Sedem pertinere hujuſmodi uſurpationem caſtigare. *Alienum jus*, inquit S. Leo, *alter ſibi non audet vendicare. Suis limitibus, ſuis terminis, ſit unuſquiſque contentus, & privilegium ſibi debitum in alium transferre ſe poſſe noverit non licere. Quod ſi quis negligens Apoſtolicas ſanctiones plus gratiæ tribuens perſonali ſui honoris deſertor eſſe voluerit, privilegium ſuum in alium transferre poſſe ſe credens, non is, cui cefſerit, ſed is, qui intra Provinciam antiquitate Epiſcopali cæteros prævenit Sacerdotes, ordinandi ſibi vindicet poteſtatem.*

CAPUT V.

Primates, & Metropolitanos, in Gallia præſertim, ſuam à ſummo Pontifice autoritatem traxiſſe.

1. PRimates illos, qui olim in variis Galliæ partibus à Romano Pontifice ad vitam dumtaxat conſtituebantur, ſuam ab eo juriſdictionem habuiſſe nemo dubitabit, qui conſtitutionis formam attenderit. Nam vicariâ tantum autoritate pollebant, ut expreſſè docent ſummorum Pontificum Epiſtolæ, quibus illa concedebatur. Sic S. Remigius à Papa Hormiſda, vel, ut alii volunt, à Symmacho in Regno Clodovei recenter ad fidem converſi; ſic Arelate Cæſarius à Symmacho, Auxanius, & Aurelianus à Vigilio, Sapaudius à Pelagio I. Virgilius à Gregorio Magno, ſic alii ab aliis in Gallia conſtituti ſunt Vicarii Apoſtolici, & S. Bonifacius in toto Regno à Zaccharia, ut ex ſummorum illorum Pontificum Epiſtolis conſtat. Ubi autem Primatus non perſonæ, ſed Sedi, ſivè perſonæ pro ſe, ac pro ſucceſſoribus datus eſt, ut Archiepiſcopo Lugdunenſi in quatuor Provincias Lugdunenſes, quæ ſunt Lugdunenſis propriè dicta, Rotomagenſis,

genſis, Turonenſis, & Senonenſis, non ideò minus debetur hæc Dignitas ſanctæ Sedis autoritati, quia cum ampliori favore conceſſa fuerit.

2. *Plenitudo poteſtatis*, inquit S. Bernardus Epiſtola 131. *ſuper univerſas orbis Eccleſias ſingulari prærogativâ Apoſtolicæ Sedi donata eſt; qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* POTEST, SI VTILE IVDICAVERIT, NOVOS ORDINARE EPISCOPATVS, *ubi hactenus non fuerunt. Poteſt eos qui ſunt*, ALIOS DEPRIMERE, ALIOS SVBLIMARE, *prout ratio ſibi dictaverit, ita* VT DE EPISCOPIS CREARE ARCHIEPISCOPOS LICEAT, ET E CONVERSO, *ſi neceſſe viſum fuerit.* Eam poteſtatem Jacobus de Thermis Abbas Carolioci ejuſdem Ordinis Ciſtercienſis magis explicat in Tract. contra impugnatores exempt. & privil. *Poſſet*, inquit, *facere ex certa, & rationabili cauſa, quod in Regno, vel in Regione, ubi ſunt Patriarchæ, Primates, & Archiepiſcopi, non eſſet Primas, nec Archiepiſcopus, nec Patriarcha, ità quod omnes Epiſcopi ſibi immediatè ſubeſſent.* Et de Primatibus quidem diſquiſitio tantæ utilitatis non eſt, cùm in Galliâ, præter Lugdunenſem, qui appellationes ab aliis Provinciis etiamnum recipit, cæteri vel in ſua tantùm Provincia eo jure utantur, vel ſolo Primatis titulo ſine ulla juriſdictione gaudeant.

3. Metropolitanorum Dignitas antiquiſſima quidem eſt; à Chriſto tamen immediatè inſtituta nullibi legitur in ſacris Scripturis. Apoſtolos illius autores extitiſſe plerique conjiciunt, ex quibuſdam novi teſtamenti locis, præcipuè ex poteſtate à B. Paulo tradita B. Tito Diſcipulo ſuo, Epiſcopos, quos nomine Presbyterorum intelligit, per Civitates conſtituendi: quod Metropolitani munus eſt. *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt corrigas, & conſtituas per Civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Tit. 1. Chriſtus ſolum Petrum cæteris Apoſtolis præpoſuit. Itaque nemo cæteris Epiſcopis jure Divino præeſt niſi Petri ſucceſſor.

4. Nihil autem opus eſt modò quæſtiones illas agitare, utrum illimitata reliquorum Apoſtolorum Juriſdictio fuerit tantùm delegata, an ordinaria? Utrum ex conſenſu tantùm B. Petri Epiſcopos Provinciis integris præfecerint? Utrum ſic præfectorum Epiſcoporum ſucceſſores poteſtatem ordinata ſerie accepiſſe cenſeantur ab ipſis Apoſtolis? *Cùm manifeſtum*

festum sit (ut verbis utamur S. Innocentii I. epist. prima, quæ est ad Decentium Eugubinum Episcopum) *in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasq; interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus,* AVT EIVS SVCCESSORES CONSTITVERINT SACERDOTES.

5. Metropoliticam Dignitatem à Romana Sede in Gallia institutam fuisse, cùm non esset, ex eo etiam colligitur, quod ab ea illic restituta est, cùm defeciſſet. Cùm enim per annos ferè 60. nullos habuisset Metropolitanos Regnum illud, licet extarent adhuc Metropoliticæ Sedes, seu Ecclesiæ in primariis Provinciarum Civitatibus, implorata est Zachariæ summi Pontificis autoritas, qui eam illis Dignitatem restauravit per S. Bonifacium, ut ex utriusque litteris constat, idque juxta preces Principum Pippini, & Carlomanni; *Franci* (verba sunt S. Bonifacii ad S. Zachariam) *ut seniores dicunt, plusquam per tempus* 80. *annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiscopum habuerunt, &c.* Sanctus autem Zacharias scribit ad S. Bonifacium; *De Episcopis verò Metropolitanis ideſt Grimone, quem nos jam compertum habemus, & de Abel, & Artberto, quos per unamquamque Metropolim per Provincias constituisti, hos per tuum testimonium* CONFIRMAMVS, ET PALLIA DIRIGIMVS, *ad eorum firmissimam stabilitatem, & Ecclesiæ Dei augmentum, ut in meliori proficiant statu.*

6. Principio quidem, cùm à Romano Pontifice ordinabantur Metropolitani, non ita facilè ab istorum animis deleri poterat memoria receptæ ab illo autoritatis: sed coegit locorum distantia, ordinationem, vel Episcopis comprovincialibus, vel viciniori Metropolitano permittere, ut de Metropolitanis Mediolanensi, & Aquileiensi testatur Pelagius I. in epistola, cujus fragmentum refertur à Gratiano 24. quæst. 1. can. 33. *Nempe is mos antiquus fuit, ut quia pro longinquitate, vel difficultate itineris, ab Apostolico onerosum illis fuerit ordinari, ipsi se invicem Mediolanensis & Aquileiensis ordinari Episcopi debuissent: Ità tamen ut in ea Civitate, in qua erat ordinandus Episcopus, alterius Civitatis Pontifex occurrere debuisset; ut & ordinandi electio à proprio Ordinatore, ex consensu universitatis, cui præficiendus erat, Ecclesiæ meliùs ac facilius potuisset agnosci, & in sua, qui ad Episcopatum provehendus erat, nec tamen Ordinatori suo subdendus fuerat, ordinaretur Ecclesia.* Hanc tamen concessionem postea Sedes Apostolica revocavit, ut ex S. Gregorio Magno edisc imus.

Sic

Sic enim scribit epist. 31. lib. 2. *Obitum Laurentii Ecclesiæ Mediolanensis Episcopi excellentiam vestram jam credimus cognovisse: & quia, quantum ex Cleri relatione didicimus in Constantio filio nostro Diacono ejusdem Ecclesia, omnium constitit electio, necesse fuit pro servanda consuetudine militem Ecclesiæ nostræ dirigere, qui eum, in quo omnium voluntates, atque consensum concorditer convenire cognoverit, à suis Episcopis, sicut vetus mos exigit,* CVM NOSTRO TAMEN ASSENSV *faciat consecrari.* Et lib. 2. epist. 68. quæ est 29. indictionis undecimæ: *Latorem præsentium Joannem Subdiaconum nostrum ad hoc, Deo favente, transmisimus, ut electum vestrum suâ imminentiâ Dei Omnipotentis solatio secundùm morem prædecessoris ejus faciat Episcopum consecrari. Nam sicut ab aliis nostra exigimus, ita singulis sua jura servamus.* Denique epist. 65. lib. 8. quæ est ad Mediolanenses: *Ut igitur in ordinando eo, qui à vobis electus est, nulla possit mora contingere, Pantaleonem Notarium nostrum transmisimus, qui eum, ut moris est,* ANNVENTE CONSENSVS NOSTRI AVTORITATE *faciat consecrari.*

7. In Illyrico Vicarius Apostolicus, Episcopus scilicet Thessalonicensis Metropolitanos ordinabat, & ab eis consulebatur in singulorum Episcoporum ordinatione, ut ex pluribus Summorum Pontificum litteris edocemur, præsertim è S. Leonis Epistola ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem, ad quem sic scribit: *Nullus te inconsulto per illas Ecclesias ordinetur Antistes: ita enim fiet, ut sint de eligendis matura judicia, dum tuæ dilectionis examinatio formidetur. Quisquis verò à Metropolitanis Episcopus* CONTRA NOSTRAM PRÆCEPTIONEM *præter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam sibi apud nos status sui noverit esse firmitatem, eosq; usurpationis suæ rationem, qui hoc præsumpserint reddituros. Singulis autem Metropolitanis, sicut potestas ista committitur, ut in suis Provinciis jus habeant ordinandi, ita eos Metropolitanos* A TE VOLVMVS ORDINARI. In Synodo Rom. collect. Holsten. n. 24. vide etiam epist. 84. ejusdem Sancti cap. 6. Ex qua Epistola, & ex aliis ejusdem, ac subsequentium Pontificum apertissimè constat totam Episcopi Thessalonicensis in reliquos Illyrici Metropolitanos autoritatem à Romano Pontifice pependisse, non ab illo imaginario Patriarchatu, quem ei affinxerat Petrus de Marca lib. 6. de Concor. Sacerd. & Imper. cap. 5. n. 3. quod se alibi accuratè explicare asserit, quodque potiùs improbare videtur in dissertatione de Primatu Lugdunensi, & cæteris Primatibus, quæ ad-

adjuncta est à Philippo Labbe Concilio Claromontano sub Urbano II.

8. Hoc jurisdictionis suæ exercitium, & autoritatis signum in Illyrico sibi reservandum duxit Romanus Pontifex, veritus fortasse, ne accideret aliquando quod re ipsa tandem contigit, ut Episcopus Constantinopolitanus Imperatorum potentiâ partem illam Patriarchatus Occidentalis, Constantinopoli, quàm Romæ viciniorem, invaderet. In aliis autem Occidentis Provinciis, in quibus similis usurpatio non timebatur, quibusque propter distantiam promptè providere non poterat Ecclesia Romana, permissa est, ut diximus, Metropolitanorum ordinatio Episcopis comprovincialibus, aut Metropolitanis vicinioribus.

CAPUT VI.

De eodem argumento, scilicet dependentiâ Metropolitanorum à sancta Sede.

1. QUod fuerit in Gallia primis sæculis Metropolitarum à sancta Sede dependentiæ signum, non ita liquet, sed cùm restituta fuit in eo Regno à Zacharia Pontifice Dignitas illa, concessum est, ut suprà diximus, Metropolitanis pallium, quod collationem potestatis significabat.

2. Illustrissimus quidem Petrus de Marca semper solicitus, ne Summi Pontificis autoritas nimis excresceat, & S. Bonifacio illius augendæ & Episcopis Gallicanis impediendi augmenti consilium tribuit, quod isti pallium ab illo impetratum acceptare differrent: *Bonifacius eos* (inquit Marca de Metropolitanis loquens lib. 6. cap. 7. §. 4.) *coegit illud (pallium) à Romana Sede quærere, ut eâ ratione illos magis obnoxios esse faceret ei Sedi, ac præcipuo quodam jure Episcopo Romano subjiceret. At illi, quibus unicus metus erat, ne novitate illa adigerentur ad insolitam quamdam reverentiam in Sedem Apostolicam, ac ne insuper exciderent ab ea autoritate, quam Canones tribuunt Metropolitanis, in ambiguo fuere, an promissis stare deberent.* Sed eam Francorum difficultatem ex eo ortam esse, quod rumor sparsus esset, Summum Pontificem pro palliis pecuniam accipere, innuit

innuit ipsemet Zacharias epist. 5. Postquam enim suam significavit admirationem de restricta trium palliorum petitione ad unius postulationem, statim subjungit: *Reperimus etiam in memoratis tuis litteris, quæ nimis animos nostros conturbant, quod talia à te nobis referantur, quasi nos corruptores simus Canonum, & Patrum rescindere traditiones quæramus; ac per hoc, quod absit, cum nostris Clericis in Simoniacam hæresim incidamus, accipientes, & compellentes, ut hi, quibus pallia tribuimus, nobis præmia largiantur, expetentes ab illis pecunias. Sed charissime Frater,* &c.

3. *In Pallio*, ut scribit Paschalis II. ad Archiepiscopum Poloniæ apud Baronium ad annum 1102. *Plenitudo conceditur Pontificalis officii, quia juxta Sedis Apostolicæ, & totius Ecclesiæ consuetudinem, antè acceptum pallium Metropolitanis minimè licet, aut Episcopos consecrare, aut Synodum celebrare.* Consentiunt cæteri Pontifices, ut S. Gregorius Magnus, cujus verba suprà retulimus, & Nicolaus I. cujus sunt ista; *Sanè interim non in Throno sedentem* (Patriarcham, vel Archiepiscopum) *&, præter Corpus Christi, non consecrantem, priùs quàm pallium à Sede Romana percipiat, sicuti Galliarum omnes & Germaniæ, & aliorum Regionum Archiepiscopi agere comprobantur.* Nicolaus I. in responsione ad consul. Bulg. cap. 73.

4. Metropoliticæ Dignitatis confirmationem à Patriarchis pendere, ac pallium ejus confirmationis signum esse supponit evidenter octava Synodus Oecumenica his verbis Canonis 17. *Priscam consuetudinem decernit in omnibus conservari, ita ut earum* (Sedium Patriarchalium) *Præsules universorum Metropolitanorum, qui ab ipsis promoventur, & sive per manus impositionem, sive per pallii dationem Episcopalis Dignitatis firmitatem accipiunt, potestatem habeant, videlicet, ad convocandum eos, urgente necessitate, ad Synodalem conventum, vel etiam ad coërcendum illos, & corrigendum, cùm fama eos super quibusdam delictis forsitan accusavit.*

5. Cæterùm Paschalis II. in Epistola mox laudata suspicionem amovet, quam aliqui, ut Marca loco suprà citato concipiebant, pallii concessionem eo spectare, ut protenderetur summi Pontificis autoritas; asserit enim nihil exigi, quod ab omnibus Episcopis non debeatur, etiamsi non requireretur; *Quod non, etiam præter exactionem nostram, ab omnibus debeat Episcopis observari.*

6. Nicolaus I. Hincmaro Archiepiscopo Remensi privilegia Sedis suæ confirmari postulanti appositè respondet epist. 28.

iniquè impugnari ab illo Archiepiscopo privilegia Ecclesiæ Romanæ, sine quibus constare non possent Ecclesiæ Remensis privilegia; *Privilegia præterea ab Apostolica Sede vestræ Ecclesiæ confirmanda deposcitis, qui tamen nostra privilegia, quantum in vobis est, infirmare satagitis. Portum salutiferum, sanctam Romanam Ecclesiam appellatis, qui tamen in eo ne aliqui salventur, quantum potestis, satagere procuratis. Quomodò, rogo, privilegia tua stare poterunt, si ita privilegia illa cassentur,* PER QVÆ TVA PRIVILEGIA INITIVM SVMPSISSE NOSCVNTVR. Idipsum agnovit ipse Remensis, quandoquidem scripsit ad Nicolaum Papam; *Favente Domino in hac devotione manebo sciens privilegium Metropolitanæ Sedis Remorum, cui me Divina dignatio servire disposuit, in summo privilegio sanctæ Sedis Romanæ manere, & privilegium esse Sedis Romanæ, si suâ autoritate privilegium sibi subjectæ Sedis fecerit vigere, & studuerit confirmare.*

7. Itaque cùm Metropolitanis negata est à Suffraganeis debita obedientia, invocata est Sedis Romanæ autoritas, ut inde robur, & auxilium acciperent privilegia Metropolitica, unde originem duxerant. Exemplum suppeditat epistola Joannis XIII. ad Episcopos Britanniæ, hæc inter alia continens; *Arduinus Turonensis Ecclesiæ Archiepiscopus, veniens ad Apostolorum Limina Romam oratum, interpellavit nos, quod jura sui Archiepiscopatus, quæ ab antiquis temporibus* PER DECRETA SANCTORVM PONTIFICVM SANCTÆ ROMANÆ MATRIS ECCLESIÆ *suis prædecessoribus concessa & confirmata fuerunt, à vestro Archiepiscopo sublata videntur, &c.*

8. Sed, ut redeamus ad Metropolitanum Remensem. (Divina enim providentia illos ipsos, qui sanctæ Sedis autoritatem ægrè ferunt, aut laturi sunt, ad illam confugere non rarò compellit, ut quam spontè agnoscere recusant, vel inviti fateantur.) Hincmarus qui contra sanctam Sedem tam frequenter recalcitraturus erat, non aliter suam Dignitatem securè possidere potuit, quàm obtentâ Romani Pontificis confirmatione: & ne causari posset, adhibitam à se hanc cautelam ex prudentia, ob privatam necessitatem; eâ occasione summi Pontificis potestatem professi sunt omnes Episcopi Gallicani, ut perhibent acta secundi Concilii Suessionensis anni 853. parte tertia, his verbis; *porrexit etiam (Hincmarus) Epistolam totius Galliæ Episcoporum manibus subterscriptam*

ad

ad Apostolicam Sedem pro confirmatione ipsius ordinationis. Quæ de Metropolitanis dicta sunt, ex iis, quæ postea de Episcopis dicentur, plurimum lucis accipient, ac validè confirmabuntur.

CAPUT VII.

Cur in disceptationibus de jurisdictione consuetudo pro lege habita fuerit?

1. IN omni controversiarum genere possessio, præsertim si sit antiqua, & pacifica plurimùm valet ad movendos in eam partem Judicum animos. In decidendis de jurisdictione quæstionibus, ea quasi unica regula fuit omni ferè tempore observata à Conciliis, & à summis Pontificibus, ut antiqua consuetudo retineretur. Ita cùm Meletius Lycopolitanus in Thebaidis, ac vicinæ Ægypti Ecclesias à Patriarchatu Alexandrino distractas, jurisdictionem usurpasset, Concilium Nicænum illam injuriam reparavit hoc Canone, qui sextus est, & sic incipit; *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim; ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, &c.* Ita etiam licet Patriarcha Antiochenus Joannes nomine, Concilio Ephesino esset infestus, Concilium tamen Ecclesias Cypri, quæ ab illo in ordinationibus Episcoporum nequaquam pendere asserebantur, noluit liberas declarare, nisi facto diligenti examine, atque sub conditione, ut patet ex actis Synodalibus, & ex Decreto ea de re edito; *Si non est vetus mos, quod Episcopus Antiochenus ordinet in Cypro, sicut libellis, & propriis vocibus docuerunt religiosissimi viri, qui ad Sanctam Synodum accesserunt, habebunt jus suum intactum, & inviolatum, qui sanctis in Cypro Ecclesiis præsunt, secundùm Canones SS. Patrum, & veterem consuetudinem per se ipsos ordinationes religiosissimorum Episcoporum facientes.* Occurrunt alia passim in actis Conciliorum, & in litteris summorum Pontificum, quæ congerere superfluum esset, cùm à nemine negetur, vindicatam acriter fuisse in hujusmodi contentionibus consuetudinem. Sed inquirenda est causa illius praxeos.

2. Posset enim aliquis hinc suspicari Patriarchas, aliosque

Antistites suam jurisdictionem non B. Petro, vel reliquis Apostolis, eorumve successoribus debere, sed usui, seu communi majorum consensui. Verùm depellitur hæc suspicio ex ipsismet Canonibus, Decretis, & Decretalibus illas controversias dirimentibus. Nec enim cujusvis consuetudinis habuerunt rationem, sed ejus, quam constaret ab Apostolis ortam, vel quæ, propter suam antiquitatem, hominum memoriam excedentem, ab illis orta præsumeretur. Id insinuatur Can. 6. Concilii Nicæni his verbis; *Antiqua consuetudo*: ut ex illorum comparatione cum similibus Concilii Ephesini infrà patebit: hæc ejusdem Canonis verba; *Quandoquidem & Episcopo Romano hoc est consuetum*; sive; *Quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est*, quæ immediatè sequuntur post ista; *Ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem*, ita interprætatur Joannes Cabassutius Presbyter Congregationis Gallicanæ Oratorii Domini Jesu, in notitia Conciliorum cap. 18. alterius edit. *Sic intelligenda sunt*, inquit, *ut ideo præfata in Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim Alexandrino Præsuli competat authoritas*, QVIA ID EI PRIMVS TRIBVERE SOLET ROMANVS EPISCOPVS, puta quia consentit, ut Jurisdictio à B. Petro primis Antiochiæ Patriarchis impertita, ad eorum successores transeat, qui sensus, si recipiatur, nulla supererit de jure Summi Pontificis dubitatio, etiam ubi solius fiet mentio consuetudinis.

3. Porrò in Concilio Ephesino Episcopi Cyprii affirmarunt, non solùm consuetudinem esse, ut in ea Insula Metropolitani ordinarentur à Suffraganeis, sed etiam eam consuetudinem ab Apostolis esse profectam. *A sanctis Apostolis*, inquit Zenon Episcopus Curiensis, *nunquam possent ostendere quod adfuerit Antiochenus, & ordinaverit, vel communicaverit unquam Insulæ ordinationis gratiam, neque alius quisquam .... nunquam vel adfuit, vel ordinavit, neque in Metropoli, neque in alia Civitate, sed Synodus nostræ Provinciæ congregata constituebat Metropolitam.* Libellus autem ipsorum Episcoporum Cypri, Concilio in actione septima oblatus, hæc inter alia continet; *Ideò obsecramus & ad sancta vestra genua procidimus, ut Canonicâ sententiâ etiam nunc sicut initio à temporibus Apostolorum, & constitutionibus, & Canonibus sanctissimæ & magnæ Synodi Nicænæ illæsa, & superior insidiis & potentiâ permaneat nostra Cypriorum Synodus.* Post multas interrogationes & responsiones Concilium, ut suprà diximus

mus, rem definivit sub conditione, *Si non est vetus mos, quod Episcopus Antiochenus ordinet in Cypro, &c.* Quod autem *per veterem morem*, seu, ut habet Canon Nicænus, *per antiquam consuetudinem* significetur ea, quæ ab ipsa Ecclesiarum fundatione derivata est, explicant non solum verba Episcoporum Cypri mox relata; *Sicuti initio à temporibus Apostolorum*; sed etiam quæ illis respondent verba sequentia prædicti Decreti Ephesini, quod deinde ad omnes Ecclesias extenditur; *Istud autem etiam in aliis Diœcesibus, & in omnibus Provinciis servetur, ut nullus piissimorum Episcoporum aliam Provinciam occupet, quæ antea & ab initio sub sua, vel Antecessorum suorum potestate non fuerit .... Placuit igitur sanctæ Synodo ut unicuique Provinciæ pura & inviolata, QVÆ IAM INDE AB INITIO HABVIT, sua jura serventur, IVXTA VETEREM CONSVETVDINEM.* Notanda sunt verba illa, QVÆ IAM INDE AB INITIO HABVIT, quibus respondent ista IVXTA VETEREM CONSVETVDINEM.

4. Sed quare concessionis Apostolorum non est potius facta mentio in hujusmodi judiciis, quam consuetudinis? Cur v. g. Canon sextus Nicænus Patriarchæ Alexandrini potestatem in Ecclesias à Meletio usurpatas non retulit ad B. Petrum, à quo S. Marcus Alexandriæ præfectus est, sed ad antiquam consuetudinem? Multiplex est ratio. Prima quia non ita facilè scitu erat, à quo quæque fundata fuisset Ecclesia; qui ei limites præfixi, quæ autoritas concessa; & alia id generis: consuetudo autem antiqua signum erat, omnia, ita ut erant, fuisse ab initio, vel postmodum legitimè constituta. Secunda ratio erat, quia Pontifices & Episcopi, quæcumque ab Apostolis, & à propinquioribus illorum successoribus gesta fuerant, quasi à Spiritu sancto specialiter dirigente suggesta maximè venerabantur; ideoque nihil innovari volebant, non solùm circa ea, quæ certum erat fuisse ab Apostolis, vel Apostolicis viris ordinata, sed etiam quæ ex antiqua consuetudine conjiciebant tam præstantes habuisse Autores. Tertia quia cùm omnes Apostoli (B. Petro excepto) fuissent æquales, etiam si constitisset à quo quæque Ecclesia fuisset fundata, inde tamen eorum inter se prærogativæ cognosci non potuissent; itaque certior, & compendiosior via terminandarum litium erat,

ut consuetudo antiqua staret. Hinc oritur quarta ratio, quia scilicet judiciis, quæ secundùm antiquam consuetudinem feruntur, libentius partes acquiescunt; quod nimirùm ex omnium consensu in pari causa melior sit conditio possidentis. Par autem causa facilè judicatur, cùm obscura sunt utrinque jura, & incertæ rationes. Unde ad possessionem, seu consuetudinem necessariò recurrendum est. Denique non est efficacior ratio fovendæ pacis, & tranquillitatis, quàm observatio consuetudinis, *ipsa quidem mutatio consuetudinis*, ut scribit S. Augustinus ad Januarium epist. 118. *etiam quæ adjuvat utilitate, nonnunquam perturbat.*

5. Non igitur ad consuetudinem, seu usum attenditur, quasi ad causam jurisdictionis, sed potius tanquam ad effectum & signum illius. Nec inde colligitur non pendere illam à B. Petri Successoribus, sed B. Petri ordinationem, ac dispositionem ab ejus Successoribus, & à tota Ecclesia religiosissimè custodiri, dum scitur; atque ut cognoscatur, per consuetudinem antiquam investigari. Nam *nullâ potest consuetudine introduci, quod aliquis præter sui Superioris licentiam Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare.* Cap. *Si Episcopus.* de pœnit. & remission. in 6. quod etiam dicendum de aliis jurisdictionis actibus.

CAPUT VIII.

Utrum jurisdictio Episcoporum sit à Deo immediatè.

2. EArum Dignitatum, quas à Christo ipso institutas fuisse in Scripturis sacris non legimus, acceptas Ecclesiæ referre non est admodum difficile: præcipuaque in earum institutione partes B. Petro, ejusque Successoribus adscribere par est, vel etiam omninò necessarium, saltem quantum ad eas Regiones, in quibus soli Ecclesias fundarunt. Verùm quia Episcopatus Christum habet autorem, contendunt aliqui jurisdictionem Episcopalem, non solùm in communi, sed etiam Episcopi uniuscujusque, à Deo esse immediatè.

2. Abstinuissemus ab hujus quæstionis tractatione, non solùm

solùm propter ejus difficultatem ; sed etiam , quia cùm sacrum hunc Ordinem maximè veneremur, & venerandum omnibus cupiamus , displicent nobis , quæcumque veneratione illam possunt quavis occasione imminuere ; nisi animadvertissemus illustrissimos Episcopos Parisiis congregatos suam in Deum jurisdictionem referre tum maximè conatos, cùm justis Summi Pontificis Decretis repugnabant , quasi ab ea censura tuti videri vellent , autoritatem nimirùm suam non à sancta Sede , sed à Christo habentes , cui nequeat Summus Pontifex derogare ; imò nec modum ponere , nisi certo ordine ac cum certis formulis , quas ipsimet , quorum interest , impediant.

3. Potestatem jurisdictionis , absolutè , ac in se consideratam à Christo ipso fuisse institutam testantur hæc Evangelii verba : *Amen dico vobis , quæcumque alligaveritis super terram , erunt ligata & in Cœlo : & quæcumque solveritis super terram , erunt soluta & in Cœlo. Matt.* 18. *vers.* 18. Quamobrem etiam Præsbyteri ex Episcoporum commissione confessiones audientes, dum quempiam absolvunt , ex præscripta in Rituali forma , se id autoritate Christi præstare declarant. *Dominus noster Jesus Christus te absolvat , & ego autoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis , &c.* Equidem quis potest peccata dimittere , nisi solus Deus ? Quis nisi solus Deus potest illorum dimittendorum facultatem tribuere ? Concil. Trid. sess. 23. de ref. expressè declarat quòd *Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiunt.*

4. Sed quantùm ad propagationem , seu communicationem jurisdictionis, prout ab ordine distinguitur , si , ut communiter explicatur , nihil aliud sit , quàm assignatio , & subjectio subditorum , in quos exerceatur à Christo instituta regendi populi autoritas , non videtur posse cujusvis Episcopi jurisdictio ad Christum immediatè referri. Quod enim hi , vel illi fideles ad hanc Diœcesim pertineant , ex institutione Divina non provênit. Christus Ecclesiam suam in Patriarchatus , Provincias , Diœceses , aut Parochias non distribuit. Facta est ergo hæc subditorum assignatio ab Apostolis , præsertim à B. Petro , vel ab ejus Successoribus , quando Episcopis quos mittebant , certam aliquam Parochiam , Provinciam , vel Diœcesim regendam assignarunt , eaque assignatio ad Episcoporum

rum sic missorum successores transiit, ut scilicet eam Provinciam, vel Diœcesim, non aliam, subditam haberent. Quod quid aliud est, quàm jurisdictionem accipere, in eo sensu, quem suprà diximus? Hæc enim Parochiarum, vel Provinciarum distinctio, non ad solam politiam externam pertinet, sed ut valeant, quæ ab Episcopis constituuntur ordinationes aut censuræ, & quæ conceduntur dispensationes, absolutiones, & alia hujusmodi, quæ nullius essent momenti, si ab Episcopis præstarentur extra propriam Parochiam, ac erga sibi non subditos.

5. Itaque dum à summo Pontifice uniuntur Episcopatus, confertur jurisdictio Episcopo; quandoquidem ei subjiciuntur fideles, in quos potest post unionem, cùm antea non posset, munia Episcopalia exercere; cùm autem dividuntur Episcopatus, subtrahuntur Episcopo subditi, in quos jam non poterit, cùm posset anteà, jurisdictione uti. Sicut ergo institutis jam Episcopatibus Papa unione, vel divisione jurisdictionem Episcoporum auget, vel minuit; ita dum Episcopatus primò constituit, jurisdictionem primis Episcopis contulit: Qui autem Episcopatum deinde adepti sunt, vel à Romano Pontifice promoti sunt, atque ita jurisdictionem ab eo immediatè receperunt: vel ab iis constituti sunt, quibus summus Pontifex hanc concesserat facultatem, atque adeo per summi Pontificis autoritatem.

6. Indubitatum est post Concilium Tridentinum, posse summum Pontificem certorum casuum absolutionem sibi reservare: ita ut, si post illam reservationem Episcopi absolvere tentarent, etiam proprios Diœcesanos, nihil efficerent: Potest, factâ reservatione Episcopo facultatem impertiri ab illis casibus absolvendi. Non posset autem summus Pontifex in hujusmodi casibus jurisdictionem Episcopis adimere, vel concedere, si eam à jure Divino haberent; non posset fideles subditos, non subditos, quantum ad casus reservatos efficere, si Deus ipse subdidisset.

7. Potest etiam summus Pontifex, dum justa intercedit causa, jurisdictionem Episcopis auferre, eos deponendo; immò potest, licet non debeat, etiam sine causa jurisdictionem restituere, illos in pristinum statum reponendo. Pendet ergo illo-

illorum Jurisdictio à summo Pontifice. Ideò licet Eucharistiam validè conficiant, quantumvis justè à Pontifice prohibiti, & quantumvis conficientes peccent; solvere tamen, vel ligare in neutro foro possunt, justè vetante summo Pontifice, quia scilicet primum est de jure Divino, secundum, quantùm ad materiam, in quam exercendum est, à summo Pontifice derivatum.

8. Nec dicas datam esse summo Pontifici totius Ecclesiæ curam, ita ut possit secundum rectam rationem, & præscriptum sacrorum Canonum, Episcopos corrigere, sibi casus reservare, Episcopatus unire, vel dividere; hinc tamen non rectè inferri jurisdictionem, quam Papa demit, antea dedisse: sicut enim potest Judex per suam sententiam vitam auferre, quam non dederat: ita & Pontifex Episcopalem jurisdictionem, quam non communicaverit, tollere potest, in pœnam criminis. Sed maxima disparitas est. Possunt enim Judices vitam auferre tantum, non ablatam reddere, quia nec dare poterant. Papa verò ut jam diximus, jurisdictionem tollit, & sublatam reddit; quod datam ab eo fuisse arguit.

9. Respondebis, Papam quidem posse justâ de causa Episcopos jurisdictione spoliare, non autem sine causa; quod signum est illam à Deo, non autem à Pontifice, saltem absolutè, pendere. Si enim Episcopus injustè deponatur, validè suâ jurisdictione uti poterit, etiam invito summo Pontifice. Sed ex eo argumento istud tantùm efficitur, summum Pontificem non adeo esse liberum, ad tollendam jurisdictionem, ubi eam largitus est, ut ad retinendam, antequam impertitus fuerit, quod nemini mirum videri debet; cùm etiam in regimine politico judices quidem delegati revocentur ad nutum; ordinarii autem, non sine causa, ut sæpe præjudicatum esse legimus in Senatus-Consultorum collectoribus, adversus Dominos temporales; imò etiam aliquandò adversus Episcopos, aut alios Superiores Ecclesiasticos.

10. Gallicani Præsules litteras, quibus Beneficia Parochialia conferunt, eâ formâ conficiunt, quâ Theologorum Parisiensium opinioni, jurisdictionem Parochorum de jure

Divino esse asserentium, non assentiri se significant, sed potius se jurisdictionem Parochis tribuere, dum Parochiam conferunt; ejus tamen sine causa revocandæ facultatem omninò non habent. Uterentur enim non rarò. Reponent fortassis id ita ab Ecclesia statutum esse, ac ob defectus similis statuti se reliquis Presbyteris Beneficium non obtinentibus liberrimè jurisdictionem vel negare vel annuere, vel auferre, vel prorogare: sed si à Deo provenit, quod Episcopi jurisdictionem Parochis impertiant, quomodo ab Ecclesia coarctari potest hæc eorum facultas? Porrò non minus ab Episcopo conferri videtur jurisdictio Sacerdoti, dum ad vitam, quàm dum ad tempus tantùm conceditur, licet in primo casu difficiliùs revocetur.

11. Plurimùm desudavit Illustrissimus Petrus de Marca lib. 1. cap. 7. & alibi in restringendis ordinationibus Metropolitanorum & Episcoporum à Romano Pontifice conferendorum intra Regiones suburbicarias, volens scilicet juxta Ruffini, & interpretis Dionysio antiquioris verba, Canonem 6. Concilii Nicæni comparationem inter Patriarchas Alexandrinum, & Romanum, ita instituisse, ut Alexandrinus in toto suo Patriarchatu eamdem obtineret potestatem, quam Romanus, non in toto Occidente, sed in solis Ecclesiis suburbicariis, in quibus & ordinationes Episcoporum faciebat, & congregationes Synodorum; quo discrimine videtur insinuare majorem esse summi Pontificis, etiam tanquam Patriarchæ Occidentis, autoritatem in suburbicarias quàm in reliquas Occidentis Ecclesias. Unde posset fortasse aliquis suspicari Episcoporum suburbicariorum jurisdictionem à Patriarcha Romano, à quo ordinantur, pendere; non autem aliorum v. g. Gallicanorum.

12. Sed impossibile est, quantumcumque se torqueat Marca, & quamcumque amplectatur Regionum suburbicariarum acceptionem, cùm eas de toto Occidente nolit intelligere, ut possit aliquam Imperii divisionem assignare, in qua suburbicariæ regiones exactè Ecclesias omnes complectantur, quarum Episcopos Romanus Pontifex ordinabat. Res est evidens, si Regiones suburbicariæ juxta magis propriam acceptionem intra centenarium ab urbe milliarium concludantur, idque fateri

fateri videtur ipſe Marca num. 6. cùm locis ſuburbicariis etiam totam Metropolim Romanam non comprehendi agnoſcit. *Per loca ſuburbicaria*, inquit, *Regiones illas quatuor intellexit, quæ aliquot Civitatibus adjectis integram Metropolim Romanam è 69. Epiſcopatibus conflatam conſtituunt.* Sed quid de Eccleſiis Mediolanenſi, & Aquileinſi dicet, ac de toto Illyrico ?

13. Veram diſcriminis in Epiſcoporum Occidentalium ordinatione rationem jam aſſignavimus, quod nimirùm Gallia, & aliæ Patriarchatûs Occidentalis Provinciæ ita erant Româ remotæ, ut ordinandi Epiſcopi commodè illuc accedere non poſſent, nec tam erant alteri Patriarchæ vicinæ, ut uſurpationis eſſet periculum : quare permiſſa eſt Metropolitanis Epiſcoporum, & Epiſcopis Metropolitanorum ordinatio, vel Metropolitanis vicinis invicem. Cum enim Patriarcharum jure contineantur Epiſcoporum ordinationes, ut probat ipſemet Marca eodem cap. 7. num. 1. & 2. cur Patriarcha Romanus eâ facultate ſolus careret in maxima ſui Patriarchatûs parte, qui & cæteris Patriarchis Dignitate Patriarchali æqualis eſt, & univerſali Primatu illis ſuperior. Equidem Venerabilis Beda in hiſt. Eccleſ. gentis Anglorum lib. 3. cap. 29. & alibi tradit Epiſcopos Anglicanos Romæ ordinari ſolitos : libro autem 2. cap. 18. permiſſam ſeu renovatam ab Honorio I. Epiſcopis Dorovernenſi & Eboracenſi ordinationem Epiſcopi in locum præmortui. *Vice B. Petri Apoſtolorum Principis*, inquit Honorius epiſt. 6. à Beda relatâ, *autoritatem tribuimus, ut quando unum ex vobis divina ad ſe juſſerit gratia vocari, is, qui ſuperſtes fuerit, alterum in loco defuncti debeat Epiſcopum ordinare. Cauſam quam diximus affert, quia ut & vobis concederemus, longa terrarum maris̃q; intervalla, quæ inter nos ac vos obſiſtunt, ad hæc nos condeſcendere coegerunt; ut nulla poſſit Eccleſiarum veſtrarum jactura per cujuslibet occaſionis obtentum pervenire.*

14. Quid quod in aliis Patriarchatibus habenda erat etiam ratio diſtantiæ locorum, pro quibus ordinandi erant Paſtores, ut docet S. Innocentius I. epiſt. 18. quæ eſt ad Alexandrum Antiochenum. *Itaque*, inquit, *arbitramur frater chariſsime, ut ſicut Metropolitanos autoritate ordinas ſingulari, ſic & cæteros non ſine permiſſu, conſcientiaq; tua ſinas Epiſcopos procreari. In quibus hunc modum rectè ſervabis, ut longè poſitos litteris datis, ordinari cenſeas ab his, qui nunc eos*

suo tantum ordinant arbitratu: vicinos autem, si estimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas pervenire.

15. Prætereà si juxta regulam à Marca propositam, & plurimum commendatam; *qui pertinet ad Synodum pertinet ad consecrationem.* Nonne summi Pontifices Gallicanos Episcopos ad Concilium Romam evocarunt, aliquando cum Italiæ tantùm, aliquando cum aliarum Provinciarum Præsulibus? Id de S. Damaso testatur his verbis Theodoretus, Ecclesiasticæ Historiæ lib. 2. cap. 22. *Fuit autem scriptionis princeps Damasus, vir variis virtutum generibus ornatus, qui post Liberium Præsulatum Romanæ Ecclesiæ sortitus esset. Cum hoc faciebant ergò Episcopi Italiæ, & Galatiæ, quæ nunc Gallia appellatur, congregati Romæ, quorum, & ipsorum nomina exponere nimis longum arbitratus sum.*

16. Epistolæ Synodicæ Agathonis Papæ & Romanæ Synodi 125. Episcoporum, quæ fuit velut instructio Legatorum, qui missi sunt ad Synodum sextam celebrandam, superscriptio erat ista: *Piissimis, &c. Agatho Episcopus servus servorum Dei, cum universis Episcopis subjacentibus Concilio Apostolicæ Sedis.* Ei autem subscripserunt inter alios Adeodatus Episcopus Ecclesiæ Leucorum, Felix Episcopus Arelatensis, & Taurinus Diaconus Ecclesiæ Telonensis Legati Synodi per Galliarum Provincias constitutæ.

17. Sicut autem propter locorum distantiam non ita frequenter vocati sunt Episcopi Gallicani ad Concilium Romanum, ita eâdem de causa illorum ordinationem sibi non reservavit Pontifex Romanus.

CAPUT IX.

Confirmatur Jurisdictionem Episcoporum à Summo Pontifice pendere.

1. EPiscopalem Ordinem sine titulo, id est sine assignata plebe, quæ regenda sit, atque adeo sine jurisdictione conferri validè posse, quamvis non expediat, docet Joannes Gersonius tractatu de statibus Ecclesiasticis considerat. 8. de statu Prælatorum. *Status Episcopalis*, inquit, *licet esse possit in aliqua sine*

sine plebe, & sine usu, vel exercitio, hoc fieri non convenit, quia vanum & monstruosum in Ecclesia videretur; quoniam frustra est potestas, cui non subest operatio. Ubi notanda est distinctio inter *non habere plebem, & non habere usum, vel exercitium*; Ne quis verba Gersonii accipiat de Episcopis, quos Titulares vocant, qui, licet usu & exercitio suæ jurisdictionis careant, tamen sine plebe propriè non sunt. Ordinantur enim ad aliquam Ecclesiam in partibus infidelium existentem: nec eorum ordinatio monstruosa censeri debet; tùm quòd possint Infideles illi ad fidem converti etiam ipsorum Episcoporum prædicatione, tùm quod interim illorum Episcoporum opera necessaria sit Episcopis in partibus fidelium alicui Diœcesi præpositis, cui regendæ propter senium, infirmam valetudinem, aliamve causam impares sunt.

2. Pater Christianus Lupus in Canonem 6. Concilii Chalcedonensis id non solum fieri validè posse, sed factum fuisse aliquando colligit ex Sozomeno. Sic autem scribit Hermias Sozomenus Hist. Eccles. lib. 6. cap 34. *Adde his Barsen, & Eulogium, qui ambo post creabantur Episcopi non Urbis alicujus, sed honoris causa, qui veluti vitæ piè anteactæ compensatio in propriis Monasteriis, illis deserebatur, ad quem modum Lazarus quoque, de quo suprà diximus Episcopus fuit.* Idem refert iisdemque ferè verbis Nicephorus Callistus lib. 11. cap. 40. *Extitere præterea Barses, & Eulogius, qui ambo post longum Monastici exercitii certamen Episcopi sum facti, non in Urbe aliqua, sed honoris gratia in Monasteriis suis Episcopalem consecuti sunt consecrationem: ita ut rectè aliquis Dignitatem eam tanquam præmium, seu remunerationem philosophandi instituto eos accepisse dicat; sicuti & Lazarus de quo paulò ante post S. Heliodorum mentionem fecimus.*

3. Non deerit fortasse, qui Barsen, Eulogium, & Lazarum arbitretur propria Monasteria pro Diœcesibus habuisse; sed non constat Monasteria illa Episcoporum, in quorum erant territorio, jurisdictioni fuisse subtracta, nec patiebantur Canones duos Episcopos eisdem locis, & personis præesse. Verùm quidquid sit de facto, quod ab Ecclesiæ praxi ordinaria abhorrent: non video cur si non licitè, saltem validè possint Episcopi, quemadmodum & Sacerdotes sine plebe ordinari. Quamvis enim major sit illorum, quàm istorum dignitas, & potior autoritas, non tamen ita diversus ordo, ut istis possit, illis non possit imprimi character, & conferri

Spiritus Sanctus cum potestate remittendi, & retinendi peccata, nullis assignatis subditis. Eo autem casu certum est jurisdictionem ab eo conferendam, qui eos ad regendam aliquam plebem mitteret, siquidem jurisdictio nihil aliud est quàm subditorum assignatio.

4. Summus quidem Pontifex, cùm toti Ecclesiæ præfici non possit, nisi ab eo, qui totâ Ecclesiâ major est, jurisdictionem suam consequitur ex vi institutionis Divinæ, & à Deo immediatè ante omnem confirmationem, & coronationem, statim atque designatus est per electionem eorum, ad quos pertinet jus eligendi. At verò cùm particularium Ecclesiarum regimen à superioribus Ecclesiasticis, præsertim à summo, conferri possit, non est cur pro illa collatione ad Deum immediatè recurratur.

5. At, inquit Pater Thomassinus, cùm Episcopi seu Reges sint ad administrandum spirituale Regnum destinati, perinde absurdum videtur, si Episcopus sine plebe ordinetur ac si constituatur Rex sine Regno, & sine subditis; hoc est sicut Rex non est qui Regno caret; ità nec Episcopus, qui nulli Parochiæ præficitur. Verùm præterquam quod Reges licet Regno renuncient, Regalem quandam dignitatem retinent: & Episcopi quamvis propriam Diœcesim abdicent, Episcopalem characterem non exuunt. Presbyterorum etiam est Regale Sacerdotium: nec illis frustra dicitur ab Episcopo. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittentur eis, &c.* & tamen jurisdictionem ordinatione non obtinent, sed eam postmodum, vel cum titulo, vel per simplicem commissionem accipiunt.

6. Objicitur præterea exemplum Episcoporum vagorum. Concilium enim Vermerienſe anno 752. can. 14. decrevit, *ut ab Episcopis ambulantibus per Patrias ordinatio Presbyterorum non fiat; si autem boni sunt illi Presbyteri, iterum consecrentur:* quibus verbis illas ordinationes non solum illicitas, sed etiam nullas esse significat: quandoquidem eas iterari mandat, seu ordines conferri, quasi nunquam antea verè collatos: quia nimirùm Episcopi sine plebe non reputabantur veri Episcopi. Verùm triennio post immutatum, vel saltem temperatum est hoc decretum. Sic enim statuit Concilium Vernense anno 755. can.

can. 13. *De Episcopis vagantibus* (sive vacantibus) *qui Parochias non habent, nec scimus ordinationem eorum, qualiter fuit, placuit juxta instituta sanctorum Patrum, ut in alterius Parochia ministrare, nec ullam ordinationem facere debeant, sine jussione Episcopi, cujus Parochia est. Et si hoc facere præsumpserint, ab officio suspendantur, interim quod ad Synodum exinde venerint, & ibidem secundum canonicam institutionem accipiant sententiam; nisi tantùm pro itineris causa. Et si ullus Clericus, aut Laicus talem Episcopum, aut Presbyterum defensaverit sine commeatu Episcopi, cujus Parochia est, excommunicetur usque ad emendationem.*

7. Continet Canon iste Vernensis causam Vermerienſis. Dubitabatur enim an Episcopi *ambulantes per Patrias*, seu vagantes revera ordinati fuissent. Ratio dubitandi erat, quia *Parochias non habebant*, & ab Ecclesiæ usu alienum erat, ut Episcopi ordinarentur, nisi ad certam plebem. Quamobrem majoris securitatis causâ præcepit Concilium Vermerienſe, ut ordinationes ab ipsis factæ, tanquam nullæ haberentur, & si personæ idoneæ judicarentur, ab Episcopis, de quibus nulla esset dubitatio, manuum impositionem acciperent. Sed quia poterant Episcopi illi vagantes, & plebem non habentes, fuisse revera ordinati, æquius censuit Concilium Vernense, ut usque dum in Synodo rationem pro se reddidissent, judicium de ordinationibus ab ipsis factis differretur.

8. Eas nullas esse judicavit Concilium Cabilonense secundum anno 813. can. 43. dum ait; *Sunt in quibusdam locis Scoti, qui se dicunt Episcopos esse, & multos negligentes, absque licentia Dominorum suorum, sive Magistrorum, Presbyteros, & Diaconos ordinant: quorum ordinationem, quia plerumque in simoniam incidit & multis erroribus subjacet, modis omnibus irritam fieri debere omnes uno consensu decrevimus.* Sed præterquam quod similibus verbis aliquando exprimitur suspensio ab executione Ordinum verè receptorum, ordinationes à Scotis, factæ dicuntur *multis erroribus subjacere.* Accedit quod ignorabatur etiam de illis Scotis, an re vera manuum impositione consecrati fuissent, ut triennio post Concilium Cabilonense, affirmavit Concilium apud Celichyt an. 816. can. 5. cujus hæc verba sunt. *Quinto Interdictum est: ut nullus permittatur de genere Scotorum in alicujus Diœcesi Sacrum sibi ministerium usurpare, neque ei consentire liceat ex sacro Ordine aliquid attingere, vel ab eis acci-*

accipere in baptismo, aut in celebratione Missarum, vel etiam Eucharistiam populo præbere, quia incertum est nobis unde, & an ab aliquo ordinentur.

9. Non urget magis quod à Chorepiscopis ducitur argumentum. Verum enim quidem est Carolum Magnum, post sententiam Leonis III. & Episcoporum Gallicanorum, ordinationes illorum ceu nullas habuisse præcipuè ex duplici capite. *Nam Episcopi non erant*, inquit Capitul. lib. 7. cap. 187. *quia nec ad quamdam Civitatis Episcopalem sedem titulati erant, nec canonicè à tribus Episcopis ordinati.* Ingens est controversia, utrum Chorepiscopi Episcopalem ordinem, seu manuum impositionem ad ordinem Episcopalem acceperint, affirmantibus aliis, aliis negantibus, aliis observantibus Chorepiscopos non fuisse omnes eodem modo ac ritu constitutos, sed alios Episcopali charactere fuisse insignitos, alios verò nequaquam. Verba Caroli Magni videntur illis favere, qui negant, illo saltem tempore Chorepiscopis manus, sicut Episcopis, impositas. Istis enim nonnisi à tribus imponuntur, ac cum deputatione ad certæ Civitatis Ecclesiam. Quis autem credat contra utrumque illud caput, tantopere à Canonibus commendatum, communiter ab Episcopis Chorepiscoporum ordinatoribus fore peccandum, si Episcopalem ordinationem facere intendissent.

10. Sed quidquid sit de Chorepiscoporum ordine, nihil refert ad quæstionem, quam modò præ manibus habemus. Certissimum enim est Chorepiscopos ad certam plebem regendam constitutos fuisse. Nam, ut vel ipsum nomen innuit, erant Episcopi pagorum, seu vicorum: idest pro Episcopis extra Urbem, plebi præpositi, ibique ferè omnia munia Episcopalia obeuntes, quamvis sub Episcopo Civitatis. Nihil autem refert utrum plebs, cui aliquis præficitur, sit numerosa, vel non; in Civitate, vel in pago, ut sit titulus sufficiens ad ordinationem. Licet enim vetuerint Canones Episcopos nisi in Civitatibus ordinare; ordinationem tamen ex hoc capite nullam esse non objicitur. Difficultas autem modò est; utrum defectus tituli irritam reddat Episcopi ordinationem? At illa in Chorepiscopis locum non habebat, ut diximus, quia territorium habebant, licet Episco-

po

po Civitatis subjectum. Nihil enim obest eamdem plebem pluribus Pastoribus subordinatis subesse.

11. Episcoporum autoritatem à summo Pontifice proficisci aliqui adhuc probant exemplo Moysis, & 70. virorum, quos ipse sibi tanquam adjutores in regendo populo Judaico adjunxit num. 10. Ut enim, inquiunt, 70. virorum autoritas à Moyse pendebat, à quo Dominus de spiritu, quem ei dederat, abstulit, & in eos contulit, non imminuto tamen Moysis spiritu (alioquin enim non tam fuisset adjutus, & sublevatus, quam debilitatus) ita Episcoporum autoritas est participatio quædam potestatis summi Pontificis, ad quam velut fontem & originem refundenda est.

12. Præterea Ecclesia est status Monarchicus, cujus Monarcha summus Pontifex eâdem pollet autoritate in omnes, & populos Christianos, & populorum Judices, & Rectores, quâ Imperator, aut Rex in omnes Principes, Provinciarum Gubernatores, Prætores, alioscque Præfectos. Atqui certum est, & apud Jurisconsultos indubitatum, jurisdictionem omnem à Rege, tanquam ab origine derivari, & in cæteros omnes emanare. Quid ni de summo Pontifice idem sentiatur, ut sit ipse fons jurisdictionis Ecclesiasticæ?

13. Accedit quod autoritas Episcoporum si à Christo immediatè oriretur, æqualis foret in omnibus. Maxima autem in ea inæqualitas observatur; cùm alii pluribus, alii paucioribus præsint, quam inæqualitatem quis alius constituit, quàm is, qui Parochias instituit, eisque præfecit Episcopos, B. Petrus, ejusque Successores in omnibus saltem illis Provinciis, quas hodie complectitur Ecclesia.

CAPUT X.

Rursus confirmatur Jurisdictionem Episcoporum esse immediatè à summo Pontifice.

1. A Postolos omnes jurisdictionem suam à Christo immediatè habuisse probatur ex eo, quod ab ipso missi sint; *sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos.* Joan. 20. vers. 21.

Euntes ergo docete omnes gentes Matt. ultimo verſ. 19. Ergo è contra Epiſcopi, qui à Chriſto immediatè miſſi non ſunt, juriſdictionem ab ipſo immediatè non acceperunt. Sicut enim committens Commiſſario, ita mittens miſſo confert autoritatem. Quamobrem qui ab Apoſtolis mittebantur, modò unius Provinciæ, modò Regni integri curam aſſumebant. Aliquando alios Epiſcopos, vel plures, vel pauciores, aliquando nullos conſtituere poterant. Aliquando ad certum opus, aliquando ad integrum & perpetuum regimen deputabantur, prout Apoſtolis attentâ Eccleſiæ neceſſitate vel utilitate videbatur.

2. Qui ab Apoſtolis miſſi fuerant acceptæ poteſtatis participes alios efficiebant, juxta præſcriptam ſibi ab Apoſtolis menſuram, quam excedere non potuiſſent. Sive autem quis ad certum opus per aliquod tempus deſtinaretur, ſive Paſtor ordinarius ſtatueretur, juriſdictionem habebat ab Apoſtolis: quemadmodum Epiſcopus Presbyterum alicui ſuæ Diœceſis parti præponens, ſive Vicarium perpetuum eum conſtituat, ſive ad nutum revocabilem, juriſdictionem ei tribuit.

3. Quin etiam Apoſtolis adſcribenda erat juriſdictio Epiſcoporum, quos non ipſi, ſed ex ipſorum conceſſione alii ordinabant. Sive enim defuncto Epiſcopo alium ipſi Apoſtoli ſubſtituerent, ſive ſubſtituendi facultatem vicinioribus Epiſcopis aut Metropoleos Antiſtiti præberent, prout exigebat locorum vel propinquitas, vel diſtantia, Apoſtolicâ id fiebat autoritate. Nec ſibi Chriſtus reſervaverat Epiſcoporum in ſingulis Diœceſibus, aut Provinciis conſtitutionem, ſed regimen, & politiam Eccleſiaſticam Apoſtolis commiſerat; *conſtituens eos Principes ſuper omnem terram*, cum poteſtate creandorum officialium, & aſſignandæ cuique ſuæ Provinciæ: paucis quibuſdam fortaſſis exceptis, quos ipſemet Spiritus ſanctus elegiſſe videtur, ut S. Paulum & S. Barnabam de quibus legimus in actis Apoſtolorum cap. 13. verſ. 2. *Miniſtrantibus autem illis* (ſcilicet Apoſtolis) *Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus ſanctus: ſegregate mihi Saulum & Barnabam, in opus, ad quod aſſumpſi eos.* Et verſ. 4. *Et ipſi quidem miſſi à Spiritu ſancto abierunt Seleuciam, &c.* Sed de hac electione in capite ſequenti.

4. Quam-

4. Quamvis autem Apostolis amplissima sit potestas à Christo collata, universæ tamen Ecclesiæ Pastor constitutus est Petrus; ipse positus est domus Dei fundamentum: ipsi traditæ sunt claves; ipsi commissæ sunt oves modo singulari. Quamobrem ad ipsum præcipuè referenda est jurisdictio aliorum Prælatorum, ut docet S. Thomas in hæc verba Psalmi 41. *Constitues eos Principes super omnem terram.* Affirmat enim quod *alii Prælati constituuntur per summum Pontificem Hebræorum. §. Nemo assumat sibi honorem.* Moxque causam insinuat his verbis; *Petrus obtinuit principatum universalem Ecclesiæ. Joann. 21. Pasce oves meas.* Imò ab ipso solo vel ab ejus successoribus missi sunt Episcopi in illas Provincias, quibus hodie præcipuè constat Ecclesia, quod jam sæpè monuimus; *Præsertim*, inquit S. Innocentius epist. 1. quæ est ad Decentium Episcopum Eugubinum, *cùm sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, ac Siciliam Insulasque intersacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos* QVOS VENERABILIS APOSTOLVS PETRVS; AVT EIVS SVCCESSORES CONSTITVERINT SACERDOTES. Ostendimus suprà B. Petrum Ecclesiis Patriarchalibus Dignitatem contulisse: ac probari posset alias, quæ post ipsas majori autoritate præditæ fuerunt, primos à Beatissimo illo Apostolo Episcopos accepisse, ut de Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia indicat prima ejus Epistola cap. 1. & cap. 5. De Constantinopoli, S. Agapetus epist. ad Petrum Hierosolymitanum in Concil. Const. sub Mena act. prima; de aliis, alii.

5. Certè qui olim in suis Parochiis, seu Provinciis, aut Diœcesibus, vel etiam in locis circumvicinis, novas cathedras Episcopales eligebant, jurisdictionem se novis Episcopis conferre arbitrabantur, cum ejus aliquam partem, & aliquod signum retinerent, puta futurorum quoque Prælatorum ordinationem, confirmationem, convocationem ad Synodum, correctionem & similia; unde Primatûm jus ortum aliqui arbitrati sunt, reservatâ Ecclesiæ Matrici in suas filias autoritate. Potiori ergo ratione Petro, Petrique successoribus tribuenda est jurisdictio Episcoporum Ecclesiis ab ipsis fundatis præficiendorum. Quamobrem à SS. Doctoribus, & à Theologis Episcoporum jurisdictio à B. Petro dicitur orta. Quod non tantum de ordinis communis, sed etiam de

causalitatis, ut in scholis loquuntur, prioritate, intelligendum significant eorum verba.

6. Sanctus Optatus Episcopus Milevitanus lib. 7. contra Parmenianum; *Bono unitatis*, inquit, *B. Petrus (cui satis erat, si postquam negavit, solam veniam consequeretur)* & PRÆFERRI OMNIBVS APOSTOLIS MERVIT, ET CLAVES REGNI CÆLORVM COMMVNICANDAS CÆTERIS SOLVS ACCEPIT. Non ergo PRÆFERRI OMNIBVS APOSTOLIS MERVIT solius honoris ordine: sed ET CLAVES REGNI CÆLORVM SOLVS ACCEPIT. Si solus; non ergo alii cum eo, saltem eodem prorsus modo. Imò ex his verbis, COMMVNICANDAS CÆTERIS, inferunt aliqui Petrum ipsum immediatè cæteris etiam Apostolis claves, seu jurisdictionem communicasse. Sed cùm S. Optatus non exprimat à quo facienda esset communicatio, præstat ejus verba cum distributione accomoda interpetrari, ut Apostolis quidem Christus, aliis autem Prælatis Petrus, vel cum Petri consensu, reliqui Apostoli communicaverint.

7. Sanctus Gregorius Nyssenus adversus eos, qui castigationes ægrè ferunt, id tradit de Episcopis his verbis; *Nihil falsi, aut mendacii scriptum est in Evangeliis, neque Christi prædictio exitum fallacem habet.* PER PETRVM *Episcopis dedit clavem cœlestium bonorum.* Non in Petro solùm, sed PER PETRVM *Episcopis.*

8. Sanctus Innocentius in epist. ad Concilium Carthaginense, quæ est 91. inter Epistolas S. Augustini, asserit, quod à B. Petro IPSE EPISCOPATVS ET TOTA AVTORITAS *nominis hujus emersit.* Et in epistola ad Concilium Milevitanum, quæ est 93. inter S. Augustini epistolas. *Præsertim*, inquit, *quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros, nonnisi ad Petrum, idest* SVI NOMINIS, ET HONORIS AVTOREM *referre debere.* Hæc verba, *autoritas*, & *autorem*, aliquid specialiùs, quàm prioritatem ordinis sine dubio designant.

9. Stephanus Episcopus Larissæ in Thessalia ad Bonifacium II. scribit apud Labbeum; *quia Domino dicente tertio. Amas me? Pasce oves meas, tradidit priùs vobis mandatum ostendens, &* PER VOS *deinde omnibus per universum Mundum sanctis Ecclesiis condonavit.*

10. Sanctus Leo Magnus eumdem sensum apertiùs declarasse videtur serm. 3. de assumptione sua his verbis; *Magnum &*

& mirabile, dilectissimi, huic viro (Petro) consortium potentiæ suæ tribuit Divina dignatio: & si quid cum eo commune cæteris voluit esse Principibus, nunquam NISI PER IPSVM *dedit, quidquid aliis non negavit.* Non poterant verba majoris energiæ adhiberi, quàm ista, *nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit.* Et alibi; *hujus muneris* (scilicet prædicationis veritatis) *Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, ut in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut* AB IPSO *quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.* Epist. 89. quæ est ad Episcopos Provinciæ Viennensis.

11. Joannes Episcopus Ravennas in epist. ad S. Greg. Mag. quæ habetur post epistolam 94. lib. 2. seu 55. indictionis 11. ejusdem Pontificis, sic se apud illum excusat; *Et quibus causis ego sanctissimæ illi Sedi,* QVÆ VNIVERSALI ECCLESIÆ IVRA SVA TRANSMITTIT, *præsumpserim obviare, propter cujus conservandam autoritatem, &c.*

12. Id ipsum docet expressiùs S. Thomas in 4. sententiarum dist. 19. quæst. 1. art. 3. quæstiunculâ 1. *Ad primum ergò*, inquit, *dicendum, quòd ad absolutionem requiritur duplex potestas, scilicet potestas ordinis, & potestas jurisdictionis. Prima quidem potestas est æqualiter in omnibus Sacerdotibus, non autem secunda. Et ideò ubi Dominus Joannis 20. dedit omnibus Apostolis communiter potestatem remittendi peccata, intelligitur de potestate, quæ consequitur ordinem. unde & Sacerdotibus quando ordinantur, illa verba dicuntur; sed Petro dedit singulariter potestatem remittendi peccata. Matt. 16. ut intelligatur, quod ipse* PRÆ ALIIS HABET POTESTATEM IVRISDICTIONIS. *Potestas autem ordinis quantum est de se, se extendit ad omnes absolvendos, & ideò indeterminatè Dominus dixit; Quorum remiseritis peccata, intelligens tamen, quod usus illius potestatis esse deberet præsuppositâ potestate Petro collatâ secundùm ipsius ordinationem.* Non ne ordinatio Petri pro usu potestatis remittendi peccata est collatio jurisdictionis? Id clariùs explicat S. Doctor lib. 4 contra gentiles cap. 76. *Petro soli promisit, tibi dabo claves Regni Cœlorum, ut ostenderetur potestas clavium* PER EVM AD ALIOS DERIVANDA *ad conservandam Ecclesiæ Unitatem.*

13. Non minus apertè eamdem doctrinam tradit S. Bonaventura opusc. Quare Fratres Minores prædicent & confessiones audiant; *Proprius*, inquit, *Sacerdos dicitur, cui quisque specialiter gubernandus est commissus ab Ecclesia vice Dei. Prætermissis*

igitur diversis distinctionibus , quatuor sunt cujusque plebis Parochialis proprii Sacerdotes. Primus & præcipuus est summus Pontifex , cui tota Ecclesiastici gregis cura singularissimè commissa est , ITA QVOD OMNES INFERIORES ECCLESIÆ RECTORES , CVRAM , ET TOTAM POTESTATEM QVAM HABENT SVPER SVBDITOS AB IPSO ACCIPIVNT MEDIATE', VEL IMMEDIATE'.

CAPUT XI.

Aliis Testimoniis eadem doctrina confirmatur.

1. QUàm communis sit hæc doctrina constaret, si quilibet Ordo religiosus, pro suo erga summum Pontificem studio instituti sui scriptorum , qui eam tradiderunt catenam conficeret ; si pari diligentiâ uterentur Universitatum Doctores. Nos aliquos dumtaxat referemus , qui vel studuerunt, vel docuerunt in Gallia.

2. Sed occurendum est exceptioni quam præsentio Gallos opposituros , scilicet suspectum esse hac in parte Regularium testimonium , eo quod ipsorum referat , ad tuenda contra Episcopos sua privilegia , Papæ quidem potestatem extollere , aliorum verò Prælatorum jurisdictionem deprimere. Hæc objectio aliquam præ se ferret veri speciem , nisi ex iis scriptoribus aliquorum conspicua vitæ sanctitas cum eximia doctrina conjuncta , ut S. Thomæ , ac S. Bonaventuræ superiori capite citatorum , aliorum nulli Ordini adscriptorum suffragium , aliquorum etiam Episcopali Dignitate insignitorum consensus , multitudo denique in illam sententiam conspirantium , illam ab autoritate certam efficerent.

3. Illam solidè adstruit Herveus Natalis Brito , Ordinis S. Dominici in tractatu *de potestate Papæ* , sub cujus initium ait ; *Quidam ignorantes potestatem Sedis Apostolicæ , vel contemnentes eandem, quærentes suam potestatem statuere & indebitè ampliare , nolunt recognoscere suam potestatem esse à Sede Apostolica , nec eam volunt recognoscere , sicut prædictâ potestate Sedis Apostolicæ stabilitam , dicentes potestatem Episcoporum & Curatorum æquè esse immediatè à Deo , sicut potestatem Sedis Apostolicæ , & potestatem prædictorum Episcoporum & Curatorum non esse à Papa , sed im-*

mediatè à Christo; Quòd ERRONEVM IVDICO, *ut infrà patebit. Ad hujus ergo erroris exclusionem videnda sunt quædam in generali de potestate Jurisdictionis.* Hervei doctrinam S. Antoninus, quamvis Archiepiscopus, suam facere non dubitavit parte 2. summæ Theologicæ tit. 22. cap. 3. cujus § quintum sic inchoat; *De plenitudine potestatis Papalis & Jurisdictionis erga alias potestates inferiores, ut Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & Parochiales Curatos. Ubi sciendum secundùm Herveum in dicto Tractatu, quòd omnis potestas Ecclesiastica alia à Papali subest ei quoad tria. Primò quantum ad correctionem abusus. Secundò* QVANTVM AD INSTITVTIONEM, ET COLLATIONEM IPSIVS POTESTATIS *inferioris. Tertiò ad subsidium adminiculativum, &c.* Vide si lubet ibi, & tit. 3. cap. 11. § 14.

4. Ut autem Scriptores Gallicanos prosequamur. Eandem sententiam amplexus est pluribus in locis veritatis magis quàm augendæ propriæ Dignitatis studiosus Egidius Columna, Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniæ Primas. Videri potest in lib. de renunciatione Papæ cap. 8. & alibi. Sed majoris ponderis est ejus suffragium in opere, in quo Jurisdictionis Episcopalis fundamenta firmiùs stabilire opere pretium erat; scilicet ubi exemptiones impugnat, vel potiùs earum abusus, nempe opusc. contra exemptos, in cujus cap 2. sic scribit; *Cùm Pontifices & Episcopi sint opera sapientiæ summi Pontificis, quia* PER EVM, VEL PER AVTORITATEM EIVS SVNT ASSVMPTI IN PARTEM SOLICITVDINIS, &c. Vide ibidem cap. 25.

5. Thomas ab Argentina Theologiam Parisiis professus circa annum 1445. dist. 25. quæst. 1. art. 2. *Cùm igitur, inquit, Jurisdictio spiritualis cujuslibet Sacerdotis dependeat à Summo Pontifice, apud quem solum residet Jurisdictionis plenitudo, tam in fieri, quam in conservari,* IPSE ENIM QVOTIDIE POTEST DARE ET AVFERRE HVIVSMODI JVRISDICTIONEM, *prout ad statum Ecclesiæ gubernandum ipse viderit expedire: ideo potestas excommunicandi, quæ precisè immititur Jurisdictioni, dependet à potestate Ecclesiæ, seu Summi Pontificis non solùm in fieri, verùm etiam in conservari, quia non dependet minus illud quod immititur, quàm dependeat illud, cui immititur. Et eâdem ratione potestas absolvendi in Foro pœnitentiæ, in quantum immititur jurisdictioni, dependet tam in fieri, quàm in conservari à potestate Ecclesiæ. Et hinc est quod subtractâ jurisdictione per sententiam Juris, vel Judicis à Prælato, vel Sacerdote, tunc non possunt excommuni-*

municare, nec pœnitentias salutares injungere, & si de facto attentant, irritum est, & inane quod faciunt; quia potestas, quâ hæc facere deberent, non est eis conservata, sed potiùs irritata ab eo, à QVO DEPENDET HVIVSMODI POTESTATIS CONSERVATIO.

6. Joannes à Celaia in tertium sent. dist. 25. quæst. 7. idem sentit, etiam de Apostolis, & explicat, probatque in hunc modum; *Quæritur septimò circa eamdem distinctionem, utrum à Romano Pontifice derivetur ad omnes alios Prælatos Ecclesiæ potestas jurisdictionis. Ad hanc difficultatem respondetur, affirmativè..... Jam probatur eadem responsio per rationes. Prima est talis. Cæteri Apostoli à Petro non habuerunt oves subditas immediatè à Christo: ergo non habuerunt immediatè potestatem jurisdictionis à Christo. Antecedens patet, quia soli Petro Salvator noster dedit oves Joann. ult. cap. & nulli alteri: ergò non habuerunt oves immediatè à Christo. Secunda ratio talis est: in omni principatu potestas jurisdictionis derivatur ad quamcumque personam à Monarcha talu Principatûs, teste D. Dyonisio, tam in lib. de Cælesti Hierarchia, quàm de Ecclesiastica Hierarchia. Sed Papa est Monarcha in Principatu Ecclesiastico, ut probatum est superius, ergo* AB IPSO DERIVATVR POTESTAS IN OMNES ALIOS PRÆLATOS ECCLESIÆ. *Tertia ratio talis est: teste eodem Dyonisio in libris allegatis, Ecclesia nostra militans ordinata est ad instar cælestis Hierarchiæ: sed in cælesti Hierarchia est unus Monarcha, scilicet Dominus Deus, à quo derivatur potestas in omnes alios: ergo ita erit in Ecclesiastica Hierarchia: & non est ponendus alius à Pontifice Romano.* Deinde solvit objectiones, sicque respondet; *Arguitur autoritate Divi Bernardi in lib. de consid. ad Eugenium Papam dicentis;* Erras, *si, ut summam, ita & solam institutam à Deo, æstimas tuam Apostolicam potestatem: ergo aliæ potestates à Papatu sunt institutæ à Deo, & per consequens potestates aliorum Prælatorum Ecclesiæ non derivantur à Romano Pontifice. Pro hujus argumenti solutione est advertendum, quod in quolibet Prælato Ecclesiæ possumus duo considerare, scilicet Dignitatem in se, & Dignitatem hujus personæ: Dignitas in se immediatè est instituta à Deo; Dignitas autem hujus personæ, ideſt quod ista persona habeat istam Dignitatem, sive potestatem Ecclesiasticam non est à Deo immediatè,* SED MEDIANTE ROMANO PONTIFICE, QVI VOLVIT ISTVM INSTITVERE IN EPISCOPVM, *vel Rectorem. Quamvis talis potestas sit mediatè à Deo juxta illud Pauli ad Romanos 13. Omnis potestas est à Deo; isto notato respondetur ad formam argumenti negando ultimam consequentiam. Nam licet Dignitas Episcopalis, sive Rectoralis sit instituta à Deo: non tamen est institutum à Deo immediatè, quod iste habeat Dignitatem Episcopalem vel Rectoralem, sed à Romano Pontifice.*

7. Mi-

7. Michael Maucler parte 2. de Monarchia lib. 4. cap 10. eamdem tradit doctrinam. Marcum Antonium de Dominis Episcopum Spalatensem contrariam amplexum, confutandum sibi in hoc etiam puncto duxit Nicolaus Coeffeteau Episcopus Massiliæ nominatus discussione quinti capitis lib. 2 Spalatensis.

8. Joannnes Puteanus Regius in Academia Tolosana Theologiæ Professor in secundam secundæ sancti Thomæ quæst. prima art. 6. dub. 3. in resp. ad primam objectionem, & ad instantias, jurisdictionem Episcoporum à Deo mediatè derivat, à summo Pontifice immediatè. *De lege namque communi Episcopi suam Dignitatem consequuntur à Deo per dependentiam à summo Pontifice, adeò ut potestas Episcopalis de jure communi pendeat intrinsecè & ex ordinatione Divina à potestate summi Pontificis..... Hæc autem est in Episcopis modo ordinario, atque adeò cum dependentia à summo Pontifice, penes quem est* LIMITARE IVRISDICTIONEM EPISCOPALEM, *ut definitum fuit multoties*, Et adhuc infrà; *Nihil accipit Pontifex Maximus ab Ecclesia, sed à solo Deo. Ecclesia autem illud omne, quod habet, à Pontifice maximo proximè, & immediatè mutuatur; remotè verò, & mediatè à Deo.*

9. In specimine juris Ecclesiastici apud Gallos recepti Joannis Doujat Antecessoris Parisiensis, extat *Tractatus Privilegiorum, quæ exemptiones dicuntur*, Autore Joanne Lomedè in Senatu Parisiensi Patrono, in cujus cap. 3. num. 12. supradicta doctrina traditur. *Episcopi (licet quod singulariter alloquendo Petrum, omnibus futuris Episcopis loqueretur) sunt à summo Pontifice tanquam Christi ministro & capite Ecclesiæ electi, assumpti & instituti, quorum summorum Pontificum est* DIVIDERE, ET VNIRE DIOECESES, *& imponere curam, &c.*

10. Numero autem 13. ait idem Lomedè; *Glossa Pragmaticæ sanctionis in capite licet in vers. reservationes, De electione. Tenet per cap. Puto. 2. quæst. 7. & cap. mandata. De præsumption. Episcopos in suis Diœcesibus Vicarios esse Papæ. Ideò Legatos & Delegatos suos esse majores ordinariis.*

11. Non ergo augendæ propriæ Dignitatis desiderio tribuendum est, quod recentiores Pontifices declararunt Episcoporum honorem & jurisdictionem à sancta Sede effluere. Ac si quis eorum testimonia recusat, quod in propria causa loquantur: Cur non rejicietur etiam Episcoporum contra-

rium sentientium autoritas, cùm non minùs proclives sint inferiores ad amovendum subjectionis jugum, quàm superiores ad amplificandam suam Dignitatem? Cur igitur major hac in parte fides debebitur Episcopis Gallicanis, quàm Sixto V. Papæ, cujus hæc sunt verba constit. 74. an. 1587. undecimo Kal. Febr. in institut. Congregationis pro consultationibus Episcoporum, & aliorum Prælatorum §. 1. *Quare ut ab Apostolica Sede, à qua tanquam à Matre honorem, &* IVRISDICTIONEM ACCEPERVNT, *sibi, cùm opus erit, auxilium, præsidiumq; paratum esse intelligant, ut greges suos tantò fructuosiùs pascant, quinque itidem Cardinales præponimus Episcoporum, & aliorum Prælatorum consultationibus audiendis.*

12. Nemo hactenus Bullas provisionis recusavit, eo quod in hac forma essent, quæ jurisdictionem Episcopo à summo Pontifice conferri significat; PROVIDEMVS ECCLESIÆ *N. de persona N. & præficimus eum in Patrem & Pastorem, ac Episcopum ejusdem Ecclesiæ, committentes ei administrationem in temporalibus, & spiritualibus.*

CAPUT XII.

Respondetur argumentis sententiæ, jurisdictionem Episcoporum ad Deum immediatè referentis.

11. CONtra doctrinam in superioribus capitibus traditam objici potest primò. Jus Divinum in Scripturis sacris vel in traditione habemus, & hinc mutuandæ sunt leges, secundùm quas controversiæ circa jus illud emergentes dirimendæ sunt. Itaque si Episcoporum autoritas à summi Pontificis voluntate penderet, id Christus aut verbo, aut facto expressè docuisset, aut saltem Apostoli ipsi; sicut cætera, quæ de jure Divino sunt, aut Scriptura ipsa exprimit, aut Apostoli usu, & traditione declararunt, vel saltem Apostolorum tempore, aliquo, si non evidentissimo, ad minus satis aperto specimine demonstrata sunt; at verò Scriptura sacra potiùs insinuat Episcoporum jurisdictionem à Deo esse immediatè. Dominus enim noster Jesus Christus Apostolos misit

miſit his verbis. *Euntes docete omnes gentes.* Miſſio autem complectitur autoritatem omnem ad ea peragenda, ad quæ quis mittitur. Porrò quemadmodum ſummus Pontifex B. Petro Apoſtolorum Principi ſuccedit, ejuſque poteſtati ad regendum Chriſti ovile; ita Epiſcopi cæteris Apoſtolis. Ergò quemadmodum Apoſtoli non à B. Petro miſſionem, & juriſdictionem, ſed à Chriſto ipſo acceperunt: ita Epiſcopi non à ſummo Pontifice, ſed à Chriſto. Verùm diſtinguenda eſt in Apoſtolis duplex Dignitas; Apoſtolica ſcilicet, & Epiſcopalis. Ad primam pertinebat, ut Evangelium prædicarent, & Eccleſias ubivis fundarent, atque ordinarent. Ad ſecundam ſpectabat, ut Eccleſiam aliquam tanquam Paſtores proprii, & ordinarii regerent, ibique munia Epiſcopalia obirent, ſicut S. Jacobus Jeroſolymitanæ præfuit Eccleſiæ, S. Joannes Epheſinæ, S. Petrus Antiochenæ, ac poſtmodum Romanæ. Succeſſerunt Epiſcopi Apoſtolis in Dignitate Epiſcopali, non autem in Apoſtolica; quia ſcilicet iſta non erat ordinaria, & ad ſucceſſores tranſmittenda, ſed extraordinaria, & tunc temporis neceſſaria, ut *in omnem terram exiret ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, ut jam ſupra notavimus. Solius Petri autoritas non ſolum tanquam Epiſcopi Romani, ſed etiam tanquam Eccleſiæ Capitis, & Chriſti Vicarii generalis ad ſuos ſucceſſores tranſiit, quia hoc ad regimen Eccleſiæ, quod ipſius fundator optimum, atque adeò Monarchicum ſtatuerat, erat neceſſarium. Cæterùm in regimine Monarchico ſupremus Princeps officia aliis etiam Principibus diſtribuit, ac juriſdictionem confert. Nec refert ſi dicas Chriſtum eſſe ſupremum Eccleſiæ Principem; nam ipſe quidem per ſe inviſibiliter Eccleſiam regit, ſed viſibilem adminiſtrationem, qualis eſt gubernatio populi fidelis, ad quam requiritur juriſdictio, viſibili ſuo in terris Vicario commiſit.

2. Objicitur ſecundò, quod diſperſi per orbem Apoſtoli Epiſcopos per Civitates non ſolum conſtituerunt ipſi, ſed & alios conſtituendi facultatem impertiverunt. Nam B. Paulus ſcribit ad Titum cap. 1. *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per Civitates Presbyteros, ſicut & ego conſtitui tibi*; ſub nomine autem Presbyterorum Epiſcopos intelligit; ſubjungit

enim paulò post prædicta verba ; *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, &c.* Atqui S. Paulus qui *non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem* constitutus fuerat *Apostolus*, ut ipsemet de se testatur epist. ad Gal. cap. 1. pro jurisdictione obtinenda, nec Titum, nec alios Episcopos, vel à se, vel ab illo ordinatos ad S. Petrum misit : unde conjicere licet ipsorum jurisdictionem à Christo immediatè fluxisse, & si cui homini adscribenda foret, videretur potius ad S. Paulum referenda. Nec ii soli, qui ab Apostolis facti sunt Episcopi, sed & qui ab istis, & rursus qui ab aliis, Episcopalia munia gesserunt non petitâ jurisdictione à B. Petro, vel ab ejus successoribus. Verùm præterquam quod Apostolica potestas in cæteris à Petro Apostolis erat extraordinaria, ut diximus, & non poterat ullus Episcopus creari, qui à supremo Ecclesiæ Pastore non penderet in regimine ovium Christi: quid mirum est si primis Ecclesiæ temporibus summi Pontifices in cavernis frequentissimè latitantes, quasi furtim, pauca tantùm Pastoralis officii munera exequi per se potuerint ; si totius terrarum orbis non ita specialem curam gesserint, atque illius curæ authentica monimenta ad nos usque non pervenerint. B. Petrus, antequam Apostoli varias in partes proficiscerentur, ac postmodum B. Petri successores alii expressè, alii tacitè consenserunt, ut Episcopi, quotquot ad populorum recens conversorum regimen essent necessarii, ordinarentur, & ad eam Ecclesiæ portionem destinarentur, cui satis esse possent. Verumtamen ut potestatis origo nunquam ignoraretur, summi Pontifices, quemadmodum supra observavimus, aliquod superioritatis signum in Patriarchas, Primates, sæpe etiam in Metropolitanos, à quibus inferiores Episcopi ordinabantur, sibi reservarunt ; puta pallii concessionem, aut ordinationem ipsam. Apostolos omnes ordinem Episcopalem, cujus effectus est alios posse ordinare, à B. Petro recepisse nonnulli sentiunt. De B. Paulo, cujus speciatim exemplum opponitur, S. Leo epist. 81. cap. 1. scribit, *quod cùm Apostoli Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritus sancti ad Evangelium gentibus mitterent prædicandum, jejunantes, & orantes imposuerunt eis manus.* Cùm autem B. Petrus Antiochiæ, ubi constat ex cap. 13. Act. Apostolorum, ordinatum fuisse B. Paulum, cathe-

cathedram collocasset, essetque specialis Episcopus illius Ecclesiæ, Pauli ordinatio B. Petro meritò adscribitur. Ita expressè pronuntiavit Arator Subdiaconus Ecclesiæ Romanæ an. 544. hist. Apostolicæ lib. 2.

Spiritus accensam verbo radiante lucernam,
Sub modio lucere vetans : secernite Saulum
Dixit in oris opus, quem mox sacravit euntem,
Impositâ Petrus ille manu, cui sermo Magistri
Omnia posse dedit .....

Itaque jam tum inter se consensisse B. illos Apostolos de ordinandis Ecclesiis verisimillimum est ; sicut postea dexteras sibi societatis dederunt, cùm unus Judæorum, alter gentilium, specialiorem curam suscepit. Cæterùm primis etiam sæculis B. Petri ejusque Successorum non solum consensu, sed etiam autoritate, præpositos Ecclesiis Pastores suadet sequentium temporum praxis, quibus summi Pontifices suam liberiùs exercuerunt autoritatem. Nam, ut suprà vidimus, Episcopos, & Archiepiscopos in Provinciis, in quibus vel non fuerant, vel defecerant, statuentes, ordinationis, ac regiminis regulas, & potestatis mensuram præscripserunt, ac juris sui signum aliquod sibi reservarunt.

3. Opponitur tertiò quod S. Paulus B. Timotheum ad Episcopalia munia ritè obeunda exhortans, solius impositionis manuum mentionem facit ; *Admoneo te*, inquit secundæ Timoth. 1. *ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum ..... Collabora Evangelio secundùm virtutem Dei, qui nos liberavit, & vocavit vocatione suâ sanctâ.* Non, ait, à me, sed, per impositionem manuum mearum ; quia licet ministerium Pontificum necessarium sit ad ordinationem & commissionem regiminis animarum : Non est tamen jurisdictionis causa. Sed quemadmodum in Baptismo, licet *Petrus baptizet*, ut inquit S. Augustinus, *hic* (Christus) *est qui baptizat : Paulus baptizet ; hic est qui baptizat, &c.* Ita in ordinatione manus ab Episcopis imponuntur, sed à Deo gratia infunditur, & potestas confertur. Verùm hæc S. Pauli verba de potestate ordinis, quæ per impositionem manuum confertur, patet esse intelligen-

da. Nec refert, quod subinde muniorum Episcopalium fit mentio, tùm quod utraque potestas eodem tempore conferretur, & qui ordinabatur, ad certæ plebis regimen jam destinaretur; tùm quod gratia, quæ per ordinationem confertur, ad exequenda ritè officia Episcopalia sit admodum necessaria; tum denique quia potestas jurisdictionis in plerisque supponit potestatem ordinis.

4. At, inquies, expressè declarat idem S. Apostolus *Spiritum Sanctum posuisse Episcopos regere Ecclesiam Dei*, quod ad jurisdictionem spectat, non ad ordinem. Sunt certè à Spiritu Sancto positi Episcopi ad regendam Ecclesiam Dei, quia confertur illis in ordinatione Spiritus Sanctus cum magna gratiarum copia, & characteris impressione, quibus apti fiunt ad Episcopales functiones, non tamen inde infertur jurisdictionem à Spiritu Sancto immediatè conferri. Quilibet enim Sacerdos & characterem, &, nisi obicem ponat, Spiritus Sancti gratiam percipit, dum ordinatur: jurisdictionem tamen ab Episcopo habet, ut in Parochia, vel Diœcesi Pœnitentiæ Sacramentum ministret. Adde quod verba illa non à Spiritu Sancto collatam Episcopis jurisdictionem, sed inspiratam eorum electionem significant, ut colligitur ex act. cap. 13. ubi Pauli & Barnabæ missio tribuitur, & Spiritui Sancto tanquam suggerenti, & ordinatoribus tanquam suggesta exequentibus & immediatè mittentibus; *Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus; segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, & orantes, imponentesq; eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidem missi à Spiritu Sancto abierunt Seleuciam, &c.* Observant Doctores, Ecclesiæ Ministros ex speciali Spiritus Sancti revelatione tunc creari solitos; ideoque illorum electionem Spiritui Sancto peculiariter adscribi.

5. Cùm suprà dictum sit Apostolos indiscriminatim Ecclesias fundasse, Pastores illis præposuisse, hisque jurisdictionem contulisse, argui posset Episcoporum jurisdictionem ad alios Apostolos eorumque successores, perinde ut ad S. Petrum esse referendam. Sed præterquam quod stabit semper jurisdictionem Episcopalem non esse immediatè de jure Divino, contra quam contendunt Antistites Gallicani, nihil

eos

eos hoc argumentum juvat; quippe cùm ut sæpe inculcavimus ex S. Innocentio, nullus, præter B. Petrum, aut ejus successores, in Galliis Ecclesias constituerit: imò qui ab aliis Apostolis constituti sunt Prælati, eos à B. Petro jurisdictionem habuisse docet S. Bonaventura opusc. Quare fratres Minores prædicent & confessiones audiant. *Dominus Jesus Christus*, inquit, *omnium Creator, & Gubernator, sanctam Ecclesiam suam ascensurus in Cœlum Apostolis regendam, & dilatandam commendavit, principaliter B. Petro Apostolo, cui de universo grege fidelium specialiter dixit tertiò; Pasce oves meas. Sed ut ordinatiùs gubernaretur universalis Ecclesia, distinxerunt eam sancti Apostoli per Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Parochias, & alias canonicas distinctiones; ut quiæ per unum, vel per paucos non poterat singulis fidelium in omnibus saluti necessariis congruè satisfieri; plures ad hujus sollicitudinis partes per determinatos sibi limites pro utilitate animarum vocarentur. Et secundùm curæ Pastoralis amplitudinem, etiam quilibet istorum accepit certam autoritatis potestatem, residente plenitudine potestatis Ecclesiæ, apud Sedem Apostolicam. Romanæ Ecclesiæ, cui Apostolus Petrus Princeps Apostolorum specialiter præsedit, & successoribus suis ibidem eandem potestatem reliquit. Triplex est autem hujus potestatis plenitudo, scilicet quod ipse summus Pontifex solus habet totam plenitudinem autoritatis, quam Christus Ecclesiæ contulit, & quod* VBIQVE IN OMNIBVS ECCLESIIS *habet illam,* SICVT IN SVA SPECIALI SEDE ROMANA, *& quod* AB IPSO MANAT IN OMNES INFERIORES *per universam Ecclesiam* OMNIS AVTORITAS, *prout singulis competit ei participari, sicut in Cœlo ab ipso fonte totius boni Christo Jesu omnis gloria Sanctorum, licet eam differentes singuli participent pro captu suo, &c.*

6. Denique dices, si jurisdictio Episcoporum à Papa esset, eam facilè posset tollere, imò sine causa, si non licitè, saltem validè, essetque verendum, ne eos non ut fratres, sed ut Vicarios haberet. Verùm licèt summus Pontifex proximus sit Episcopalis jurisdictionis collator, non eam Præsulibus confert quasi Vicariis, licet eo nomine glossæ aliquæ utantur, sed quasi Pastoribus ordinariis, ut eam non ejus, sed proprio nomine, ac jure exerceant. Sicut enim, licet Rex Senatui, aut Proregi, vel Toparchæ jus concederet Judices, aliosve officiales ordinarios ad regimen populi, creandi, eisque jurisdictionem cum officio ac titulo conferendi, præsertim si officia ipsa ille instituisset, quorum collationem

cede-

cederet, non continuò tamen arbitrio Senatus, Proregis, aut Toparchæ permitteret facultatem creatos semel Officiales absque ulla legitima causa revocandi: ita Christus, qui Episcopatus est institutor, quique per Episcopos Ecclesiam administrari voluit, etiamsi Petro ejusque Successoribus, tanquam supremis Pastoribus, Episcopatuum particularium, & Episcoporum institutionem commiserit, nequaquam tamen eis (quasi Episcopus Romanus unicus Pastor esset, & alii ejus tantum Vicarii, ac Commissarii, non verò Pastores) jus tribuit ad libitum cæteros amovendi. Nec id unquam senserunt summi Pontifices, sed potiùs magnam suæ Dignitatis partem in eo posuerunt, ut unicuique Episcopo salva esset sua Dignitas & integra Privilegia, nisi fortè crimine aliquo iis privari mererentur. Ita sæpè S. Leo, S. Gregorius, aliique maximi Sanctissimique Pontifices, & verbis & operibus protestati sunt.

7. Sanctus Leo Episcopis Provinciæ Viennensis scribebat epist. 89. se maximam ex servatis illorum juribus lætitiam percipere. *Nostræ enim*, inquit, *gratulationi hoc solum crescere profitemur, si, & Apostolicæ Sedis diligentia apud vos illibata servetur* (Ordinatio) *& per Sacerdotalis disciplinæ concordiam honori vestro perire, quod suum est in propriis usurpationibus non sinamus.*

8. Sanctus Gregorius Magnus ità Episcoporum non solum jura salva cupiebat, sed & Dignitatem, & honorem, ut se universalem Papam ab Episcopis vocari ægrè ferret, hacque præcipuè ratione, quod si universalis ipse diceretur, solus etiam fortassè putaretur. En ipsius verba, humilitatis, tanto viro dignæ, plena in epist. 30. lib. 7. quæ est ad Eulogium Episcopum Alexandrinum; *superbæ appellationis verbum universalem me Papam dicentes imprimere curatis, quod peto dulcissima mihi sanctitas vestra ultra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri plusquàm ratio exigit, prabetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus; nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est honor universalis Ecclesia. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ergo verè honoratus sum, cùm singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim universalem me Papam vestra Sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur universum.* Tam altè sanctissimi hujus Pontificis animo impressa erat affectio illa, ut eam non semel significa-

ficaverit. *Mihi ipsi*, inquit, *lib.* 2. epist. 37. *Injuriam facio, dum fratrum meorum jura perturbo.*

9. Si, ut testatur ipsemet Maximus Pontifex, animarum cura est onus Angelicis humeris formidandum, non expedit ei, qui omnes totius Orbis terrarum homines, velut oves Pastori pascendas à Christo ipso sibi traditas, non dubitat, ut alios Pastores impediat, dum greges sibi specialiter commissos juxta sacrorum Canonum normam custodiant: sed ut illos hortetur, juvet, vel etiam protegat, ac novis favoribus augeat. Debet nihilominùs datam sibi à Christo, & ab Ecclesia universa confirmatam, seu publicè, atque solemniter recognitam autoritatem vindicare, ne ambitiosorum conatibus infringatur, aut enervetur, quod S. ipse Gregorius observabat; *Sicut* inquit epistolâ 39. lib. 2. *nostra defendimus, sic omnibus Ecclesiis sua jura servamus.* Noverat documentum, quod Pastoribus in lib. de cura Pastorali proposuerat, in usum, dum opus esset redigere; ut scilicet se Superiorem meminisset, & severitatem adhiberet; sed modum servabat, quem etiam ipse præscripsit in eodem lib. de cura Pastorali parte 2. cap. 6. his verbis; *sit Rector bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, ut & bonis, in nullo se præferat, &, cùm pravorum culpa exigit, potestatem protinus sui Prioratus agnoscat, &c.*

10. Tanta est in eo præcepto æquitas, ut à nemine negetur. Nam & summi Pontifices se animarum servos esse, non Dominos exemplo Apostolorum arbitrantur. *Servos vestros per Christum*, inquit S. Paulus 2. Corint. 4. vers. 5. *Servus servorum Dei*, ait Pontifex; undè consequitur eum Episcopis, portiones gregis Christi suæ curæ demandatas rectè administrantibus non invidere, non obstare, sed favere, sed auxiliari debere, quodque illi rectè gerant, sibi in tremendo Dei judicio, profuturum æstimare.

11. Sed Episcopi conqueri sine injuria nequeunt, quod summus Pontifex sibi à Christo præpositus sit: gaudere potius debent tanquam de maximo beneficio, quod, cùm ipsi tot animarum constituti sint Pastores, saltem unum suprà se Pastorem habeant, qui dormitantes excitet, laborantibus opem ferat, afflictos consoletur, persecutionem patientes

defendat, onus cum eis portet, rationem cum eis redditurus; imò qui eos errantes revocet, ac etiam reos plectat, ut, & illorum saluti, & gregis eis crediti utilitatibus consulat. Nam, ut monet S. Leo in epist. 84. supracitata; *qui scit, se quibusdam esse præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse prælatum: sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse dependat.*

12. Iniquum esset, ut summorum Pontificum humilitas, ac modestia, minus promptos ad reverentiam, aut obedientiam efficeret. Certè S. Gregorius humillimus, ac mansuetissimus, quamvis juxta proprium præceptum omnibus bonis se præberet æqualem, aliorumque Pastorum honorem, suum duceret, omnium tamen se Superiorem profitebatur, dum id cujusvis culpa exigeret. Nam epist. 65. lib. 7. quæ est ad Joannem Episcopum Syracusanum sic scribit, occasione Episcopi Byzaceni Provinciæ Africæ, de crimine accusati; *Quod se dicit Sedi Apostolicæ subjici, & si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis ei Episcopus subjectus non sit.*

CAPUT XIII.

De Jurisdictione Clericorum Episcopis inferiorum.

1. NIhil est in sacris Scripturis, quod Archidiaconorum, aliorumve in Ecclesiastica Dignitate constitutorum jurisdictionem indicet à Deo immediatè profectam, sed constat potiùs hujusmodi Dignitates ab Ecclesia fuisse institutas. De origine jurisdictionis, quâ potiuntur Curati nonnihil dubitatur.

2. Plures Doctores Parisienses eos putant septuaginta Discipulis successisse, quos Dominus noster Jesus-Christus *misit binos ante se in omnem locum, quo erat ipse venturus*, ut habetur apud S. Lucam cap. 10. ideoque illorum institutionem, non solùm quantum ad ordinem, sed etiam quantum ad jurisdictionem, ad jus Divinum referentes, illos, sicut potestatem ordinis, ita & potestatem jurisdictionis à Deo immediatè accipere arbitrantur, quamvis Episcopo indigeant tùm ut ordinentur, tùm ut plebi præficiantur.

3. Ad-

3. Addunt jam tempore Apostolorum, non solùm Episcopos, ad magnarum urbium regimen constitutos, sed & cæteros Presbyteros, qui minorum locorum curam gererent, qua in politia putant Apostolos non novi aliquid excogitasse, sed Christi præceptum executos fuisse.

4. Equidem S. Hieronymus Presbyterorum Dignitatem ita effert, ut eam Episcopali æquare videatur; qui tamen benignè est interpetrandus, ne communi Ecclesiæ sententiæ contradicat, & Arianæ heresi, discrimen inter Episcopos, & Sacerdotes nullum agnoscenti, faveat, de quo Michael Medina eum criminari ausus est. *Sicut Presbyteri sciunt*, inquit S. Doctor comment. in epist. ad Tit. *se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos; ita Episcopi noverint se magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse majores, & in communè debere Ecclesiam regere.* Sed omnimodam certè noluit æqualitatem inducere inter Episcopos, & inferioris ordinis Presbyteros, quod patet, cùm ex aliis ejus libris, præcipuè ex epist. 85. quæ est ad Evagrium, in qua ordinationem Episcopo vindicat, quam denegat Presbytero: & ex epistola 1. quæ est ad Heliodorum, in qua Diaconis tertium dumtaxat gradum assignat, primo Episcopis concesso, secundo Presbyteris relicto: tùm ex verbis, quæ immediatè suprà relatis adjunguntur; *Imitantes Moysen, qui cùm haberet in potestate solus præesse populo Israël, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret.* Licet enim Deus Moysi præceperit, quod socer Jethro jam consuluerat, ut scilicet sibi septuaginta deligeret adjutores: tamen nemo dubitat, quin Moyses, cui reservatum est majorum causarum judicium, semper ipsis extiterit superior, etiam ex ordinatione Divina.

5. Habet quidem usus Ecclesiæ, ut Presbyteri Curati non reponantur in ordine Judicum tantùm delegatorum, quibus & committitur, & aufertur jurisdictio ad libitum delegantis: sed non ità ut illorum jurisdictio dispositioni Dominicæ, non Episcoporum autoritati accepta referenda sit. Longè namque verius est, jurisdictionem illam ab Ecclesiastico jure, non à Divino, manasse. Nec enim septuaginta Discipuli à Domino missi, sunt ad plebem aliquam destinati, nec ad omne tempus, sed præmissi tantum Christo in omnem lo-

cum, quo erat ipse venturus: nec etiam Sacerdotali charactere fuerunt insigniti, vel autoritate populum regendi, Sacramenta ministrandi, vel reliqua efficiendi, quæ Pastoris sunt propria, sed tantùm cohortationibus suis Christo venturo animos preparandi. Apostoli, licet similiter, atque præstantiori modo, missi fuissent, non tamen ordinem Sacerdotalem adepti sunt, donec (quod de septuaginta Discipulis, quibus Curati successisse dicuntur, nusquam in Evangelio legitur) in ultima cœna potestatem consecrandi, post resurrectionem, potestatem solvendi & ligandi recepissent.

6. Apostoli quidem, & Episcopi habuerunt Sacerdotes, quorum operâ in regendo populo Christiano uterentur, non tamen principio Sacerdotes illos plebi speciali tanquam Pastores ordinarios præponebant ad vitam, adeoque illa deputatio non ordinationi Divinæ immediatè, sed Ecclesiasticæ politiæ adscribenda est.

7. Et quoniam jus Divinum in Scripturis habemus, ut supra cum S. Augustino tract. 6. in Joan. notavimus, nullumque videmus à Christo Sacerdotem, præter Apostolos, missum ad regimen animarum, nescio quâ ratione ipsi tribuenda sit Curatorum constitutio immediata.

8. Hoc sanè certissimum est, jurisdictionem Sacerdotum jure Divino Episcopali esse subordinatam, & subjectam, ut luculenter docet S. Thomas opusc. contra impugnantes Religionem cap. 4. *Potestas Sacerdotis naturaliter, & ex jure Divino subditur potestati Episcopi, ut Dionysius probat..... Sacerdos autem, qui ex jure Divino Episcopo subditur, in omnibus est ei subjectus.* Æquum igitur est, ut Curati aliique Clerici S. Ignatium audiant in epistola ad Smirnenses sic monentem; *Omnia vestra decenti ordine perficiantur in Christo. Laici Diaconis subjiciantur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, ut ipse Patri.*

9. Consultissimum etiam est, ut Episcopi Curatorum jurisdictionem, etiamsi juris Ecclesiastici tantum sit, ita tueantur, ut cum eis, quemadmodum monet S. Hieronymus in verbis jam relatis, in commune Ecclesiam regant, *imitantes Moysen, qui cùm haberet in potestate solus præesse populo Israel, &c.* eosque eo loco habeant, quem exprimunt verba tempore ordinationis ab Ordinatore proferri solita; *Infirmitati nostræ quæsumus Domine*

hæc ADIVMENTA *largire, qui quantò fragiliores sumus, tantò his pluribus indigemus..... sint providi cooperatores Ordinis nostri.*

10. Denique servanda est mutua illa concordia, quam præscribit Canon 17. Sardicensis Concilii; *Sicut ille* (Episcopus) *Clericis sincerum exhibere debet amorem charitatis; ita quoque vicissim Ministri insucata debent Episcopo suo exhibere obsequia.*

11. Hæc Episcoporum erga Curatos humanitas ac benignitas, ac vicissim Curatorum, aliorumque jurisdictione Ecclesiasticâ præditorum erga Episcopos reverentia, & obedientia concordiam parient, sine qua multa oriuntur scandala, multæ contentiones, quarum occasione vera libertas Ecclesiæ sæpissimè violatur, interjectis ceu ab abusu appellationibus ad Judices sæculares.

12. Itaque sapientissimum S. Hieronymi consilium est, epistolâ ad Nepotianum; *Illud etiam dico, quod Episcopi Sacerdotes se esse noverint, non Dominos: honorent Clericos, ut & ipsis à Clericis quasi Episcopis honor deferatur. Scitum est illud Oratoris Domitii: cur ego te, inquit, habeam ut Principem, cùm tu non me habeas ut Senatorem? Quod Aaron, & filios ejus, hoc Episcopum & Presbyteros esse noverimus.*

13. Cæterùm quotidie summus Pontifex beneficia Parochialia in omnibus Ecclesiæ partibus conferens, re ipsâ probat, Curatos jurisdictionem accipere, tunc quidem immediatè ab ipso, alias autem mediante ipsius consensu. Nec cuiquam id dubium esse potest, si etiam Episcopalis jurisdictio ex eo fonte manare supponatur.

14. Certè cùm Christus totum ovile, atque oves omnes, etiam ipsos Apostolos, ut alibi probabimus, B. Petro tanquam supremo Pastori, commiserit; eique claves Regni Cœlorum tanquam supremo dispensatori dederit, debet, quisquis gregis portionem regendam, aut distribuendos gratiæ thesauros suscipit, à Petro suum officium ac claves petere, non propriâ sibi autoritate, aut sine illius saltem consensu usurpare. *Supponitur*, inquit Joan. Gers. de potest. Eccles. consid. 10. *insuper ex jam dictis, quod ex institutione Christi nullus in Ecclesia debet dare, vel suscipere gradus Hierarchicos, qui sunt purgare, illuminare, & perficere, si non interveniat verè, vel interpretativè autoritas summi Hierarchæ vel Monarchæ in Ecclesia sancta Dei, quatenus in ea vitetur confusio, & optimo regimine gubernetur ad exemplar Ecclesiæ triumphantis.*

LIBER NONUS

In Edmundi Richerii Libellum *de Ecclesiastica & Politica potestate.*

I. QUia occasione Declarationis Comitiorum Cleri Gallicani, quam discutimus, libelli Edmundi Richerii *de Ecclesiastica & Politica potestate* Vindiciæ nuper publicatæ sunt, quasi eadem essent utriusque fundamenta, hoc libro illius Libelli dogmata, licet à multis Scriptoribus jam confutata, & pluribus Censuris inusta, persequi cogimur, præsertim cùm Richerius suis principiis Libertatem Ecclesiæ Gallicanæ, de qua nobis est sermo, imò & Catholicæ, contineri affirmet; neque ita minutim sit ab aliquo confutatus.

II. Sed notandum inprimis, magnum Illustrissimorum Antistitum Gallicanorum Declarationi odium potiùs quàm robur conciliari, cùm doctrinæ ab Ecclesia Romana, à Conciliis Provincialibus, & ab Universitate Parisiensi damnatæ, nec non à Rege Christianissimo eliminatæ, atque à pluribus magni nominis Scriptoribus impugnatæ, præsidio indigere creditur.

CA-

CAPUT PRIMUM.

An Jurisdictio Ecclesiastica primariò, ac essentialiter Ecclesiæ : Romano autem Pontifici, atque aliis Episcopis ministerialiter tantùm, sicut facultas videndi oculo, conveniat : ad duos primos numeros Libelli Richeriani.

1. Richerius num. 1. totius doctrinæ suæ circa potestatem Ecclesiasticam fundamentum ponit, quod est hujusmodi ; *Tota jurisdictio Ecclesiastica primariò, propriè ac essentialiter Ecclesia convenit : Romano autem Pontifici, atque aliis Episcopis instrumentaliter, ministerialiter, & quoad executionem tantùm.* Ut convenienter ac consequenter loqueretur Richerius, secundam propositionis partem hoc modo debuerat efferre ; *Romano autem Pontifici, atque aliis Episcopis, secundariò impropriè, atque accidentaliter tantùm.* Nam *primariò* respondet *secundariò* ; *propriè* opponitur *impropriè* ; *essentialiter* contradistinguitur *accidentaliter.* Itaque summus Pontifex non haberet suam jurisdictionem à Christo, sed ab Ecclesia, cui primariò collata fuisset ; Non haberet ipse propriè jurisdictionem, sed impropriè : quia illam nomine Ecclesiæ, ac delegatâ tantùm autoritate exerceret. Accidentaliter dumtaxat penes ipsum esset jurisdictio, & posset Ecclesia ejus exercitium alteri, puta simplici Presbytero committere ; quod contra communem Ecclesiæ sensum esse statim apparet, & pugnat cum aliis Richerii verbis.

2. Sed assumenda est jam propositio prout jacet ; ut scilicet jurisdictio conveniat *Romano Pontifici, atque aliis Episcopis instrumentaliter, & quoad executionem tantùm.* Quæro igitur quænam sit causa principalis, cujus summus Pontifex, atque alii Episcopi sunt instrumenta ? Quis est Dominus, cujus ipsi sunt Ministri ? Quis est Judex, cujus ipsi sententias exequuntur ? si Christum causam principalem, Dominum, ac Judicem intellexit, verum sensit : sed sibi contradixit. Nam instrumentum à causa principali vim agendi recipit immediatè, Mi-

ni-

nister, & Executor à Domini vel Judicis imperio, aut judicio facultatem suam atque autoritatem immediatè mutuantur. Quomodo igitur tota jurisdictio Ecclesiastica primariò, propriè, ac essentialiter Ecclesiæ conveniet? Nisi fortè idem pluribus rebus, ut inter se distinctis, possit competere primariò, propriè ac essentialiter. Si verò causa principalis, Dominus, ac Judex est ipsa Ecclesia; summus Pontifex, atque alii Episcopi non sunt, nisi instrumenta, Ministri, & executores Ecclesiæ, non autem Christi, nisi Ecclesiâ mediante. Hoc autem est contra definitionem Martini V. Papæ, & Concilii Constantiensis, hanc Wiclefi propositionem ordine trigesimam septimam condemnantium; *Nec Papa est proximus & immediatus Vicarius Christi*, & contra plurimas Facultatis Theologiæ Parisiensis declarationes.

3. Responderet fortasse Richerius, Christum quidem immediatè dedisse jurisdictionem toti Ecclesiæ: ita tamen ut ipsemet assignarit illius instrumenta, Ministros, & Executores, Romanum Pontificem, atque alios Episcopos. Sed recurrit difficultas, cujus scilicet virtute agant illa instrumenta, cujus nomine, atque autoritate, illi Ministri & Executores? Verùm expendenda sunt argumenta, quibus probat, *totam jurisdictionem Ecclesiasticam primariò, propriè, ac essentialiter Ecclesiæ convenire.* Palmare illud est, à quo suum orditur Tractatum. *Vulgare*, inquit, *atque indubitatæ fidei axioma, Deum & naturam prius atque immediatiùs ad totum suppositum, quàm ad aliquam partem suppositi, quamvis nobilissimam intendere: eamq; ob causam, facultatem videndi, v. g. toti datam esse homini, ut per oculum tanquam per organum & Ministrum hominis exerceretur: nam per, & propter hominem existit.*

4. Inepta est comparatio Ecclesiæ cum supposito, non solum quia suppositum est quid singulare, Ecclesia autem integra communitas ex multis ac diversis suppositis constans; sed etiam quia, si Ecclesia cum aliquo supposito, seu homine singulari conferatur, non erit ipsa suppositum, sed pars suppositi. Est enim Ecclesia corpus mysticum, cujus spiritus, ac velut anima est ipsemet spiritus Christi, Spiritus Sanctus. Undè sicut corpus hominis non est suppositum, sed pars suppositi; ita Ecclesia corpus quidem dici potest, non autem suppositum, si consideretur seorsum à Spiritu quo vivificatur.

Undè

Undè consequitur ulteriùs, quod sicut falsum est, quod totum corpus hominis videat, licet verum sit, quod homo, vel anima videat per oculum, tanquam per organum & ministrum: ita licet dici posset Romanum Pontificem, aliosque Prælatos totius Ecclesiæ organa & ministros esse, si cum hominibus, qui Ecclesiæ corpus conflant, intelligatur etiam spiritus Christi, à cujus virtute procedit autoritas Pastorum Ecclesiasticorum, quique cum ipsis baptizantibus baptizat, cum ipsis solventibus, vel ligantibus solvit, aut ligat; qui denique totius Ecclesiasticæ jurisdictionis Institutor est atque primus autor; tamen falsum est Ecclesiæ Pastores, cùm in suos subditos jurisdictionem exercent, ipsorum subditorum, aut etiam omnium simul fidelium, atque in eo sensu Ecclesiæ mera existere organa.

5. Confundit Richerius finem jurisdictionis cum ejus subjecto. Christus Sacramenta, jurisdictionem, & cætera omnia propter totius Ecclesiæ corpus, non autem propter unius alicujus membri, quantumvis excellentis, bonum contulit. Non enim constituta est Ecclesia propter summum Pontificem, sed potiùs summus Pontifex propter Ecclesiam, sicut non fabricatur corpus propter caput, aut cor, sed potiùs caput, cor, & alia omnia membra producuntur, ut corpus integrum ac perfectum efformetur. *Omnia enim*, inquit B. Paulus 1. Corint. 3. ver. 22. relatus à Richerio, *vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive Mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura. Omnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei.* Atque in eo sensu certum est; *Christum priùs, immediatiùs, atque essentialiùs claves, sive jurisdictionem toti dedisse Ecclesiæ quàm Petro:* quia scilicet ultimus finis, atque adeò in intentione prior, immediatior, & essentialior Christi Ecclesiam instituentis, fuit ipsius Ecclesiæ corporis, non autem solius ejus capitis, aut aliorum præcipuorum membrorum, bonum. At non est quæstio, cui, idest, pro cujus bono, aut propter quem finem; sed cui tanquam subjecto; cui tanquam œconomo, dispensatori, ac suo Vicario Christus immediatè contulerit potestatem solvendi vel ligandi? Richerius affirmat, autoritatem illam toti corpori Ecclesiæ immediatè collatam; ejus autem usum dumtaxat & exercitium summo Pontifici,

& aliis Paſtoribus tanquam miniſtris commiſſum, illamque ſententiam ſibi cum ſchola Pariſienſi communem eſſe jactat. Scholæ Pariſienſis ſententiam expendemus inferius. Audiamus modò Richerii probationes.

6. Numero ſecundo claves B. Petro, nomine totius Eccleſiæ, promiſſas his verbis Matth. 16. *Et ego tibi dabo claves Regni Cœlorum*, vult ordini Hierarchico fuiſſe collatas: primùm Matt. 18. his verbis; *Dic Eccleſiæ, &c.* Verùm Eccleſiam illic non pro univerſorum fidelium cœtu, ſed pro Superioribus Eccleſiaſticis ſumi docet S. Joannes Chryſoſtomus homil. 61. in Matt. ubi hæc verba; *Dic Eccleſiæ:* ſic exponit; *Præſulibus ſcilicet ac præſidentibus.* Abſurdum eſſet ita vocem illam, *Eccleſiæ*, interpretari, ut Chriſtus voluerit reos incorrectos apud univerſum fidelium cœtum accuſari. Primò quia impoſſibile eſt, ut omnes congregentur in eundem locum. Secundò quia plerique, ut mulieres ac plebeii non ſolùm poteſtate, ſed etiam ſcientiâ carent. Tertiò quia per Eccleſiam Chriſtus ſignificavit illos tantùm, quibus ſtatim dixit; *Quæcumque alligaveritis ſuper terram ligata erunt & in Cœlo*; hoc eſt non omnem multitudinem, ſed ſolos Apoſtolos, quibuſcum loquebatur, eorumque ſucceſſores. Quartò denique quia conſtans Eccleſiæ uſus eſt, ut peccatores apud Prælatos Eccleſiaſticos, non apud multitudinem, accuſentur; nec etiam apud omnes Prælatos ſimul ac collectivè: alioquin enim convocandum eſſet Concilium Oecumenicum, quoties Chriſtianus ſecretò, ac coram teſtibus fruſtrà correptus, Eccleſiæ denuntiandus eſſet, ſed apud ſolum ejus, qui corripiendus eſt, Paſtorem. Quamobrem S. Thomas 2. 2. quæſtione 33. art. 8. ad tertium argumentum ab autoritate S. Auguſtini in Regula deſumptum, ubi in ordine correctionis fraternæ, peccatum prius Præpoſito, quam teſtibus manifeſtari præcipitur, reſpondet, *Quod Auguſtinus intelligit, quod priùs dicatur Prælato, quàm teſtibus, ſecundùm quod Prælatus eſt quædam ſingularis perſona, quæ magis poteſt prodeſſe quàm alii: non autem quod dicatur ei, tanquam Eccleſiæ, ideſt ſicut in loco judicii reſidenti.* Ac reverà tam apertè hunc ſenſum præſeferunt verba S. Auguſtini, tamque apertè alludunt ad prædictum Evangelii locum, ut nullum poſſit eſſe dubium quin per Eccleſiam, Superiorem Eccleſiaſticum, ſeu Canonicum intellexerit;

rit; hæc sunt regulæ verba cap. 23. *Antequam aliis demonstretur, per quos convincendus est, si negaverit, priùs Præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi, ne forte possit secretiùs correptus non innotescere cæteris. Si autem negaverit, tunc neganti adhibendi sunt alii, ut jam coram omnibus possit, non ab uno teste argui, sed à duobus, vel tribus convinci. Convictus verò secundùm Præpositi, vel etiam Presbyteri, ad cujus dispensationem pertinet, arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam, quam si ferre recusaverit, etiam si ipse non abscesserit, de vestra societate projiciatur.* Dicitur ergo Ecclesiæ, dum dicitur Prælato tanquam Judici: quia Ecclesia est in Prælato, sicut in capite.

7. Nec obstat primorum Ecclesiæ sæculorum praxis, cùm in fidelium cœtu denunciabantur, & censurâ Ecclesiasticâ percellebantur peccatores incorrecti, ut colligitur ex B. Paulo 1. Corint. 5. *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam* IVDICAVI, *ut præsens, eum, qui sic operatus est in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu cum virtute Domini nostri Jesu, tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis.* & ex Tertulliano apolog. cap. 39. *Coimus in cœtum & congregationem ..... ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura Divina. Nam & judicatur magno cum pondere ..... summumq; futuri judicii præjudicium est, si quis ità deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii relegetur.* Hæc, inquam, praxis, non obstat iis, quæ diximus. Judicandi enim autoritas non erat penes fideles quoscumque, sed penes Pastores. *Judicavi*, inquit S. Paulus, non autem *judicarunt quicumque congregati erant.* Et Tertullianus post suprà relata verba, nullo interposito prosequitur; *Præsident probati quique Seniores honorem istum, non pretio, sed testimonio adepti. Neque enim pretio ulla res Dei constat.* Itaque sicut in Christianorum cœtibus soli Præfecti Ecclesiastici prædicabant, & alias functiones sacras exercebant, ità & pœnas spirituales decernebant. Populus autem aderat tantùm ut testis & approbator, atque ut quod Pastores decernebant, quodque ad se attinebat, exequeretur, v. g. in vitandis excommunicatis.

8. Secundò, Ecclesiæ datas ait Richerius claves per realem missionem, de qua Luc. 10. legimus; *Designavit Dominus, & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem, & locum, quò erat ipse venturus.* Verùm hæc discipulorum missio, jurisdictio propriè nuncupari non potest. Non enim

mittebantur ad regendum populum, sed ut illum ad Christum cum fructu suscipiendum præpararent; mittebat namque illos tantùm in civitates & loca, quò erat ipse venturus. Sed demus missionem illam, jurisdictionem fuisse: an inde legitimè concludet Richerius illam discipulis *individuè & collectivè* datam? Nonne potiùs significant illa verba; *Misit illos binos*, quòd singuli discipuli non erant tantùm *instrumenta, Ministri, & executores* totius Collegii, sed Christi. Adde quod illa missio erat tantùm temporanea, ad præparandum, ut diximus, populum adventui Christi.

9. Affert deinde hæc Christi verba in Evangelio S Joannis cap. 17. recitata; *Sicut me misit in mundum, ità & ego eos misi in mundum, & pro eis sanctifico me ipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate, ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti, ut sint consummati in unum, &c. Quibus verbis*, inquit Richerius, *liquidò demonstratur Christum non tam uni, & soli Petro, quàm unitati infallibilem clavium potestatem detulisse.* Erravit, aut decipere voluit Richerius, his verbis Christi adstruens infallibilem clavium potestatem unitati delatam. Vel enim intelligit sub illa unitate comprehensos etiam laicos: & tunc error est asserere *infallibilem clavium potestatem* etiam ipsis delatam. Idque etiam agnoscere, videtur ipse Richerius, dum paulò inferiùs concludit hoc modo; *Consurgit, totum ordinem Hierarchicum, Episcopali & Sacerdotali ordine, constantem, immediatè, proportionatè tamen, atque subordinatè suam potestatem, & jurisdictionem, hoc est, facultatem regendi Ecclesiam à Christo derivare*; ubi jurisdictionem penes Episcopos, & Sacerdotes tantùm reponit. Sanè discrimen intercedere necesse est, inter eos, qui regunt, & eos, qui reguntur: Si autem penes omnes fideles esset facultas regendi, quinam essent illi regimini subditi? Nec enim concederet ipsemet Richerius, ita tantùm datam Ecclesiæ jurisdictionem, ut ejus regimen Democraticum sit, quale, aut etiam imperfectius sine dubio esset, si ejus participes essent quicumque fideles, etiam laici, ac mulieres.

10. Si autem Richerius his Christi verbis; *Omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, ut sint consummati in unum*, unitatem ordinis Ecclesiastici tantùm significare voluit, ut indicat ejus conclusio, decipere voluit, ac fra-

fraudulenter prætermisit versum istum, *Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint*, quæ verba apertissimè declarant, unitatem illam non esse accipiendam de solo ordine Ecclesiastico, sed de omnibus fidelibus, neque de unitate in consortio jurisdictionis Ecclesiasticæ, sed de unitate charitatis; imò illa verba, *sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum*, non intelliguntur de missione jurisdictionis, quæ tunc collata sit, ut vult Richerius. Orabat enim tantùm Christus pro Discipulis, ut servarentur à malo, quando cum mundo versarentur, atque tanto inter se animorum consensu agerent, ut hinc mundus agnosceret Christum à Patre missum, quippe qui tam intimam inter suos Discipulos concordiam statuisset. Totus ferè illius capitis contextus hanc præsefert sententiam. *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo, &c.*

11. Citat etiam S. Cyprianum & S. Augustinum relatos 24. quæst. 1. Can. *Quodcumque*. Can. *Loquitur*. Can. *Alienus*. Sed illorum Patrum testimonia expendimus lib. 5. & 7. Addit Richerius hæc verba ex capite 20. Joannis; *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c.* Undè concludit hoc modo: *Quando igitur missio vera & realis est collatio jurisdictionis, autore Apostolo 10. ad Rom. quomodò igitur prædicabunt, nisi mittantur. Christus autem omnes Apostolos atque Discipulos, qui Episcopalem & Presbyteralem ordinem referebant, immediatè, individuè, & collectivè misit, sicut à Patre suo, id est cum justa & spirituali autoritate, ad Ecclesiam regendam necessaria missus fuerat: consurgit, totum ordinem Hierarchicum, Episcopali & Sacerdotali ordine constantem, immediatè, proportionatè tamen, atque subordinatè, suam potestatem, & jurisdictionem, hoc est facultatem regendi Ecclesiam à Christo derivare.* Non immoramur circa discrimen missionis & jurisdictionis, quæ nonnihil distingui videntur, nec circa quæstionem, an omnes Apostoli suam à Christo jurisdictionem immediatè habuerint, quod etiam nonnulli, licet, ut videtur, sine sufficienti fundamento, negant. Modò enim tantùm quæstio est, utrùm Apostolos, & Discipulos, non solùm immediatè, sed etiam *individuè & collectivè*, miserit, quod asserit Richerius. Verùm, primò, si hoc probaret, sibi contradiceret. Hîc enim, id est num. 2. statuit ordinem Hierarchicum, immediatè ju-

risdictionem & facultatem regendi Ecclesiam à Christo derivare : in 1. autem num. tradit totam jurisdictionem Ecclesiasticam *primariò , propriè ac essentialiter Ecclesiæ convenire : Romano autem Pontifici , atque aliis Episcopis instrumentaliter , ministerialiter , & quoad executionem tantùm.* Quomodò enim summus Pontifex & Episcopi facultatem regendi Ecclesiam à Christo immediatè derivaverunt , si eis comparatè ad Ecclesiam non competit jurisdictio , nisi instrumentaliter , ministerialiter , & quoad executionem tantùm , Ecclesiæ autem primariò , propriè ac essentialiter ? An causa principalis regitur ab instrumento, Dominus à Ministro , Judex ab executore ? An qui habet primariam , propriam , & essentialem jurisdictionem , gubernatur ab eo , qui habet tantùm facultatem instrumentalem, ministerialem , ac executivam ? Secundò , si Christus Apostolos atque Discipulos , qui Episcopalem & Presbyteralem ordinem referebant *individuè & collectivè* misit , non poterant quidquam magni momenti agere seorsim , sed tantùm omnes simul , vel saltem major eorum pars : sicut in Senatu non quilibet , sed omnes vel plures simul Judices Senatusconsulta ferunt : si quando autem aliquid seorsim exequuntur , jurisdictione delegatâ se id præstare profitentur. At certè Apostoli in convertendis populis , in fundandis , ac regendis Ecclesiis , in ferendis vel tollendis censuris , &c. ab Ecclesia , vel à Collegio Apostolico delegatos se non præstabant. Imò S. Paulus non semel indicat , se ab Ecclesia non fuisse missum , præsertim ad Galat. 1. *Paulus Apostolus non ab hominibus neque per hominem , &c. Cùm autem placuit ei , qui me segregavit ex utero matris meæ , & vocavit per gratiam suam , ut revelaret Filium suum in me , ut evangelizarem illum in Gentibus : continuò non acquievi carni & sanguini, neque veni Jerosolymam ad Antecessores meos Apostolos.*

12. Adjungit Richerius illud D. Pauli testimonium act. 20. *Attendite vobis & universo gregi , in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos , regere Ecclesiam Dei.* Verùm neque in illo testimonio , neque in aliis à Richerio ex sacra Scriptura suprà relatis , verbum aliquod est , quod significet jurisdictionem *individuè & collectivè* Apostolis , discipulis , aut Episcopis datam. Pugnat cum ea sententia etiam locus S. Cypriani , quem citat Richerius ex 24. quæst. 1. can. *loquitur.* Si enim Episcopatus *à singulis*

gulis in solidum pars tenetur, si, ut ait alibi idem S. Cyprianus, *habet in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque Præpositus, rationem actus sui Domino redditurus*; quomodò facultas regendi Ecclesiam data est ipsimet Ecclesiæ, vel etiam ordini Hierarchico *individuè & collectivè?*

13. Denique sententiam suam confirmat Richerius autoritate D. Bernardi lib. 3. de consid. ad Eugenium cap. 4. quod integrum legi optat. Id & nos optamus. Nam in eo capite D. Bernardus indiscretas exemptiones reprehendit, præsertim quod turbent ordinem Hierarchicum, qua occasione dicit, à Deo etiam esse alias à Papali potestates, sed nihil dicit, unde sequatur jurisdictionem convenire Romano Pontifici *instrumentaliter, ministerialiter, & quoad executionem tantum?* Quæ autem sit ipsius eâ de re mens ipsemet explicat lib. 2. de consid. cap. 8. his verbis jam alibi relatis; *Tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alii Cœli janitores, & gregum Pastores, sed tu tantò glorioſior, quantò & differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges singuli singulos,* TIBI VNIVERSI CREDITI, *uni unus. Nec modò ovium,* SED ET PASTORVM, *tu unus omnium Pastor. Unde id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolutè, & indiscretè totæ commissæ sunt oves? Si me amas Petre, pasce oves meas? Quas: Illius vel illius populos Civitatis aut Regionis, aut certi Regni: Oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.* Sed & in illo ipso capite, quod citat Richerius, sanctus Doctor, licet moneat summum Pontificem, ut potestate suâ in concedendis indiscretè exemptionibus non abutatur; plenitudinem tamen potestatis ipsi non deesse confitetur; *Sic facitando*, inquit, *probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ fortè non ita. Facitis hoc, quia potestis, sed utrum & debeatis quæstio est.* Ubinam illam plenam potestatem, quam summo Pontifici competere fatetur, in eum ab Ecclesia derivatam asseruit?

14. Allatis sententiæ suæ probationibus, solvit Richerius duas objectiones seu responsiones sibi contrarias, quarum altera petita est à distinctione fori exterioris, & interioris, in quorum primo jurisdictionem aliqui negant à Christo immediatè discipulis collatam, in secundo datam concedunt.

Sed

Sed cùm nos discrimen illud in Apostolorum jurisdictione non admiserimus, argumentum nobis minimè necessarium defendendum non recipimus. Quod addit se demonstraturum num. 6. facultatem excommunicandi immediatè creditam fuisse Ecclesiæ à Christo, circa illum numerum examinabimus.

15. Altera objectio seu responsio est, *potestatem jurisdictionis, primitùs quidem institutam & collatam Ecclesiæ à Christo, sed ea lege, ut postmodùm per Romanos Pontifices Petri Successores, propagaretur, atque aliis Episcopis communicaretur: eamq; ob causam omnem autoritatem istinc hodie repeti ac derivari.* Jurisdictionem toti Ecclesiæ, prout Laicos etiam complectitur datam negamus: concedimus autem datam Apostolis, *non individuè & collectivè* juxta Richerii sensum, ità scilicet, ut non exerceretur à singulis, nisi instrumentaliter, ministerialiter, aut quantùm ad executionem; sed ità ut possent vel singuli, vel omnes simul, eâ uti; cum hoc tamen discrimine, quod plenitudo jurisdictionis in B. Petro esset ordinaria, & ad suos successores transmittenda; in aliis autem Apostolis extraordinaria, & delegata; ità ut nullius eorum successores in toto orbe indistinctè possent Ecclesias fundare, vel regere, sed in ea quisque dumtaxat parte, quæ sibi fuisset assignata. Nec contrarium probat Richerius.

16. Jurisdictionem etiam per Romanos Pontifices Petri successores propagari, atque aliis Episcopis communicari defendimus lib 8. supereſt ut responsionem à Richerio in hoc num. 2. allatam confutemus. *Respondebis*, inquit *praxi Ecclesiæ primitivæ & sacris Canonibus, exploratissimum esse collationes beneficiorum, sicut nunc eas vocitant, quadringentis & mille annis, communi jure, hoc est sacrosanctis electionibus, factas: ratio est, quoniam omnis principatus, quoad vim coactivam, ab hominum consensu pendet, ut lex Divina & naturalis confirmat.* Ergò à tempore quo Ecclesiis Cathedralibus Regni Franciæ non providetur per electiones, Episcopi Gallicani nullam vim coactivam habuerunt, siquidem ferè semper hactenus restitit Ecclesia Gallicana electionum abrogationi. Si Prælatorum potestas à subditorum consensu pendet, & illa dependentia lege Divina & naturali confirmatur; cùm *adversùm eas, neque spatia temporum, neque privilegia locorum, neque Dignitates personarum unquam præscribere possint*, nunquam poterunt Gal-

li

li à suis Episcopis excommunicari, aut aliâ censurâ Ecclesiasticâ puniri, donec liberum consensum præstiterint. Adhuc enim certò non constat, an illi, ad quos pertinebat jus eligendi, liberè consenserint: cùm Clerum, alioſque Ordines videamus variis protestationibus & supplicationibus adversum electionum abrogationem intercessisse.

17. Sed nec electio, præsertim quando fit à populi communitate, jurisdictionem ante confirmationem absolutè Prælatis tribuit; atque adeò, nec jus condendarum legum, infligendarum pœnarum spiritualium, &c. Quin etiam, si jurisdictio per electionem conferretur, sequeretur juxta mentem Richerii alium Ecclesiæ consensum desiderari, ut Prælati possent leges instituere, ac censuris plectere; adhuc enim, ut ipse ait num. 8. *Ecclesiam inconsultam, dissentientem, invitam vel inauditam obligare nequirent: quia leges tunc instituuntur, cùm promulgantur, firmantur, cùm moribus utentium approbantur.*

CAPUT II.

De Ecclesiæ definitione à Richerio tradita; De Ecclesiæ Capite, necnon de ejus statu & regimine. Ad num. 3. 4. & 5. Richerii.

1. EX his, quæ Richerius duobus primis numeris superiori à nobis capite discussis, ceu fundamenta jecit, quasdam conclusiones, quas ille principia vocat, directè & necessariò se colligere asserit. Primum illud principium est Ecclesiæ definitio, quam toti operi præfixam hic num. 3. repetit; scilicet; *Ecclesia est politia Monarchica, ad finem supernaturalem spiritualem instituta, regimine Aristocratico, quod omnium optimum & naturæ convenientissimum est, temperata à summo animarum Pastore Domino nostro.* Si Joannes Launoius eodem affectu fuisset erga Richerium, quo erga Bellarminum, in hanc definitionem justiori zelo invectus fuisset, quàm in eam, quæ à Bellarmino tradita est. Qui enim integrâ & prolixâ epistolâ, quæ est in par. 8. & ad Nicolaum Gatinæum inscribitur, tot tantaque testimonia congregavit, ut probaret in Ecclesiæ definitione non conti-

neri ejus ſtatum, aut regimen, cujus in ea deſcribenda meminerat Bellarminus, quomodo putandus eſt probaſſe definitionem, quæ nil aliud, ſaltem directè, complectitur? ſed infenſus erat Papæ Monarchiæ Richerius; eam propugnabat Bellarminus: ideò libentibus ulnis excepit illius dogmata Launoius, quæcumque excepit; quæ non potuit excipere, ſubticuit: Bellarmini, ſi quos invenire potuit nævos, quàm diligenter explicuit, doctrinam, exemplo Richerii, quanto valuit conatu, licet parum efficaci, impugnavit.

2. Poſſet tamen veram habere ſententiam Richeriana Eccleſiæ definitio, ſi ſanè intelligeretur. Verus enim ejus ſenſus eſt, Eccleſiam eſſe communitatem ab uno ſolo ſupremo Paſtore gubernatam, nempè Romano Pontifice; ita tamen, ut illius communitatis regendæ participes ſint alii Paſtores, præſertim Epiſcopi, qui autoritate ordinariâ, & propriâ, non vicariâ ſolùm, ſeu delegatâ, portionem gregis Chriſti ſibi commiſſam regant, ac ſupremo Paſtori, in Conciliis præſertim univerſalibus, non ſolùm tanquam Conſiliarii, ſed etiam tanquam Judices ad determinanda, quæ ad Eccleſiam univerſalem ſpectantia proponuntur, aſſideant. Itaque Eccleſia eſt politia Monarchica, quia unus ei præſidet Monarcha. Eſt etiam regimine Ariſtocratico temperata, quia Epiſcopi, præterquam quod ſuis Diœceſibus præſident, rerum etiam ad univerſalem Eccleſiam ſpectantium, dum in Conciliis Oecumenicis legitimè proponuntur, participes fiunt.

3. Sed alio in ſenſu definitionem illam intellexit, ſi tamen intellexit, Richerius. Primò enim incertum eſt quid intendat definire. Nam Eccleſiæ nomine univerſos fideles cujuſcumque ſexûs, ſtatûs, aut gradûs complecti videtur numero primo, ubi Eccleſiam, cui convenire ait totam juriſdictionem Eccleſiaſticam primariò, propriè, ac eſſentialiter, diſtinguit à Romano Pontifice, atque aliis Epiſcopis, quibus illam facultatem nonniſi inſtrumentaliter, miniſterialiter, & quoad executionem tantùm concedit, & luculentiùs numero primo, ubi Eccleſiam explicat de *cœtu Fidelium, ſive de Chriſtiana Republica, cujus unicum & ſolum caput, ac fundamentum eſſentiale eſt Chriſtus Dominus.* Et adhuc magis expreſsè in fine numeri quarti, ubi *Eccleſiam* ſic explicat, *id eſt univerſos Chriſtianos:* numero autem ſecun-

cundo, Ecclesiam ad solum ordinem Hierarchicum, Episcopali, & Sacerdotali ordine constantem, restringere videtur; aliquando autem, ut num. 15. & seqq. modò unum, modò alterum indiscriminatim significat.

4. Secundò non Ecclesiam, sed ejus regendæ rationem definire videtur Richerius, quando ait, quod est *politia Monarchica*. Politia enim communitatem, non tam aptè denotat, quàm gubernandæ communitatis modum.

5. Tertiò Monarchiam Ecclesiasticam explicat respectu Christi. Statim enim post definitionem, de ipso addit; *Qui Rex est, Monarcha, Dominus absolutus, Fundator, Petra, & Caput essentiale Ecclesiæ; ac absolutum, sive purè Monarchicum in eam habet imperium.* Quasi verò possit aliquod regimen, etiam Aristocraticum, aut Democraticum, non esse Monarchicum in eo sensu; cùm universus mundus, etiam prout complectitur Angelos, unicum habeat Rectorem, Deum, qui est Dominus absolutus, Creator, Conservator, Gubernator, Rex, Monarcha, absolutum in omnia imperium obtinens. Sed, dum de politiarum differentia tractatur, quæritur, quis sit communitatis Rector immediatus, ac intra communitatem ipsam, an unus, an plures? Dum igitur de politia Ecclesiastica est quæstio, à quo visibilis Ecclesia visibiliter regatur, inquiritur. Itaque perperàm concludit Richerius; *Istinc verò inducimus, hunc fidei articulum, credo unam sanctam Ecclesiam Catholicam, esse veritatis sempiternæ: propterea quod lege Evangelicâ stante, Christus divortium cum Ecclesia sponsa facere non potest.* Si enim unitas Ecclesiæ ab unitate ejus sponsi Christi dumtaxat peteretur, ruerent argumenta sanctorum Patrum adversùs Schismaticos: isti enim à Christo nequaquam recedere se profitebantur, sed vel à Romano Pontifice, vel ab Ecclesia, cujus erat ipse Caput visibile. Quamobrem illi etiam, qui Romani Pontificis Dignitatem & autoritatem minùs explicuisse videntur, B. Petro, & ejus successoribus primatum à Christo collatum docent ad constituendam in Ecclesia unitatem, & tollendam schismatis occasionem.

6. Nec obstat, quod objicit Richerius, Sedem Apostolicam aliquando tres, aliquando septem annos vacasse. Non enim tanta est capitis moralis, quanta naturalis necessitas.

Resecto capite naturali, ne uno quidem momento corpus vivere potest: at verò non perit corpus civile, deficiente Rectore; imò nec statum suum propriè amittit. Mortuo enim Imperatore, vel Rege per electionem creari solito, non statim desinit Monarchia, sufficit enim quòd communitas per Imperatorem aut Regem gubernari soleat, ut ejus politia Monarchica censeatur & dicatur; etiam in illo intervallo inter prioris Imperatoris vel Regis mortem, aut destitutionem, ac novi electionem, seu institutionem.

7. Quartò. Inconsequenter addit Richerius, politiam Monarchicam, quâ definit Ecclesiam, esse regimine Aristocratico temperatam. Si enim Monarchiam intelligit respiciens ad Christum Monarcham, incongruenter illius potestatem regimine Aristocratico temperatam dicit. Ejus enim autoritati obsequuntur, non eam temperant, ejus Ministri. Si Romanum Pontificem Monarcham esse sensit, incongruenter etiam locutus est. Nam si tota jurisdictio Ecclesiastica primariò, propriè, ac essentialiter Ecclesiæ convenit: Romano autem Pontifici, atque aliis Episcopis instrumentaliter, ministerialiter, & quoad executionem tantum, sicut facultas videndi oculo, quemadmodùm num. primo scripsit Richerius, politia Ecclesiastica nec Monarchica est, nec Aristocratica, imò nec propriè Democratica. Ecclesia enim ex Clericis & Laicis, ex viris & mulieribus constat; atque adeò magis propriè Pantocratica, vel saltem Democratica, regimine Aristocratico temperata diceretur: siquidem summus Pontifex est *caput ministeriale*, vel symbolicum, ac quasi figurativum dumtaxat: plenitudo autem jurisdictionis in Ecclesia residet.

8. *Secundum principium*, inquit Richerius num. 4. *docet D. Petrum esse tantummodò dispensatorem, & caput ministeriale, non Dominum, aut fundatorem Ecclesiæ: hoc enim uni & soli Christo capiti essentiali, per quem & propter quem subsistat Ecclesia, competit.* Hoc certè verissimum est. Nec justè reprehenderetur Richerius, si illius principii fines non excederet. Summus enim Pontifex cum Christo comparatus, est tantummodò dispensator & Minister, non Dominus, aut fundator Ecclesiæ: Christi est Ecclesia: ejus sunt oves & agni. Verum etiam est, quod subjungit Richerius;

rius; regimen Pastorum Ecclesiasticorum differre à sæculari, ac modestius & suavius esse debere : non tamen indè consequitur, regimen Ecclesiasticum esse Aristocraticum in eo sensu, quem explicat numeris seqq. aut non posse summum Pontificem, quos voluerit, in partem solicitudinis vocare, eosque jurisdictionis participes facere, quod videtur negare Richerius.

9. Ineptè autem in fine hujus num. 4. ac fine præcedentis notat præceptum habendi Pontificis, ad semper, non pro semper obligare. Quorsum enim illa distinctio inter præcepta affirmativa & negativa assignari solita ? Non agitur hic de præcepto habendi Pontificis, ut sciamus intra quod tempus debeat eligi, aut utrùm peccent ejus electores, si per aliquod tempus Ecclesiam capite carere permittant. Quæstio est an Ecclesia comparata ad suum caput visibile vera Monarchia dici queat; posse autem suprà ostendimus, etiam per illa intervalla, quibus sancta Sedes vacat.

10. *Tertium principium*, inquit Richerius num. 5. *statum Ecclesiæ ab ejusdem regimine distinguit : status enim Monarchicus est tùm ad unitatem atque ordinem vindicandum, cùm ad executionem Canonum, quæ Romano Pontifici, velut Capiti ministeriali congruit : regimen verò Aristocraticum, propter solidam providentiam, efficax consilium, & constitutiones eorumdem Canonum : quam ob causam num. 1. diximus, claves toti datas fuisse Ecclesiæ, ut per unum exercerentur.* Difficile captu est quid sibi velit illa distinctio inter statum & regimen, ac quomodò status Ecclesiæ Monarchicus sit; regimen verò Aristocraticum. Status enim propriè designare videtur, penes quos residere censeatur quasi permanenter, & immobiliter summa regendæ communitatis potestas. Regimen verò ipsius potestatis exercitium. V. g. Galliæ status est Monarchicus, quia suprema potestas in uno, scilicet Rege, stat; regimen verò aliquatenus Aristocraticum est, quando Rex cum Comitiorum aut Parlamentorum consilio & assensu Regnum administrat. Videtur autem vox illa, *status*, aliquid immobilius & constantius significare, quàm regimen, quod permanente statu variari potest; ut in Gallia, permanente semper statu Monarchico Rex aliquando Comitiorum aut Senatuum consilium & assensum postulat, aliquando de plenitudine potestatis & autoritatis

regiæ, non expectato cujuſquam conſenſu, ſua edicta exequenda præcipit. Si ergo *tota juriſdictio Eccleſiaſtica primariò, propriè ac eſſentialiter Eccleſiæ convenit*, ejus ſtatus non rectè Monarchicus dicitur : è contra verò ſi Romanus Pontifex, velut caput miniſteriale executioni Canonum Eccleſiæ ſupremâ autoritate incumbit, Eccleſiæ regimen Monarchicum convenientiùs appellatur.

11. In ſumma, politiæ differentia eſſentialiter petitur, non ab iis, per quos inſtrumentaliter, miniſterialiter & executivè juriſdictio exercetur ; ſed ab iis, quibus primariò, propriè, ac eſſentialiter convenit juriſdictio ; itaque, ſi poteſtas ſuprema ſit penes unum, quamvis plurimis inſtrumentis, miniſtris & executoribus utatur, erit Monarchia ; ſi poteſtas ſuprema ſit penes Optimates, erit Ariſtocratia, ſi penes populum, Democratia, quamvis Optimates, aut populus unico magiſtratui juriſdictionis exercitium committant, dummodò ſupremam apud ſe facultatem retineant præſcribendarum, etiam illi magiſtratui, legum. Quis enim aut Regnum Galliæ Monarchicum eſſe neget, etiamſi aliquid de Ariſtocratia immixtum appareat, & Senatus edicta Regia quodammodò confirmet ; & executioni demandari faciat ? Quis Reipublicæ Venetæ politiam, Monarchiam appellet, etiamſi Dux à Republica electus maximum in ſingulos cives imperium obtineret, cùm ipſius autoritas autoritati Reipublicæ ſubſit. Si ergo ſummi Pontificis, & Epiſcoporum juriſdictio totius Eccleſiæ juriſdictioni ſubjacet, in definiendâ politiâ Eccleſiaſticâ, tota Eccleſia eſt attendenda, non autem ſoli Paſtores.

12. *Quæ autem*, inquit Richerius eodem num. 5. *ratio Oecumenici Concilii ad Romanum Pontificem, eadem quoque & Synodorum particularium ad ſuos Epiſcopos, quoniam particulares Eccleſias itidem Canone, non abſolutâ poteſtate, à propriis Epiſcopis gubernari oportet.* Viderint Illuſtriſſimi Præſules Gallicani quid de hac Richerii doctrinâ ſentiant. Licet enim antea Concilii tantùm Oecumenici, & Provincialis expreſſam fecerit mentionem ; propoſitio tamen iſta, & ejus confirmatio in Synodis etiam Diœceſanis locum habet. Porrò, ſi eadem eſt ratio Synodi particularis ad Epiſcopum, quæ Concilii Oecumenici ad Romanum Pontificem, juriſ-

jurisdictio Episcopalis *primariò*, *propriè*, *ac essentialiter* Diœcesi convenit, aut Diœceseos Clero; (nam in hoc etiam num. dubium est quo in sensu Autor Ecclesiam sumat) Episcopo autem, atque Curatis, saltem seorsim consideratis, *instrumentaliter*, *ministerialiter*, *& quoad executionem tantùm*. Atque sicut Concilium Oecumenicum summo Pontifice superius est, & potest etiam ipsum deponere, si Gallis credimus; ita etiam & Synodus particularis suo Episcopo præeminebit; ipsumque poterit exautorare.

13. Nec dicas Episcoporum depositionem à Conciliis Oecumenicis esse summo Pontifici, aut, ut vult Joannes Gerbais, Conciliis Provincialibus reservatam. Jus enim Conciliorum particularium, perinde atque Generalium, lege Divina & naturali constitutum esse, illique derogari non posse, reponet Richerius. Subjungit enim; *Porrò Senatum aut Consilium nativum Ecclesia à Domino institutum vocamus, non modò Episcopos, verùm etiam omnes Presbyteros, curam animarum habentes: quorum illi Apostolis, hi verò septuaginta duobus discipulis successerunt dist. 68. can. Chorepiscopi. 16. quæst. 1. can. Ecclesia; & dist. 23. Can. Presbyter.* Ne autem putares in illo regimine Presbyteros Episcoporum tantùm fuisse Ministros, addit; *Etenim quondam Presbyteri Ecclesiam in commune regebant, ut D. Hieronymus autor est can. legimus dist. 93.*

14. Si autem instes Presbyteros, quantumvis curam animarum habentes, cùm septuaginta duobus discipulis tantùm succedant, inferiores esse Episcopis Apostolis succedentibus in regimine populi Christiani; facilis erit Richerio responsio; de singulis quidem Presbyteris id verum esse, non autem de toto illorum cœtu: sicut singuli Episcopi jure Divino summi Pontificis jurisdictioni subsunt; at verò in Concilio Generali congregati, majorem habere potestatem dicuntur.

15. Ego certè illam propositionem Richerii, *quæ est; ratio Oecumenici Concilii ad Romanum Pontificem, eadem quoque & Synodorum particularium ad suos Episcopos*, admittens, non concludo; *Ergo jurisdictio Episcopalis subjacet Synodo particulari, sicut Papæ potestas, potestati Concilii Oecumenici*; sed potius; *Ergo jurisdictio Romani Pontificis non subjacet Concilio Generali, sicut nec Episcopalis Concilio particulari.*

CA-

CAPUT III.

Penes quem sit infallibilis potestas decernendi, aut constituendi Canones. Ad num. 6. Richerii.

1. QUartum Richerii principium est ; *Infallibilem potestatem decernendi , aut condendi Canones esse penes totam Ecclesiam , aut Generale Concilium illam repræsentans.* Ea propositio primo aspectu videtur negari non posse. Quis enim Catholicus diffiteatur totam Ecclesiam , & Concilium generale infallibili Spiritus Sancti assistentiâ ab omni errore circa fidem & mores esse tuta. Verùm errat Richerius , si Ecclesiam à Concilio Generali distinguens , intendit , ut videtur, potestatem illam infallibilem decernendi non penes solos Pastores esse ; sed etiam penes populum. Non enim ad Laicos , multò minùs ad mulieres pertinet *infallibilis potestas decernendi , aut condendi Canones* , quantumvis Ecclesiæ membra sint. Concilium etiam Generale , si sine summo Pontifice accipiatur , quando is certus & legitimus existit , infallibili illâ potestate caret ; imò nec Concilium verè Generale nuncupatur. Ut igitur hoc Richerii principium verum sit , ita est intelligendum , ut Concilium verè Generale , vel etiam universitas Pastorum Ecclesiæ extra Concilium , infallibilem potestatem habeat decernendi , aut condendi Canones. Et , si (quæ suppositio est omninò impossibilis) universitas Pastorum erraret in decernendo ; universitas tamen fidelium non posset errare in acceptando aliquod Decretum , aliquemve Canonem fidei aut bonis moribus contrarium. Itaque infallibilitas activa penes universitatem Pastorum , passiva verò penes universitatem fidelium existit.

2. Sed latet in illa Richerii propositione , vel potiùs apparet in ejus probationibus , exclusio summi Pontificis extra Concilium Generale , ab illa infallibilitate activa decernendi , aut condendi Canones. Quamobrem expendendæ sunt ejus probationes : præsertim cùm propositioni supradictæ addat ; *Quain re natura reginiinis Aristocratici potissimùm consistit.* Nescio au-

autem, an, infallibilem potestatem decernendi, aut condendi Canones penes Generale Concilium reponens, intelligat hanc *convenire Romano Pontifici, atque aliis Episcopis in Concilio Generali congregatis primariò, propriè, ac essentialiter; an instrumentaliter, ministerialiter, & quoad executionem tantùm.* Si *primariò, &c.* retractat quod num. 1. dixerat, Ecclesiam à Romano Pontifice, aliisque Episcopis distinguens, & Ecclesiæ quidem *primariò, &c.* jurisdictionem tribuens, Romano autem Pontifici, atque aliis Episcopis *instrumentaliter, &c. tantùm*, nisi Ecclesiam illic intellexerit, Romanum Pontificem atque alios Episcopos collectivè, illos, à se ipsis divisivè considerates, distinguens. Sed, si ea fuit ejus mens, Ecclesiam propriè dictam non designavit definitione illâ, quam libelli sui fronti præfixit, & num. 3. repetiit. Romanus enim Pontifex, atque alii Episcopi, etiam in Concilio Generali congregati, non sunt Ecclesia, nisi representativè. Est enim Ecclesia omnium fidelium congregatio. Si autem infallibilem illam potestatem Romano Pontifici, atque aliis Episcopis in Concilio generali congregatis primariò & propriè non convenire sensit, adversatur pluribus Conciliorum Constantiensis & Basileensis Decretis; atque adeò à multis in Gallia hæreticus erit censendus. Sed expendamus probationes ejus propositionis, quam dicit partim Divino, partim naturali lumine demonstrari.

3. A lumine naturali hoc ducit argumentum; *Oculi quàm unicus oculus, longiùs atque acriùs prospiciunt: ac nemini uni ne superbiret, à Deo, vel à natura datum est, ut sapiat.* Verùm, licet in definiendis fidei ac morum quæstionibus, ratione uti necesse sit: si quis tamen solâ ratione Decretorum, seu Canonum certitudinem metiatur, probabiliora erunt Conciliorum Generalium judicia, quàm singularium Doctorum; sed ad infallibilem certitudinem non pertingent. Quamvis enim Augusti illi cœtus plurimis constent viris doctrinâ & sapientiâ conspicuis; nihilominùs absunt ab eis Doctores, interdum etiam Episcopi numero plures, doctrinâ & sapientiâ non inferiores, qui, si aliis accessissent, tota illorum congregatio *longiùs atque acriùs prospexisset*, quia pluribus oculis; minusque superbirent singuli, si nonnisi in majori congregatione sapererent.

rent. Non igitur soli multitudini adscribenda est infallibilis potestas decernendi; (quamquam numerus & meritum Episcoporum ad excitandam debitam Concilio reverentiam non parùm conferant) sed Divinæ promissioni, quâ certi sumus, neque Pastorum universitatem moraliter sumptam fidelium universitati aliquid sanæ fidei, aut probis moribus contrarium proposituram, neque fidelium universitatem tale quid suscepturam. Quamobrem etiam in summo Pontifice aliquid Ecclesiæ universali proponente non est attendendum, an unica sit persona, sed utrum ei Christus in B. Petro promiserit fidem nunquam defecturam: non utrum à natura, sed utrum à Deo datum ei sit ut saperet, etiam sine omnium aliorum Pastorum consilio.

4. A Divino lumine dictum suum confirmat Richerius, allegans 1. autoritatem B. Pauli 1. ad Cor. ex cujus cap. 12. profert hæc verba, sed interpolata; *Corpus Ecclesiæ non est unum membrum, sed multa: si totum corpus oculus, ubi auditus.* Oculis caruisse videtur Richerius hæc scribens, quandoquidem non vidit, illum Apostoli locum manifestè sibi adversari. Si enim totum corpus Ecclesiæ non est oculus, sed aliqua ejus membra oculorum officio funguntur, non ad totam Ecclesiam, quatenus complectitur laicos, qui sunt inferiora ejus membra, spectat videre ac decernere, sed ad Pastores tantùm, qui sunt Ecclesiæ oculi, ut observant sancti Patres, nominatim D. Gregorius Pastoral. cap. 1. Nec video quid concludere potuerit Richerius circa infallibilem potestatem decernendi, aut condendi Canones ex relatis Apostoli verbis. Addit ex ejusdem B. Pauli Epist. cap. 14. vers. 32. *Spiritus Prophetarum Prophetis*, idest *Ecclesiæ*, interpretante Richerio, *subjectus est.* Germanus illorum verborum sensus est, ut optimè ibi explicat S. Thomas, Prophetas non ita spiritu Prophetiæ abripi, ut nequeant impetum dicendi cohibere; aliisque loquendi locum dare, quod & antecedentia & subsequentia manifestè probant. Præcedit enim; *Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat. Potestis autem omnes per singulos prophetare, ut omnes discant, & omnes exhortentur.* Vers. 30. & 31. sequitur autem; *Non enim est dissensionis Deus, sed pacis* vers. 33. Neque fideliter verba B. Pauli retulit Richerius, non enim in numero singulari dicit

cit Apostolus ; *Spiritus Prophetarum Prophetis subjectus est* : sed in numero plurali ; *Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt* , quâ loquendi formâ Apostolus apertiùs significat, quod anteà diximus , Prophetas esse sui compotes in prophetandi usu. Non nego tamen quin totum Prophetarum collegium de singulis, qui se Spiritu Prophetiæ afflatos dicebant , judicaret an à bono Spiritu moverentur , id enim docet Apostolus vers. 29. *Propheta autem duo aut tres dicant , & cæteri dijudicent.* Sed licet quod de Prophetis dicitur, Pastoribus & Doctoribus , à quibus eos Apostolus cap. 12. vers. 28. & 29. distinxit , accommodet Richerius , quid aliud inferre poterit , nisi , congregatis in Concilio Pontificibus, singulorum suffragia totius cœtus censuræ esse obnoxia ; atque adeò infallibilem potestatem decernendi penes totam congregationem existere , quod singulari summi Pontificis privilegio non præjudicat. Hic rursus repetit verba S. Cypriani ; *Episcopatus unus est , cujus à singulis in solidum pars tenetur* 24. *quæst.* 1. *can. loquitur.* Vix enim aliud alicujus momenti reperiat , præter obscuram illam Cypriani , jam tum errorem de iterando Hæreticorum baptismo defendentis , autoritatem , ad adstruendum regimen Aristocraticum eo sensu quo explicat ; quam tamen S. Cypriani autoritatem Pontificiæ autoritatis impugnatores parùm juvare jam alibi ostendimus.

5. Prosequitur Richerius ; *Itaque quod omnes tangit , necessum est ab omnibus quoque comprobari.* Ergo cùm fides omnes fideles tangat, necessum erit ab omnibus quoque comprobari , hoc est Clericis & Laicis , nobilibus & plebeiis , viris & mulieribus. Ergone , donec accesserit illa comprobatio , incerta erunt Conciliorum Generalium Decreta ? Id ex Richerii ratione sequitur. Addit enim ; *Cùm præsertim omnis Pontifex ex hominibus assumptus , circumdatus sit infirmitate : ac proinde fallere & falli potest , nisi Ecclesiam columnam & firmamentum veritatis* 1. *ad Tim.* 3. *in consilium adhibeat.* In eo enim loco Ecclesia pro universo fidelium cœtu accipitur , non pro Concilio generali : Paulus quippe Timotheum instruebat , quomodò se habere deberet , non in Concilio generali , sed in Ecclesiâ Ephesinâ , non seorsum ac separatim ab aliis Ecclesiis consideratâ , quandoquidem Ecclesia particularis Ephesiorum non erat *columna & firmamentum veritatis* ,

ut ejus in errorem lapsus comprobavit, sed cum quodam respectu ad alias Ecclesias, cum quibus constituebat corpus Ecclesiæ universalis, quæ non errandi privilegio gaudet. *Hæc tibi scribo*, inquit, *sperans, me ad te venire citò. Si autem tardavero, ut scias quomodò oporteat in Domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* Tradit autem illi monimenta, non solùm circa Episcopos & Diaconos, sed etiam circa mulieres, ut Ecclesia de solo ordine Hierarchico non possit accipi. Quo autem sensu Ecclesia sic accepta sit columna & firmamentum veritatis §. 1. innuimus.

6. Observat præterea Richerius, quod *Ecclesia, non uni & soli Petro, Dominus in Cœlum ascensurus Spiritum veritatis pollicetur Joan. 14. vers. 16. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Frustrà probat Spiritum Sanctum omnibus Apostolis datum. Quis enim hoc negat; sed, ut suum scopum attingeret, ostendendum ulterius esset, Spiritum Sanctum B. Petro, aut aliis Apostolis non astitisse, nisi *individuè & collectivè.*

7. Etsi Richerius Ecclesiæ definitionem toti operi suo præmiserit, quasi omnium dicendorum principium & fundamentum; tamen omninò incertum est, quid definire voluerit, ut jam non semel observare licuit. Cùm rei definitio traditur, nomen in propria significatione intelligitur. Itaque cùm Ecclesia propriè sumpta, sit omnium fidelium congregatio; Concilium autem Generale non dicatur Ecclesia, nisi repræsentativè: dum Ecclesia simpliciter & absolutè describitur de omnium fidelium congregatione, non de Concilio Generali accipienda est descriptio, nisi adjungatur aliquid, quo vocis illius significatio determinetur. Richerius autem modò in isto, modò in altero sensu Ecclesiam accipit, etiam in hoc numero sexto. Nam initio *totam Ecclesiam & Generale Concilium illam repræsentans*, expressè distinguit: post testimonium à sancto Joanne suprà relatum, adjungit; *Item Matth. 18. Ecclesiam sibi ipsi sufficientem & Architectonicen, infallibilis Tribunalis erectione constituit.* Fateor me non intelligere quid sibi velit Christum *Ecclesiam sibi ipsi sufficientem constituisse.* Non enim his verbis excludit Richerius indigentiam Divini regiminis: cujus autem alterius ope indigeret Ecclesia? Non enim extra ipsam sunt, nisi

nisi Infideles, vel qui ab ejus corpore per schisma recesserunt, vel per excommunicationem resecti sunt, quorum certè omnium ductu non est opus Ecclesiæ. Quâ igitur ratione potuit Dominus Ecclesiam sibi ipsi sufficientem non constituere; Ex scopo Richerii videtur ipsum ita interpretandum esse, ut voluerit Ecclesiam sibi ipsi sufficientem esse constitutam, ut non egeret regimine summi Pontificis; quasi summus Pontifex esset extra Ecclesiam, aut ejus regimini superfluus; frustraque B. Petro dictum fuisset; *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Tibi dabo claves Regni Cœlorum. Confirma fratres tuos. Pasce oves meas.* Faciliùs capitur Richerius dicens Christum Ecclesiam constituisse architectonicen. Hoc enim nomine vocant Philosophi artes, quæ cæteris imperant tanquam Ministris fini suo deservientibus, sicut Equestris imperat frænofactoriæ. Ita enim Richerius totam jurisdictionem Ecclesiasticam primariò, propriè, ac essentialiter Ecclesiæ; Romano autem Pontifici, atque aliis Episcopis instrumentaliter, ministerialiter, & quoad executionem tantùm tribuit num. 1. verùm id jam confutavimus.

8. Sed quomodò *Ecclesiam architectonicen infallibilis Tribunalis erectione constituit* Dominus? An Ecclesiam formaliter sumptam: an Concilium Generale ipsam repræsentans? Quomodo id factum narrat Richerius? *Dum*, inquit, *B. Petrum rescire gestientem, quoties fratri suo peccanti indulgeret, in hunc modum informat: si peccaverit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te & ipsum solum, &c. si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus: Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo, &c. Iterùm dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in Cœlis est: ubi enim duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Hujus testimonii occasione videtur Richerius explicare velle, quid Ecclesiæ nomine intellexerit. Sed nescio an non doctrinæ suæ densiores injiciat tenebras. Prosequitur enim; *Quo ex proloquio discimus, Christum immediatè concessisse ordini Hierarchico, quem hîc nomine Ecclesiæ designat, facultatem excommunicandi.* Ex his inferendum videretur, Richerium, dum num. 1. dixit, quod *tota jurisdictio Ecclesiastica, primariò, propriè, ac essentialiter Ecclesiæ convenit*, Ecclesiæ nomine intellexisse non totam fidelium congregationem, sed

ordinem tantùm Hierarchicum : quando verò addidit, quod *jurisdictio convenit Romano Pontifici, atque aliis Episcopis, instrumentaliter, ministerialiter, & quoad executionem tantùm*, Romanum Pontificem & Episcopos divisim accepisse.

9. Sed obstat huic interpretationi similitudo, quam addit, *Sicut*, inquit, *facultas videndi oculo convenit*, quam in principio fusiùs explicuerat, dum sic orsus est; *Vulgare est, atque indubitatæ fidei axioma, Deum & naturam, priùs atque immediatiùs ad totum suppositum, quàm ad aliquam partem suppositi, quamvis nobilissimam intendere: eamq; ob causam, facultatem videndi, e. g. toti datam esse homini, ut per oculum, tanquam per organum & ministrum hominis exerceretur: nam oculus per & propter hominem existit.* Ubi per totum suppositum nonnisi totum corpus Ecclesiæ, non autem solum ordinem Hierarchicum significare potuisse videtur. Adde, quod in verbis suprà relatis numeri 6. quem discutimus, monosyllabum illud, *hic*, exceptionem indicat; ita ut alibi Ecclesia, non ordinem Hierarchicum tantùm, ut *hic*, sed totum corpus Ecclesiæ designet.

10. Confirmat autem Christum immediatè concessisse ordini Hierarchico facultatem excommunicandi hâc ratione. *Nam*, inquit, *sicut denarius numerus eminenter & causaliter omnes capit numeros: sic formula hæc, dic Ecclesiæ, eminenter inquam & causaliter, plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ, cum omni superiori Ecclesiastico, aliquâ jurisdictione prædito, complectitur, sive sit Curio, Episcopus, Papa, aut Concilium Generale, in quod omnes controversiæ, tanquam in ultimum atque infallibile Tribunal, omnem potestatis plenitudinem continens resolvuntur.* Quis numerus eminenter & causaliter omnes capiat numeros, Arithmetici dijudicent. Mihi certè obscura est prima illa comparationis pars; non enim video cur denarius numerus aliis emineat, eorumque sit causa, potiùs, quàm duodenarius, v. g. cujus, utpotè ad partitiones commodioris, usus frequentior est, ac de quo effatus est Beda homil. in natal. S. Benedicti; *Duodenario sæpè numero solet in Scripturis universitas designari.* Sed obscurius est ipsum comparationis punctum. Rescire enim vellem, quid his verbis (*formula hæc, dic Ecclesiæ eminenter, &c.*) significare voluerit Richerius; utrùm scilicet ex ejus mente Christus aliquam jurisdictionem tribuerit singulis Curionibus, Episcopis, ac Pontificibus Romanis immediatè; an verò

rò soli Concilio Generali. Si tribuit singulis : ergò ipsis non competit *instrumentaliter*, *ministerialiter*, *& quoad executionem tantùm*, sed *primariò* (saltem prout idem significat atque immediatè) *propriè*, *ac essentialiter*. Si non tribuit immediatè, non potest Curio, Episcopus, vel Papa judicare, nisi ex delegatione Concilii Generalis, atque adeò congregandum erit Concilium Oecumenicum, ut Curioni, Episcopo, vel Papæ committat examen fratris in alium peccantis.

11. Respondebis fortè pro Richerio, generalem ad hoc commissionem à Conciliis Generalibus datam. Sed primò, ubinam est expressa? Nam si qua hujus rei fit mentio in Conciliis Generalibus, ea nequaquam commissio est, sed proprii officii commonitio. Secundò antequam haberentur Concilia Generalia, cujusmodi erat jurisdictio Curionis, Episcopi, aut Papæ contra reos procedentis? Tertiò quis unquam Curio (ex mente Richerii loquor, dum Curionibus jurisdictionem contentiosam tribuere videor) Episcopus aut Papa proprios subditos puniens, se à Concilio Generali delegatum existimavit?

12. Prosequitur Richerius; *Statim atque Dominus hoc protulit oraculum, dic Ecclesiæ : continuò pluraliter subjungit, Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, &c. Undè liquidò apparet, ibi formaliter & propriè non agi de Ecclesia pro unico homine, sed pro pluribus unà congregatis.* Eximium ratiocinandi genus! An ex eo quod in loco relato plurium fiat mentio, sequitur alibi soli Petro non fuisse dictum, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum* : rursus alibi; *Confirma fratres tuos.* Alibi denique; *Pasce oves meas.*

13. Sed mirum in modum sese in sequentibus implicat Richerius. Nam postquam probavit, quod *Dominus impartitus Ecclesiæ facultatem sese congregandi in Concilium, atque infallibiliter decernendi,* (dum scilicet verbis suprà relatis ex Matth. addit; *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, &c. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*) notat Christum in hoc textu *numerum certum pro incerto, ac minimum numerorum ideò expressisse, quo omnem tergiversandi occasionem litigiosis hominibus eriperet: ostenderetq; ad justam Ecclesiæ moderationem, non unius tantùm Romani Pontificis, sed trium aut duorum ad minùs consensum & concordiam requiri.* Certè

tè si duorum consensus sufficiat, frustrà desudavit Richerius, ut summi Pontificis autoritatem impugnaret. Nunquam enim Papa Decretum circa fidem aut mores edit, quin alium saltem sibi consentientem habeat, atque adeò vanus est ille impetus, quo infallibilem Pontificis autoritatem oppugnare videtur, cùm continuò addit; *Profectò quamcumque in partem se converterint adversarij, fateantur oportet hac verba (ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo) &c. absolutam, atque infallibilem unius Papæ autoritatem necessariò excludere.* Corruit etiam quod paulò antè observarat, scilicet Christum in hoc textu, *Concilium Aristocraticum Divinitùs, non Oligarchicum humanitùs institutum designare.* Duorum enim Concilium Oligarchicum convenientiùs diceretur, quàm Aristocraticum, nisi fortè vocem *humanitùs*, conjungat cum *Oligarchicum*. Non enim humanitùs, sed Divinitùs esset institutum illud duorum aut trium Concilium. Cæterùm quod ait Richerius, *Dominum impartitum Ecclesiæ facultatem sese congregandi in Concilium*, non necessariò colligitur ex Christi verbis, si ita sumatur, ut Episcopi autoritate propriâ sese possint congregare. Christus enim ait; *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo*; non autem exponit an alicujus superioris autoritate congregandi sint. Imò legitimi superioris autoritatem illis verbis, *in nomine meo*, indicari nonnulli arbitrantur?

14. Porrò illa Christi verba; *Iterùm dico vobis, &c.* varii variè interpretantur, etiam ex sanctis Patribus, nec Conciliis Generalibus, nisi per consequentiam quamdam congruere videntur; imò non solùm hæretici, ut Calvinus; sed etiam Catholici quidam, ut Launoius, observarunt illa Conciliis Provincialibus perinde atque Generalibus convenire, ut lib. 5. vidimus. Quod addit Richerius *Ecclesiam invitam dissentientem, aut inconsultam obligari non posse*, idque *usquequaque legi naturali congruere*, absurdum esset, si vim obligandi legibus Ecclesiasticis adimeret, nisi ab omnibus approbatæ essent fidelibus, sicut antèà voluisse videtur Richerius allatâ illâ regulâ; *Quod omnes tangit, necessum est ab omnibus quoque comprobari.*

15. Sententiam suam *praxi veteris Ecclesiæ abundè confirmari* ait. Nam, inquit, *Hierosolymitanum Concilium, omnium Apostolorum & Presbyterorum consensione, ac suffragiis ita concluditur. Actorum 15. Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Verùm primò ex Apostolis tantùm Petrum, Joan-

Joannem & Jacobum, cum Paulo & Barnaba huic interfuisse Concilio colligitur ex epist. ad Gal. cap. 2. ubi B. Paulus juxta sanctum Epiphanium hær. 28. & S. Hieronymus in illum locum epist. ad Gal. & alios, de tempore istius Concilii loquitur, & prædictorum tantùm Apostolorum meminit; Certum ad minus est, Concilium illud Oecumenicum non fuisse. Cùm enim habitum fuerit anno Christi 51. jam plurimi erant Episcopi, tum in Oriente, tum in Occidente. Et de Beatis Paulo & Barnaba dixerat anteà, scilicet cap. 14. vers. 22. S. Lucas, quod in illis Provinciis, quos lustraverant, Antiochiam redeuntes, constituerant, *per singulas Ecclesias Presbyteros*, quo nomine designabantur olim etiam Episcopi: Concilium autem Jerosolymitanum solis illis Apostolis & Senioribus, qui tum Jerosolymis aderant, constabat, ut patet ex textu Act. Apost. Secundò potuisset quilibet Apostolorum controversiam tunc motam definire, cùm omnes Spiritûs Sancti gratiâ repleti fuissent. Sed Judæorum illius contentionis autorum superanda erat pertinacia præcipuorum Apostolorum autoritate, atque communi consilio Apostolorum & Seniorum res temperanda. Exemplum igitur hujus Concilii suadet quidem suaviùs & efficaciùs contentiones componi communi plurium consensione, quàm simplici definitione; monetque summos Pontifices, ut fratrum sententiam requirant, tum quia contra reverentiam Divinam esset, ut non adhibitis opportunis & congruentibus mediis veritatem sibi revelari postularent, tum quia publicæ paci & concordiæ sese tenentur accommodare: non tamen convincit necessarium esse Concilium Generale, ut Decreta fidei aut morum infallibili Spiritûs Sancti præsentiæ tribuantur.

16. Verba Patrum Ecclesiæ Africanæ ad Cælestinum I. à Richerio adducta, scilicet, *non esse credibile Deum unicuilibet inspirare examinis justitiam & innumerabilibus congregatis in Concilium illam denegare*, de condendis Canonibus non sunt. Scripta enim fuerunt occasione Apiarii Presbyteri in Africa damnati, & Romæ absoluti; & de judiciis criminalibus intelligenda sunt, ut patet ex verbis antecedentibus; *Decreta Nicæna sive inferioris gradûs Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt.*

Neque intendebant Patres Africani Concilio Oecumenico prærogativam illam, quam Richerius summo Pontifici præripere conatur, vendicare. Sic enim prosequuntur; *Prudentissimè enim justissimeque providerunt quæcumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda: nec unicuique Provinciæ gratiam Sancti Spiritûs defuturam, quâ æquitas à Christi Sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissimè teneatur.* Mentionem quidem deinde faciunt Concilii Generalis; sed eo nomine vocabant Concilium ex tota Africa. De judiciis ergo erat sermo, in quibus non solùm summi Pontifices, sed & Concilia Generalia decipi possunt, propter incertitudinem testimonii humani, quo eorum sententia nititur; & quæ commodiùs in ipsis Provinciis instrui possunt, propter eam, quam afferunt Patres Africani rationem, scilicet examinandorum testium opportunitatem, qui præ sexûs, aut senectutis infirmitate, vel aliis impedimentis non possent in remotas Provincias sese conferre. Quare prædicta verba Concilio Oecumenico perinde atque summo Pontifici opponi possent.

17. Autoritatem Zosimi tamquam palmarem opponunt summi Pontificis autoritati quicumque illam graviter ferunt: quia nimirùm sanctam Sedem Patrum Decretis derogare non posse profitetur; quasi verbis illis significaret, Concilium Oecumenicum esse Romano Pontifici superius. Sed aliam esse Zosimi sententiam, ejus verba testantur. Non enim defectum illum potestatis ad Superioritatem Concilii refert, sed ad antiquitatis studium, cujus retinentissima erat sancta Sedes. Necessitatem autem sequendæ antiquitatis, ex honestate, atque rerum ipsarum æquitate ac justitiâ provenire, multifariàm innuit Zosimus. *Contra Statuta Patrum*, inquit, *& sancti Trophimi reverentiam, qui primus Metropolitanus Arelatensis Civitatis* EX HAC SEDE DIRECTVS EST, *concedere vel mutare ne hujus quidem Sedis possit autoritas.* APVD NOS ENIM INCONVVLSIS RADICIBVS VIVIT ANTIQVITAS, *cui Decreta Patrum sanxere reverentiam.* Omisit Richerius, & omittere solent plerique alii hunc locum referentes, quæ ad sanctum Trophimum pertinent. Eodem modo declarat Zosimus sanctæ Sedis autoritatem non posse concedere, vel mutare contra sancti Trophimi reverentiam, & contra Statuta Patrum id, quod ab Episcopis Concilii Tauri-

rinensis exortum fuerat : nemo autem dixerit hinc concludendum S. Trophimum Romano Pontifice fuisse superiorem, licet à sancta Sede contra ejus reverentiam nihil statui posse dixerit Zosimus. Contrarium ipsemet Pontifex insinuat, dum ait, quod S. Trophimus *primus Metropolitanus Arelatensis Civitatis ex hac Sede directus est.* In hujusmodi enim missionibus, major est qui mittit eo qui mittitur.

18. Atque indè alia oritur responsio, nimirùm, Zosimum Patrum nomine Romanos Pontifices inprimis intellexisse, quod non simplici conjectura asserimus. Se ipsum enim explicat summus ille Pontifex. Concilium Taurinense circa an. 397. Can. 1. Proculo Episcopo Massilienſi ordinationem Episcoporum Provinciæ secundæ Narbonensis concesserat. Zosimus id ægrè ferens, quod factum esset *in Apostolicæ Sedis injuriam*, Canonem Concilii Taurinensis hac ipsâ epistolâ evertit. Cùm igitur Conciliorum generalium non meminerit, Provincialis autem, nempe Taurinensis Canonem abroget, perperàm citatur pro Conciliis contra Papam; Patresque, quorum statutis se derogare non posse profitetur, intelligendi sunt præcipuè summi Pontifices, quorum Decretis posset sine dubio derogare illorum successor, nisi, ut diximus, id vetaret reverentia antiquitati debita: (*Apud nos enim*, inquit *Zosimus*, *inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui Decreta Patrum sanxere reverentiam*) aut lex Divina vel naturalis.

19. Hæc est enim alia ratio, cur Zosimus existimavit, ne quidem sanctæ Sedis autoritatem Patrum Decretis posse derogare; quia scilicet juris Divini aliquid plerumque continent, super quo à nemine dispensari valet. Id exprimit præfatus Pontifex his verbis epist. 6. occasione Ursi & Tuentii Episcoporum ab eodem Proculo Massilienſi ordinatorum, scriptæ. *Cùm adversus statuta Patrum venitur, non tantùm illorum prudentia atque sententiæ, qui in ævum victura sanxerunt, sed ipsi quodammodo fidei & Catholicæ disciplinæ irrogatur injuria. Quid enim tam sanctum atque venerabile est, quàm pœnitus non exorbitare ab itinere Majorum, quorum Canonica instituta veluti quædam fundamenta sunt ferendis fidei jacta ponderibus.*

20. Tantum autem abest ut in epistola à Richerio objecta Zosimus ideò Sedem Apostolicam contra statuta Patrum se

nihil concedere vel mutare posse arbitretur, ob eam causam quod Concilium Oecumenicum sit Romano Pontifice superius, ut in illa ipsa epistola antiquissimi, & omnium sæculorum veneratione celeberrimi Concilii generalis primi Nicæni, nec non Concilii generalis Constantinopolitani primi Canonibus deroget, ut Romanorum Pontificum Decreta custodiat. Statuit enim ut Episcopus Arelatensis in alienis Provinciis, scilicet in utraque Narbonensi & Viennensi Episcoporum ordinandorum facultatem habeat, quantumvis renitentibus illarum Provinciarum Episcopis, contra quod expressè decretum fuerat can. 6. Nicæno, & Constantinopolitano tertio, quia scilicet ob S. Trophimi primi Metropolitani Arelatensis illuc à sancta Sede directi, reverentiam, Ecclesiæ Arelatensis privilegium illud putabat fuisse concessum.

21. Nescio cur Richerius, & alii ejusdem erga sanctam Sedem affectus, S. Gregorii locum dist. 15. Can. *Sicut Sancti*, ex ejus epist. 24. lib. 1. relatum allegant, ut summum Pontificem Concilio generali subjiciant. Cùm Sanctus ille Doctor loquatur ibi de definitionibus fidei in Conciliis generalibus editis, quæ fuerant à sancta Sede approbatæ; quæque adeò infallibili certitudine præditæ erant, nec magis à Concilio Oecumenico quàm à Papa convelli poterant. Unde illas ut Evangelium venerari se profitetur. Cæterùm enim summum Pontificem Conciliorum generalium legibus non teneri apertè declarat idem Sanctus epist. 31. lib. 6. ubi de Canonibus Concilii primi Constantinopolitani ait; *Romana autem Ecclesia eosdem Canones vel gesta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit.* Alia dedimus lib. 5. reprobatorum à sancta Sede Canonum exempla.

22. Quod ait Richerius; *Unum & solum Pontificem Romanum in Synodis Generalibus Decreta fidei Catholicæ non facere, sed inductione & consensu omnium Ecclesiarum particularium inito, illa universim inferre ac concludere*, non concludit; signum id esse regiminis Aristocratici, saltem in eo, quo ille intelligit, sensu. Etsi enim in Concilio, Episcopi Judices sedeant, definitionum tamen certitudo, atque Decretorum robur maximè ac præcipuè pendet à summo Pontifice, quod vel ex eo constat, quod in quibuscum-

eumque Conciliis adfuit, per se, non per Legatos tantùm, Decreta sunt ejus nomine edita, ut videre est in Conciliis generalibus, quinque Lateranensibus, duobus Lugdunensibus, & Constantiensi ipso, (cujus autoritas tanti fit ad deprimendam Pontificiam Dignitatem) ex quo Martinus V. Papa creatus est, & in pluribus Conciliis particularibus.

23. *Confirmatur*, inquit Richerius, *Can. Majores* 24. *quæst.* 1. Nescio quid illo Canone confirmetur, aut quibus ejus verbis, Nec enim exprimit Richerius. Canon ille sic habet; *Majores nostri Divinâ inspiratione cernentes necessariò præcaverunt; ut quod contra unamquamque hæresim coacta semel Synodus pro fidei communione, & veritate Catholicâ atque Apostolicâ promulgasset; non sinerent novis post hæc retractationibus mutilari: ne pravis occasio præberetur, quæ medicinaliter fuerant statuta, pulsandi.* Hinc quidem confirmatur, veritatem fidei semel ritè determinatam non posse retractari; non autem summum Pontificem Concilio controversias fidei definiente esse inferiorem. Alioquin enim posteriora Concilia Oecumenica essent Prioribus inferiora, quia ipsa pariter non possunt ea, quæ semel legitimè definita fuerunt, revocare. Autoritas autem summi Pontificis in Concilia vix alibi luculentius declaratur, quàm in epistola Gelasii ad Episcopos Dardaniæ, ex qua desumptus est Canon prædictus, quæque 13. est inter illius Pontificis epistolas. Ait enim v. g. quod *prima Sedes unamquamque Synodum sua autoritate* CONFIRMAT, *& continuatâ moderatione* CVSTODIT; *pro scilicet principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesiâ nihilominus subsequente & tenuit semper & retinet.* Et infrà; quòd *Apostolica Sedes frequenter, ut dictum est more Majorum, etiam sine ulla Synodo præcedente, & absolvendi quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi nulla existente Synodo quos oportuit, habuerit facultatem, &c.* Atque adhuc inferiùs; *Beatum Papam Leonem Sedis Apostolicæ Præsulem, cujus Synodus Chalcedonensis autoritate* FIRMATA EST, *quidquid ultra quam ab eodem pro fide & communione Catholica atque Apostolica illic agendum, constaret esse delegatum, per occasionem congregationis illius, præter Nicænos Canones novâ videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuasse.* Si qua in verbis adeò perspicuis supereffet obscuritas, eam facilè potuissemus auferre. Canoni. *Majores.* 24. quæst. 1. opponendo cap. *Majores.* De baptismo. Cujus hæc sunt verba; *Majores Ecclesiæ causas, præsertim*

articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas intelliget, qui eum quærenti Domino, quem Discipuli dicerent ipsum esse, respondisse notavit: Tu es Christus Filius Dei vivi: & pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides ejus.

CAPUT IV.

De oratione Christi pro fide B. Petri. De necessitate Conciliorum, ac vi Decretalium summorum Pontificum. De potestate summi Pontificis, præsertim circa Canones Conciliorum. Ad numeros 7. 8. & 9. Richerii.

1. OBjicit sibi Richerius num. 7. orationem Christi pro fide B. Petri, ac mandatum illi impositum de confirmandis Fratribus; Respondetque orationem, seu pollicitationem Christi ad solum tempus Dominicæ passionis extendi: mandatum autem ad tempus ante resurrectionem. Hanc interpretationem ut confirmet, notat 1. *Christum non dixisse Petro; Ego rogavi pro te ne unquam eres, aut ut sis infallibilis: Sed tantùm, Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & Petrum errasse quidem, eius verò fidem nequaquam defeciisse quoad habitum, sed quoad actum.* 2. Observat D. Petrum, *postquam ex titubatione trinæ negationis, quasi ex gravissimo sopore emersit, multò magis idoneum fuisse, tum ad suos Collegas fluctuantes confirmandos, tum ad fratres dispersos in Ecclesiam revocandos, ut ibidem resurrectionem Domini præstolarentur.* Undè concludit; *Istud privilegium soli Petro ob imminens scandalum Crucis, factum esse.*

2. Ne omnia repetamus, quæ hac de re jam diximus, sufficiet hîc B. Hieronymi testimonium afferre, cujus, ut arbitror, autoritas autoritati Richerii præponderat. Tradit autem apertissimè S. Hieronymus in hæc verba Matth. 16. *Vade post me Satana*, indeficientem Petri fidem, aliasque prærogativas ad tempus, quo re ipsâ, &, ut dicitur, actualiter constitutus est supremus Pastor, scilicet, post resurrectionem Joan. 21. fuisse dilatas, vel saltem tunc maximè perfectas; *Prudens*

Lector

Lector inquirat, inquit beatus Doctor, *quomodò post tantam beatitudinem : Beatus es Simon Barjona. Et : Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam : & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves Regni Cœlorum. Et quod ligaveris vel solveris super terram, erit ligatum vel solutum in Cœlo, hunc audiat : Vade retro me Satana, scandalum mihi es. Aut quæ sit tam repentina conversio, ut post tanta præmia, Satanas appelletur. Sed si consideret qui hoc quærit, Petro illam benedictionem & beatitudinem ac potestatem, & ædificationem super eum in futuro promissam, non in præsenti datam intelliget. Ædificabo, inquit super te Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, & dabo tibi claves Regni Cœlorum* : OMNIA DE FVTVRO. *Quæ si statim dedisset, nunquam in eo prava confessionis error invenisset locum.*

3. Cæterùm ex plurimis testimoniis, quæ lib. 7. adduximus, constat sanctos Patres, Doctores, & Concilia, Christi pro Petro orationem, non solùm pro ipso, sed etiam pro ejus successoribus factam tradidisse. Et quamvis nonnulli de tempore Passionis illam interpretentur : non tamen ad illud solum tempus restringunt. Ejus fructum ad B. Petri successores transmissum colligitur ex ipsomet mandato illi impositio confirmandorum fratrum. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua : & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Luc.* 22. Nam ideò præcipuè pro Petro rogavit, ut ipse confirmaret fratres suos, tanquam scilicet supremus Pastor; quod officium, atque adeò etiam indefectibilis fidei privilegium ad successores transiit. Notanda est hæc vox, *aliquando*, quæ frequentiùs significat tempus non proximum, quale erat tempus præcedens Christi resurrectionem, sed remotum. Ac re ipsâ non apparet tempore illo intermedio inter mortem & resurrectionem Salvatoris Petrum confirmasse fratres. Accedit quod multò major erat necessitas confirmandorum à Petri successoribus successorum aliorum Apostolorum, quàm Apostolorum ipsorum à Petro; atque adeò si Christus Discipulis suis providit confirmatâ Petri fide, injunctoque illi officio sustinendæ aliorum fidei, multò magis futuris fidelibus, utpotè minoribus donis præditis, prospicere necessum erat, obtentâ supremis illorum Pastoribus fide non deficiente. Nec solùm tempore passionis tentandi erant Apostoli; atque adeò non illo solo tempore indigebat Petrus Christi oratione & auxilio,

(ut

(ut non deficeret fides ejus) aut alii Discipuli confirmatione Petri : quamquam, ut dixi, longè minùs erat illis, quàm eorum successoribus necessaria confirmatio in fide.

4. Occurret fortasse aliquis ex Richerio, vocem illam, *aliquando*, non posse ad tempus longè distans referri, quandoquidem conjuncta est cum ista, *conversus* quæ Petri conversionem proximè futuram designat. Verùm, licet duarum illarum vocum secunda primam sequatur, nullâ aliâ intermediâ; non tamen unius significatum cum significato alterius tam arctè conjunctum esse oportet. Potest enim illud, *aliquando*, referri ad executionem mandati Petro impositi de confirmandis fratribus : quod certè mandatum non est executus statim atque conversus est. Adde quod dictio illa, *conversus*, seu dictio Græca, ἀποστρέφας, illi respondens in pluribus sacræ Scripturæ locis accipitur, non pro conversione à peccato, sed pro conversione ad aliquam personam, quâcum aliquid agendum sit. Ita Act. 9. vers. 40. dicitur Petrus *conversus ad corpus* Tabithæ. Act. 16. vers. 18. Paulus *conversus* ad Pythonissam Apocal. 1. vers. 12. Joannes *conversus ut videret vocem quæ loquebatur*. Quid vetat igitur in eodem sensu accipi Luc. 22. vers. 32. *conversus confirma fratres*, id est, ad ipsos te convertens, ad ipsos attendens? Præsertim cùm nondum B. Petro prædictum fuisset futurum ejus peccatum; adeoque non videretur opportuna conversionis à peccato mentio.

5. *Herclè*, subjungit Richerius, *si solus Papa, non Ecclesia collectivè sumpta est infallibilis : insurgit Paulum gravissimè peccasse Galat. 2. cùm demonstrat Petrum ideò fuisse reprehensibilem, quod ad veritatem Evangelii minimè ambularet, quæ verba*, inquit, *valdè notanda sunt.* At Herclè, id non insurgit. Num enim Paulus erat Ecclesia collectivè sumpta? An Petrus totam Ecclesiam, tanquam ejus caput non potiùs repræsentasset? Si superioris tantùm esset reprehendere, sola vero Ecclesia collectivè sumpta, ut fatetur deinde Richerius, summo Pontifice superior est, non potuisset Petrus nisi à Concilio generali corripi. At, inquit Richerius, *Isthæc reprehensio appellationi æquipollet*; Quomodò aliquem reprehendere idem est, quod appellare ad Concilium? *Quia*, inquit, *si D. Petrus tum temporis B. Paulo rectè monenti obstitisset, non dubium est, quin Ecclesia in Concilium congregata dissidium inter illos subor-*

subortum diremisset : ut paulò antè controversiam super observatione legalium deciderat, Act. 15. Idem igitur est ita esse affectum, ut, si quis reprehendenti non obtemperaturus sit, interponenda censeatur appellatio, etiamsi ne minima quidem verisimilitudinis umbra sit, quod in mentem venerit appellandi cogitatio. Idem, inquam, est atque appellare ad Concilium. Ita, inquies, quia B. Petrus superiorem alium non habebat. Quæ jurisprudentia correptioni fraternæ vim appellationis tribuit : ut quisquis fratrem corripit, ad ejus superiorem appellare censendus sit, si correptus rectè monenti obstiterit ?

6. Repones ita de B. Paulo præsumendum, quia de fide agebatur, quam sanam integramque conservari totius Ecclesiæ intererat. Sed quidquid sit de illa reprehensione, de qua variæ sunt inter sanctos Patres, & Ecclesiasticarum rerum Tractatores sententiæ, etiamsi vera esset illorum opinio, qui Petrum peccasse sentiunt; certum est ipsum in fide non erasse, multò minus aliquid contra fidem aut bonos mores statuisse. Illum omninò impeccabilem fuisse non contendimus; atque adeò fraternâ potuit indigere correctione : sed ita erat confirmatus in gratia, ut temerarium sit eum peccati mortalis, qualis fuisset hæresis, reum facere, aut supponere ipsum B. Paulo rectè monenti obstiturum contra fidem. Accedit quod *Concilium Jerosolymitanum omnium Apostolorum, ut vult Richerius num.* 6. *& Presbyterorum consensione, ac suffragiis concluserat*, quod spectabat ad observationem legalium, circa quam supponitur peccasse Petrus. *Si* ergò *D. Petrus tum temporis B. Paulo rectè monenti obstitisset* adeò contumaciter, ut *Ecclesia in Concilium congregata, dissidium inter illos subortum dirimere* debuisset, Petrus fuisset manifestus hæreticus, atque in eo casu, secundùm quorumdam sententiam judicio Concilii Generalis obnoxius; ex qua exceptione particulari, non potest constitui generalis subjectio, sine vitio illo, quod Richerius & Launoius defensoribus auctoritatis Papæ tam sæpè quàm immeritò tribuunt, nempè fallaciæ *à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter.*

7. Suspecta sunt dona, quæ ab inimicis offeruntur. Quamobrem non satisfaciet summo Pontifici, quod ei Richerius concedere videtur in finem numeri sexti. Etsi enim profiteatur se illa adjungere pro *ampliatione favorum*; magis tamen tendunt

ad restrictionem jurium. Non fatetur D. Petrum *singulares personas, aut Ecclesias disgregatas posse in fide per sacræ Scripturæ aut Canonum interpretationem roborare*; quod probat exemplo D. Hieronymi; & posse ad Sedem Apostolicam confugere oppressos, sicut factum legimus à Theodoreto & aliis; nisi ut, cùm in hoc liberalis visus fuerit, injustus non appareat, dum Romanum Pontificem Ecclesiæ universali seu Concilio sine ipso congregato subjicit. Et perfugium ad sanctam Sedem ab appellationeæad ipsam distinguit; ut ejus potestatem simplicem charitatis solicitudinem esse insinuet. Possemus nihilominùs fructum ex illius favore percipere, nisi magis liberet, eum ex arbore ipsa colligere. Sanctus Hieronymus in verbis, quæ Richerius refert, testatur, se post Damasi responsionem fore securum. Nec eam securitatem in Damasi peritia, sed in officio Pastoris reponit; *A Pastore præsidium ovis flagito. Discerne si placet, non timebo tres Hippostases dicere, si jubetis.* Certè si Petri successor non solùm, *singulares personas*, sed etiam *Ecclesias disgregatas* potest in fide per sacræ Scripturæ Canonum interpretationem roborare; idque non tamquam Doctor privatus, sed ex proprio officio, in maximo versabitur periculo Ecclesia universalis, quæ nonnisi ex Ecclesiis particularibus constat, nisi certa & tuta sit ejus interpretatio, cùm non ita facilis sit Conciliorum generalium Congregatio, aut omnium Episcoporum consensio ad corrigendos ejus errores.

8. Itaque lentum periculo remedium parat Richerius num. 3. ubi ait; *Quintum principium indicat, frequentem celebrationem Synodorum, absolutè & simpliciter necessariam ad Ecclesiam meliùs sanctiùsque regendam.* Verba illa, *absolutè & simpliciter necessariam*, à sequentibus temperantur, scilicet *ad Ecclesiam meliùs sanctiùsque regendam*; ideoque utilitatem potiùs Conciliorum, quàm absolutam eorum necessitatem inducunt. Sæpè autem professi sumus, nos Concilia Generalia dum congregari possunt sine schismatis, aut alterius gravissimi mali periculo, Ecclesiæ utilissima putare. Sed absolutam non esse illorum necessitatem probat experientia trium primorum sæculorum, & aliorum quorumdam. Richerium parùm juvat, quam affert ex Aristotele, ratio. Etsi enim *lege, quàm absoluto unius imperio gubernari multò præstet, quoniam lex instar Dei, amore, odio, aliisque affectibus humanis caret*, id perinde legibus

gibus Pontificiis, atque Synodalibus convenit. Cùm enim Leges generales ponuntur, illarum conditores bonum publicum, atque ipsam rerum justitiam attendunt : Judex verò, dum de singularibus negotiis sententiam fert, aliquando amore, aliquando timore inflectitur, ut personarum potiùs, quàm justitiæ rationem habeat. Melius est igitur, ut in ferendis sententiis non proprium arbitrium, sed leges sequi teneatur.

9. Quoniam autem Richerio placuit ex Aristotele Conciliorum Generalium necessitatem confirmare, ostendendum est ex Aristotelis sententia contrarium potiùs sequi; cùm doceat, leges ab uno vel à paucis, non à magna multitudine condendas; atque adeò, si Gentilis illius Philosophi autoritati standum esset, non forent congregandi in Concilium Generale totius Orbis Episcopi. Id nominatim tradit lib. 1. Rethoric. cap. 1. inter princip. & med. simulque discrimen, quale modò dicebamus, inter Legem & Judicem statuit, unde patet à Richerio contra ejus mentem allegatum. *Maximè igitur*, inquit Aristoteles, *convenit rectè latas Leges, quæcumque possunt, omnia ipsas distinguere, & quàm paucissima relinquere iis qui judicant. Primum; quia* FACILIUS EST UNUM HABERE, (nota *unum habere*) *& paucos quàm multos qui bene existiment, & possint legem ferre, ac jus conformare. Deinde Legum lationes ex longi temporis considerationibus fiunt: ac judicia derepentè, ut difficulter rectam habeant justitiæ & utilitatis rationem illi qui judicant. Atque judicium non est de rebus singularibus, nec de præsentibus, sed de futuris & de universalibus : at concio, & Judex de præsentibus ac definitis judicant, quibuscum & amor & odium & propria utilitas conjuncta sæpenumero est, ut non ampliùs possint perspicere satis id, quod verum est, sed obscuret judicium propria jucunditas vel molestia. Ac de aliis quidem, quemadmodum dicebamus, oportet quàm paucissimis efficere Dominum disceptatorem.*

10. Canones prædicant Galli, ut hîc Richerius, quasi verò ipsi soli Canones observent, Papa è contra Canones destruat. Meminerunt summi Pontifices sententiæ S. Gelasii in epist. superiori cap. citatâ; *Uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ & unamquamque Synodum suâ autoritate confirmat, &c.* Sed quod ait Richerius, *antiquitùs nihil quidquam absque*

cilio & moderatione Ariſtocraticâ ſtatutum fuiſſe, non eſt uſquequaque verum. Certum eſt Romanum Pontificem gravia negotia cum Epiſcoporum conſilio tractare ſolitum, ſed falſum eſt ipſum in Generali Concilio Decreta Eccleſiaſtica ſemper edidiſſe; Hoc teſtantur epiſtolæ Decretales à Dionyſio Exiguo, cujus Codicem jam olim ſuſcepit Eccleſia Gallicana, collectæ, & quarum nonnullæ ad Epiſcopos Gallicanos conſcriptæ ſunt. Nam vel illæ nullius Synodi, aut Epiſcopi deliberantis meminerunt (undè conjicitur antiquiores etiam Pontifices nihil quidem abſque conſilio, ſed tamen multa ſine Concilio ſtatuiſſe, atque tunc tantùm Epiſcopos convocaſſe, cùm Romæ illorum copia erat, ac temporis opportunitas ſinebat) vel ſicubi in illis Decretalibus fratrum, ideſt Presbyterorum, vel ſi vis, Epiſcoporum, fit mentio; illæ nihilominùs Pontificis Romani autoritatem aut ſolam aut longè præcipuam exhibent. Indubitatum eſt ad minus ſummos Pontifices plurima eaque graviſſima ſine Concilio Generali, ac ſine moderatione Ariſtocraticâ aliarum Provinciarum ſtatuiſſe, ac ſtatuta illa in tota Eccleſia robur obtinuiſſe. Undè licet Richerio concederemus *antiquitùs nihil quidquam abſque Concilio* Romano, *& moderatione Ariſtocratica* Epiſcoporum ſpecialis Provinciæ Romanæ ſtatutum fuiſſe; fateri cogeretur Romanum Pontificem cum ſuo Concilio ſpeciali Eccleſiam rexiſſe. Cumque id diffiteri non poſſit, ejuſque propoſitio, de Concilio Oecumenico accepta, evidenter falſa ſit; Tacitè recedit à ſuo principio; & causâ juxta proprias ſuas probationes cadit, ſi quidem Eccleſiæ regimen in eo ſenſu Ariſtocraticum dicit, quia per Concilia Generalia regi debet.

11. Scimus quidem, quod ait Richerius, Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem, alioſque Epiſcopos, quos ille in ſuas partes traxerat, ſuppoſitis antiquiorum Pontificum epiſtolis parem cum aliis, quæ Conciliorum Canonibus erant conſentaneæ, autoritatem non tribuiſſe; ſed ſcimus Nicolaum I. Papam jus ſanctæ Sedis, quod ſolis illis epiſtolis non nitebatur, ſtrenuè defendiſſe, quod teſtatur Canon. *Si Romanorum.* Diſt. 19. à Richerio citatus. Sic enim habet: *Si Romanorum Pontificum Decreto, cæterorum opuſcula Tractatorum approbantur, vel reprobantur; ità ut, quod Sedes Apoſtolica probavit hodie, teneatur acceptum,*

tum, & quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur, quantò potiùs quæ ipsa pro Catholica fide, pro sanis dogmatibus, pro variis & multisariis Ecclesiæ necessitatibus, & fidelium moribus diverso tempore scripsit, omni debent homine præferri, & ab omnibus prorsùs in quibuslibet opportunitatibus discretione vel dispensatione Magistrâ reverenter assumi? Canon autem. *Omnia*, 25. quæst. 1. à Richerio etiam citatus, & S. Damaso suppositus est, & valdè obscurus; Difficilè namque capitur quid intelligatur per *Decretalia de Ecclesiasticis ordinibus & Canonum promulgata disciplinis*, quæ sub gravi commination custodiri jubet. Quidquid sit, evidens est. Primò, illius Canonis scopum esse, ut Decretalia summorum Pontificum executioni fideliter demandentur. Secundò, licet Canonum fiat mentio, non tamen negari, quin Decreta Pontificia exequenda sint, etiamsi Conciliorum Generalium Canonibus non fuerint robora-ta. Sic enim supponitur loqui Damasus; *Omnia Decretalia, & cunctorum Decessorum nostrorum Constituta, quæ de Ecclesiasticis Ordinibus & Canonum promulgata sunt disciplinis, ita à vobis & ab omnibus Episcopis, & cunctis generaliter Sacerdotibus custodiri debere mandamus; ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.* Sed Hincmarum summo Pontifici paruisse, vidimus lib. 3. Imò receptas postmodum in Gallia Decretales illas antiquas quantumvis suppositas constat, nec diffitentur ejus Nationis Scriptores.

12. Odiosa sunt & temeraria Richerii verba num. 6. & hoc num. 8. proposita; *Romanus Pontifex, qui est Caput ministeriale, universalem Ecclesiam inconsultam, dissentientem, invitam, vel inauditam obligare nequit.* Ecquando enim legitimus Pontifex universalem Ecclesiam inconsultam, dissentientem, invitam, vel inauditam cogere voluit? Repugnarunt aliquando & aliquandiu Episcopi quidam, vel quædam Provinciæ Ecclesiasticæ; (quis enim in tanto hominum & morum varietate concordiam omnibus numeris perfectam, & Paradisi propriam in terra speret?) Ecclesia verò universalis nunquam visa est, nunquam videbitur repugnare Pontifici, nisi aut schismatico, aut incerto: frustraque desudant Scriptores Gallicani ad dirimendum chimericum certamen. Chimericum dico, si in altera comparationis parte ponantur omnes Episcopi, ut poni necesse est, si Concilium verè Generale futurum sit, in altera Pontifex solus.

13. Quàm alienus sit à D. Augustini mente sensus, qui ejus verbis relatis dist. 4. Can. In istis à Richerio, & ab aliis quibusdam, tribuitur, ostendimus lib. 2. Undè debile ponit Libertatis Ecclesiasticæ fundamentum Richerius, dum eam collocat in necessitate acceptationis legum, ut valeant ligare. Nulla unquam imposterum nova lex obligaret, si Ecclesiæ universalis consensus expectandus esset. Nam quæ poterit hodie lex constitui, quæ ab universis Provinciis statim acceptetur, imò à majori parte? Si interim Gallia suas libertates, suosque mores opponat statutis sibi non arridentibus, inutilis erit potestas condendarum legum: tantum enim temporis in postulando omnium consensu consumetur, ut in aliis Provinciis legis peritura sit autoritas, dum aliæ deliberabunt. Nec enim omnium Episcoporum sine Presbyterorum, curam animarum habentium, consilio suffragium sufficiet: quia Richerius num. 5. *Senatum aut consilium nativum Ecclesiæ à Domino institutum, vocat, non modò Episcopos, verùm etiam omnes Presbyteros, curam animarum habentes.* Imò cùm Laici pars sint, licet minùs præcipua, maxima tamen Ecclesiæ Catholicæ, non debent ab ejus libertate excludi, atque adeò *inconsulti, dissentientes, inviti vel inauditi obligari* nequibunt. *Quicumque enim*, ut ait B. Paulus ad Gal. 3. *in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus, neque fœmina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Num præcluderetur schismati via, ut vult Richerius, postulato totius Ecclesiæ consensu ad conferendam legibus vim obligandi? Nonne potiùs innumeris dissentionibus præberetur occasio?

14. De Hincmari Remensis mente circa Decretales, ante Concilium Nicænum editas, jam satis disseruimus. Bene concluisset, ut ait Richerius, illas *exiguæ esse fidei, propterea quod Sacris Canonibus minimè concordarent*, si fides ad facti veritatem, non ad eorum qui scripsisse supponuntur, autoritatem referatur. Illa enim contrarietas signum erat suppositionis. Concilia namque tot tamque insignium Pontificum Decreta, vel ob ipsorum sanctitatem, & ad Apostolorum tempora vicinitatem, etiam seclusâ illorum potestate, sine urgentissima gravissimaque necessitate, tantillùm immutare, nedum evertere, piaculum duxissent. Verumtamen, ut alibi ostendimus,

ex

ex eo quod illæ epistolæ, quas veneratione dignas fatebatur, non essent de Canonibus promulgatæ, Hincmarus illas non magni esse roboris legitimè non concludebat.

15. Immeritò concludit Richerius; *Istinc autem planè dignoscitur, quo jure Majores nostri Galli usi fuerint*; quasi verò Hincmarum, & Episcopos, quos ille ad se traxerat, generaliter majorum suorum nomine debeant Galli censere. Certè dum tot laudibus à summis Pontificibus, & à Scriptoribus Ecclesiasticis celebrata est Ecclesia Gallicana, non intelligebantur eo nomine Hincmarus, & alii quidam, qui sanctæ Sedi pertinaciùs restiterunt, sed tot tantique alii Præsules, atque omnium ordinum Viri, pietate atque erga sanctam Sedem reverentiâ & obedientiâ maximè conspicui, quorum laudes injustè sibi usurpant, qui ab eorum vestigiis quàm longè exorbitant. Sed cur Gallicani Antistites Hincmarum virum admodum durum & pertinacem, ne quid gravius dicam, ejusque sequaces, sanctæ Sedis autoritatem occasione Decretalium suppositarum, imminuentes, tanquam Majores suos venerentur potiùs, quàm sanctum Irenæum, sanctum Avitum, sanctum Cæsarium & alios, tum antiquiores, tum recentiores, ac eos ipsos, qui prædictas Decretales amplexi sunt, quique, si circa facti veritatem erraverunt, nihilominùs autoritatem summi Pontificis agnoverunt; cumque ob suam pietatem commendatione digni sint, non est temerè despicienda illorum præsertim circa jus, sententia.

16. Sextum principium istud ponit Richerius n. 9. *Plenitudinem autoritatis Pontificiæ definiri, primò ad Ecclesias particulares per mundum dispersas, sed nequaquam ad Ecclesiam universalem in Concilium congregatam: secundò, ad executionem, interpretationem, & dispensationem, minimè verò ad institutionem Canonum, nisi per se aut per Legatos suos Concilio præsideat, atque omnium Patrum suffragia & consensum subducat.* Eadem Richerii, aliorumque nonnullorum Gallorum propositio sæpiùs repetita, eandem sæpius cogit repetere responsionem. Quærerem à Richerio an Papa possit omnes *Ecclesias particulares per mundum dispersas obligare*: an aliquas tantùm? si aliquas dumtaxat, quærerem quas, & cur illas, non item alias? Cur non Gallicanam inter alias? si omnes: cur non universalem? Quandoquidem Ecclesia universalis nihil est aliud, quàm omnes Ecclesiæ particu-

ticulares per mundum dispersæ. Perinde enim est, ut omnes Ecclesiæ particulares per mundum dispersæ errorem fidei contrarium suscipere possint; ac si Ecclesia universa posset errare. Ut enim sæpè declararunt Præsules Gallicani & Schola Parisiensis, infallibilitas non convenit Ecclesiæ tunc tantùm, quando est in Concilio Generali congregata. Imò nec Concilium Ecclesia universalis est formaliter, sed representativè tantùm. Plus autem est Ecclesia universalis formaliter, quàm pars ejus, quantumvis præcipua, totiusque corporis representativa, juxta fundamentum à Richerio in ipso limine positum, quod vocat *vulgare, atque indubitatæ fidei axioma*, nimirùm *Deum & naturam, priùs atque immediatiùs ad totum suppositum, quàm ad aliquam partem suppositi, quamvis nobilissimam, intendere.*

17. De potestate condendorum Canonum, seu legum Ecclesiasticarum videnda sunt ea quæ diximus lib. 6. & suprà de Decretalibus in Codice Dionysiano contentis. Quod addit Richerius, eo solùm in casu Papam de Synodorum Decretis dispensare posse, quo ipsummet Concilium, si esset congregatum; ità verum est, si intelligatur Papam sine justa causa non debere dispensare; idque indicat vox illa, *violentur*, in testimonio Sancti Leonis I. à Richerio relato ex Can. *Privilegia.* 2. causa 25. quæst. 2. *Dispensatio*, inquit, *nobis credita est, & ad nostrum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum nobis consentientibus, vel negligentibus violentur.* Idem etiam apertè significat S. Bernardus lib. 3. de consid. ad Eugenium cap. 10. à Richerio citatus. Neuter autem Pontifici potestatem in Conciliorum Generalium Canones negavit: imò supradicta verba scripsit S. Leo, dum Canonem Concilii Oecumenici, scilicet Chalcedonensis, 28. abrogavit, ut in origine videri potest, scilicet Sancti illius Pontificis epist. 54. Dices fortasse, sanctum Leonem Concilii Generalis Chalcedonensis non impugnasse Canonem, nisi ut Concilii etiam Generalis, Nicæni scilicet sextum Canonem propugnaret, ac suam cuique Patriarchæ & Exarcho jurisdictionem conservaret. At, qui Judex est inter duo Concilia, num in illa necesse est habeat jurisdictionem, & superioritatem? Repones, Nicænum Canonem majoris fuisse autoritatis, quàm Chalcedonensem: quia ille communi consensu; iste absentibus Legatis Romani Pontificis conditus fuerat,

rat. Atqui, cùm Concilia posteriora prioribus absque dubio derogare possint, in iis quæ ad solam disciplinam pertinent, quid prohibuit quò minùs Chalcedonense derogaret Nicæno, præsertim, cùm præcessisset derogatio jam ab alio Concilio Generali, scilicet Constantinopolitano primo Can. 3. nisi defectus consensus Summi Pontificis? Vel ergo Concilium dici Generale nequit; vel Canones condere non potest, absente summo Pontifice, vel Concilium sine summo Pontifice minorem habet potestatem, quàm cum summo Pontifice; atque adeò non habet supremam, & consequenter summus Pontifex hujusmodi Conciliis sine summo Pontifice congregatis non suberit, quippe qui jam nec primum nec secundum in Ecclesia gradum obtineret, quod est contra Ecclesiæ doctrinam.

18. Sanctus Bernardus, ut ex verbis à nobis suprà relatis constat, etiam dum Pontificem suâ potestate non rectè uti putabat, potestatem tamen ei non deesse confitebatur. Zosimi etiam, cujus rursûs meminit Richerius, veram sententiam suprà explicuimus, ex ea nullatenus probari potest, quod intendit Richerius, scilicet eo solùm in casu Papam de Synodorum Decretis dispensare posse, quo ipsummet Concilium, si esset congregatum. In eo enim sensu quo loquebatur Zosimus, eadem fuisset ejus sententia de Concilio Generali, (si quidem de illo cogitasset, quod ex ejus verbis nullo modo colligitur) atque de Sede Apostolica.

19. *In hu duobus articulis*, inquit Richerius, (scilicet in autoritate Pontificia in Ecclesias particulares, & in executione, interpretatione, & dispensatione Canonum) *Status Monarchicus Ecclesiæ, sive plenitudo jurisdictionis Papalis potissimum consistit: non autem in absoluta potestate, quam contra jus divinum & naturale, plerique recentiores in Ecclesiam invehere nituntur.* Absit ut potestatem aliquam contra jus Divinum & naturale summo Pontifici tribuamus; sed contra jus Divinum & contra Ecclesiasticam traditionem esse putamus, negare summum Pontificem, Canones, seu leges Ecclesiasticas instituere posse, etiamsi per se, aut per Legatos suos Concilio non præsideat, & omnium Patrum suffragia & consensum subducat. Credimus etiam summi Pontificis esse, non Richerii, aut ejus Sectatorum, discernere, an dispensare

conveniat : putamus prætereà ejus legibus, si ab omnibus Ecclesiis particularibus per mundum dispersis obtemperetur, ad quod eas teneri fatetur Richerius, ab Ecclesia universali obtemperatum iri.

20. Contradicit sibi Richerius, cùm absolutam potestatem summi Pontificis à recentioribus in Ecclesiam invehi ait, quæ verba novitatem significant, & tamen posteà ad tempus translationis Imperii ad Francos, præcipuè autem ad tempora Gregorii VII. refert. Si quidem verum esset Pippinum, Carolum Magnum, aliosque Francorum Reges, tot Capitularia & leges Ecclesiasticas suâ præcisè autoritate condidisse, ut inani conatu probare contendit Baluzius, mirum est quomodo potuerit tunc temporis absoluta autoritas omnia decernendi, summis Pontificibus accrescere.

21. Launoius non tam desudavit in vindicando Principibus sæcularibus jure convocandorum Conciliorum (licet ex quo Concilia Generalia haberi cœperunt nunquam Episcopi in unius Principis ditione fuerint) nisi ut tantundem jus Summi Pontificis imminueret. Richerius verò asserit, quod historiæ studiosi observabunt, *Papam regulariter & ordinariè jus habere convocandarum Synodorum Generalium*; causamque addit, quæ Principibus sæcularibus non convenit; *Quatenùs*, inquit, *potestatem habet super Ecclesias particulares disgregatas per Orbem terrarum.* Quamquam autem Richerius in fine numeri 12. jus congregandorum Conciliorum Generalium Imperatoribus tribuat, tamquam Legis Divinæ, naturalis & Canonicæ executoribus; tamen jus illud Pontificibus quoque vindicat hoc numero 9. verbis modò relatis; atque adeò ejus testimonio compensari posset autoritas Launoii, si secùs sensisset. Videtur enim Launoius à Richerio hausisse pleraque alia suæ adversus sanctam Sedem doctrinæ principia, & animum in Curiam Romanam infensum; atque adeò ut Magistrum habuisse.

22. Hactenùs dicta sic concludit Richerius, *Summa hujus disputationis est, à statu Monarchico Ecclesiæ, unitatem, ordinem, cum efficaci executione Canonum, procedere: à regimine autem Aristocratico, sanctissimum consilium, atque infallibilem providentiam & decisionem; quâ quidem Respublica Christiana in perpetuam ædificationem, & non in destructionem gubernatur.* Si status Ecclesiæ Monarchicus est, quia uno capite visibili,

sibili, Christi Vicario regitur, & ab illo statu Monarchico Ecclesiæ unitas procedit; oportet ut omnes Ecclesiæ particulares per mundum dispersæ illi subsint, non solùm quatenùs particulares & dispersæ, sed etiam quatenùs inter se communicantes & conjunctæ. Caput enim præsidet manibus, pedibus, cæterisque membris, non disjunctis atque dispersis, sed in unum corpus compactis atque coordinatis. Si Ecclesiæ Ordo à statu Monarchico procedit, oportet ut Monarcha, qui primus est in illo ordine, sit regula & mensura cæterorum, atque aliis credendi vivendique normam præferat, ut à capite in cætera membra spiritus, motus, & sensus derivantur.

CAPUT V.

In quo agitur de potestate Principum politicorum; & respondetur argumentis contra Monarchiam Ecclesiasticam. Ad numeros 10.11.12.13.14.15.16.17. *Richerii.*

1. USque ad numerum 10. Richerius egit de potestate Ecclesiastica: hic de politica tractare incipit. *Septimum*, inquit, (scilicet principium) *docet Ecclesiam sumptam pro cœtu fidelium, sive pro Christiana Republica, unico & solo capite ac fundamento essentiali Christo Domino esse contentam: nihilominùs, in ratione exercitii atque executionis regiminis ejusdem Christianæ Reipublicæ, à duobus, Pontifice scilicet, & politico Principe differenter gubernari.* Principium istud, principium schismatis est, nisi sanè explicetur. Dum de diversis politiarum formis seu speciebus agitur, illarum differentia attenditur penes illos, à quibus visibiliter regitur: alioquin, ut suprà dicebamus, unica esset totius mundi politiæ forma, scilicet Dei supremi rerum omnium moderatoris Monarchia. Itaque schismati via aperitur, si regimen Ecclesiasticum ex æquo penes duo capita, Pontificem scilicet, & politicum Principem reponatur. Si uni Ecclesiæ corpori duo capita præfiguntur, monstrum efficitur horrendum.

2. Responderet fortasse Richerius, se illis executionem tantùm regiminis Reipublicæ Christianæ tribuere. Penes quem

ergo erit potestas principalis. Penes totam Ecclesiam, inquies. Atqui monstrum adhuc horribilius fingis. Tot enim in Ecclesia Capita constituis, quot sunt viri & mulieres; ac regimen Ecclesiæ adscribis omni Democratiâ pejus. A regimine enim Democratico saltem mulieres excluduntur: si autem Pontifex & Princeps ita se habent, ut in rebus Ecclesiasticis Pontifex Principi præferatur, malè ex æquo collocantur. Dum enim alter alteri subest, uni tantùm convenit Capitis nuncupatio.

3. Quas autem affert probationes, quamque adhibet explicationem, eæ suaderent, ipsum ita intellexisse, ut Pontifex esset caput in spiritualibus, & Princeps politicus in temporalibus; ac præterea juris Divini, naturalis & Canonici executor esset. Juxta illam distinctionem loquitur Canon. *Duo sunt.* dist. 92. quo in Canone præponitur Pontifex Imperatori. Sic enim incipit; *Duo sunt quippe, Imperator Auguste, quibus principaliter* HIC MVNDVS REGITVR, *auctoritas sacra Pontificum & Regalis potestas* (non dicit Ecclesiam, sed mundum his duobus regi) *in quibus tantò gravius pondus est Sacerdotum, quantò etiam* PRO IPSIS REGIBVS *hominum in Divino sunt reddituri examine rationem* ..... *Nosti itaque inter hæc* EX ILLORVM TE PENDERE IVDICIO; *non illos ad tuam redigi posse voluntatem, &c.* Canon autem *Principes* 23. quæst. 5. docet quæ sint Principum partes circa disciplinam Ecclesiasticam; *Principes sæculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent; ut per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. Cæterùm intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi, ut quod non prævalet Sacerdos efficere* PER DOCTRINÆ SERMONEM, *potestas hoc impleat per disciplinæ terrorem.*

4. Juxta eandem distinctionem dixit Christus ipse Matt. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei Deo*; hancque distinctionem confundendam non esse bene monet Richerius. Benè etiam n. 11. probat potestatem Principum in temporalia, nisi quòd ei nimis indulget, ut ex iis, quæ toto libro 4. dicta sunt colligitur v. g. cum locum D. Bernardi ex cap. 4. lib. 4. de consid. ad Eugenium, contra mentem illius Sancti interpretatur, ut *Ecclesia jus habeat tantùm invenendi, docendi, & suadendi, quando Princeps politicus gladio uti debeat ad gloriam Dei:* quam interpretationem non patiuntur verba S. Bernardi,

hardi. Non enim gladium materialem Pontificis esse diceret, & ad nutum ejus evaginandum, si aliam non haberet circa illum autoritatem, nisi quæ perito cuilibet competat, scilicet, *innuendi, docendi, & suadendi. Tuus ergo & ipse*, inquit S. Bernardus, *tuo forsitan nutu, etsi non tuâ manu evaginandus: uterque ergò Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius & materialis.*

5. Quod autem eodem num. 11. monet Richerius, etiamsi vera esset eorum sententia, qui Principes in temporalibus potestati Ecclesiasticæ indirectè subesse arbitrantur, ab ea tamen scribenda esse abstinendum, verum fortassis esset, nisi scribere cogeret contraria Comitiorum Cleri Gallicani declaratio, & nisi metuendum esset, ne Principes, quorum multi Censuras Ecclesiasticas parùm reformidant, se in Principatu, qui ipsis omnium maximè cordi est, tutos omninò esse putantes, nullius mali temporalis metu cohibiti, quidvis audendi facultatem sibi esse existimarent. Cæterùm constat ex lib. 4. quàm malè suas rationes ineat Richerius, cùm duo tantùm sibi objicit, quæ ipse potissima putat, licèt reverà inter omnia ultimum ferè locum mereantur.

6. De potestate Principum in condendis legibus ad Divini, naturalis, & Canonici Juris executionem, de qua Richerius agit num. 12. nos fusè lib. 11. Hic tantùm advertimus, quod jam notaverat Illustrissimus D. Petrus de Marca lib. 2. cap. 10. §. 7. id quod Constantinus Magnus Episcopis dicebat, referente Eusebio lib. 4. cap. 24. de vita illius Imperatoris; *Vos intra, ego autem extra Ecclesiam à Deo Episcopus constitutus sum*, aliam posse habere sententiam, quàm quæ à Richerio assignatur; sic enim habet Textus Græcus, ἀλλ' ὑμεῖς μὲν τῶν ἔνδω τῆς ἐκκλησίας ἐγὼ δ' τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσταμένων ἐπίσκοπος ἂν εἴην; quæ sic verti possent; *Vos quidem eorum qui sunt intra Ecclesiam, ego autem eorum qui sunt extrà à Deo constitutus Episcopus sum.* Imò de personis potiùs, quàm de negotiis loqui Constantinum, licet ejus verba nudè sumpta de alterutris possent intelligi, suadent quæ sequuntur. Addit enim Eusebius; *Itaque cùm quæ loquebatur eadem mente secum cogitaret, animum in omnes, qui ejus suberant Imperio, intentum habuit: hortatus pro virili, ut piam omnes vitam excolerent.* Deindè caput sequens inchoat his verbis; *Hâc etiam ratione adductus est, & rectè sanè, ut frequentibus legibus & Edictis præciperet omnibus, ne Idolis*

immolarent, nec oracula curiosè sectarentur, &c. Quidquid sit de suprà relatis Constantini verbis, certum est, pium illum Imperatorem non de potestate circa res Ecclesiasticas cum Episcopis contendere voluisse; sed suum pro Religione studium significare.

7. Affirmat num. 13. Richerius, *Nativas Ecclesiæ Catholicæ libertates, sive jus commune à Deo & natura institutum, his octo proloquiis ac fundamentis, tam perspicuè roborari, ut nemo in illud impingere possit, quin eâdem operâ legem Divinam, naturalem, & Canonicam labefactet.* Hoc quàm falsum sit patet ex illorum proloquiorum examine jam facto, vel potiùs ex illorum fundamentorum eversione. De appellationibus ab abusu, quibus ait hanc labefactationem reparari, fusè in libro ultimo dicemus. Sed recolendum est quod jam libro primo notavimus, non ita esse antiquas libertates Ecclesiæ Gallicanæ, si Richerius audiendus est; quandoquidem ait eas ortas esse ab hujusmodi appellationibus, quas superiori sæculo natas videbimus; *Hæc ratio*, inquit, *procedendi Gallorum, originem præbuit Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, ut eas vulgò nominant.*

8. Numero 14. quinque sibi objicit. 1. B. Petrum esse Christi Vicarium; atque adeò B. item Petro Christi Vicariocongruere, non modò totam jurisdictionem Ecclesiasticam, verùm etiam autoritatem in temporalia, saltem indirectam, & in ordine ad spiritualia. Respondet inæqualem esse Christi, & B. Petri, potestatem, quod nimis certum est, quàm ut negari queat. At deficit in via Richerius, nisi ostendat, B. Petro non fuisse concessam omnem potestatem necessariam ad optimum ovilis ei à Christo commissi regimen; sed potestatem illam ipsimet ovili traditam, ejus autem solam executionem Summo Pontifici; nec potestatem temporalem ullum ordinem habere ad spiritualem; vel, si quis sit ordo, spiritualem temporali non præesse. Objicit sibi 2. curam fratrum Petro demandatam à Christo Luc. 22. qua videtur excludi necessitas Conciliorum. Qua de re Lectorem remittit ad ea quæ scripserat n. 1. Nos quoque tunc circa illum numerum, tum alibi nostram de necessitate Conciliorum sententiam, & illorum celebrationis desiderium exposuimus.

9. Tribus aliis objectionibus, seu propositionibus, nimirum

rum tertiæ, *Ecclesiam in Synodum congregatam, nullum planè jus habere aliquid decernendi, secluso, aut non consentiente Romano Pontifice.* Quartæ, *Summum Pontificem, omnes Canones universalium Conciliorum ad Ecclesiasticam politiam spectantes, posse ex animi sui sententia antiquare.* Quintæ, *Papam, non modò habere autoritatem supra particulares Ecclesias per mundum disgregatas, verùm etiam supra universale Concilium: eique nullo in casu subjici,* unicâ illâ solutione satisfacere conatur, scilicet, Petrum eandem cum Christo non habere potestatem in Ecclesiam; alioquin Ecclesiam non fore liberam. Verùm hæc solutio & minimi momenti est, & si quid habet roboris, provenit ex modo perquam odioso, quo propositiones quarta & quinta expressæ sunt. Quis enim credat posse Summum Ponitificem *ex animi sui sententia*, hoc est, sine causa, *Canones Conciliorum universalium antiquare?* Quæ autem justa causa esse potest, *ut omnes Canones universalium Conciliorum, ad Ecclesiasticam politiam spectantes, antiquentur, Jusque omninò relaxetur, ac novum condatur?* Quin etiam tantam sæpè habet politia Ecclesiastica cum fide, ac cum jure Divino & naturali affinitatem, ut impossibile videatur totam politiam immutare sine fidei detrimento, aut Juris Divini vel naturalis violatione, quo casu nulla fore summi Pontificis Decreta nemo non confitetur. *Est* enim, ut inquit D. Cyprianus lib. *de disciplina & habitu Virginum, disciplina custos spei, retinaculum fidei, Dux itineris salutis, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere semper, ac jugiter Deo vivere, & ad promissa Cælestia & Divina præmia pervenire.* Sed cogitatio antiquandæ totius politiæ, atque novi omninò juris constituendi, adeò est absurda, ut nulli unquam Pontifici venerit in mentem, nulli unquam ventura sit. Alia est æquorum scriptorum sententia, quæ solidis rationibus, non odiosis & absurdis interpretationibus confutanda esset: nimirùm posse summum Pontificem Canonibus Conciliorum Generalium derogare; necessariam esse plerumque causam, ut licitè deroget: non omnes dispensationes illicitas esse nullas: non esse temerè damnandum summi Pontificis factum: non esse insolenter resistendum, etiam cùm Superior, rationis, propriæ potestatis, aut justitiæ limites videtur excessisse: sed exponendam veritatem, mediisque convenientibus & opportunis, quærendum remedium. Quod etiam quintæ propositioni addit,

dit, quasi ab adversariis propositum, Papam Ecclesiæ nullo in casu subjici, nimis generale est; quia saltem pluribus de Pontificatu contendentibus, si eorum jura sint obscura, Ecclesiæ est, controversiam dirimere. Addunt plerique, Papam, si laberetur in hæresim, atque in ea obstinatè permaneret, (quod tamen neque accidit unquam, neque unquam eventurum arbitror) posse ab Ecclesia deponi, aliqui verò, ipso facto, Pontificatu privatum eo casu esse affirmant.

10. Ratio, quâ Richerius impugnat infallibilitatem summi Pontificis, omnibus omninò potestatibus infensa est, & ex ea concluditur unumquemque suo arbitrio esse permittendum. *Omnibus*, inquit, *hominibus est inditum à natura, ut liberi & beati esse velint: quis autem naturaliter beatus esse potest absque libertate? At si infallibilitas decernendi in uno & solo habitat Pontifice, nullus in Ecclesiæ conventibus libertatem ferendæ sententiæ obtinet.* Simili omninò ratiocinatione probaretur, neque Concilium Generale debere esse infallibile, quia tolleretur libertas, atque adeò beatitudo ab inferioribus Clericis & Laicis, qui multò plures numero sunt quàm Pastores; ac perinde concludi posset juxta Richerii verba; *Si hæc sententia invalescat sequitur Christum extrema quæque passum, ut Ecclesiam, sponsam, ideat universos Christianos despotico Episcoporum, & Curionum Imperio subderet: quod juri Divino & naturali funditus repugnat.* Abutitur Richerius libertatis nomine, cùm eam quam Christus sanguine suo nobis acquisivit, scilicet à servitute peccati, & à jugo legis Mosaïcæ, confundit cum libertate à justitia, & ab obedientia debita illis, quibus ait Luc. 10. vers. 16. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit me spernit*, ac præcipuè illi, quem in tota Ecclesia Vicarium suum constituit. Pari etiam prætextu libertatis abolendum esset Regnum, & genus omne Monarchiæ temporalis.

11. Nihilominùs hæ objectiones ex Richerii judicio *non sunt unius assis.* Alia tria enucleat numeris 15. & 16. quæ, ut ipse ait, *aliquid videntur habere ponderis: primum est; Petrum Pastorem universalis Ecclesiæ constitutum à Christo Joan. 21. Pasce oves meas: hacq; Divinâ voce, neque Apostolos neque Concilium Generale excludi: omnes enim sunt oves Christi, propterea q; à D. Petro, Christi Vicario, pasci debent.* Istud argumentum plusquam *aliquid*, hoc est, plurimum ponderis videtur habere, & habet re ipsâ; præsertim si Sanctorum Patrum

trum testimonio roboretur, quorum testimonia jam alibi retulimus; v. g. sancti Joannis Chrysostomi, qui homil. 3. in Act. Apost. loquens de Apostolis congregatis ad electionem alicujus, loco Judæ proditoris, substituendi docet B. Petrum alios omnes in sua manu, hoc est, in sua potestate habuisse. Euthymii, qui cap. 78. in Luc. hæc verba; *Confirma fratres tuos.* Luc. 22. & cap. 18. in Joan. ista; *Pasce oves meas*, Joan. 21. de Apostolis præcipuè interpretatur, absque distinctione inter ipsos, & ipsorum Collegium. Necdum enim Theologi distinguebant in Apostolis, *collegialiter*, *& non collegialiter*: S. Bernardi lib. 2. de consid. cap. 8. oves Christi sine ulla exceptione Petro, ejusque successoribus commissas docentis, verbis suprà adductis cap. 1. §. 12. Quid ergò? respondet Richerius, *Christum illis verbis non aliam dedisse Petro potestatem, quàm ministerialem: officium verò Ministri & Dispensatoris esse, mandare executioni præcepta legis Divinæ, naturalis, & Canonicæ: sed juxta regulas temperamenti Aristocratici à Deo constituti: ac proindè Petrum, censeri Pastorem, quoad executionem Canonum, verbi Divini prædicationem, & alia ejusmodi, quæ ab uno, quàm ab Ecclesia congregata in Concilium, meliùs perfici possunt.*

12. Petrum cum Christo comparatum nonnisi Ministrum, dispensatorem & executorem fuisse jam observavimus; sed Ecclesiæ regimen ita esse institutum, ut summus Pontifex sit tantùm Minister, dispensator, & executor eorum quæ fuerint ab Ecclesia in Conciliis Generalibus decreta, nec probavit Richerius numeris 4. 5. & 9. quò remittit, nec probare quisquam potest. Cujus enim Concilii Generalis executores esse poterant B. Petrus ejusque successores ante Concilium Nicænum, hoc est ante annum circiter 325. Illos Conciliorum particularium (quorum etiam pauciſſima Canones anteà ediderant) meros executores non censebit Richerius, quandoquidem illis concedit num. 9. plenitudinem autoritatis Pontificiæ in Ecclesias particulares per mundum dispersas: negatque solùm *in Ecclesiam universalem in Concilium congregatam.* Legem etiam Divinam & naturalem quis tum temporis interpretabatur? Tota, inquies, Ecclesia, licet dispersa. Quid ergo Episcopi, qui ante illud Concilium vel circa fidem aut legem naturalem vel Divinam Romanum Pontificem consulebant, ejus responsa tanquam dubia & incerta habebant, donec re-

liquorum totius orbis Episcoporum sententiam resciviſſent? Undè id habet Richerius? Non id significarunt sancti illi Episcopi.

13. *Secundum argumentum* quod sibi objicit Richerius, ut illud etiam Richerii verbis exprimamus, *est, Ecclesiam congregatam in Concilium, unicam familiam, unicum ovile, unicum regnum, & corpus visibile Christi constituere: ac propterea unicum etiam necessariò habere caput visibile Romanum Pontificem: at monstrum immane videretur, si unum, atque idem corpus duo suprema haberet capita, nempè Papam & Concilium Generale.* Hæc verba optimam rationem continent, licet non tam exactè propositam. Non enim v. g. dici potest, quod Concilium Generale sit Caput Ecclesiæ congregatæ in Concilium; quandoquidem Ecclesia in Concilium congregata nihil aliud est, quàm ipsummet Concilium. Verumtamen vis rationis satis intelligitur, nimirùm Ecclesiæ, cùm sit una, unicum caput præesse debere: si autem Concilium Generale esset caput Ecclesiæ, cùm ea quoque Dignitas Romano Pontifici competat, duo fore ejusdem corporis capita, atque adeò monstrum futurum. Et quia responderi posset, summum Pontificem esse caput Ecclesiæ dispersæ, non autem in Concilium congregatæ, reponitur, etiam in eo statu, seu Concilium ipsum esse unicam familiam, unicum ovile, unicum Regnum, unicum corpus visibile Christi, atque adeò unicum habere caput, non autem tot capita, quot Episcopos, &, ex sententia Richerii, quot Curiones. Quid ad hæc Richerius? *Respondemus*, inquit, *Ecclesiam esse politiam Monarchicam regimine Aristocratico temperatam: inde autem sequi necessariò, Concilium quoad directionem regiminis, coercitionem, & potestatem sanciendorum Canonum, supremam habere autoritatem: Petrum verò, quoad executionem, atque exercitium, aut usum clavium erga Ecclesias particulares.*

14. Tantum abest, ut consequens necessariò sequatur ex antecedenti, ut contrarium potius sequatur. Si enim Ecclesia est politia Monarchica, directio regiminis, coercitio, & potestas sanciendorum Canonum est penes unum. At, inquit, Richerius, politia illa Monarchica est regimine Aristocratico temperata. Non temperatur, sed destruitur Monarchia, dum autoritas præcipua & principalis pluribus tribuitur, licet absque Monarchiæ præjudicio executio, exercitium, aut usus pluri-

pluribus committi possit. Quis enim v. g. (quod jam notavimus) Rempublicam Venetam appellet politiam Monarchicam, regimine Aristocratico temperatam, licet unico Duci executio, exercitium atque usus jurisdictionis committatur remanente in Senatoribus autoritate super ipsum etiam Ducem? Aut quis putet Regnum Franciæ politiam esse Aristocraticam Monarchico regimine temperatam; quamvis Senatus, Concilium Regium, aut alia quævis Curia, ex pluribus viris constans, executionem, aut exercitium & usum jurisdictionis habeat, remanente in Rege plenitudine potestatis.

15. Objicit sibi tertiò Richerius cap. 20. Concilii Romani à 280. Episcopis sub Sylvestro Papa celebrati relatum 9 quæst. 3. Can. *Nemo*. Hujus quidem Concilii fides suspecta habetur: quia tamen simile Decretum in aliis veris Conciliis legitur, non sunt prætermittendæ aliæ Richerii circa illud responsiones. Sunt autem illius Concilii sive veri, sive supposiți verba prætermittenda; *Nemo judicabit primam Sedem justitiam temperare desiderantem, neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à Populo Judex judicabitur.* Respondet Richerius primò id verum esse, *si Papa justitiam temperare desideret.* Sed non advertit aliud esse justitiam *temperare desiderare*, aliud re ipsâ illam temperare. Primus enim modus loquendi jurisdictionis exercitium designat; secundus verò judicii æquitatem ac rectitudinem. Licet ergo subtiliter & rigorosè Decreti illius verba cum Richerio accipiamus, summus Pontifex, etiamsi rectè non judicet, si tamen justitiam *temperare desideraverit*, à nemine poterit judicari. Quis autem Pontifex se justitiam temperare velle non profiteatur: &, si dubitetur num alia sit illius intentio, quis erit secretorum cordis ejus Judex? Quamvis enim de facto malè judicet, à nemine potest judicari, an non justitiam temperare *desideraverit*.

16. Respondet secundò Concilium istud intelligendum esse de Conciliis particularibus, quale ipsum erat, atque adeò verba illa, *neque ab omni Clero*, intelligi distributivè de Clero particulari, non collectivè de Generali Concilio; *Cujusmodi*, inquit, *est Constantiense, aut Basileense.* Si Decretum illud intelligendum est de Concilio particulari, quia in Concilio parti-

culari editum est, Concilium Constantiense intelligendum erit de tempore schismatis, quando non constat quis sit legitimus Pontifex; quia is erat Ecclesiæ status tempore Concilii Constantiensis, quod ea de causa congregatum est, & Decretum edidit, ad quod alludit Richerius. Sed de Concilii Constantiensis Decreto, ac Basileensis confirmatione jam alibi egimus. Cæterùm, si de aliqua Ecclesia particulari *Decretum esset intelligendum*, non de alia sine dubio, quàm de Ecclesia ipsius Urbis, aut Provinciæ Romanæ. Atqui 280. Episcopi, cùm non nisi ex pluribus Provinciis convenire potuissent, Concilii Generalis speciem referrent, & numero plures essent, quàm qui aliqua Concilia Generalia, & ipsummet, Constantiense, nec non qui Basileense, quando Decretum suprà designatum editum vel confirmatum fuit, constituerunt, meminissent Concilii Generalis, si excipiendum putassent, ne sub nomine omnis Cleri intelligeretur.

17. De reliquis autoritatibus, quæ ex scriptis Romanorum Pontificum proferuntur & causa 9. quæst. 3. leguntur, non magnoperè laborat: unico verbo respondet; *Nemini in sua causa credendum, nisi conformiter ad legem Divinam, naturalem, & Canonicam loquatur.* Temeraria est illa responsio, verbis præsertim ita generalibus concepta. Non enim nisi temerè de Pontificibus, sapientiâ, doctrinâ, & sanctitate insignibus, quales fuerunt S. Leo, S. Gregorius & alii, dici aut sentiri potest, ipsos indebitam cum periculo totius Fidei ac Religionis, autoritatem usurpasse. Adde, quod simili modo retorqueri posset, absurdum esse ex Episcoporum Constantiæ atque Basileæ congregatorum Decretis in propria causa velle persuadere Papam subesse Concilio.

18. Numero 17. repetit Richerius quod dixerat num. 1. *Papam per & propter Ecclesiam; non contra, Ecclesiam per, aut propter Papam existere*, undè concludit; *Ecclesiam jure divino & naturali providere atque impedire posse, ne Papa in sui destructionem gubernet.* Observavimus circa numerum primum confundi à Richerio finem regiminis Ecclesiastici cum ipsius subjecto. Regimen & potestas ipsa summi Pontificis est propter bonum totius Ecclesiæ, singulorum etiam salutem respicit; sed potestas regendi omnes & singulos fideles non residet in singulis, neque etiam in om-

omnibus simul, sed in summo Pontifice, tanquam in Monarcha, in Episcopis, tanquam in Principibus, & in aliis Pastoribus, tanquam in Magistratibus inferioribus, sicut insinuat B. Paulus 1. ad Cor. 12. vers. 28.

CAPUT VI.

Confutantur responsiones Richerii in num. 18. adversùs potestatem Ecclesiasticam circa temporalia.

1. Quod Ecclesiam, inquit Richerius, *indirectâ pollere autoritate in temporalia prædicent, verum est per modum doctrinæ, suasionis & exclusionis à communione Ecclesiastica: falsum autem per coactionem, aut Regum atque Principum depositionem.* Hoc autem probat, quia *Ecclesia neque Territorium, neque usum habet gladii materialis.* Si per Territorium significat Richerius, ut vulgò Jurisconsulti, locum, in quo quis facultatem habeat pœnis temporalibus, atque morte etiam corporali malos terrendi, & re ipsâ puniendi, verum est Ecclesiam vi clavium non habere hujusmodi territorium, sed vel propriâ populi liberi electione, vel Principum concessione: at verò si territorium accipiatur pro loco, in quo exercetur jurisdictio quælibet cum coactione, ac pœnarum infictione, habet Ecclesia Territorium, ubicumque versantur homines baptismali charactere insigniti, cùm eos ubique censuris ligandi habeat facultatem. Si denique Territorium sumatur pro loco, in quo pœna temporalis ad finem spiritualem decerni possit, non proficientibus pœnis spiritualibus, ac deficiente alio remedio, quæstio est. Negat Richerius; affirmant alii.

2. Sed non est confundendus usus gladii materialis cum Territorio. Utitur enim gladio materiali, qui re ipsâ occidit, aut aliàs corporaliter plectit, quod Ecclesiasticis viris non congruit. Dum Concilia Generalia lib. 4. relata, ac nominatim Constantiense, & Basileense Imperatores, Reges, aliosve Principes deposuerunt, vel deponendos decreverunt, si fidei aut Religioni obessent, non sunt usa gladio materiali,

Principibus bellum inferendo; sed eos, ne gladio materiali in perniciem Religionis abuterentur, impedierunt. *Uterque Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exercendus est*, ut inquit S. Bernardus, à Richerio num. 11. citatus.

3. Comparatio quam adducit Richerius, Pædagogi, discipulos adversùs disciplinam obdurescentes bonis paternis exhæredantis, & Ecclesiæ, Reges aut Principes Christianos abdicantis, est ex earum numero, quæ uno pede incedere, nonaginta novem claudicare dicuntur. Defectus studii vix tanti esse potest, ut illum exhæredatione punire conveniat; persecutio contra Fidem & Religionem esset æternæ ruinæ occasio, nisi sisteretur. Hæreditas ad studium non refertur, sed sæpè studium ad hæreditatem: temporalia ad spiritualia, tanquam ad principaliora, jure Divino & naturali ordinata sunt; qui ordo pervertitur, dum potentia temporalis non solùm spiritualia bona non promovet, sed in ea etiam grassatur. Pueri habent Patrem aut parentes, quibus & major & latior, quàm Pædagogo potestas competit, & à quibus castigari efficaciùs possunt. Reges & alii Principes supremi nullum alium in terris superiorem agnoscunt. Pædagogi nullam habent propriè dictam jurisdictionem in pueros, quos leviter tantùm corrigere ipsis licet, parentibus, à quibus facultatem illam quasi delegatam receperunt, filios in sua cura retinentibus. Ecclesia verò supremam in spiritualibus obtinet potestatem, ad quæ, ut diximus, temporalia, tanquam ad principaliora ordinata sunt. Neglectus disciplinæ scholasticæ solis plerumque discipulis nocet; Fidei ac Religionis impugnatio, non solùm Principibus, sed & innumeris eorum subditis. Si discipulorum exemplum condiscipulos trahit, penes Pædagogum est illorum curam dimittere; Ecclesiæ, neque Principes, neque Subditos, per Baptisma sibi aggregatos deserere fas est. Ut disciplina scholastica non violetur, obstat sæpè naturalis Constitutio. Fidei ac religioni nonnisi ex malitia bellum infertur. Ad pueros non pertinet hæreditas, vel saltem ejus administratio. Nam si parentes vivunt, ipsi Domini sunt; si decesserunt, pueri sunt sub Tutoribus & Actoribus, à quorum consensu pendent. Si discipuli sui juris esse supponuntur,

tur, non habet in eos Pædagogus potestatem, nisi quam illi contulerunt, quæ certè ad exhæredationem non pertinet. Ecclesiæ supremi Pastores à Christo ipso in omnes baptizatos jurisdictionem obtinent, quam non exercent, nisi circa id jus quod subditis competit.

4. *Illudit*, ut verba Richerii in ipsum retorqueamus, *à dicto secundum quid ad dictum simpliciter*, ratiocinatio, quâ probatur Ecclesiam in temporalia Principum nullam, etiam indirectam, potestatem habere, ex eo quod *Ecclesiastici se suis, aut secularibus negotiis, non immisceant: & sufficientia politiæ Ecclesiasticæ ab observatione mandatorum Dei non à jure gladii, aut Monarchiâ temporali petenda sit*: quasi Ecclesia subditos à juramento fidelitatis absolvens, gladio materiali Regem jugularet, aut ei bellum inferret, ut ipsius Regnum sibi vendicaret, Monarchicè à se gubernandum. Præcipua quidem Superiorum Ecclesiasticorum potestas expressa his verbis Matt. 28. hic à Richerio relatis, aliquibus omissis; *Euntes ergo, docete omnes gentes servare omnia quæcumque mandavi vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Sed illis nullo interjecto, præmiserat Christus; *Data est mihi omnis potestas in Cælo & in terra*; quasi insinuans se illis potestatem conferre tum circa cælestia, tum circa terrena, quatenùs opus esset ad amovenda obstacula, injuncti sibi officii spiritualis executionem impedientia.

5. Triplex hic sibi argumentum opponit Richerius, quorum primum ducitur ab exemplis veteris Testamenti. Huic respondet, Synagogam territorium, & jus meri Imperii habuisse, Ecclesiam non item. Sed, ut mox explicuimus, Ecclesia Territorio non caret: imò nec mero Imperio, quandoquidem ubique terrarum censuris, nominatim excommunicatione, quæ à juris Canonici Tractatoribus cum jure vitæ ac necis comparatur, fideles contumaces plectere potest, nec non à juramentis fidelitatis, sicut ab aliis, dummodò justa & necessaria causa intercedat, absolvere, ut lib. 4. ostendisse sufficienter credimus. Aliud discrimen observat Richerius, quod scilicet lex Evangelica ad Mosaicam, & ad quamcumque aliam politiam comparata, sit lex mansuetudinis & perfectissimæ libertatis. Verùm hæc libertas in eo præcipuè sita est, quòd Christiani ultrò, & ex Charitatis instinctu, non au-

autem ex servili pœnæ timore moveri debeant ad implenda præcepta, ut S. Augustinus, & alii sancti Patres exponunt; non in eo quòd ab omni pœnâ debeant esse immunes, si contumaciter renitantur. Alioquin enim excommunicatio, quæ verorum Christianorum judicio damnatio est Regni temporalis privatione gravior, ab Ecclesia esset eliminanda.

6. Alterum argumentum, quod sibi objicit Launoius, est caput tertium Synodi Lateranensis: quo statuitur Reges, atque Principes, qui hæreticos ex suis Dominiis minimè exterminaverint, esse abdicandos. Respondet, isthæc & similia ut Decretales Romanorum Pontificum nihil juris habere in Principes politicos; quia inquit, *Decreta hæc privatim, & proprio motu à Romanis Pontificibus, non Synodicè, ideſt totius Ecclesiæ consensu, sancita fuerunt: itaque non obligant.* O temeraria responsio! Quod in Concilio generali, imò Generalissimo assistentibus per se vel per suos Legatos omnibus Principibus Christianis, Decretum est, *proprio motu à Romanis Pontificibus non Synodicè, id est totius Ecclesiæ consensu sancitum fuit.* Ecquid ergo ultra requiritur, ut aliquid *Synodicè totius Ecclesiæ consensu sancitum dicatur?* An ut generatim omnes & singuli Christiani assensum præbeant? Et quid unquam fuit, aut erit unquam hoc modo sancitum? Nulla ergo unquam obligavit, aut obligatura est lex Ecclesiastica. Sed demus Richerio Papam in eo Concilio, & in aliis, quibus præsedit, hujusmodi Decreta proprio motu edidisse, atque ad eorum subscriptionem Episcopos, aliosque Judices & Assistentes coegisse: quid respondebit autoritati, tanti apud ipsum ponderis, Conciliorum Constantiensis & Basileensis contra Pontifices habitorum? An eorum Decreta, quæ lib. 4. retulimus, proprio motu à Romanis Pontificibus sancita dicet?

7. Objicit sibi 3. abdicationem Childerici Regis Francorum, & Imperii translationem ad Francos, quibus respondet absolutè negando *solâ Romanorum Pontificum autoritate, absque populi consensu, autoritate, aut postulatione factas.* Nota vocem illam, *solâ*; adeò enim certum est, eas *Romanorum Pontificum autoritate factas* fuisse, ut id non possit non fateri, illucque confugiat ut neget, *solâ* eorum *autoritate factas.* Sed ab illo & aliis exemplis se se expedit pronuncians, quod *moribus & Canonibus, non exemplis, Christianam Rempublicam gubernari voluit Dominus Noster Jesus Christus*

Christus. Sed quis illos nobis Canones in hac materia edet, quandoquidem qui in Conciliis generalibus conditi fuerunt, proprio motu summorum Pontificum sanciti fuisse, atque adeò non obligare dicuntur. Quis mores declarabit, aut Canones sanciet, quibus *Christianam Rempublicam gubernari voluit Dominus noster Jesus Christus* ? Quis audeat cum Richerio contendere, qui exempla tot tantorumque Pontificum, & Conciliorum Generalium nihili faciens, de jure, non de facto disputari postulat ? Sed si tam parvi pendenda est Conciliorum autoritas, cur ad illam tam sæpè nos vocat Richerius ? Cur penes illam supremum Ecclesiæ regimen constituit interdum ? Quis condet aut exponet jus, secundùm quod de controversiis disputari possit ?

7. Claudit libellum suum Richerius, remittens pro reliquarum objectionum solutione ad Tractatum Magistri Joannis Parisiensis, *de potestate regia & Papali*, qui est in 2. lib. Vindiciarum; Verùm si Richerius graviores illas esse existimabat, cur omisit, & opus suum mancum reliquit, nisi quia se illis plenè satisfacere non posse intellexit ? Si leviores judicavit, non debemus de illarum solutione anxiam gerere solicitudinem. Sed non sunt à nobis omninò prætermittendæ Richerii Vindiciæ, ne illius doctrinam labantem suffulsisse existimentur.

CAPUT VII.

Notæ in primum librum Vindiciarum Edmundi Richerii, qui Decretis Scholæ Parisiensis constat.

1. VIndicias suas Edmundus Richerius in quatuor libros distribuit, cujus divisionis monet in præfatione. Primus aliquot Decreta Facultatis Theologiæ Parisiensis complectitur. Secundus continet aliquot opuscula Doctorum Sorbonicorum, pro Philippo Pulchro Rege Franciæ adversus Bonifacium VIII. Papam. Tertius ea exhibet, quæ Petrus de Alliaco, & Joannes Gersonius emiserunt in lucem tempore Conciliorum Pisani, & Constantiensis. In quarto sunt ea,

quæ Jacobus Almainus, & Joannes Major pro Ludovico XII. adversus Julium II. & adversus scripta Cajetani ediderunt.

2. In primis diligenter observandum est, quâ viâ ad scopum suum tendat Richerius. Collectionem suam sic inscribit; *Vindiciæ doctrinæ Majorum Scholæ Parisiensis, seu constans & perpetua Scholæ Parisiensis doctrina de autoritate & infallibilitate Ecclesiæ in rebus fidei & morum contra defensores Monarchiæ universalis & absolutæ Curiæ Romanæ.* Mox quasi thema adduntur verba S. Augustini ex lib. 2. contra Julianum cap. 10. *Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt hoc filiis tradiderunt.* Deinde proponitur illud Deuteron. 32. vers. 7. *Interroga Majores tuos, & dicent tibi.* Et in præfatione plura alia refert ad traditionem & ad libertatem Christianam spectantia; Itaque crederes ab Apostolorum tempore ad nos usque per singula sæcula seriem traditionis pro autoritate ac libertate Ecclesiæ contra summi Pontificis potestatem & infallibilitatem perducturum; præcipuè verò ex primorum Scholæ Parisiensis Doctorum testimoniis, & ex antiquissimis illius Academiæ Decretis catenam perpetuam contexturum: & ecce tibi exhibet Decreta, quorum primum sæculo 15. editum est, & opuscula 14. sæculo non antiquiora, tempore schismatis, aut diffidii inter Reges ac Regnum Galliæ, & Pontifices Romanos, à Doctoribus Romanæ Curiæ plerumque infensis conscripta; quod certè Vindiciarum genus non tam causam justam esse, quàm jure destitutam probat: quandoquidem pars illam defendens ad Advocatorum suorum testimonium & autoritatem, tanquam ad fortissimum præsidium confugit.

3. At fortè non tam illorum nomine, quàm argumentis sese tueri vult. Verùm non neglexerat Richerius, quæ sibi favere videbantur, à singularium Doctorum Tractatibus, licet non citatis, mutuari. Universitas enim non solet argumentis sua Decreta, ut privati suas opiniones, confirmare; sed judicum more, suppressis rationibus, decernere. Non tamen facilè debent ejus judicia odio, vel alicui animi perturbationi adscribi, aut etiam parvi pendi, præsertim si repetita sint. Et magna certè deberetur doctrinæ Scholæ Parisiensis reverentia, si *constans & perpetua* esset, ut affirmat Richerius.

4. Sed

4. Sed undenam orditur Richerius traditionem Facultatis Theologiæ Parisiensis ? An à tempore Caroli Magni, quem plerique Galli Universitatis illius Urbis Fundatorem nominant ? An saltem à tempore Roberti Sorboni, cui celeberrimum Collegium Theologorum & nomen & institutionem debet ? Minimè verò: à tempore, quo maximè flagrabat schisma, atque ad illud extinguendum maximè anhelabat tota Ecclesia, præsertim Universitas Parisiensis, cujus tunc Cancellarius erat Joannes Gersonius eo zelo vehementer incensus. Eâ enim de causa illo ipso anno habitum est Concilium Pisanum. Primum enim, quod producit Decretum datum est die 2. Mensis Januarii 1408. more Gallico ; id est 1409. more communi. Nullane usque ad id tempus edita fuerant ab Universitate Parisiensi de potestate Ecclesiasticâ Decreta ? Nulli ejus Alumni eâ de re scripserant ? Sed saltem ex eo tempore fuitne *constans & perpetua* omnium ejus Universitatis Doctorum sententia ? Ut id pateat, non sunt repetenda, quæ in libris superioribus allata sunt à nobis testimonia. A Lectore, si dubitet, rursus videri possunt.

5. Sed accedamus propiùs ad doctrinam Scholæ Parisiensis, & consideremus an Curiæ Romanæ adeò infesta sit : neglectis iis, quæ ad causæ justitiam nihil faciunt, & quæ Richerii tantùm affectum declarant, ut sunt, styli acrimonia, & denominatio Concilii Pisani habiti an. 1409. quod primum vocat, quasi nihili faciendum esset illud, quod ibidem sub Innocentio II. an. 1134. præsente, plurimumque juvante S. Bernardo, à totius Occidentis Episcopis celebratum est, ac de quo Bernardus Abbas Bonævallis in vita S. Bernardi ait ; *Innocentius II. rursus Pisas revertitur, ibique aggregatis totius Occidentis Episcopis, aliisq; Religiosis viris, magnæ gloriæ Synodus celebratur. Affuit per omnia & Consiliis & judiciis & definitionibus omnibus sanctus* (Bernardus.) Sed magis cordi erat Richerio commendare Conciliabulum, quod tempore Ludovici XII. Regis Franciæ, illiusque pollicitationibus Pisis ex parte habitum est an. 1511. & in Galliam evocatum, quod tanquam schismaticum reprobatum est in Concilio Lateranensi 5. sess. 2. & 3. & ab ipsomet Ludovico repudiatum, ut in eodem Lateranensi sess. 8. legitur. His omissis, scholam Parisiensem audiamus.

6. Primò prædictæ Facultatis Theologicæ Decreto à Richerio relato cogitur Licentiatus quidam retractare nonnullas propositiones circa Sacramenti pœnitentiæ administrationem, verbi Dei prædicationem, ac Decimarum solutionem: quæ quidem propositiones, cùm falsæ & scandalosæ essent, revocari certè debebant. Neque ea retractatio juribus sanctæ Sedis præjudicat. In prima quidem propositione, prout emendata est, dicuntur *Curati in Ecclesia Minores Prælati & Hierarchæ, ex primaria institutione Christi*: sed licet ipsius gradus institutio esset *ex primaria institutione Christi*, quod minus esse probabile superiori libro ostendimus, non tamen sequeretur unumquemque Parochum jurisdictionem suam immediatè à Christo recipere; multò minùs quod infert Gersonius à Richerio citatus, eos *vocem definitivam in Conciliis Ecclesiæ cum Episcopis habere*: ut enim Episcopi Ægyptii & alii ipsis adhærentes clamarunt in act. 1. Concilii Chalcedonensis, *Synodus Episcoporum est*. Nec antiquitas, quam Richerius, & alii scriptores Gallicani tam sæpè appellant, docet nos, Parochos in Conciliis generalibus definitivam vocem habuisse, aut etiam ad ea vocatos fuisse, nisi fortè tanquam consiliarios.

7. Alterum Theologiæ Parisiensis Decretum à Richerio exscriptum diei 3. Martii an. 1430. testatur, alium Licentiatum partim spontè, partim ordinante Universitate, aliquas propositiones revocasse circa jurisdictionem Ecclesiasticam: ac tria præcipuè declarasse. Primò quod *omnes potestates jurisdictionis Ecclesiæ, aliæ à Papali potestate, sunt ab ipso Christo, quantùm ad institutionem & collationem primariam.* (Idque immediatè, ut dicitur in propositionibus sequentibus.) *A Papa autem & ab Ecclesia, quantùm ad limitationem & dispensationem ministerialem.* Hæc propositio sensum verum, & iis, quæ à nobis superiori libro statuta sunt non oppositum, potest habere. Esto enim Christus Episcopatum & alios gradus instituerit, atque Apostolis suis, & primis Ecclesiæ suæ ministris, etiam immediatè contulerit, atque ità ipse sit causa principalis illorum: *dispensantur* tamen, & *limitantur* à summo Pontifice ipsius ministro ac Vicario, nec non totius Ecclesiæ capite. Certum tamen est propositionem illam, si generaliter sumatur, veram non esse. Nec enim Christus Dignitatem Patriarchalem v. g. Exarchalem,

chalem, aut Metropoliticam per se ipsum immediatè instituit.

8. Declaravit præterea dictus Licentiatus, quod *quandocumque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota autoritas dans vigorem statutis, residet, non in solo summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu Sancto, & Ecclesia Catholica.* Quod *autoritas dans vigorem statutis* Conciliorum *resideat principaliter in Spiritu Sancto*, certò certiùs est. Verum etiam in aliquo sensu est, illam autoritatem residere *in Ecclesia.* Sed istud obscurum est. Ecclesia enim potest intelligi vel formaliter pro tota fidelium collectione, atque in eo sensu falsum est, eam dare vigorem statutis. Laicis enim, qui pars ejus collectionis maxima sunt, convenit *obsequendi necessitas, non decernendi autoritas:* potest etiam Ecclesia sumi repræsentativè, hoc est, pro fidelium omnium Pastoribus; atque in isto sensu verum est, Ecclesiam dare vigorem statutis. Nec enim nihil faciunt reliqui Episcopi ad robur Decretorum Synodalium. Sed summus Pontifex, ut caput illius mystici corporis, plus cæteris confert. Quia sicut ipsi, tanquam supremo Pastori, commissæ sunt universæ Christi oves; ità & principalis tradita est earum regendarum potestas. Quæ quidem Papæ prærogativa, ita cæterorum jurisdictioni præeminet, ut dum ipse Concilio intereſt, ejus nomine Decreta edantur, approbantibus cæteris, ut alibi observavimus.

9. Confessus est idem Licentiatus, quod *potestas Ecclesiæ de jure potest aliquid, & in certis casibus contra summum Pontificem.* Ea etiam propositio in eo sensu vera est, quo in usum redacta fuerat ante aliquot annos in Concilio Constantiensi, quando nimirùm incertum erat apud plerosque, quis esset legitimus Pontifex. Sed verba illa, *in certis casibus*, exceptionem significant, quæ non solùm regulam generalem non constituit, sed & regulam contrariam firmat.

10. Denique declaravit, Papam *Simoniam posse committere.* Quæ in re distinguenda est vera Simonia contra jus Divinum, à quibusdam actibus ab Ecclesia ob Simoniæ periculum prohibitis, licet veram Simoniam non contineant. Itemque in Simonia contra jus Divinum, discernenda est culpa à censura, quæ illam in certis casibus consequitur. Summus Pontifex jus divinum violans culpam non effugeret; censuram

non incurreret. Juris merè positivi directioni subest, non coactioni.

11. Huic secundo Decreto subjungit Richerius sex conclusiones articulorum ejusdem Facultatis Parisiensis contra Lutherum : sed illæ conclusiones Ecclesiæ quidem privilegium in fide & moribus non errandi, controversias, aut dubia circa Scripturas sacras definiendi & determinandi, nec non excommunicandi potestatem adscribunt, ejusque traditiones recipiendas declarant ; idem tamen privilegium eandemque potestatem summo Pontifici non denegant.

12. Hæc autem est ultima ex illis sex conclusionibus ; *Nec minùs certum est unum esse de jure Divino summum in Ecclesia Christi militante Pontificem : cui* OMNES *Christiani parere tenentur : qui quidem potestatem habet & indulgentias conferendi.* Si summo Pontifici omnes Christiani parere tenentur : ergo & omnes Episcopi, cùm omnes sint Christiani : verùm, ut sæpè diximus, quid est Ecclesia formaliter, nisi omnes Christiani ; & repræsentativè nisi omnes Episcopi ? Sed dices, fallacia est à sensu diviso ad sensum compositum. Ità quidem esset, si Ecclesia tunc tantùm diceretur, cùm Episcopi essent in Concilium Generale collecti, aut fideles omnes in consilium universale congregati. At cùm ipsa fidelium multitudo, etiam prout sunt per totum orbem dispersi, & Episcopi in propriis Diœcesibus residentes, Ecclesia propriè sint, non video quomodò in eo statu omnes summo Pontifici parere teneantur, non autem Ecclesia ipsa. Nisi fortè dicamus omnes Christianos ad parendum teneri, nisi communi consensu inter se per litteras aut Nuncios significato, deliberent non parere sed præcipere ; atque in eo casu Pontificem Ecclesiæ subesse ; quod absurdum videtur.

13. Dicitur in quarto ex illis sex articulis *potestatem excommunicandi esse de jure Divino* IMMEDIATE' *à Christo Ecclesiæ concessam.* Sed illud *immediatè* dicitur contra errorem Lutheri, qui excommunicationes ad politiam dumtaxat exteriorem valere, non autem bonis spiritualibus privare ; imò potiùs prodesse, quam obesse affirmabat : unde sequi videbatur, illas ab hominibus fuisse omninò excogitatas. Hæc enim erat propositio 18. ex damnatis à Leone X. an. 1520. *Excommunicationes sunt tantùm externæ pœnæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ oratio-*

rationibus. Et 19. *Docendi sunt Christiani plùs diligere excommunicationem, quàm timere:* quibus propositionibus opponitur articulus scholæ Parisiensis declarans, potestatem excommunicandi esse de jure Divino, etiam immediatè; atque adeò excommunicationem esse timendam. Fuit autem illa potestas immediatè concessa Ecclesiæ; hoc est primariò propter ipsius bonum, non autem Ecclesiæ universæ sicut subjecto immediato, quemadmodum de jurisdictione in communi jam explicuimus.

14. Tertium Decretum die 5. Februarii an. 1483. editum, quo tempore maximè laborabant Galli pro defensione suæ Pragmaticæ Sanctionis ex Decretis Concilii Basileensis, ad quod admissi fuerant Curati, desumptæ, atque à Ludovico XI. Caroli VIII. tunc regnantis Patre repudiatæ, continet censuram quatuordecim propositionum, ubi quatuor tantùm capita nobis adversari videntur. Primum, quod prima propositio in eo quod enuntiabat, Curatos suam facultatem habere ab Episcopo dumtaxat, gravi censurâ perstringitur: quare insinuatur, eam potestatem esse de jure Divino: sed vox illa, *dumtaxat*, efficit, ut ad veritatem & justitiam censuræ sufficiat, potestatem Curatorum aliquo modo esse ab alio quàm ab Episcopo. Id autem multis modis absque præjudicio sententiæ nostræ contingere potest, prout variè exponitur natura jurisdictionis à Doctoribus scholasticis, qua de re videri potest Suares de pœnit. disput. 16. sect. 3. Certè potestas remittendi peccata in se absolutè, ac sine respectu ad aliquos subditos ab eo solo est, qui solus potest peccata dimittere; assignatio autem subditorum est ab Episcopo, vel alio beneficium conferente; atque adeò licet Curatorum potestas sit ab Episcopo, non est ab eo *dumtaxat.*

15. Secundò, hæc propositio, quæ in ordine secunda est; *Parochianus confessus dictis fratribus, satisfecit Decretali: Omnis utriusque sexus. De pœnit. & remiss. nec tenetur confiteri proprio suo Curato semel in anno, nec ab eo petere licentiam*, hac censurâ notatur; *Hæc propositio in forma, in qua jacet est falsa, & de hæresi vehementer suspecta, juri communi contraria, & publicè revocanda.* Verùm hæc censura non negat, Regulares, si à Papa delegentur, pœnitentes absolvere validè; atque confessione illis factâ satisfieri præcepto Ecclesiæ

cleſiæ contento in prædicto Canone. *Omnis utriuſque ſexus*; etiamſi confeſſio rurſus Curato non fiat. Alioquin cenſura illius propoſitionis, ſicut & tertiæ, que eſt de communione illorum, qui Regularibus confeſſi ſunt, qua parte ad iſtam reducitur, potiùs eſſet hæretica, quàm propoſitiones ipſæ, quas afficit, ut patet ex damnatione propoſitionum Joannis de Poliaco, factâ à Joanne XXII. Papa extrav. *Vas electionis*. De hæreticis, & ab Eccleſia receptâ, imò & ab ipſamet Schola Pariſienſi, ut in lib. 6. demonſtravimus. Convenit igitur cenſuram ita interpretari, ut velit Curatorum licentiam à fidelibus poſtulari confitendi Regularibus, quod reverentiæ Paſtoribus debitæ maximè convenit; & poſſet etiam abſolutè neceſſarium eſſe, ſi ſummus Pontifex eam conditionem apponeret. Verùm hæc controverſia ob nova Eccleſiæ Decreta Regulares Epiſcoporum approbationi ſubdentia, inutilis hodiè videtur.

16. Tertiò, iſta propoſitio ordine 8. *Papa poſſet totum jus Canonicum deſtruere, & novum conſtruere*, declaratur *ſcandaloſa, blaſphematoria, notoriè hæretica, & erronea*. Reverà propoſitio complexè accepta eſt *ſcandaloſa*: quatenùs etiam in jure Canonico plurima continentur, quæ ſunt juris Divini, eſt *blaſphematoria, hæretica, & erronea*. Sed ſalva eſt ſummo Pontifici autoritas diſpenſandi ſuper iis, quæ ſunt de jure poſitivo dumtaxat, & etiam ea abrogandi, dum juſta cauſa intercedit, ut intercedere præſumendum eſt, quando contrarium manifeſtè non apparet: nec non jus Divinum interpretandi.

17. Quartò, propoſitio 12. ſcilicet; *Quicumque contradicit voluntati Papæ paganizat, & ſententiam excommunicationis incurrit (ipſo facto:) & à nullo Papa reprehendi poteſt, niſi in materia hæreſis*, notatur ut falſa, ſcandaloſa, & ſapiens hæreſim. Iſta etiam cenſura variis modis, autoritati Papæ non contrariis, ſalvari poteſt. Primò enim, ſi Papæ voluntas eſſet apertè injuſta, liceret ei cum reverentia contradicere. Secundò non omnem contradictionem ſequitur pœna excommunicationis. Tertiò Papa poteſt reprehendi extra caſum hæreſis. Aliud eſt enim reprehendere, aliud judicare. Quartò judicari etiam poteſt in caſu ſchiſmatis, quando cum fundamento dubitatur an ſit verus & legitimus Pontifex.

18. Quæ-

18. Quartum Decretum suâ etiam epochâ nonnihil suspectum, editum scilicet anno 1497. post expeditionem Italicam Caroli VIII. Francorum Regis, ut notat Richerius, continet responsionem prædicto Regi factam, circa tres ab ipso missas quæstiones. Responsum est, primò, Papam debere quolibet decennio Concilium congregare, præsertim si magna sit in Ecclesia deordinatio. Id jam statuerat Concilium Constantiense; atque optandum esset, ut observari posset. Sed is est Christianarum Provinciarum status, ea Principum Catholicorum discordia, ut desiderari quidem, sed nondum sperari possit. Secundò responsum est, rogato ac renuente summo Pontifice, posse Principes tam Ecclesiasticos, quàm sæculares, & partes Ecclesiæ notabiles se congregare. Cujus utilitatis futura sit hujusmodi congregatio, instigantibus Principibus, sine summi Pontificis assensu, facta, comprobavit inter alia Conciliabulum, aliquot post annis à Ludovico XII. Caroli VIII. successore, primùm in Gallia congregatum, deinde, illo procurante, Pisis continuatum, posteà in Franciam revocatum; ac denique à Concilio Lateranensi V. damnatum, & à Ludovico ipso repudiatum, ut suprà notavimus. Tertiò responsum est, renuente summo Pontifice, ac reliquis Provinciis Christianis, posse unam, v. g. Regnum Franciæ, Concilium celebrare, & necessitatibus Ecclesiæ providere. Quis credat, eventurum unquam casum illum, ut sola Francia necessitati Ecclesiæ prospicere satagat, recusantibus, & summo Pontifice, & aliis Prælatis Orbis Christiani. Verendum potiùs esset, ne sub prætextu adhibendi Ecclesiæ malis remedii, malorum omnium maximum schisma in Ecclesiam inveheretur. Non patietur Ecclesia Romana, vel etiam aliæ, ut zelus pro domo Dei à se in Galliam penitùs exulet.

19. *Hæc responsio* (scilicet Carolo VIII. facta) inquit Richerius, *apertè declarat quidnam Parisienses Theologi conformiter ad Constantienses & Basileenses Synodi Decreta de autoritate Concilii supra Papam, & de Regum Christianorum potestate in Conciliis indicendis & congregandis, tum temporis sentirent atque docerent.* Scimus quidem Concilium Constantiense in Gallia maximi fieri, ejusque occasione, quia nimirùm feliciter diuturno, perniciosissimoque schismati finem imposuit, plures in eo Regno summam Conciliis generalibus

autoritatem tribuere, sed non video quomodò hæc responsio *apertè declaret, quidnam Parisienses Theologi* (ea de re) *sentirent, atque docerent.* Aut *de Regum Christianorum potestate in Conciliis indicendis & congregandis*, cùm de neutro quidquam definiat; neutrum ex illa meo judicio sequatur: judicet tamen quisquis legerit. Eam, quia paulò prolixior est, non puto hîc exscribendam.

20. Fortassè Richerius putavit, Doctores superiorem illam autoritatem Concilii generalis indicatam voluisse illis verbis responsionis ad secundam quæstionem, *Ecclesiam universalem repræsentans.* Sed attentè legenti patet, illa dicta esse de Concilio generali à summo Pontifice convocato, de quo sermo fuerat in responsione ad primam quæstionem: non de Concilio sine Papa congregato, de quo agebatur in secunda, quodque alii potiùs opponitur tanquam Ecclesiam non repræsentans; hæc enim sunt verba; *Principes tam Ecclesiastici, quàm seculares, & partes Ecclesiæ notabiles possunt se congregare sine hoc, quod per dictum summum Pontificem congregetur dictum Concilium Ecclesiam universalem repræsentans.* Ubi etiam vides de Principibus sæcularibus, sicut de Ecclesiasticis, dici quod possint se congregare; non autem quod *possint congregare Concilia.*

21. Claudit hunc librum Richerius Censurâ ejusdem Facultatis adversùs undecim alias propositiones, ex quibus tertia, quinta, sexta eædem sunt, quæ tertio Decreto notatæ fuerant, eâdemque censurâ afficiuntur. Quamobrem sufficiunt quæ de illis jam dicta sunt. Aliæ ad institutum nostrum non pertinent; nisi fortè quarta, quæ Regularibus privilegium tribuit absolvendi à multis casibus, à quibus absolvere nequeant Curati: sed cùm de facto magis, quàm de jure agatur, non videtur diutiùs immorandum circa ejus censuram, quæ est hujusmodi; *Ista propositio censenda est falsa, & juri communi contraria, scandalosa, & ideò nullatenus prædicanda.* Nam cùm privilegia non supponenda, sed exhibenda sint, quæ juri communi adversantur, censensa sunt falsa, & nequaquam prædicanda, quamdiu de illis non constat. Quæ Censorum mens colligitur tùm ex illa voce, *censenda est*, quæ inevidentiam subindicat, tùm ex eo quod in fine censuræ declaratur, quod *prædictorum articulorum qualificatio nullo modo derogat, nec præjudicat Clementi-*

na

ne Dudum. *De sepulturis*; quia scilicet est privilegium in corpore juris clausum, atque adeò notum & certum.

22. Hæc interpretati sumus pro nostro erga Facultatem Parisiensem studio. Sed, si cui videatur interpretatio illa menti ejus scholæ adamussim non congruere, provocamus ad alia ejus Decreta, edita antequam schismatis occasione, ac Joannis Gersonii præsertim impulsu, summi Pontificis autoritatem, si non minuere, saltem quàm angustis posset limitibus concludere statuisset, & ob potestatis Pontificiæ abusus, præcipuè schismatis ejusdem tempore, potestatem ipsam gravem habere cœpisset. Antiquiorum autem illorum Decretorum exempla, quæ ubi tulit occasio, jam vidimus, sufficiunt. Plura videri possunt apud Mauclerum, Duvallium, & alios ejusdem Scholæ Doctores.

23. Denique, licet concederemus, scholam Parisiensem ità semper sensisse, ut Decretis à Richerio relatis significasse videtur, ejusque doctrinam esse veram; quid juvaret declarationem Illustrissimorum Præsulum Gallicanorum, pro cujus defensione modò in lucem emissa sunt? Ubi enim subtrahuntur Principes, quantùm ad temporalia, à potestate indirecta Ecclesiæ? Ubi submittitur generaliter summus, & indubitatus Pontifex Concilio Generali? Ubi confirmantur regulæ, mores, & instituta à Regno, & Ecclesiâ Gallicanâ recepta? Ubi negatur summo Pontifici non errandi privilegium? Multis opus esset consequentiis, ut ista ex illis concluderentur.

CAPUT VIII.

De Tractatibus, quibus constat liber secundus Richerii, ac speciatim de primo.

1. NOn eâdem prosequimur reverentiâ Tractatus illos, quos nonnulli scriptores pro Regum Francorum defensione tempore dissidiorum cum Romanis Pontificibus lucubrarunt, quâ Facultatis Theologicæ Decreta. Quis enim partis alicujus causam injustam præsumat, eo quod à partis adversæ Advocato impugnetur: aut quis miretur inveniri

Scriptores, qui calamum ſuum Principibus commodent, vel vendant ? Itaque menti ſtatim occurrerat, iis Tractatibus non aliter reſpondere, quàm collectis & publicatis Tractatibus aliorum Doctorum ejuſdem ætatis, ſed contrariæ ſententiæ, ſaltem æquè celebribus ac ſolidis. Verùm dum id ab aliis præſtabitur, qui commodiùs, ob Manuſcriptorum copiam, poſſunt; eorum qui nobis objiciuntur, vis eſt experienda.

2. Agmen ducit *quæſtio diſputata in utramque partem pro & contra Pontificiam poteſtatem* : cui ut autoritas conciliaretur, præfixum eſt nomen Ægidii de Roma Archiepiſcopi Bituricenſis, viri multorum laudibus, & ſuis ipſius operibus celeberrimi; ac de quo ſcripſit Joannes Bergomenſis in ſupplem. Chronic. relatus à Cæſare Egaſſio Bulæo hiſt. Univerſitatis Pariſ. to. 3. in Cathalogo Illuſtrium Academicorum ; *Ægidius Romanus Ordinis Eremitarum generalis Prior, & Bituricenſis Archiepiſcopus & Primas Aquitaniæ declaratus, his temporibus ob ingenii magnitudinem Theologorum Princeps eſt appellatus. Quod quidem conjici poteſt, ſi à curioſo Lectore ejus volumina perſpiciantur. Hic namque ex illuſtri Columnenſium Romanorum familia natus, cum longo tempore Ordinem ſuum, omnemque Eccleſiam doctrinâ & moribus illuſtraſſet, plurimoq; labore Præceptoris ſui S. Thomæ Aquinatis opera apud Pariſios defenſaſſet, tandem miraculis clarus beato fine quievit. Qui ſanctitatis merito Beatus Doctor eſt appellatus.*

3. Sed tanto viro ſuppoſitam fuiſſe illam quæſtionem, tum multa ſuadent, tum dubitare non finit ejus Tractatus, cujus editionem meditatur eruditiſſimus ejuſdem Ordinis S. Auguſtini Alumnus, apud quem Autographum extare audivi. Adeò pugnat doctrina certi hujus Tractatus, cum quæſtionis illius ſuppoſitæ doctrinâ, ut ejuſdem Autoris eſſe nequeant. Neque enim is erat Ægidius, ut circa eandem controverſiam aliud ſcripſerit ad Bonifacii VIII. ſeu potiùs ad jurium ſanctæ Sedis defenſionem ; aliud, & è regione contrarium in favorem diſcipuli ſui Philippi IV. Francorum Regis ; ac ſi ibi tam malè conſtitiſſet, parum valeret ejus autoritas.

4. Quis Ægidio quæſtionem illam, ut certum ejus fœtum primus ſuppoſuerit, mihi compertum non eſt. Richerium laudo, quod fideliter ejus concluſionem exſcripſerit, quâ ſignifi-

nificatur, saltem incertum esse, an opus Autoris sit, cujus nomen præfert; sic enim habet. *Explicit quæstio prædicta, edita per bonæ memoriæ Ægidium de Roma Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini,* SACRÆ THEOLOGIÆ EXIMIVM PROFESSOREM AC *Archiepiscopum Bituricensem, secundùm quod fertur.* Ultima ista verba, *secundùm quod fertur*, sine merâ cavillatione, aliò referri non possunt, quàm ut indicent, autorem quidem dici Ægidium, esse tamen incertum. Adeò enim notorium est Ægidium fuisse Archiepiscopum Bituricensem, ut qui ea de re, nonnisi cum cautelâ, & hæsitans, loqueretur, quod denotant verba illa, *secundùm quod fertur*, satis demonstraret parùm sibi notum esse illum *sacræ Theologiæ eximium Professorem*; adeoque paucam fidem mereretur ejus testimonium, celeberrimo illi viro istam quæstionem assignans.

5. Interim autem, dum Tractatus, quem modò dicebam, publici juris fiat, pauca ex illo proferam, ex Codice manuscripto optimæ notæ extracta, quæ mentem Ægidii Romani luculentissimè declarant. Sic igitur habet par. 1. cap. 3. Ejus titulus est; *Quod spiritualis potestas* INSTITVERE *habet terrenam potestatem: & si terrena potestas bona non fuerit, spiritualis potestas eam poterit judicare.* Deinde sequitur; *Hugo de S. Victore in lib. de Sacramentis fidei Christianæ par. 2. cap. 4. ait, quod* SPIRITVALIS POTESTAS TERRENAM POTESTATEM ET INSTITVERE HABET ET IVDICARE, *si bona non fuerit. Igitur de Ecclesia, & de potestate Ecclesiastica verificatur illud vaticinium Jeremiæ: Ecce constitui te hodie super gentes & Regna, ut evellas & destruas & dispердas & dissipes, ædifices & plantes..... Istud tamen vaticinium hodie de ipsa impletur Ecclesia, ut dicat Dominus Ecclesiæ; Ecce hodiè, id est à die qua formata es, constitui te super gentes & Regna, ut destruas & evellas, ea de suo loco transferendo; ædifices & plantes, ipsa quidem Regna in loco alio ædificando & plantando. Quia alias factum est: quia summus Pontifex transtulit Imperium de Oriente in Occidentem, ut in juris scientia est notatum. Concordant itaque rerum gesta cum autoritate Doctorum..... Sed dicet aliquis, quod Reges & Principes spiritualiter non temporaliter subsint Ecclesiæ. Sed temporalia ipsa (diceret aliquis) Ecclesia recognoscat ex dominio temporali, ut patuit ex donatione & collatione, quam fecit Ecclesiæ Constantinus. Sed sic dicentes vim argumenti non capiunt. Nam si solùm spiritualiter Reges, & Principes subessent Ecclesiæ, non esset gladius sub gladio, non essent temporalia sub spiritualibus, non esset ordo*

in potestatibus, non reducerentur infima in suprema per media: Si igitur hæc ordinata sunt, oportet gladium temporalem subjici spirituali; oportet sub Vicario Christi regnum existere: & de jure, licet aliqui de facto contrarium agant, oportet Christi Vicarium SVPER IPSIS TEMPORALIBVS HABERE DOMINIVM. In eodem Codice habetur Tractatus Alexandri de S. Elpidio Augustiniani, viri etiam clarissimi; *De Ecclesiastica potestate.* Sed ejus & aliorum in Gallia non versatorum testimoniis referendis supersedemus; quamvis eandem tueantur sententiam.

6. Ne autem doctrinæ in dicta quæstione contentæ vim metuere videamur, si tantùm eam quasi adulterinum partum contemnamus, illam diligentiùs consideremus. Præmittitur Epistolium quoddam cum hoc titulo; *Litteræ sive Bulla missa per Bonifacium VIII. Serenissimo Regi Philippo Pulchro.* Falsum, vel certè admodùm suspectum esse illud Epistolium multi jam ostenderunt. Mihi mirum est, quod adeò breve cùm sit, Bullæ titulo insigniatur, *litteræ seu bulla*, quasi epistolæ, aut litterarum nomen non satis significaret pauciſſimarum linearum præstantiam. Sunt autem illæ lineæ, quibus constat, stylo tam stricto, tamque ab eo cultu, qui in acerbioribus, etiam summorum Pontificum ad summos Pontifices epistolis interlucet, remoto, ut litteras seu bullam, in eâ saltem formâ, nunquam à Bonifacio VIII. ad Philippum Pulchrum missam existimem. Verba illa, *Regi Philippo Pulchro*, innuunt, etiam hunc titulum non fuisse illi epistolio præfixum tempore ipso Philippi; atque adeò neque ab Ægidio Romano. Qui enim præfixit, Regem adhuc regnantem designasset; Gallus quidem, nomine *Regis tantùm*; alius autem, addito nomine *Franciæ*, *Regis nomini.* Sed omne de falsitate dubium abstergere videntur litteræ, quas scripserunt Anagniæ 6. Kal. Julii Pontificatus Bonifacii VIII. an. 8. S. R. E. Cardinales Ducibus, Comitibus, Baronibus, & Nobilibus Regni Franciæ. *Volumus*, inquiunt, *vos pro certo tenere, quod prædictus Dominus Noster summus Pontifex numquam scripsit Regi prædicto de Regno suo sibi subesse temporaliter, illudq; ab eo tenere deberet: & providus vir Magister Jacobus Archidiaconus Narbonensis Notarius & Nuncius Domini nostri prædicti, sicut constanter affirmat, ipsi Domino Regi hoc ipsum vel simile nunquam verbaliter nunciavit, aut scripto.*

7. Sed

7. Sed etsi verè illa epistola fuisset à Bonifacio Regi scripta; responsio quæ illi supponitur facta, quæque illi subditur in quæstione Ægidio suppositâ, adeò est summo Pontifici injuriosa; ut, si à Principe irato erumpere potuit, non possit à viris, Christi Vicarium, ut veros Catholicos decet, colentibus, irreverentiæ Christiano Principe indignissimæ, non argui; multò minùs tanquam Gallicanæ fortitudinis specimen laudari. Henricus Spondanus ad an. 1301. num. 11. Epistolium Bonifacii verè Philippo redditum tradit, sed à Petro Flota ex longiori epistola maliciosè interpolatum. Ad an. autem 1302. num. 8. epistolium etiam Philippi suspectum facit.

8. Sed ad quæstionem veniamus, quæ post illa duo epistolia hunc alium titulum præfert; *Quæstio benè disputata ad argumenta super debato præcedentium litterarum.* Planum est, quæstionis illius statum longè alium esse ab eo, quem postulasset controversia inter Bonifacium & Philippum, saltem ut opponi posset Bonifacio, adversùs quem tractata est, & ab eo, quem postularet declaratio Præsulum Gallicanorum, ut hinc aliquid præsidii mutuari posset. Nam neque Bonifacius plenam & directam potestatem in temporalia Principum sibi tribuebat; & Episcopi Gallicani etiam indirectam Ecclesiæ negant. Quæstionis autem istius autor de potestate directâ præcipuè disputat, & indirectam Ecclesiæ nihilominùs competere profitetur, quod per partes est demonstrandum.

9. Inprimis Bonifacius mentem suam adeò luculenter exposuit, ut nesciam, quâ fide possit illi sententia tam diversa affingi. Æquumne est, ut ad minuendam Regis culpam, Pontifex in invidiam immeritò trahatur? En votum Bonifacii VIII. in Consistorio, ubi agebatur de discordia inter ipsum & Regem Franciæ ex m. s. Bibliotecæ S. Victoris Parisiensis, relato ab Henrico Spondano ad annum 1302. num. 10. *Quadraginta anni sunt, quod nos sumus experti in Iure, & scimus* QVOD DVÆ SVNT POTESTATES ORDINATÆ A DEO. *Quis ergo debet credere, vel potest, quod tanta fatuitas, tanta insipientia sit vel fuerit in capite nostro. Dicimus quod in nullo volumus usurpare jurisdictionem Regis, & sic frater noster Portuensis dixit.* Addidit quidem; *Non potest negare Rex, seu quicumque alter fidelis, quin sit nobis subjectus ratione peccati.* Sed hæc sen-

sententia neque nova erat, neque singularis : Siquidem id ipsum anteà declaverat Innocentius III. in cap. *Novit; De Iudiciis.* Quod ab omnibus receptum est, etiam in Gallia, ut lib. 4. vidimus; speciatim autem ab Autore hujus quæstionis, ut ex ejus verbis cap. seq. referendis constabit.

10. Sed priùs nosse oportet quis sit status quæstionis ab isto Scriptore tractatæ. Illum his verbis exprimit; *Quæstio est utrùm dignitas Pontificalis & Imperialis, sive Regalis sint duæ potestates ad invicem distinctæ : & hoc est quærere, utrùm summus Pontifex plenam jurisdictionem & ordinariam potestatem habeat tam in temporalibus quàm in spiritualibus : ità quod omnes Principes temporales subsint ei quantum ad temporalia.* Quid facit hæc quæstio ad controversiam inter Bonifacium & Philippum; vel quid juvat declarationem Antistitum Gallicanorum? Num inficiabatur Bonifacius *Dignitatem Pontificalem & Imperialem, sive Regalem esse duas potestates ad invicem distinctas.* E contrà id ità profitebatur, ut sententiam contrariam non solùm juris insciticæ, sed etiam incredibili fatuitati & insipientiæ adscriberet. *Quadraginta anni sunt, quod nos sumus experti in jure, & scimus* QVOD DVÆ SVNT POTESTATES ORDINATÆ A DEO : *quis ergò debet credere, vel potest, quod tanta fatuitas, tanta insipientia sit, vel fuerit in capite nostro?* An putabat Bonifacius, aut docent Theologi, summum Pontificem plenam jurisdictionem & ordinariam potestatem habere, tam in temporalibus, quàm in spiritualibus extra patrimonium B. Petri? Num Pontifex juris peritissimus ignorabat cap. *Per venerabilem; Qui filii sint legitimi*; Ubi Innocentius III. expressè affirmarat, quod *Rex* (Francorum) *Superiorem in temporalibus minimè recognoscat* : aut caput *Novit; De judiciis*, ubi idem Pontifex declaraverat, quod *non intendebat judicare de feudo : cujus ad ipsum* (Regem Francorum) *spectat judicium?* Nonne ad illa jura Bonifacius manifestè alludebat his verbis; *Dicimus quod in nullo volumus usurpare jurisdictionem Regis.*

11. At, inquies, volebat saltem Bonifacius, & docent multi Theologi, ac contendit Curia Romana, quod *omnes Principes subsint summo Pontifici quantum ad temporalia.* Ita est : sed in eo sensu, quem exhibent hæc verba Bonifacii; NON POTEST NEGARE REX, SEV QVICVMQVE ALTER FIDELIS, QVIN SIT NOBIS SVBIECTVS RATIONE PECCATI. Quæ sententia

tentia Bonifacio est antiquior, neduin recenter non excogitata, ut ex iis patet, quæ lib. 4. dicta sunt, & ex illis Decretalibus, ad quas allusisse Bonifacium diximus. Nam cap. *Novit.* postquam Innocentius præmisit se non intendere judicare de feudo, quippe cujus judicium spectaret ad Regem, addit; *Sed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus, & debemus..... Nullus qui sit sanæ mentis ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocumque mortali peccato corripere quemlibet Christianum: Et si correctionem contempserit,* PER DISTRICTIONEM ECCLESIASTICAM COERCERE. Et cap. *Per venerabilem.* Qui filii sint legitimi; *Non solum in Ecclesia patrimonio (super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem) verùm etiam in aliis Regionibus, certis causis inspectis, temporalem jurisdictionem casualiter exercemus: non quod alieno juri præjudicare velimus, sed quia, sicut in Deuteronomio continetur: Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, &c.* Quam doctrinam ita non refutavit hujusce quæstionis autor, ut eam expresè tradat, quod cap. seq. planum fiet.

CAPUT IX.

Vindicias Richerii complexè sumptas plus obesse, quàm prodesse Antistitum Gallicanorum declarationi.

1. ETiamsi gravis esset Scriptorum, quos sibi Richerius vindices ascivit, autoritas; neque suspectum efficerent illorum testimonium circumstantiæ temporis, & scribendi occasio, seu consilium ac finis: tamen fortior non evaderet pars Illustrissimorum Antistitum Gallicanorum, nec causa illorum appareret æquior; saltem si omnia illa testimonia complexè accipiantur. Manifestiùs enim aliquibus illorum propositionibus adversantur, quàm aliis suffragentur: imò aliquando illis reverâ opponuntur, quibus favere creduntur. Id ex parte observare jam licuit, quandò aliquibus ex illis testimoniis usi sumus. Sed rursus novis est exemplis confirmandum.

2. Autor quæstionis illius, quæ Ægidio Romano tribuitur, nihil scripsit, quod confirmet, saltem apertè, propositionem, in cujus solius confirmationem adductus videtur: & aliæ manifestè contradicit; imò & illi ipsi, in cujus patrocinium advocatus est. Ita enim non declarat cum Illustrissimis Episcopis Gallicanis, *Reges & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subjici*; ut articuli 4. summarium sit hujusmodi; *In quibus terrena potestas sit subjecta spirituali potestati*. Sed ut mens Autoris evidentior fiat, exhibendus est integer articulus, cujus partem jam dedimus lib. 4. cap. 8. §. 6.

3. *Quartò declarandum est in quibus & quomodò potestas temporalis subjecta est spirituali potestati, & in quibus non. Ad cujus evidentiam notandum est, quod quædam sunt causæ merè spirituales, sicut causæ matrimoniales Extrav. de Decimis, per totum: Item causæ Simoniæ Extravag. De Simonia, per totum. Item causæ hæresis Extrav. De hæreticis cap. Ad abolendam, & cap. Vergentis, & cap. Excommunicamus: item causæ divortii Extrav. De procura. Et omnes aliæ causæ matrimoniales sunt spirituales. De quibus dicit Innocentius Extrav. de judiciis super illam Decretalem, Novit, super verbo, Juramento. Nota crimen pacis fractæ, & perjurii directè pertinet ad judicium Ecclesiæ, ut hîc in crimine Simoniæ, sacrilegii, usurarum, hæresis, separationis matrimonii, quantum ad thorum propter adulterium. Causæ merè temporales sunt causæ feudales, & causæ sanguinis, & hujusmodi. Istas commisit Deus immediatè & principaliter Imperatoribus & Regibus. De quibus nec Papa nec alii Prælati debuerunt se intromittere in Ecclesia primitiva, licet modò consuetudine de causis personalibus quibusdam & temporalibus ad utrumque Judicem recurratur. Sed de Feudalibus in propriis feudis, nonnisi ad Imperatores, Reges, & alios Principes. Unde illâ Decretali dicit Papa, non negamus quin Imperator præcellat in temporalibus. Et ut Extrav. De judiciis cap. Novit. dicit Papa. Non putes quod jurisdictionem Illustris Regis Francorum perturbare, aut minuere intendamus. Et infrà Qui filii sunt legitimi, dicit Papa, ad Regem non ad Ecclesiam pertinet de talibus possessionibus judicare. Item Extrav. De foro competenti. cap. Vero. Super verbo de Feudis, dicit Innocentius, qnilibet Dominus quantumcumque villicus, vel etiam rusticus super feudalibus rebus jurisdictionem habet. Causæ mixtæ sunt causæ temporales, quæ connexionem quandam habent cum spiritualibus: sicut causa feudalis, quæ de se temporalis est, connexionem potest habere cum juramento vel pacto: sicut patet de dissensione motâ inter Reges Franciæ & Angliæ super Comitatu Pictavien-*

sis:

vicissi : *Papa quia non poterat directè cognoscere de causa feudali , indirectè ratione juramenti vel pacti intromisit se de illa Extrav. De Judiciis cap. Novit. Ubi dicit Hostiensis in glossa super verbo , De feudo ; Non intendimus cognoscere de feudo , sed tantùm ratione pacti , inducendo illum ad pœnitentiam , quia illam non potest agere nisi satisfaciat. Item causa dotis per se temporalis est , & ad sæcularem Judicem pertinet , si de ipsa tantùm agatur : tamen quando Judex Ecclesiasticus cognoscit principaliter de matrimonio , si incidat causa dotis tanquam accessoria , cognoscet de illa sicut de principali , cui est annexa , ut patet Extrav. De donatio. inter virum & uxorem cap. De prudentia. Ubi dicit Glossa. Quia si non est matrimonium neque dos , & ita dos accedet matrimonio : ideò qui cognoscit de principali , debet cognoscere de accessorio , ut habetur Extrav. de officio delegati , cap. Præterea , & cap. Prudentiam. Sic etiam de hæreditate cognoscit Judex Ecclesiasticus ratione incidentis. Extrav. Qui filii sunt legitimi cap. Per tuas. Et cap. Ex tenore. Alii sunt plures casus speciales , in quibus Judex Ecclesiasticus cognoscit de temporalibus , quos enumerat Hostiensis in Glossa Extrav. De Judiciis cap. Novit. Sic ergò regulariter verum est , quod de causis merè spiritualibus solus Papa & alii Judices Ecclesiastici habent cognoscere. De causis verò merè temporalibus habent cognoscere Reges , Imperatores & alii Judices sæculares. Et sic Rex Franciæ secundùm jura non subest summo Pontifici , nec ei tenetur respondere de Feudo sui.* PÓTEST TAMEN EI SVBIACERE INCIDENTER ET CASVALITER RATIONE CONNEXIONIS ALICVIVS CAVSÆ SPIRITVALIS, *sicut habetur Extrav. De Judiciis cap. Novit. & Extrav. Qui filii sunt legitimi cap. per venerabilem.*

4. Non minùs evidenter idem Autor art. seq. non errandi privilegium summo Pontifici competens firmat ex orationis Christi pro Petro efficaciâ. Hanc enim sibi objectionem proponit , & continuò solvit ; *Item utramque potestatem videtur Christus commisisse Petro , quando dicit , Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quia sicut in ædificatione materiali est unus lapis primarius & fundamentarius : sic in Ecclesia debet esse unus Princeps principalis totius Ecclesiæ fundamentum. Respondeo dicendo , quod hæc Petri firmitas , super quam fundata erat Ecclesia , non est dominatio temporalis , sed immobilis & inviolabilis stabilitas fidei Christianæ , sicut insinuat Christus dicens :* EGO PRO TE ROGAVI PETRE VT NON DEFICIAT FIDES TVA.

5. Sed fortasse cuipiam videbitur Scriptor illis , quæ in

articulo quarto scripserat contradicere, dum hic subjungit; *De potestate enim temporali nullam fecit mentionem, quando dicit: Tu es Petrus, sed solùm de potestate spirituali, quæ solùm in ligando & absolvendo, à peccatis in foro conscientiæ consistit.* Certè nullius momenti esset autoritas sibi ipsi contradicentis, quantum ad illud in quo inesset contradictio; atque adeò frustrà in confirmationem primæ propositionis Antistitum Gallicanorum allegaretur. Nequaquam verò sibi contrarius est in asserenda immobili, & inviolabili stabilitate fidei Christianæ, Petro ejusque successoribus. Attamen præstat Autorem ita intelligere, ut in contradictionem non incurrerit. *Intelligentia enim dictorum*, ut ait S. Hilarius lib. 4. de Trinitate *ex causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus.* Itaque quod hîc, ac in tota ista quæstione dicit Autor, de potestate ordinaria & directa, ac de actuali ejus exercitio in bona temporalia, quæ Principibus, non Pontificibus competit, est accipiendum, ut ex quæstionis statu, atque ex argumentis constat; non autem de potestate indirecta, quam adeò expressè in art. 4. Ecclesiæ concedit. Adde, quod prædicta Scriptoris verba non possunt tam arctam, ut videntur, habere sententiam; alioquin enim B. Petrus nullam habuisset in foro externo jurisdictionem, etiam quantûm ad censuras, *sed solùm potestatem spiritualem, quæ solùm in ligando & absolvendo à peccatis in foro conscientiæ consistit*; quod Catholicæ fidei repugnat. Vult ergo, vel solam illam potestatem Apostolorum Principi datam fuisse illis præcisè verbis Matth. 16. *Tu es Petrus, &c.* (Quæ tamen sententia adhuc falsa esset, cùm illa verba ampliorem facultatem significent) non excludens alias, quæ in aliis Scripturæ locis continentur; vel potius sub potestate spirituali ligandi & absolvendi à peccatis ea omnia intellexit, quæ ad illam quâdam ratione referuntur: cujusmodi est jus impediendi, ne Principes Christiani autoritate sua abutantur in propriæ animæ ruinam, ac in subditorum & Catholicæ Religionis perniciem.

6. Cæterùm idem autor eam assignavit originem potestatis, & autoritatis Patriarchalis; ut si quid simplicibus superesset timoris, ne tandem, quod nonnulli Galli aliquandò

dò minitari visi sunt, de constituendo Patriarchâ, exequerentur, penitùs illius verbis abstergi queat. Tradit enim tanquam rem fide Divinâ certam, Patriarchas omnem suam potestatem & autoritatem à Sede Apostolica habere, ac meritò dicendum hæreticum qui id negaret. *Aliter potest dici*, inquit in eodem art. 5. *quod cùm sermones inquirendi sint secundùm materiam, sicut ait Apostolus, & intentio in tota illa distinctione sit, ostendere præeminentiam Sedis Apostolicæ ad Sedes Patriarchales, quia Sedes Apostolica illas & instituit & autoritatem dedit: unde Sedes Patriarchales quicquid potestatis & autoritatis habent, dubium non est à Sede Apostolica emanare. Item Patriarcha autoritatem habet limitatam in aliquâ mundi parte*: SEDES AVTEM APOSTOLICA IN TOTO ORBE: VNDE QVANTVM POTEST SE EXTENDERE IN LONGVM ET LATVM TEMPORALIS POTESTAS IMPERII, TANTVM SE EXTENDIT AMPLITVDO SPIRITVALIS POTESTATIS, VIDELICET APOSTOLICÆ: ET QVICVMQVE ISTVD SINGVLARE PRIVILEGIVM CONARETVR AVFERRE, ASSERENDO, QVOD SEDES PATRIARCHALES POTESTATEM ET AVTORITATEM SVAM A SEDE APOSTOLICA NON HABERENT ET SPIRITVALEM POTESTATEM, ISTE MERITO DICENDVS ESSET HÆRETICVS.

7. Joannes de Parisiis, cujus Tractatus *de potestate Regia & Papali* in lib. 2. Vindiciarum Richerii, quæstionem, de qua egimus, sequitur, non minùs expressè agnoscit Summi Pontificis ad definiendas inconcussas judicio fidei controversias potestatem, ejusque in totam Ecclesiam jurisdictionem. Sic enim scribit cap. 3. *Manifestum est autem quod licet populi distinguantur per diversas Diœceses & Civitates, in quibus præsunt Episcopi diversi in spiritualibus, tamen una est omnium fidelium Ecclesia, & unus populus Christianus. Et ideò sicut in qualibet Diœcesi est unus Episcopus, qui est caput Ecclesiæ in illo loco vel populo: ita in tota Ecclesia, & in toto populo Christiano est unus summus Episcopus, scilicet Romanus, & Petri successor: ut sic Ecclesia militans per similitudinem à triumphante derivetur, ubi unus præsidet toti Universo. Apocalip. 21. Ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus*: Et *Joëlis* 1. *Congregabuntur filii Juda & filii Israël pariter, ut ponant sibi caput unum*: & *Joan.* 10. *Fiet unum ovile & unus Pastor: quod quidem de Christo tantùm intelligi non potest, sed de aliquo alio Ministro, qui omnibus præsit loco ejus. Nam post corporalem substractionem præsentiæ cor-*

poralis Christi contingit interdum circa ea, quæ sunt fidei, quæstionem moveri, in quibus propter diversitatem opinionum vel sententiarum divideretur Ecclesia (quæ ad sui unitatem requirit fidei unitatem) nisi per unius sententiam Ecclesiæ unitas servaretur. Hic autem unus principatum hujusmodi habens est Petrus successor Christi, non quidem Synodali ordinatione, sed ex ore Domini, qui Ecclesiæ suæ voluit deficere in necessariis ad salutem ipso dicente Joan. ult. ante ascensionem Petro singulariter, PASCE OVES MEAS : *&* Luc. 22. *ante Passionem,* ET TV ALIQVANDO CONVERSVS CONFIRMA FRATRES TVOS.

8. Adeò cum Catholicæ Religionis doctrinâ consentit hæc sententia, ut etiam qui ab illa recedere meditabantur, ad eam identidem, quasi secreto fidei impulsu revocati videantur. Audi Joannem Gersonium Tract. de statibus Ecclesiasticis tit. *De statu Prælatorum* consid. 13. *Status Episcopalis habet rationabiliter* MONARCHAM SVPREMVM, SCILICET PAPAM RATIONE VNITATIS FIDEI ET SACRAMENTORVM : *Sed hoc non ita perspicuum est esse debere ex institutione Christi, & pro utilitate universalis Ecclesiæ respectu dispensationis bonorum temporalium, & jurisdictionum contentiosarum, seu coërcitivarum, quæ diversis Legibus, seu Decretalibus, aut Statutis pro diversitate locorum & temporum regi debent, sicut & alia merè temporalia, Regalia, vel Imperialia. Hinc bene dictum est, quod quælibet Provincia in sensu suo abundat.* Itaque ex mente Gersonii verbis istis expressa; *Papa Status Episcopalis Monarcha* est; & quidem *supremus, ratione unitatis Fidei & Sacramentorum :* id est ut dissentientibus fortè cæteris Episcopis, ac in varias sententias distractis, multitudo ad unitatem per unius supremi Monarchæ judicium reducatur; atque ita sicut unus est Dominus, sit etiam una fides, unum baptisma; quæ est ratio Doctoris Angelici.

9. Dubitabis fortasse, an ea fuerit Gersonii mens hoc in loco, quia contrariam alibi indicat. Sed, ut jam innui, hæc contradictio, si sibi Gersonius contradixit, tribuenda est hinc ejus in Pontificiæ potestatis, tempore schismatis, abusus commotioni, hinc Religionis & avitæ disciplinæ instinctui. Perspicua sunt Gersonii verba modò relata. Quomodò enim *Papa erit Monarcha supremus*, si ejus judicium ab alio, puta à Concilio generali, possit reformari ? Quomodò stabit *unitas Fidei & Sacramentorum*, nisi unius illius sententiæ inhæren-

hæreatur? Nonne poterunt in Conciliis Episcopi varii variè opinari? Nonne tunc unius autoritate ad unitatem erunt revocandi? Respondebis Monarchiam in eo consistere, quod Papæ sit, Ecclesiæ universæ providere, Concilia generalia convocando, & Canones exequendos curando; sed nonne Pontifex illam etiam potestatem habet circa jurisdictionem, & circa temporalia, circa quæ tamen Gersonius, quamvis dubitativè, minorem illi tribuit autoritatem; fortasse quia, cùm longè minoris sint pretii, inferioribus pleniùs committenda videbantur, supremo autem Monarchæ reservanda, quæ ad *unitatem Fidei & Sacramentorum* spectarent.

10. Quæ circa Richerii Vindicias dicta sunt, sufficere mihi videntur, si minus ab absolutam eorum confutationem; quippè quæ opus integrum postularent, saltem ut constet eas non ita firmare Declarationem Illustrissimorum Antistitum Gallicanorum, ut (si hæc sola erant illius fundamenta & munimina, quæ brevi vulganda jactabantur) multùm timendum sit sanctæ Sedi ab hujusmodi machinis.

CAPUT X.

Jurisdictio summi Pontificis, ejusq; potestas, tùm in definiendis fidei quæstionibus, tùm in condendis Legibus, celebri Ecclesiæ Gallicanæ testimonio confirmantur.

1. PRo aptissima Coronide, non solùm hujus libri, sed etiam omnium præcedentium, in quibus generalia capita de summi Pontificis autoritate tractata sunt, visum est, antequam ad singularia puncta veniamus, quæ, præsertim à Laicis, tanquam Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ partes, proponuntur; quæque non tam à Clero Gallicano contra summum Pontificem, aut Curiam Romanam instructa sunt, quàm ad extollendam Jurisdictionem sæcularem, oppressâ, vel depressâ Ecclesiasticâ, illis, quæ variis in locis dicta sunt de Cleri Gallicani circa potestatem summi Pontificis sententia, novum adjungendum esse testimonium; ut iterum evidentiùs constet, quantum Illustrissimi Episcopi Parisiis anno

1682. congregati à Majorum ſuorum veſtigiis receſſerint ſub obtentu tuendarum libertatum à Majoribus ſuis propugnatarum.

2. Videtur autem irreprehenſibile teſtimonium. Eſt enim Epiſcoporum non alicujus ſpei, vel timoris impulſu, ſed ex libero affectu, ac ſenſu loquentium, in Comitiis generalibus, & ſolemnibus congregatorum monimentum, typis editum, à Typographo Regio cum privilegio Majeſtatis Chriſtianiſſimæ, ſub hoc titulo; *Advis de l'Aſſemblée generale du Clergé de France à Meſſieurs les Archeveſques, & Eveſques de ce Royaume*, concluſum; *Fait en l'Aſſamblée generale du Clergé de France le 20. Janvier 1626.* & ſubſcriptum; *Par le commandement des Illuſtriſſimes, & Reverendiſſimes Cardinaux, Archeveſques, & Eveſques, & de tous les Eccleſiaſtiques deputez en l'Aſſemblée generale du Clergé de France. Leonor d'Eſtampes Eveſque de Chartres.* Hujus Inſtrumenti articulus 137. quem, licet aliquantum prolixum, ipſiſmet verbis Gallicis, ut tota illius vis manifeſtiùs appareat, exſcribimus, ſic habet.

3. *C'eſt un des grands témoignages de l'amour qu'on porte à Dieu, quand on reſpecte, & honore ceux qu'il a conſtituez en ce monde pour eſtre ſon image, y tenir ſa place, & en ſon lieu ſuppleer viſiblement aux neceſſitez des hommes pour le ſalut de leurs ames. Ce qu'ayant eſté donné prerogativement aux ſouverains Pontifes par deſſus tous les Eveſques; il eſt bien raiſonable que ſe recognoiſſant ſes inferieurs, ils leur portent tel honneur, reſpect, & reverence, qu'à leur exemple tout le reſte des hommes faſſe la meſme choſe. Les Eveſques ſeront donc exhortez d'honorer le ſaint Siege Apoſtolique, & l'Egliſe Romaine, fondée dans la promeſſe infaillible de Dieu, dans le ſang des Apoſtres, & des Martyrs, la Mere des Egliſes; & laquelle pour parler avec S. Athanaſe, eſt comme la teſte ſacrée, par laquelle les autres Egliſes, qui ne ſont que ſes membres, ſe relevent, maintiennent, & conſervent: reſpecteront auſſi noſtre ſaint Pere le Pape, chef viſible de l'Egliſe univerſelle, Vicaire de Dieu en terre, Eveſque des Eveſques, & Patriarches; en un mot Succeſſeur de S. Pierre; auquel l'Apoſtolat, & l'Epiſcopat ont eu commencement, & ſur lequel Jeſus-Chriſt a fondé ſon Egliſe, en luy baillant les Clefs du Ciel, avec l'infaillibilité de la Foy, que l'on a veu miraculeuſement durer immuable en ſes Succeſſeurs juſques aujourd'huy: Ce qu'ayant obligé les fidelles Orthodoxes à leur rendre toute ſorte d'obeiſſance, & de vivre en deference à leurs ſaints Decrets, & Ordonnances; les Eveſques ſeront exhortez de faire continuer la meſme choſe, & reprimer tant qu'il leur ſera poſsible les eſprits libertins, qui veulent revoquer en*

en doute, & mettre en compromis cette ſainte, & ſacrée authorité confirmée par tant de loix divines, & poſitives : & pour montrer le chemin aux autres ils y defereront les premiers : Or eſtant beſoin d'une aſſiſtance particuliere du S. Eſprit, pour conduire un gouvernement ſi important, tel qu'eſt celuy de l'Egliſe univerſelle ; Les Eveſques ordonneront qu'en toutes les prieres de leurs Dioceſes, il en ſoit fait une particuliere, pour le ſaint Pere qui ſera ſeant en la chaire de S. Pierre ; afin qu'aidé des ſuffrages de tous les fideles, tous ſes ſoins, & toutes ſes peines reüſſiſſent à la gloire de Dieu, au bien de ſon Egliſe, & au ſalut des ames.

4. Quis credat, omnes Epiſcopos modernos, cæterumque Clerum Gallicanum, recentiorum Comitiorum declarationem, quantumvis Richerii, Vigocii, vel Launoii ſuffragiis munitam, potiùs amplexuros, quàm antiquorum, quorum eſt iſtud teſtimonium, & aliorum, quorum verba in libris præcedentibus retulimus, veſtigiis inhæſuros. Quis ſuſpicetur, Eccleſiam Gallicanam adeò eſſe immutatam, ut Majorum ſuorum doctrinam publicâ declaratione everſam velit? Quis non exiſtimet, cæteros Regni Epiſcopos, & inferioris Ordinis Eccleſiaſticos Viros gloriæ ab Eccleſia Gallicana ob ſummam erga ſanctam Sedem reverentiam, & obedientiam meritò comparatæ participes fieri malle, quàm maculæ à noviſſimis Comitiis contractæ ob ingeſtas (ne quid gravius dicam) moleſtias ſummo Pontifici ſuarum Eccleſiarum libertates tuenti? An Aulæ deſideriis obſequi, quàm avitam erga Romanam Eccleſiam pietatem, & fidem colere, ac retinere laudabilius ducent, ac coram Deo ſecurius?

LIBER DECIMUS

De particularibus Libertatis Ecclesiæ Gallicanæ Capitibus à Petro Puteano assignatis.

I. SUperflua videretur famosi voluminis probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ continentis, discussio, quippe quod & à Rege Christianissimo, & à Clero Gallicano, statim ut prodiit in lucem fuerit improbatum, nisi ejus Consarcinator Petrus Puteanus ob istum quoque Librum laudaretur à Scriptoribus Gallicanis, ejusque doctrina probaretur, & quasi lex plerumque haberetur, à sæcularibus forum præsertim sectantibus. Posset etiam fortasse aliquis suspicari Illustrissimos Antistites Gallicanos an. 1682. Parisiis congregatos has quoque Libertates, seu veriùs servitutes probasse verbis illis tertiæ propositionis ; *Valere etiam regulas, mores, & instituta à Regno, & Ecclesia Gallicana recepta, Patrumq; terminos manere inconcussos.* Ubi non confirmantur tantùm regulæ, mores & instituta, quæ ab Ecclesia Gallicana recepta fuerint, quæ

quæ Canonicæ disciplinæ consentanea præsumi faciliùs possent, sed etiam quæ à Regno, in quibus si censerentur quæcumque à Puteano, Fevreto, & aliis scripta sunt, periclitaretur ipsa fides & religio. Quamquam adeò sunt enormia pleraque, ut præsumendum non sit prædictos Dominos Episcopos contra Decessorum suorum exemplum illa confirmare voluisse, sed potiùs instituta à Regno simul, & ab Ecclesia, non autem à Sæculari tantùm potestate, præcepta intellexisse.

II. Alterum Puteani volumen, cui præfixus est titulus; *Traités des Droits & Libertés de l'Eglise Gallicane*, cùm nudas ferè propositiones sine probationibus contineat, eamque tantùm fidem facere possit, quam exigunt probationes congestæ, peculiari confutatione, aut examine non indiget.

III. Utrumque autem volumen eo tantùm spectat, ut jurisdictio Ecclesiastica sæculari subjiciatur. Quamobrem constitutâ distinctione inter utramque potestatem, si ex justitiæ legibus, non ex Principum potentia, vel ex aulicorum studio de doctrina ibi tradita judicetur, causâ ubique cadet Puteanus. Hanc autem distinctionem, etsi Elogiis communibus extollant, etiam qui potestates magis confundunt, tamen penitus tollunt in controversiis particularibus, ut autoritatem Regiam, vel potiùs suam, propriumque commodum cum

Ecclesiasticorum jurium detrimento augeant. Itaque statuenda est, ceu primum fundamentum, cùm vel sola sufficere possit, si bona fides ubique adhibeatur.

IV. Porrò volumen istud non incongruè definieris farraginem Actorum malorum, falsorum dubiorum, Autoris intentum confutantium, ab illegitima potestate profectorum, vi, vel fraude executioni demandatorum, inter quæ tamen inserta sint nonnulla bona, vera, à legitima potestate acta, ratione ac justitiâ in usum inducta, sed pauciora, & eo fine consarcinata, ut Ecclesiastica jurisdictio in servitutem sub potestate laica detruderetur; qui finis patet ex titulis capitum, in quæ acta illa congesta sunt, cum quibus tamen titulis sæpè parum conveniunt.

V. Equidem cùm magna, & præcipua illorum actorum pars sint Senatus-consulta, vel alia instrumenta à potestate sæculari ædita, sufficere videretur eis constitutiones Ecclesiasticas, contra quas edita sunt, è regione opponere. Quis enim Christianus in materia Ecclesiastica summi Pontificis vel Concilii generalis autoritatem autoritati Principis, vel Senatus non anteponat. Nonne minùs præsumendum est Ecclesiam Laicorum, quàm Laicos Ecclesiæ jurisdictionem usurpasse?

VI. Cùm autem Puteanus non tam scripserit, quàm

quàm exscripserit, non confutatione indiget, sed observatione. Quomodò enim v. g. confutes Senatus-Consultum nullâ prolatâ ratione declarans causam aliquam Ecclesiasticam ad Tribunal sæculare pertinere, nisi admovens distinctionem inter utramque potestatem, & Lectoris justitiam invocans. Hæc si adsit, superflua est ferè quævis Libri impugnatio.

CAPUT PRIMUM.

De distinctione inter Potestatem spiritualem, & temporalem.

1. NEmo est adeò iniquus, qui speciem justitiæ non prætendat, dum graviores etiam infert injurias: Distinctionem inter Potestatem spiritualem & temporalem, ut jam innuimus, non solùm admittunt, sed etiam argumentis confirmant, qui fædiùs illas confundunt, aut ut alteram absorbeat, altera vehementiùs enituntur. Quem non delectet legere Carolum Fevret. Tract. de abusu lib. 1. cap. 7. num. 10. utramque potestatem tam perspicuè discernentem, & discrimen tam vario probationum genere illustrantem? Affert ille Canones; scilicet Can. *Duo sunt.* dist. 96. *Duo sunt, quibus principaliter hic mundus regitur, autoritas sacra Pontificum, & regalis potestas.* Citat etiam Canonem sequentem, non tamen verba refert, quæ ista sunt; *Si Imperator Catholicus est (quod salvâ pace ipsius dixerimus) filius est, non Præsul Ecclesiæ. Quod ad Religionem competit, discere ei convenit non docere: habet privilegia suæ potestatis, quæ administrandis legibus publicis Divinitùs consecutus est, ut ejus Beneficiis non ingratus contra dispositionem cœlestis ordinis nil usurpet. Ad Sacerdotes enim Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi potestates, quas si fideles sunt, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subjectas..... Imperatores*

Christiani subdere debent executiones suas Ecclesiasticis Præsulibus non præferre. Idem omnibus istius distinctionis Canonibus statuitur.

2. Adducit etiam Fevretus ex Can. *Quoniam.* dist. 10. qui pars est Canonis, *Cùm ad verum* dist. 96. hæc verba nonnihil immutata; *Sic Deus actibus propriis, & Dignitatibus distinctis utriusque potestatis officia discrevit, ut & Christiani Principes pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium Imperialibus legibus uterentur. Quatenus spiritualis actio à carnalibus distet incursibus; & militans Deo negotiis non se implicet sæcularibus: ac vicissim Divina non attingat, qui est temporalibus intentus.* Sunt etiam in hac dist. 10. alii Canones huc pertinentes.

3. Laudat Justiniani novell. 6. in procem. unde pauca exscribit, sed, omissis illis, quæ clariùs distinctionem designant. Sic autem habet novellæ 6. præfatio; *Maxima quidem in hominibus sunt dona Dei à supernâ collata clementiâ, Sacerdotium, & Imperium: illud quidem Divinis ministrans; hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens: ex uno eodemq; principio utraque procedentia humanam exornant vitam.*

4. „ Adjungit Fevretus; A Deo sunt immediatè Papatus „ & Imperium, & ideò Deus æternus duos constituit Vi„ carios, unum in spiritualibus, alterum in temporalibus. „ De Rossell. Tract. de potest. Pap. & Imp. Duas illas po„ testates distinguit ex eo quod una exerceatur in animas, „ in corpus altera; quod unius gladius spiritualis sit, alte„ rius autem materialis; quod non solùm actus, seu functio„ nes, sed etiam objecta & fines diversos habeant; quod sint „ duo Principatus, duo genera hominum, duo gladii, duæ „ jurisdictiones; una spiritualis, alia temporalis. Addit testi„ monium Synesii Episcopi Tolemaidis.

5. Ex Hincmaro in epist. ad Episcopos quosdam Franciæ, profert hæc verba; *Sicut in Pontificibus, ac Regibus ordinum sunt divisa vocabula, ita sunt in unaquaque professione divisa ordinationum officia.* „ Ex quodam Procuratore Regio ista; duas illas jurisdictio„ nes, quibus principaliter mundus regitur, à Deo fuisse ab „ invicem separatas, distinctas, & divisas, ita ut neutra al„ teri subesset, Ex Poëta Gauthero in gestis Federici Enobarbæ hoc Distichum.

Ecclesiam regat ille suam, Divinaq; jura
Temperet, Imperium nobis fasceſq; relinquat.

Ex

Ex S. Fulgentio libro de prædest. & grat. sequentia; *Quantum pertinet ad hujus temporis vitam, in Ecclesia nemo Pontifice potior, & in sæculo Christiano nemo Imperatore celsior.*

6. Parum juvaret nosse distinctionem inter duas illas potestates intercedere, nisi sciretur, quæ sint utriusque munia & officia. Hæc, ut inquit Fevretus, ab eodem Deo assignata sunt, à quo constitutæ sunt ipsæ potestates; scilicet Paralip. lib. 2. cap. 19. unde ista excerpsit aliquibus prætermissis; *Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, ubicumque quæstio est de mandato, de lege, de cæremoniis, de justificationibus, Amarias Sacerdos, & Pontifex vester in his, quæ ad Dominum pertinent, præsidebit. Porrò Zabadias filius Ismael, qui est Dux in Domo Juda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Et Deuter. cap. 7. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem; causam, & causam; lepram, & lepram..... venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore.* Quocirca Lyranus observat duarum jurisdictionum differentiam his verbis; *In spiritualibus recursus est ad summum Sacerdotem; In temporalibus ad Iudicem: adeò ut ab inferioribus Iudicibus Ecclesiasticis appelletur ad summum Pontificem, & ab inferioribus Principibus, & Iudicibus sæcularibus ad Regem, seu Imperatorem.*

7. Denique ambas illas potestates, & inter ipsarum munia distinctionem cunctis Nationibus innotuisse probat Fevretus multis autoritatibus, quarum luculentissima videtur „Bobadillæ Hispani lib. 2. Politic. cap. 18. cujus est ista sententia; „ Reipublicæ eversio ex Officiorum perturbatione nas„citur; speciatim quod potestates & Judices Ecclesiastici, „& Sæculares alteri alterorum jurisdictionem invadunt, & „administrare, exercere, atque usurpare ambiunt utrumque „gladium, non reddentes quod Cæsaris est Cæsari, & quod „Dei est Deo. Ità disputat Fevretus; sed utrùm cum hac doctrina consentiant, quæ in duobus illius Tractatûs voluminibus scripsit, judicabit Lector quilibet, si modò ratione utatur, & aliquam justitiæ legem sequatur, nedum si pietatem ac religionem. Sed de illo Autore rursùs libro ultimo.

8. Distinctionem inter potestatem spiritualem, & temporalem jam versarat egregiè Illustrissimus Petrus de Marca lib. 2. de concord. Sacerd. & Imper. cap. 1. à num. 4. ubi facilem di-

cit utriusque limitum discretionem, quam tamen in præfatione difficillimam esse dixerat. Eam etiam difficultatem agnovit Fevretus in sua præfatione. Ego impossibilem arbitror iis, qui alterutrius terminos protendendi studio ducuntur. *Quibus autem finibus regi debeant suprema illa potestates*, inquit Marca præd. num. 4. *satis antiqui Patres nobis præiverunt; ut difficile non sit, tritissimâ viâ eorum vestigia sectari, nisi quis malit consultò, & datâ operâ in errores impingere. Regium Imperium quietem publicam; Episcoporum solicitudo felicitatem æternam hominibus procurat, testante Apostolo. Reges secularibus, Pontifices spiritualibus ordinandis se impendunt.* Verissimè autem subjungit; *Quamdiu neutra potestatum in alienos limites insiliet mutuâ concordiâ res Christiana amplificabitur.* Utinam depositò proprii commodi affectu, agnoscendis limitibus daretur opera, nec puderet, aut pigeret ab alienis resilire. *Equidem*, prosequitur Marca, *hodie satis perspecta esse reor isthæc, quæ protuli axiomata, non solùm juris humani, atque Divini callentibus, sed etiam cuilibet è trivio.* Illa tamen pluribus probationibus communit.

9. Prima est Osii Episcopi Cordubensis ad Constantium Imperatorem admonitio à S. Athanasio in epistola *ad solitariam vitam agentes* relata. *Tibi Deus*, inquit Osius, *Imperium commisit; nobis, quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Et quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi Divinæ. Ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Neque igitur fas est nobis in terris Imperium tenere, neque tu Thymiamatum, & Sacrorum potestatem habes, Imperator.* Constantiam illam longè posteà imitatus est S. Theodorus Studita Leonem Armenum sic allocutus, ut testatur Theosterictus in vita S. Nicetæ apud Surium ad diem 3. Aprilis. *Respondit autem, & Theodorus vehemens Ecclesiæ Magister, Dux Studitarum: nec tentes nunc, ô Imperator Ecclesiasticum statum dissolvere; ait enim Apostolus: Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Pastores & Doctores ad perfectionem Sanctorum; non dixit Reges. Tibi quidem ô Imperator, civilis status, & exercitus commissus est. Hæc igitur cura. Ecclesiam autem Pastoribus & Doctoribus (ut ait Apostolus) derelinque.* Ita Theodorus Leoni Armeno anno 814.

10. Secundò SS. Patres, & alios Scriptores, nonnullos etiam Imperatores refert Marca. Gregorium Nazianzenum, Isido-

Isidorum Pelusiotem, Joannem Chrysostomum, Synesium, Gelasium, Symmacum, Gregorium II. Nicolaum I. Innocentium III. Metrophanem, Valentianum, Justinianum, & Ludovicum Pium. Concludit; *Possem in hanc sententiam plurimos Ecclesiæ Gallicanæ Autores laudare, Hincmarum, Ivonem, Bernardum, Petrum Blesensem; sed satiùs esse duxi in re nota parcere diligentiæ, quàm nimiâ sedulitate fastidium movere Lectori.* Addit tamen testimonium Lupi Ferrariensis epist. 81. scribentis, *quod Christus potestatem suam ad gubernandam Ecclesiam in Sacerdotes divisit & Reges; ut quod sancti docerent Pontifices, & ipsi implerent, & impleri facerent devotissimi Reges.*

11. Dixerat num. 5. Petrus de Marca, Gelasii potestatis utriusque terminos constituentis definitionem amplexos esse, gregem, Episcopos, & Proceres Ecclesiæ Gallicanæ in Concilio Parisiensi & in libris Capitularium. Rem eandem posteà prosecutus est anno 1646. in libel. Barcinone edito, & libris de Concordia, dum iterum prodierunt in lucem, præfixo.

12. Posito igitur illo principio tanquam certissimo, & omnium sententiâ comprobato; nimis distat spirituale à temporali, sacrum à profano, quàm ut possint eorum limites, finceri, ac veritatem & justitiam, potiùs quàm proprium commodum, & honorem sectantis Judicis cognitionem effugere. Si qua post examen supereſt difficultas, aut obscuritas, ab iniquo affectu plerumque ortum habet. Nec unquam vulgatæ illæ allegationes, executionis Canonum, possessorii, abusus Ecclesiasticæ potestatis, ac similia, probabilem æquis hominibus, nedum Deo infinitè sapienti & justo, efficient alienæ jurisdictionis usurpationem. Sed quoniam communia, &, ut Dialectici loquuntur, abstracta non tam ægrè conceduntur, quia non incommodant, descendamus ad singularia, percuramusque Capita Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, ad quæ revocatæ sunt à Puteano illarum probationes.

CAPUT II.

De Regum Franciæ meritis erga Ecclesiam, eorumq; cum Summis Pontificibus necessitudine ad tria prima Capita probationum Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ.

1. ISTius Voluminis Capiti primo appositus est titulus, qui nos labore relevat examinandi, quæcumque complectitur. Cùm enim de pietate, ac meritis sit Regum Franciæ erga Ecclesiam, summos Pontifices, ac sanctam Sedem; eò tantùm videtur spectare, ut religio Christianissimorum illorum Principum commendetur; quam eis laudem tantùm abest, ut nos invideamus; ut etiam, si quid conferre possemus, augere omninò cuperemus, quò propositis potentissimo Regi Ludovico XIV. Majorum ac Prædecessorum exemplis, magis ac magis accenderetur ejus erga Ecclesiam, & adversùs Ecclesiæ hostes zelus, suorumque ipse posterorum imitationi illustriora relinqueret exempla.

2. Significat autem Puteanus jam in ipso limine, quod sit ejus consilium, cùm in titulo primi Capitis, Regum Franciæ dumtaxat meminerit. Ex quo intelligitur ipsum non Ecclesiæ Gallicanæ, sed Regis, ejusque Officialium, ac Judicum causam agere; quandoquidem nusquam, aut rarissimè Cleri, qui Ecclesiæ sine dubio prima, & præcipua pars est, merita, & jura commemorat, nisi fortè ut potestati sæculari submittat. Nonnè debuerunt etiam in hoc primo Capite Antiquorum Episcoporum Galliæ erga sanctam Sedem reverentia, & obedientia, strictissimaque cum illâ conjunctio commendari? Nihilnè ad honorem Regni Christianissimi pertinet vetus illius Cleri cum Romano Pontifice tum in fide, tum in moribus & disciplina consensus? sed si laudes Regum Francorum explicandas susceperat Scriptor iste, cur prætermisit ipsorum fidem, & quæ à tot sæculis in throno Gallico inviolata permansit, quæque totius Religionis, atque adeò Ecclesiæ ipsius fundamentum est? Nimirùm politicè de rebus Ecclesiasticis, non autem Ecclesiasticè scribebat. Itaque Re-

Regum erga Ecclesiam, & Pontifices beneficia, temporalia præcipuè, alia verò nonnisi quæ plurimum habent splendoris, explicat.

3. Cæterùm Caput istud primum nonnulla complectitur falsa, v. g. quod refertur num. 3. ex Sigeberto à Gratiano exscriptum dist. 63. cap. *Adrianus. De potestate summum Pontificem eligendi & Episcopos investiendi*, quæ supponitur Carolo Magno ab Adriano Papa data, quod jam multi Scriptores validissimè confutarunt: nonnulla modum apertissimè excedunt, ut num. 6. hæc elogia; *Christi fidelium supremo Principi, inclytæ sanctitatis miraculis, in hac virtute divina, ac felicitate mirabile; præfulgente Philippo, &c.* Quæ nonnisi per adulationem Philippo Pulchro concini potuerunt. Tale est etiam quod in fine dicitur; *Regem non solùm temporalitatem, sed etiam Divinitatem obtinere*; Alia, nisi sanè interpreteris, falsam ingerent sententiam, ut istud eodem num. 6. *Ad defensionem, & exaltationem ipsius fidei, ipse Dominus Rex collatam sibi recepit à Domino potestatem, itemque Prælati sunt in partem solicitudinis vocati.* Verùm, ut jam insinuavimus, curandum magis est, ut Reges Galliæ, Majorum suorum pietatem imitantes, se laudibus dignos reddant, quàm ut quæ illis tributa sunt encomia, ad severam veritatis normam exigantur.

4. Porrò satiùs fuisset nonnulla ex iis, quæ Puteanus Regibus adscribit prætermittere; qualia sunt quæ sub num. 4. de Carolo VI. & num. 6. de Philippo IV. refert. Certè enim quæ à Philippo IV. adversùs Bonifacium, aut à Carolo VI. ejusque Patre in favorem Pontificum, aut Pseudo-Pontificum Avenionensium gesta sunt, antiquam Regum Franciæ gloriam, & eorum erga sanctam Sedem præclara merita potiùs obscurarunt, præstaretque illa æternâ oblivione deleri, quàm in laudis argumentum assumi.

5. Caput secundum & Caput tertium magnam probant intercessisse necessitudinem inter summos Pontifices & Reges Franciæ, quæ utinam integra semper custodita fuisset; utinam arctiùs, atque arctiùs indies stringeretur.

6. Observari autem potest in istis Capitibus, sicut & alibi frequenter, Puteanum multò minùs de Ecclesiæ, quàm de Regis Dignitate curare. Non solùm ea præmittit, quæ in Regis honorem vergunt; sed etiam si quæ Pontifici fa-

vere videntur, ea quantum potest, extenuat, v. g. cap. 3. sub num. 2 hæc verba Ludovici XI. ad Pium II. *Utere deinceps in Regno nostro potestate tua, ut voles, atque illam exerce.* Clausulam vocat valdè *novam, & extraordinariam*; quasi novum esset, & extraordinarium in Gallia, ut Papa *suâ potestate* uteretur, ut vellet, non prohibente Rege.

7. Debet quidem summus Pontifex voluntatem suam ad rationis ac justitiæ leges conformare; sed quod ejus conformationis in rebus spiritualibus & Ecclesiasticis (quales erant illæ, de quibus loquebatur Ludovicus, ut patet ex contextu ejus litterarum, quæ referuntur integræ à Philippo Labbeo tom. 14. sub sessione 4. Concilii Lateranensis V.) Principes sæculares sese Judices constituant, & Sacris Canonibus, & antiquorum Regum Religioni repugnat. Sed hæc præludia tantùm sunt. Atrociùs offendetur Ecclesiastica jurisdictio in sequentibus.

CAPUT III.

De excommunicationibus contra Reges, & Regios Officiales ad cap. 4. & 5. Puteani.

1. PUteanus cap. 4. Reges Franciæ cap. autem 5. Regios Officiales, dum propria Officia exercent, excommunicationibus subjici non posse affirmat; sed non satis intelligitur ejus consilium. Hîc enim, ut alibi, diversa testimonia congerit, quæ inter se pugnant, mutuoque sese destruunt. Aliqua ex his actis, quæ in his capitibus exscribit, prærogativam illam, quod Rex nequeat excommunicari, privilegium esse innuunt à sancta Sede concessum; v. g. quæ extant cap. 4. num. 20. 21. 26. Alia prærogativam illam restringunt ad casus, in quibus agitur de temporalibus Regni, ut cap. 4. num. 9. 11. 13. 16. 18. 22. 23. 24. 25. 26. Quid de hoc ultimo, ad quod pertinent cap. 4. & 7. sentiendum sit, colligi potest ex doctrina toto lib. 4. tradita.

2. Privilegia quamplurima scimus Franciæ Regibus, etiam circa censuras, à summis Pontificibus esse concessa, quibus ut liberè gaudeant nemo debet ægrè ferre. Quocircà ita monet

net D. Petrus de Marca lib. 3. cap. 10. num. 3. *Sanè dubitandum non est, quin eximia quædam jura in rebus Ecclesiasticis nostri Reges obtineant, quæ cæteris Principibus hodie non competunt. Quod nulli mirum videri debet, qui privilegiorum multitudinem ex officiorum magnitudine metietur. Conturbaret profectò Ecclesia Romana, nec suppeterent illi facultates, quibus cum Gallorum Regibus decideret; nisi liberalitatis, & perfectæ donationis titulo, immensam beneficiorum suorum molem in eam contulissent. Si ergò liberalitate summi Pontifices rependere volunt, quod ex mera donantium liberalitate consecuti sunt, non est cur cæteri Principes nobis invideant benigniorem erga Reges nostros Romanæ Sedis remissionem. Certent nobiscum liberalitate, tunc integrum illis erit de privilegiis quoque nobiscum certare.*

3. *Meruit*, inquit Clemens V. in diplomate dato Lugduni Kal. Februarii Pont. sui an. 1. *Charissimi filii nostri Philippi Regis Francorum Illustris, sinceræ devotionis ad nos, & Ecclesiam Romanam integritas, & Progenitorum suorum præclara merita meruerunt, meruit insuper fida Regnicolarum pietas, ac devotionis sinceritas, ut tàm Regnum, quàm Regem favore benevolo prosequamur.* Meruerunt igitur Christianissimi Principes, Regnumque Christianissimum, non solum ut sua illis jura servarentur illæsa, sed præcipuis, ac singularibus beneficiis, gratiis & favoribus ab Ecclesia cumularentur, quamdiu majorum vestigia sectantes in Ecclesiam liberaliter refunderent, & in ejus protectionem, & exaltationem insumerent, quod accepissent ab ea.

4. Sed rem Christianissimi Regis pessimè gerunt, qui eximia, quæ ab Ecclesia obtinuit, privilegia de jure communi esse, aut Regiæ Coronæ propria contendunt. Cùm enim ipsa rerum natura, & juris communis notitia, hujusmodi prærogativas Regi ob suam Coronam competere non posse certissimè suadeant, atque aliundè nullo fulciri privilegio Autores illi, tacitè saltem, fateantur; injustè, ac violenter usurpatas nemo non suspicatur, quod avitam Regum Galliæ pietatem, ac gloriæ splendorem obumbrat.

5. Indultum est plerisque Regibus Galliæ, ut ab aliis, quàm à Romanis Pontificibus excommunicari non possent: Gallici Autores generatim asseverant Galliæ Reges, & eorum Officiales excommunicari non posse, quæ propositio non solùm contra praxim antiquam, sed etiam contra fidem manifestè pugnat, nisi benignâ interpretatione temperetur,

ac in eo ſenſu non intelligatur, quem præ ſe ferre videntur verba, quibus apud aliquos Autores, ut apud Carolum Fevret. lib. 1. de abuſu cap. 6. num. 9. & ſequentibus exprimitur; ut ſcilicet neque ab Epiſcopis, neque à ſummo Pontifice in Principes, aut eorum Officiales, aut Regna poſſint ferri cenſuræ.

6. *Eſſe de grege Chriſti* (verba ſunt Michaelis Maucleri Doctoris Pariſienſis in Tract. de Monarchia Divina, Eccleſiaſtica, & ſæculari Chriſtiana par. 2. lib. 3. cap. 15.) *& non ſubjici directioni, & correctioni Paſtoris à Chriſto Domino ſuper ovile ſuum conſtituti, manifeſta contradictio, ſine extraordinariâ quadam ab ipſo Domino ordinatâ in ſacris apparente Scripturis exemptione, aut miraculo aliquo, certâq; revelatione alicui factâ, cenſeri debet. Neque enim ovis aliqua ſine Paſtore concipi poteſt, niſi extra ovile vaga, & errans rapacibus lupis facta præda cito ſtrangulata devoraretur juxta illud Prophetæ Regii; Erravi ſicut ovis, quæ periit, undè dogma illud ſchiſmaticorum illorum tempore Henrici Imperatoris cum impietate mordicùs aſſerentium Regem, aut alium Principem à Romano Pontifice excommunicari non poſſe, hæreticum ab Eccleſia judicatum eſt, ſacris obſiſtens Scripturis, Eccleſiæ Decretis, ſanctorumque Patrum doctrinis oppoſitum.*

7. Si quis Mauclerum exiſtimat nimiùm Eccleſiaſticæ autoritati faviſſe, audiat Regiæ defenſorem. *Inſuper* inquit Jacobus Almain quæſt. reſumptiva de dominio naturali, civili & Eccleſiaſtico ſecundæ Concluſionis 2. parte: *Cùm illi poteſtati* (Eccleſiaſticæ) *non ex inſtitutione humana, ſed Divina cuncti fideles ſubjiciantur, & quando aliquis ſubjicitur alicui, non ex proprio conſenſu, ſed autoritate alicujus, non poteſt ab illa ſubjectione eximi, niſi autoritate ejus, qui eum ſubjecit, vel autoritate ſui ſuperioris, ſi habeat ſuperiorem: hinc eſt quod contra obedientiam debitam Eccleſiæ præſcribi non poteſt, & multi Imperatores & Reges hac poteſtate fuerunt excommunicati.*

8. Plurima ſunt in Francorum hiſtoriis, excommunicatorum, non ſolum à ſancta Sede, vel à Conciliis, ſed etiam ab Epiſcopis, Regum exempla & eorum vel reſipiſcentiæ, vel caſtigatæ à Deo etiam in hac vita contumaciæ. De Chariberto in prima Dynaſtia ſic ſcribit Gregorius Turonenſis hiſt. Franc. lib. 4. cap. 26. *Poſt hæc Manoveſam Meroſtedis ſororem conjugio copulavit. Pro qua cauſa à S. Germano Epiſcopo excommunicatus uterque eſt. Sed cùm eam Rex relinquere nollet, percuſſa judicio Dei obiit. Nec multò poſt & ipſe Rex poſt eam deceſſit Charibertus.*

9. In

9. In secunda Dynastia Lotharius II. Imperatoris Lotharii filius ob repulsam uxorem, & superinductam pellicem à Nicolao I. excommunicationis vinculo innodatus, & ab Adriano II. data fide de recipienda uxore absolutus fuit. Sed Româ rediens obiit Placentiæ, & milites ejus morbo consumpti sunt: quam mortem Regino, & Signius datæ fidei violationi adscribunt.

10. In tertia Dynastia Robertus, aliàs meritò Pii nomen consecutus, ob incestas nuptias simili censura perculsus fuerat, sed ea pœna medicina ei fuit, quæ ad salutarem eum pœnitentiam induxit. Rem scitu, & admiratione dignissimam, narrat Cardinalis Petrus Damiani lib. 2. epist. 15. quæ est ad Desiderium Abbatem Cassinensem, & Cardinalem, ejusque Monasterii Monachos. *Robertus*, inquit, *Gallorum Rex Avus istius Philippi, qui in paterni juris sceptra successit, propinquam sibi copulavit uxorem, ex qua susceptit filium, Anserinum per omnia collum, & caput habentem, quos etiam, virum scilicet, & uxorem omnes ferè Galliarum Episcopi communi simul excommunicavere sententia, cujus Sacerdotalis edicti tantus omnem undique populum terror invasit, ut ab ejus universi societate recederent, nec præter duos sibi servulos ad necessarii victus obsequium, qui tamen & ipsi omnia vasa, in quibus Rex edebat, vel bibebat, percepto cibo abominabilia judicantes pabulum ignibus exhibebant. His tantùm Rex coarctatus angustiis ad sanum consilium rediens divortit incestum, iniitq; legale connubium.* Vides quanta fuerit olim Regum, ac Regni religio circa Ecclesiasticas censuras, & quanta obedientia à subditis, & servis etiam Regis, adversus ipsummet Regem, Ecclesiæ præstita; sed vides etiam, quis fuerit illius Religionis & obedientiæ fructus.

11. Philippus item I. Roberti Nepos an. 1094. in Concilio, cui Hugo Archiepiscopus Lugdunensis Legatus Apostolicus præfuit, Anathemate obstrictus est, quod dimissa uxore legitima aliam duxisset; quæ censura confirmata est an. sequenti ab Urbano II. Papa è Gallia oriundo in Synodo Claromontana, cui interfuerunt 13. Archiepiscopi, & 215. Episcopi; eo tamen vinculo absolutus fuit an. 1104. à Legato Paschalis II. ut docet Ivo epist. 166. & 169. Philippus etiam II. eandem expertus fuisset censuram, nisi repudiatâ concubinâ uxorem legitimam recepisset post interdictum Reg-

num. Nam, ut notat Henricus Spondanus ad annum 1198. num. 9. *Rex præsentiens Legatum velle procedere contra ipsum, per nuncios suos fecit ad Sedem Apostolicam appellari. Legatus, non ut appellationi deferret, sed ut differret ad tempus, quatenus mandatum Apostolicum alibi commodiùs adimpleret, tandem apud Divionem facto Concilio interdicti sententiam promulgavit, mandans universis Francorum Prælatis, sub pœna suspensionis, ut & ipsi illud observarent, & ab aliis observari facerent. Illorum vero nonnulli illud firmiter observarunt, alii vero minimè, donec rursum ab Innocentio jussi omnes humiliter paruerunt.*

12. Ex quibus exemplis patet Reges Galliæ, & Regnum aliter olim de censuris Ecclesiasticis, quàm modò, sensisse, easque magis reformidasse. Quamquam non defuerunt etiam posterioribus sæculis similia religionis indicia. Nam, ut notat Henricus Spondanus ad annum 1589. num. 16. & colligitur ex epist. 223. Cardinalis Ossati, quæ est ad Henricum IV. Regem Franciæ, Henricus III. ejus Prædecessor Ecclesiasticâ sepulturâ caruit à prædicto anno 1589. usque ad annum 1610. jubente summo Pontifice ob excommunicationem, in quam incurrerat propter illatam Cardinali Guisio necem. Undè si qui adulatores Regibus Christianissimis persuadere nitantur, illos ab omni censurarum fulmine tutos esse, quid aliud præstant, nisi ut Principes suos falsâ illâ securitate ab avita Religione subducant, & ad perpetranda quælibet crimina impunitatis spe alliciant: ac sic eò digniores censuris efficiant, quò eos censuras contemnere docent. Regios Officiales censuris obnoxios esse quis dubitet? Illas etiam præterito sæculo refugisse demonstrat exemplum Senatus Aquensis, qui missis ad Concilium Lateranense Legatis occurrit censuræ, ad quam infligendam se accingebat Leo X. ut perhibent acta ultimi Concilii Lateranensis sess. 8.

13. Maxima certè cautela est adhibenda, dum de Regibus excommunicandis agitur; nec sine gravissima necessitate, ac frustrà tentatis aliis mediis, illuc deveniendum. Oportet tamen, ut Principes meminerint se, si filii sint, extra disciplinam non esse; *Quis enim filius quem non corripit Pater*, ut Divinitùs ratiocinatur S. Paulus ad Hebr. 12. Suis igitur in hoc, & in aliis gaudeat privilegiis Rex Christianissimus; sed Ecclesiam

cleſiam Matrem ſemper agnoſcat, à cujus dilectione, & obedientia in rebus ad ſalutem animæ ſpectantibus nullo poteſt eximi privilegio, multò minùs Regiæ coronæ Dignitate; ac ſi quid ſupra cæteros Principes circa res Eccleſiaſticas obtinet, Eccleſiæ referat acceptum. *Quidquid præter Canonum & Decretalium mentem in Gallia circa res Eccleſiaſticas agitur, id fieri ex privilegiis Apoſtolicis, non autem mero jure Regio, ut quidam autumabant*, proteſtatus eſt in libello Barcinone edito anno 1646. Illuſtriſſimus Petrus de Marca.

14. Ut autem ad Puteanum redeamus, ejuſque probationum vim experiamur: Non Canones, ut poſtularet Libertatum Gallicanarum definitio, profert, ſed teſtimonia, quæ ipſi adverſantur, vel ſuſpecta ſunt, ut probationem hac in re nullam efficiant. v. g. num. 1. refert fragmentum vitæ Ludovici Pii Imperatoris, in quo hæc habentur; *Cùm verò rumor uſquequaque diffuſus ſereret de cæteris, quod verum erat, de Papa verò Romano, quod ideò adeſſet, ut tam Imperatorem, quàm Epiſcopos excommunicationis vinculis irretire vellet, ſi qui inobedientes eſſent ſuæ, filiorumq; Imperatoris voluntati: Parùm quid ſubripuit Epiſcopis Imperatoris præſumptio audaciæ, aſſerentibus nullo modo ſe velle ejus voluntati ſuccumbere; ſed ſi excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret, cùm aliter ſe habeat antiquorum Canonum autoritas.* Ubi vides reſponſum Epiſcoporum tribui *præſumptioni audaciæ*, licet tunc de Imperio ageretur.

15. Sub eodem numero primo recitat verba quædam quaſi à Gallis propoſita, cùm Rex Lotharius conjugem legitimam repudiaſſet; *Dicunt ſapientes, quia iſte Princeps nullorum legibus, vel judiciis ſubjacet, niſi ſolius Dei, qui eum in Regno, quod ſuus Pater illi dimiſit, Regem conſtituit, & ſi voluerit pro hac, vel pro alia cauſa, ibit ad Placitum, vel ad Synodum: & ſi noluerit, liberè & libenter dimittet: & ſicut à ſuis Epiſcopis, quidquid egerit, non debet excommunicari: ita ab aliis Epiſcopis non debet judicari; quoniam ſolius Dei Principatui debet ſubjici; à quo ſolo potuit in Principatu conſtitui: & quod facit, & qualis eſt in regimine, Divino fit nutu: ſicut ſcriptum eſt. Cor Regis in manu Dei eſt; quocunque voluerit vertet illud.* Mirum quod non erubuerit Puteanus hoc teſtimonio uti, locum, unde ſumptum eſt, deſignans. Audi enim quomodò relatis his verbis reſpondeat Hincmarus Remenſis opuſc. de Divortio Lotharii Regis & Tetbergæ Reginæ, undè illa extraxit Puteanus; *Hæc vox non*

eſt

est Catholici Christiani, sed nimium blasphemi, & spiritu diabolico pleni, &c. Deindè prædictam confutat objectionem.

16. Numero secundo producit testimonium Ivonis, ut probet eum, qui à Rege in gratiam aut ad mensam receptus sit, posse ad Communionem Ecclesiasticam admitti : sed hoc testimonium ad suam originem relatum, ad materiam non pertinet. Excerptum enim est ex Concilio Toletano 12. cap. 3. Editus est autem Canon ille adversùs eos, *qui contra Regem, Gentem, vel Patriam egerant*, Quibus si Rex parceret, volebant Patres ab Ecclesia quoque indulgeri. Vide notas Garsiæ Loaisæ in illud caput.

17. Quæ numero quarto refert ex Matthæo Paris. Historico Romanis Pontificibus parùm æquo, licet, si vera sint, ostendant Francos non omninò probasse excommunicationem, ac depositionem Friderici Imperatoris à Gregorio IX. factam : jus tamen illud penes Ecclesiam fuisse, si Imperator hæreticus extitisset, ostendunt.

18. Universitas studii Parisiensis, cujus conclusiones sub num. 5. adducit, declarat quidem, non esse obediendum cuidam excommunicationi in Regem & Principes latæ. Sed quid mirum, nam conclusione secunda definit, quod ejus censuræ Autor *Petrus de Luna non est nominandus Benedictus, nec Papa nec Cardinalis, nec nomine cujuscumque Dignitatis, nec sibi obediendum est tanquam Pastori, sub pœnis fautorum schismatis*; ac re verâ indignissimè, ac pessimè illum in Gallia habitum exhibet eodem num. 5.

19. Quod autem num. 31. ejusdem Universitatis circa potestatem Ecclesiæ in Principes, præsertim hæreticos, Decretum producitur, alio Universitatis Decreto infirmatur, de quo fit mentio apud Henricum Spondanum ad an. 1590. num. 3. qui Henrico IV. Francorum Regi, cujus occasione utrumque editum est, non potuit esse infensus, cùm multis ei nominibus debitor existeret.

CA-

CAPUT IV.

De potestate Judicum sæcularium circa censuras, ad capp. 6. & 8. Puteani.

1. NOn solum Regios Judices, & Officiales à censuris eximit Puteanus, sed eis etiam alios eximendi facultatem tribuit pluribus in locis, præsertim cap. 6. & 8. Præterimus septimum, quia, ut cap. superiori notavimus, quæ illic, nec non cap. 4. & alibi de independentia Regis in temporalibus dicuntur, ad doctrinam lib. 4. expendenda sunt, vel, si mavis, ad regulam Decretalis Innocentii III. relatæ à Puteano præd. cap. 7. num. 4 In ea enim summo Pontifici directa in temporalia jurisdictio negatur, indirecta ratione peccati asseritur. *Non enim intendimus judicare de feudo, cujus ad ipsum spectat judicium, nisi fortè juri communi per speciale privilegium, vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum; sed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quolibet exercere possumus & debemus. Non igitur injuriosum sibi debet Regia Dignitas reputare, si super hoc Apostolico judicio se committat.*

2. Quantùm autem ad potestatem Judicum sæcularium circa censuras, in primis notandum est, quod in aliis ferè omnibus licet observare, non solùm non niti Canonibus, sed cum Canonibus etiam pugnare, quorum observatio libertas Ecclesiæ dicitur ab ipsismet Ecclesiasticæ libertatis impugnatoribus. Senatus-consulta proferuntur ad constituendam Senatus in negotiis spiritualibus jurisdictionem; sed summorum Pontificum Decreta & Constitutiones opponimus. Si autem testimonia Pontificum, tanquam in propria causa loquentium recusantur; rejiciatur autoritas sæcularium sibi jus dicentium, & cùm de rebus Ecclesiasticis agatur, ad Canones, præsertim Conciliorum Oecumenicorum, quibus ex omnium consensu præsidet Spiritus Sanctus, & adsunt etiam Laici pro jurium suorum defensione, recurratur.

3. Vult Puteanus posse Judices sæculares excommunica-

tiones abusivas declarare, atque Judices Ecclesiasticos cogere ad absolvendos ad cautelam eos, qui excommunicati fuerint. Quomodò id probat? Variis Senatuum Placitis, ac similibus documentis. Contrarium ostenditur pluribus summorum Pontificum Constitutionibus. Utris credet Catholicus? An neutris? Stet saltem Conciliorum statutis.

4. Concilium generale Lugdunense sub Gregorio X. cui Rex Franciæ per suos Legatos interfuit, Libertatem Ecclesiæ circa censurarum usum duabus Constitutionibus scilicet 20. & 31. asseruit. Vigesimæ verba sunt ista; *Absolutionis Beneficium ab excommunicationis sententia, vel quamcumque revocationem ipsius aut suspensionis, seu etiam interdicti per vim & metum extortam præsentis constitutionis autoritate omnino viribus vacuamus. Ne autem sine vindicta violentia crescat audacia, eos, qui absolutionem, sive revocationem hujusmodi, vel metu extorserint, excommunicationis sententiæ decernimus subjacere.* Constitutio autem 31. sic se habet: *Quicumque pro eo, quod in Reges, Principes, Barones, Ballivos, vel quoslibet Ministros eorum, aut quoscumque alios, excommunicationis, suspensionis, seu interdicti sententia fuerit promulgata, licentiam alicui dederint occidendi, capiendi, seù alias in personis, aut bonis suis, vel suorum, gravandi eos, qui tales sententias protulerunt, sive quorum sunt occasione prolatæ, vel easdem sententias observantes, seu taliter excommunicatis communicare nolentes, nisi licentiam ipsam re integrâ revocaverint, vel si ad bonorum captionem occasione ipsius licentiæ sit processum, nisi bona ipsa sint infra octo dierum spatium restituta, aut satisfactio pro ipsis impensa, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto.*

5. Manifestiùs repugnat Concilio Tridentino doctrina Puteani cap. 6. 8. & 9. adscribentis Judicibus sæcularibus jus præcipiendi superioribus Ecclesiasticis, ut à censuris absolvant. Hæc sunt Concilii verba sess. 25. de reform. cap. 3. *Nefas autem sit sæculari cuilibet Magistratui prohibere Ecclesiastico Judici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet, sub prætextu, quod contenta in præsenti Decreto non sint observata; cùm non ad sæculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat.* Quæ ultima verba notanda sunt, ne quis existimet praxim Gallicanorum Magistratuum posse jus facere adversus hanc Ecclesiæ jurisdictionem. Respuetur fortassis à Gallis hujus Concilii autoritas: sed utrum in materia spirituali Concilio Oecumenico adhibenda sit fides, potiùs quàm Curiis sæcularibus, quarum pla-

placita proferuntur, nescio quomodò possit à Catholicis in dubium revocari.

6. Quid quod ab ipsis etiam Regibus Christianissimis illa Parlamentorum praxis fuit prohibita. Id constat ex edicti Melodunensis anni 1580. art. 23. à Puteano citato cap. 8. num. 8. sub finem, & relato tom. 5. parte 8. tit. 2. actorum Cleri Gallicani. „ Prohibemus, inquit, Henricus III. Sigil„lorum Cancellariarum nostrarum Custodibus, ne rescripta „Appellatoria, (Gallicè Lettres de Relief) expediantur qui„bus jubeatur, ut in carcere detenti Judicum Ecclesiastico„rum autoritate, illinc educantur, aut ut beneficium ab„solutionis illis conferatur, qui à prædictis Judicibus fue„rint excommunicati. Edicti etiam Melodunensis an. 1571. art. 18. sic decretum fuerat; *Atque ut omnis amoveatur difficultas ab art.* 16. *Constitutionum nostrarum Aurelianensium anni* 1560. *statuimus, ut Prælati, Pastores, & Curati possint monitionibus & censuris Ecclesiasticis uti in iis casibus, in quibus licet per sancta Decreta, & Concilia.* Refertur etiam hoc Edictum loco citato actorum Cleri Gallicani, & articulus iste seorsim tom. 2. parte 1. cap. 19. ubi notatur, eum fuisse verificatum, ut illic dicitur eâ conditione, ut Clerici pro debitis pecuniariis non excommunicarentur, atque Senatus-consultum huic edicto consonum fuisse prolatum 22. Januar. 1573.

7. Carolus Fevret. lib. 7. de abusu cap. 2. luculentiùs affirmat potestatem absolvendi ab excommunicatione ad cautelam ad Curias sæculares pertinere, quod hæresis manifesta est; nisi fortè ab ea nota excusetur, quia initio illius numeri, finem excommunicationis ad cautelam eum assignat, *ut litigantes legitimam personam haberent standi in judicio, ut testabiles, vel testes esse possent; denique ut lis cum eis legitimo Marte decurrere posset.* Verùm posteà effectum spiritualem ejusmodi absolutioni tribuit, cum ait; „ Duluc in suis Placitis, seu Arrestis lib. 2. tit. 2. „Arresto 9. meminit clausulæ supra positæ in rescriptis Ap„pellatoriis inseri solitæ; & ait Curiam jure meritò concedere illas absolutiones ad cautelam, cùm pium ac religio„sum esset, ut Christianus Sathanicæ tyrannidi addictus, „modis omnibus in libertatem assereretur. Dixerat autem antea hujusmodi absolutiones regulariter quidem ab Eccle-

siasticis Judicibus impertiendas esse ; quia tamen illi difficiliores , ac morosiores se præbebant , recursum esse ad Magistratus Civiles , præsertim ad Curias supremas , utpotè ex Ecclesiasticis , & ex Laicis Judicibus constantes , quasi non esset minimus in Parlamentis Senatorum Ecclesiasticorum numerus , & non haberentur hujusmodi Curiæ simpliciter sæculares , nullatenus autem Ecclesiasticæ.

8. Hæreticum igitur esset Curiis sæcularibus , quod videtur Puteanus intendere cap. 6. præsertim in tit. num. 11. & in num. 19. potestatem tribuere illos , qui verè sunt excommunicati , ab hujusmodi vinculis liberandi , & sententias de rebus spiritualibus à Judicibus Ecclesiasticis prolatas evertendi , atque , ut vulgò dicitur , cassandi , & annullandi. Si autem Senatus-consulta ita interpretari pietas suadeat , non ut excommunicatos absolvant , sed verè excommunicatos non esse declarent ; præterquam quod extra proprios limites semper excurrunt (Theologorum enim est , non juris civilis consultorum de censuræ validitate , aut invaliditate decernere, vel etiam Episcoporum , aliorumve Judicum Ecclesiasticorum, si judicialis sententia proferenda sit) quid juvat Judicis sæcularis declaratio , ut à Censuræ vinculo solvatur , quire vera illo innodatus coram Deo existit ?

9. Licet autem benigniùs Puteani , & Fevreti mentem interpretemur , & supponamus eos non aliter jus circa absolutiones ad cautelam vindicasse Curiis sæcularibus , quàm ut possent imperare Judicibus Ecclesiasticis , eosque cogere ad absolvendos excommunicatos (quod tamen ipsis non licere jam ostendimus) quomodò ferendus erit idem Fevretus in eo, quod illis Curiis permittit, quem voluerint Judicem Ecclesiasticum, quamvis personæ absolvendæ non sit superior, committere ? Si enim Curia ipsa neminem potest absolvere , cùm non Magistratibus politicis , sed Apostolis , eorumque Successoribus dictum sit Matt. 18. *Amen dico vobis , quæcumque alligaveritis super terram , erunt ligata & in Cœlo , & quæcumque solveritis super terram , erunt soluta & in Cœlo.* Quomodò absolvendi potestatem , quam non habet , conferre poterit , præsertim cùm majus aliquid sit potestatem aliquam alteri communicare , quàm per se illam exercere.

CAPUT V.

De citationibus Romam, de execu'ione Litterarum Apoſtolicarum in Gallia, & de Conciliis illic celebrandis, ad capp. 9. 10. & 11. Puteani.

1. CIrca Caput nonum diſtinguendum eſt jus commune à privilegiis, aut concordatis particularibus, itemque cauſæ ſpirituales & Eccleſiaſticæ à temporalibus, & ſæcularibus. Equidem in concordatis inter Leonem X. Papam, & Franciſcum I. Regem Francorum tit. *de Cauſis*, & tit. *de frivolis appellationibus*, præſcribitur modus procedendi in controverſiis, ſive in prima inſtantia, ſive in cauſa appellationis, à quo non eſt recedendum; cùm ità inter ſanctam Sedem & Franciæ Regnum convenerit; ac præterea quæ ibi conſtituta ſunt, maximâ æquitate nitantur. In cauſis etiam merè temporalibus, & ſæcularibus nullo privilegio, nulloque concordato eſt opus, ut Galli Romam non evocentur. Cæterùm, & contra Concordata ipſa, & contra Romani Pontificis Primatum, & ſupremam juriſdictionem pugnaret, qui univerſim aſſereret, in nullo caſu debere Gallos in Romana Curia litigare, neque per ſe, neque per Procuratores, ut libro ſexto demonſtravimus.

2. Pontificiæ juriſdictionis uſum & exercitium Puteanus cap. 10. Regi Galliæ, ejuſque Officialibus ſubjicit. Vult enim compilator iſte Bullas, ſeu Litteras Apoſtolicas in Gallia executioni demandari non poſſe, abſque aſſenſu, ſeu, ut ipſe loquitur, *abſque pareatis* à Rege, vel ab ejus Officialibus conceſſo. Iſtæne ſunt Eccleſiæ Gallicanæ libertates, ut indiſcriminatim quæcumque à ſancta Sede proficiſcuntur ab arbitrio poteſtatum ſæcularium pendeant? Itanè antiqui Galli, quorum Religio tantoperè laudatur, erga ſanctam Sedem ſe habebant.

3. Sed qui ſunt illi Canones, quibus conſtat hoc libertatis caput? An Arreſta, & Litteræ Regiæ Canones nuncupantur; non enim alias invenit ſui lemmatis probationes Puteanus;

nus ; & quas affert , sunt omnes schismate, à quo sunt cuncta in Gallia confusa, posteriores. Dum Rex aliquid contra suum Statum à Bullis Pontificiis metuere, ideoque ab illis sibi velle cavere asserit, probabilis videtur excusatio. At verò quin justa mandata summi Pontificis, in rebus spiritualibus, & Ecclesiasticis executioni mandentur, per vim quidem, & injuriam impediri à potestatibus sæcularibus potest ; nullus tamen obstare valet quò minùs quodcumque successor Petri ligaverit super terram , sit ligatum & in Cœlis , nisi fortè ut loquitur S. Paulus primæ Corint. decimo vers. 23. *Dominum quis amuletur ac fortior illo sit.* Plura lib. 2. de hoc puncto dicta sunt.

4. Capite undecimo probat Synodos indictas , eisque puncta tractanda proposita fuisse à Regibus Franciæ , ab iisque postulatam statutorum confirmationem , & ad executionem auxilium. In hoc quidem capite referuntur aliquorum, non quidem generalium, sed particularium Conciliorum fragmenta : sed non minùs violatur vera libertas Ecclesiæ ex consilio Autoris, si ex eo quod olim factum est , probare intendit, non solùm jus esse Principibus Synodos convocandi , illis deliberanda proponendi , illarum Canones roborandi , & executionem curandi , sed etiam sine ipsorum autoritate Prælatos non posse legitimè convenire , negotia , nisi quæ ipsi jusserint, definire , & fideles ad Decretorum suorum executionem obligare. Horret omnis veri Christiani animus ad doctrinam, quæ fidei , ac disciplinæ negat posse consuli , nisi ex præscripto Principum sæcularium.

5. Triplex probationum genus est in hoc cap. 11. Primæ desumptæ sunt ex Conciliis sub prima Regum Dynastia celebratis. Secundæ à Conciliis habitis sub secunda Dynastia. Reliquæ ex posterioribus Conciliis, & ex Curiarum sæcularium monumentis. Primæ quidem ostendunt Reges Franciæ consensum convocationi Synodorum præbuisse. Qui quidem consensus interdum honoris causâ vocatur jussio , ut in Aurelianensi primo , vel præceptio , ut in Aurelianensi secundo ; interdum tantùm consensus , ut in Arvernensi anno 535. aliquando invitatio, ut in Parisiensi secundo: alias aliis nominibus designatur , ut animadvertere licet in exemplis à Puteano adductis.

6. Sed

6. Sed Synodus Turonensis secunda anni 567. quam citat num. 5. non relatis ejus verbis, docet Can. 21. omnibus illis nominibus solum consensum esse intelligendum. Etenim quamvis Episcopi Concilii Aurelianensis primi dicant *Clodoveum gloriosissimum Regem omnes Sacerdotes ad Concilium venire* IVSSISSE, Concilium Turonense idem ita exprimit; *In Synodo Aurelianensi, quam invictissimus Rex Clodoveus fieri* SVPPLICAVIT. Ubi jussione supplicationem interpretatur: utrumque autem idem significat, scilicet consensum, quo nomine, omnium maximè proprio, utitur Concilium Arvernense, ut diximus.

7. Ampliorem in Conciliis autoritatem exercuerunt Principes secundæ Dynastiæ. Verùm id sine summorum Pontificum assensu, imò & rogatu factum non fuisse ostendemus, ubi de Capitularibus Regum Francorum differemus lib. 11.

8. Quæ tertio loco afferuntur ex Curiarum sæcularium documentis, sicut & alia quamplurima, quæ in hoc volumine sparsa sunt, arguunt tantùm Ecclesiasticam autoritatem maximum in Gallia detrimentum posterioribus sæculis passam fuisse, ac Laicos Episcoporum, & Synodorum potestatem ferè omnem ad se pedetentim traxisse; Episcopos autem, si quid præter antiquam Ecclesiæ libertatem, & Canonicam disciplinam admiserunt, vel invitos cessisse, vel non debere in exemplum proponi, utpotè qui à majoribus fuerint degeneres.

9. Quæ ad Concilia præsertim Gallicana spectant, fusiùs disputabuntur inferiùs lib. 11. occasione Domini de Marca.

CAPUT VI.

De autoritate Concilii generalis, de Appellationibus à Papa ad futurum Concilium, nec non de receptione, ac publicatione Conciliorum generalium in Gallia ad capp. 12. 13. 14. Puteani.

1. EX comparatione summi Pontificis cum Conciliis generalibus, de qua in lib. 5. disputatum est, colligi potest, quid judicandum sit de iis, quæ cap. 12. & 13. probanda sus-

suscipit Puteanus. Sufficit hic circa ejus probationes animadvertere posse omnes in eum retorqueri, ac juxta ejus methodum illa ipsa exempla in favorem summorum Pontificum converti. Sunt enim exempla Episcoporum, aut Principum summis Pontificibus repugnantium, quibus opponitur autoritas summorum Pontificum in illis ipsis casibus Episcopis, aut Principibus præcipientium. An non æquius est præsumere in hujusmodi disceptationibus supremos Ecclesiæ Pastores rectè egisse, quàm inferiores jure restitisse, nisi aliundè contrarium evidenter demonstretur.

2. Sunt aliqua ex iis exemplis magis suspecta, ita quod num. 2. ex Glabro Rodulpho refertur, falsum esse inferiùs videbimus, & ex parte colligemus ex ipso Domino de Marca, qui eâ etiam autoritate utitur.

3. Capite 13. Appellationum à summo Pontifice ad Concilium profert exempla, quorum omnium vetustissimum, saltem pro Gallia, est Philippi Pulchri, quem nemo eorum, qui sanctam Sedem & Papam, ut par est, colunt, imitatione dignum judicabit, cùm nullus ex Francorum Regibus tam injuriosè summum Pontificem habuerit. Ejusmodi res, ut obliterarentur tanquam sibi totique Galliæ probrosæ, maximopere conatus est ipsemet Philippus. Itaque qui eas in memoriam hominum revocant, quasi essent laude dignæ, Regis illius honori apud veros Christianos plurimùm detrahunt, ac erga sanctam Sedem, & Christi Vicarium, se non rectè affectos produnt. Quis enim ignorat, Regem illum, licet ei Benedictus XI. censurarum omnium absolutionem ultrò concessisset, Clementem V. ad Pontificiam Dignitatem variis artibus evehendum curasse, ut pleniorem consequeretur remissionem. Hanc enim primam ab eo conditionem exegit. Bulæus histor. Univers. Paris. tom. 4. ad an. 1305. rem ita narrat; *Rex* (Philippus IV.) *aliàs sibi infensum Bertrandum ad oppidum Angelinam in Sanctonibus evocat, monet quæ agerentur, pactoq; inito eum Sacramento adegisse dicitur, ut quinque capita sibi, si Pontifex fieret, concederet. Primum amplam veniam capti Bonifacii, læsæq; Majestatis Pontificiæ.* Ac re ipsâ multa in actis Pontificiis ad illud dissidium pertinentia jussu Clementis V. deleta sunt.

4. Sed nec illud prætermittendum est, quod Philippus, eique

que adhærentes à Bonifacio VIII. appellantes, ſupponebant eum non eſſe legitimum Pontificem, conſcii ſcilicet appellationem ſuam alioquin omni colore fore carituram. Quod ex eo etiam colligitur, quod ad futurum legitimum Pontificem, perinde atque ad Concilium appellabant, ut habetur in inſtrumentis à Puteano exſcriptis. In primo, de Pontificis Accuſatoribus iſta leguntur. *Moti, ut dicebant ſervore fidei, ſincera devotionis affectu, & zelo charitatis inducti, ſacroſanctæ Romanæ, ac univerſali Eccleſiæ Matri ſuæ, quam ſub dicti Domini Bonifacii præſidentia periculosè deprimi, ac deformationem enormem, & jacturam pati dicebant, compatientes ab intimis, ac Chriſtianæ fidei, in qua ſalus animarum conſiſtit, & quæ ſuis temporibus, proh dolor, miſerabiliter contabeſcit, & deperit, ut dicebant, periculo condolentes, ad ipſius Eccleſiæ & totius Chriſtianitatis ſalubre regimen, & bonum ſtatum ac reparationem, & exaltationem Catholicæ fidei votis, ut dicebant, ſerventibus intendentes* (neceſſaria erat verborum illorum, *ut dicebant*, frequens repetitio: eſt enim difficile creditu Accuſatores Bonifacii, zelo, quem præ ſe ferebant, verè motos fuiſſe) *maximè, cùm eidem Eccleſiæ, fidei fundamento, & animarum ſaluti ſummè expediat, ut Dominici gregis ovili, non* NISI VERVS, ET LEGITIMVS, AC VERE' ET LEGITIME' PASTOR PRÆSIT.

5. Ipſi autem deliberantes ſic concludunt; *Pro nobis, Eccleſiis, Parochis, & ſubditis noſtris, ac pro nobis adhærentibus, ſeu adhærere volentibus in hac parte, ad prædictum Concilium congregandum, &* AD FVTVRVM VERVM, ET LEGITIMVM SVMMVM PONTIFICEM, *& ad illum, vel illos, ad quem vel quos, de jure fuerit appellandum, provocamus, & appellamus, &c.* Idem obſervare licet in aliis inſtrumentis, ut in appellatione ipſiuſmet Philippi, quæ refertur num. 5. ejuſdem capitis, in appellatione diverſarum Civitatum linguæ Occitanæ, quæ habentur ibidem articulo 7.

6. Poſt tempus ſchiſmatis, cujus ſæpè facta eſt mentio (ut videas quâ occaſione, nempe diſſidiorum, vel ſchiſmatis natum ſit genus illud appellationum) appellarunt etiam alii Reges; ſed eorum conſilium intelligitur ex titulo præfixo litteris Ludovici XI. datis 20. Novembris 1478. & exſcriptis in eodem capite 13. num. 12. nimirum facultatem dari Legatis Regiis appellandi ad Concilium futurum, ſi Papa negaret, quod ex parte Regis rogaretur, aut vellet contra

ipsum, ejusve subditos procedere. Hujus Principis technam detegit Henricus Spondanus ad an. 1478. num. 8. his verbis; *Quod videlicet*, (ut putatur) NON TAM HÆC SERIO AGERET, QVAM VT SCRVPVLVM PONTIFICI MOVERET *in gratiam Florentinorum*, HVIVSMODI SIMVLATIONVM INSIGNIS ARTIFEX, &c.

7. Non ità constans est inter Gallos doctrina sanctæ Sedis privilegiis adversa, quin unius articuli obliviscantur, etiam dum alium statuere nituntur. Ludovicus XI. in prædictis Litteris appellationem ad Concilium summo Pontifici minatur, ut propositum sibi finem consequatur; sed ei facultatem tribuit, Principes Turcæ bellum inferre recusantes, abjiciendi, & puniendi. Sed quomodo poterit Papa renitentes plectere, si ipsis liceat à Pontifice ad Concilium generale appellare, ad quod tamen provocat Ludovicus, si non plectat? utram appellationem admittet? An Ludovici, an renuentium Turcæ bellum indicere? utramque non poterit, quia contrariæ erunt. En verba Ludovici; *Ut pacem cum Illustrissima Liga velit* (Papa) *componere, illam tueri, & defendere à dicto illo perfido Turco, & aliis infidelibus, & nullos Confœderatos, seu cum ipso perfido Turco, & immanissimo intelligentiam, aut abstinentiam Guerræ habentes sustinere, aut illis favorem exhibere*: QVIN IMO TALES TANQVAM REOS CRIMINIS LÆSÆ MAIESTATIS DIVINÆ, ABJICERE, AVT PVNIRE: *& casu, quo ipse summus Pontifex præmissa facere denegaverit, seu plus debito distulerit, vel aliqua in contrarium præmissorum, aut aliquid contra nos, Regnum, & Regniculas nostros fecerit, seu in futurum attentare præsumpserit, ad intimandum, & appellationem ab ipso interjectam in Congregatione prædicta Aurelianis, & de novo si opus fuerit, appellandum ab ipso summo Pontifice malè consulto ad eundem summum Pontificem benè consultum, seu præfatum proximum futurum Concilium universalis Ecclesiæ, &c.*

8. Adhæsit Universitas Parisiensis appellationi Philippi IV. & ipsa etiam aliquando ex eo tempore, quo cœperunt plures ejus Doctores Concilium summo Pontifici præponere, pro suis juribus appellavit. Sed notanda est formula, ejus præsertim instrumenti, quod refertur à Puteano num. 5. *A sanctissimo nostro Papa Innocentio VIII. minùs debitè consulto*, AD SE IPSVM MELIVS CONSVLENDVM, ET AD SANCTAM SEDEM APOSTOLICAM ETIAM MELIVS CONSVLENDAM, *nec non ad sacrosanctam Syna-*

Synodum universalem celebrandam, illumque, vel illos, ad quem, seu ad quos de jure provocare, & appellare nobis licet, in his scriptis, tam pro nobis, quàm pro nostris adhærentibus, & adhæsuis, quàm etiam pro Vicariis dictorum Magistrorum, Doctorum, & Scholarium, eorumq; in beneficiis Divinis deservientium provocamus, & appellamus. Illa ad diversos Judices appellatio innuere videtur dubitare, appellantes, an ad alium, quàm *ad Papam melius consulendum, & ad sanctam Sedem Apostolicam etiam melius consulendam de jure provocare, & appellare ipsis liceat.*

9. Citat quidem in fine dicti capitis 13. appellationes aliorum extra Galliam Principum, sed nihilò laudabiliores. Prima, & antiquior quàm Philippi Regis, est Friderici II. Imperatoris, seu ejus Legati, quem cæteri Principes imitati videntur. Verùm Friderici Legatus non à Papa ad Concilium, sed à Concilio generali, scilicet Lugdunensi primo ad aliud generalius provocavit, sub eo prætextu, (qui à quovis facilè poterit obtendi, ut omnia Ecclesiastica judicia eludat) quod illud non esset satis generale.

10. Libera erit omninò Gallia, sed à justitia, si posteriores quidam ejus libertatis vindices audiantur. Nam si Pontificis Decreta non arrideant, vel omninò contemnentur, utpotè offendentia *regulas, mores, & instituta à Regno, & Ecclesia Gallicana recepta*, vel ab eis ad futurum Concilium provocabitur: Concilii autem Decreta non recipientur, atque adeò non obligabunt juxta illorum Scriptorum doctrinam. *Non hæc quidem protuli*, inquit Joannes Gerbasius dissert. de Causis majoribus art. 12. num. 6. *ut ab hac Tridentini Concilii singulari lege eximantur Galli, cùm ne ulla quidem alia, acceptationis defectu, eos liget.* Ægrè ferrent hæc verba aures verè Catholicæ à Procuratore Regio prolata; sed quis à Theologo possit hæc audire? Quid igitur, acceptatio à Clero facta nullam inducit obligationem? Itanè mutata est postremis his temporibus autoritas Conciliorum Oecumenicorum? Clerus Gallicanus anno 1625. Parisiis congregatus professus est, se teneri ad observationem Concilii Tridentini, Gerbasius è contra nullâ ejus lege Gallos ligari affirmat.

11. Falsum est, ut in 2. lib. demonstravimus, acceptationem esse necessariam, ut lex justa obliget: & falsum est nullam Concilii Tridentini legem fuisse acceptatam in Gallia.

Utramque falsitatem evertit Decretum Cleri Gallicani prædicto anno 1625. editum tom. 1. Actorum Cleri, & à Puteano cap. 14. num. 3. relatum. Ejus Decreti verba Latinè reddita, sunt ista; „Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, & „alii Ecclesiastici Viri, repræsentantes Clerum universum „Franciæ, congregati annuente Rege, Parisiis in Conventu „Augustinianorum, post maturam circa publicationem Con„cilii Tridentini deliberationem unanimiter agnoverunt, & „declararunt, agnoscunt, & declarant, se obligari pro suo „officio, & conscientiâ ad recipiendum, sicut re ipsâ rece„perunt, & recipiunt præfatum Concilium, & spondent se „illud observaturos, quantum possunt per functionem suam „& autoritatem spiritualem & Pastoralem; Quæ deliberatio singulorum subscriptionibus, ac juramento ad sancta Evangelia, confirmata fuit. Recepit igitur tunc temporis Clerus Gallicanus Concilium Tridentinum, & professus est, se teneri non solùm ad observandum Concilium, postquam illud acceptasset, sed etiam ad illud acceptandum. Augustissimus erat cœtus; siquidem aderant tres Cardinales, quinquaginta Episcopi, triginta verò secundi ordinis. Non fuit præceps deliberatio, cùm anteà sæpissimè, vehementissimèque institissent Prælati apud Reges, ut reciperetur Concilium, quod testantur acta Cleri quamplurima, citata à Puteano, ubi suprà; acceptatum præterea fuit in variis Conciliis Provincialibus.

12. At non fuit acceptatum à Rege; ne id quidem verum usquequaque est, quandoquidem multa ejus decreta in ordinationes Regias translata sunt, sed quare non fuit absolutè receptum. Causas in primo libro notavimus. Hoc tantùm monemus eos, qui vim legum Ecclesiasticarum à Principum arbitrio pendere volunt, ut considerent quantum periculi subitura sit Religio, si Principes mali extiterint.

13. Oblitus est Puteanus in hoc capite protestationis à se factæ in præfatione ad Lectorem. Ibi enim ait; „summoperè „cautum est, ne quid ex actis deduceretur, aut quæ indè se„quantur, declararentur. *Faciet quisque, ut sibi videbitur.* In hoc „autem cap. 14. num. 2. relatâ declaratione Caroli VII. Fran„corum Regis, addit; Ex hoc instrumento infertur, Decreta „Conciliorum generalium, quæ ad politiam spectant, effectum „in

„in Francia non sortiri, nisi Regum nostrorum edicta accedant. De facto dumtaxat eum loqui crederem, nisi titulo capitis ad Conciliorum generalium receptionem & publicationem in Francia, non solùm permissionem, sed etiam autoritatem Regis concurrere statuisset.

14. Cæterùm in pluribus famosæ Pragmaticæ Sanctionis locis indicatur non ità liberum esse Galliæ, decreta Conciliorum generalium respuere, vel immutare, v. g. in litteris, quæ decreta præcedunt, habetur hæc declaratio. *Sacræ Basileensis Synodi decreta, ordinationes, & statuta, aliqua simpliciter, ut jacent, alia verò cum certis modificationibus, & formis non hæsitatione potestatis, & autoritatis condentis, & promulgantis, ipsius scilicet Sacræ Basileensis Synodi, sed quatenus commoditatibus, temporibus, & moribus Regionum, & personarum sæpè fatorum nostrorum Regni ac Delphinatus congruere, convenireq; conspexerunt, prout inferiùs plenius annotatur, & inseritur, illicò & indilatè recipienda consenserunt, & acceptanda deliberaverunt.* Circa varia etiam Decreta Congregatio Gallicana, dum illa temperanda censet, ad Concilium recurrendum monet, ac generatim in conclusione ait; *Illa Decreta, circa quæ fuerunt factæ prænotatæ modificationes, acceptentur: prout etiam acceptantur.* SUB SPE SCILICET, QUOD IPSÆ MODIFICATIONES PER SACRUM CONCILIUM ADMITTENTUR; PRO QUO REGII ORATORES INSTABUNT VICE REGIA, ET ECCLESIÆ REGNI, ET DELPHINATUS.

CAPUT VII.

Percurruntur octo capita Puteani, scilicet à 15. ad 22.

1. QUoniam quæ ad Prælaturarum dispositionem pertinent, per concordata inter Leonem X. Papam, & Franciscum I. Regem Francorum, sunt constituta, supervacaneum esset, & Lectoribus prolixitate ingratum, singulorum, quæ Puteanus cap. 15. affert de anteriori Franciæ praxi, examen.

2. Materia Regaliæ, de qua agitur à Puteano cap. 16. tam diligenter, tamque eruditè versata fuit, scriptis, tùm Latinè, tùm Gallicè tractatibus, ut nihil illi lucis accedere

posse videatur. Eâdem etiam occasione video actum esse de juramento fidelitatis, ab Episcopis Regi præstando, de quo Puteanus cap. 17. nihilque hodiè difficultatis esse scio circa hujusmodi juramentorum praxim, nisi circa ejus insinuationem, seu registrationem, quam volunt ad finem Regaliæ imponendum, necessariam; quâ de re optimè etiam disseruerunt, qui de Regalia nuper scripsere.

3. Nisi circa necessaria tantùm immorari mens esset, multa notari possent circa ea, quibus prædicta Puteani capita constant; prætermittendum tamen non est Reges Franciæ viciſſim Episcopis juramentum præstare solitos. Extant antiqua exempla inter Capitularia Regum Francorum à Stephano Baluzio collecta, & viget adhuc usus, ut Rex dum inauguratur, juret, se privilegium canonicum servaturum, quod cùm ad veras Ecclesiæ Libertates pertineat, taceri non debuit, quasi hoc Regiam Majestatem dedeceret, unde illi maximus decor accedit.

4. Tot sunt Ecclesiæ Canones, de Episcoporum, & Parochorum residentia, quam melioris notæ Doctores de jure Divino esse affirmant, ut laudandus sit Regum Christianissimorum zelus in præstanda exequendis illis Legibus Ecclesiasticis autoritate; plurimumque commendandus esset Rex Christianissimus, si Prælatos, quos in Curia magis quàm in propria Diœcesi commorari delectat, quorumque aliqui nullum fortè aliud negotium apud suam Majestatem magis solicitè, quamvis minùs apertè, prosequuntur, quàm ut nova, vel pinguiora beneficia consequantur, ad commissum ovile remeare præciperet, exemplo suorum Prædecessorum, & Justiniani Novella 6. cap. 2. & aliorum: sic enim exequeretur Canones, Episcopis ad comitatum sine necessitate ac matura deliberatione accedere prohibentes. Pudendum è contra est, quod Pastores Gallicani tot actis ad residentiam cogentibus, quot referuntur à Puteano cap. 18. præbuerint occasionem, dimissis frequenter ovibus sibi à Christo concreditis; quæ culpa in plures Augusti illius Cleri Rectores non cadit, quandoquidem omni ævo multi ovili suo assiduè, sedulòque invigilarunt, & omnes probi Pastoris partes expleverunt.

5. Re-

5. Regem autem tanquam sanctorum Canonum executorem Prælatos ad residentiam compulisse par est credere, cùm in plerisque actis expressa fiat Canonum mentio. Res est aliunde tam justa, tamque necessaria, ut Principum illam procurantium zelum excitare Ecclesia censeatur.

6. Prælatos licentiâ Regis vel præcepto indigere, ut à Regno proficiscantur capitis 19. titulus est, imò etiamsi à summo Pontifice ad Concilium generale evocarentur, ut indicatur num. 8. Prima Lemmatis probatio hunc habet titulum; *Ex Concilio Agathensi sub Clodoveo Rege anno* 506. *can.* 35. Frustra fit mentio Clodovei à Puteano, cùm ne unus quidem Episcopus Regni Francorum huic Concilio interfuerit, ut patet ex subscriptionibus, & notavit D. de Marca lib. 6. cap. 18. §. 1. Sed concedamus ejus, utpote in loco modò Regi Franciæ subdito, celebrati decreta vim legis obtinere; quid statuitur canone illo 35. ut Episcopi Metropolitano *ad ordinationem summi Pontificis aut ad Synodum* invitanti pareant, *exceptâ gravi infirmitate corporis, aut præceptione regia.* Sed hoc non probat intentum; non enim agitur de exeundo à Regno, siquidem omnium Episcoporum Agathæ congregatorum Metropolitani erant intra idem Regnum Tolosanum Visigothorum; nisi fortè, quod verisimile nequaquam est, *ordinatio summi Pontificis*, non de quolibet Episcopo, sed de Romano tantùm intelligatur. Verùm ne tunc quidem aliud probaret Canon, quàm excusandum Episcopum Romam non euntem, non solùm si graviter ægrotaret, sed etiam si ex præcepto Regis alteri negotio incumberet: alioquin enim diceretur, *excepta prohibitione, non, excepta præceptione Regia.*

7. Secunda probatio est exemplum Salonii, & Sagittarii à Rege Gunthramno licentiam accedendi Romam postulantium, & impetrantium, ut refert Gregorius Turonensis hist. Franc. lib. 5. cap. 21. Sed hoc exemplum parum efficax est. Quid enim mirum, si Episcopi de homicidiis, adulteriis, aliisque sceleribus convicti, patrocinium imploraverint Regis, quem, ut ait Gregorius, *propitium sibi nossent.* Non enim solâ licentiâ, sed & favore indigebant. *Rex verò*, addit idem Historicus, *annuens petitionibus eorum datis epistolis* (quæ de sola licentia non videntur intelligendæ) *eos abire permisit.* Qui

accedentes coram Papa Joanne, exponunt se nullius rationis existentibus causis dimotos. Ille verò Epistolas ad Regem dirigit, in quibus locis suis eos restitui jubet. Quod Rex sine mora, castigatis priùs illis, verbis multis, implevit. Num Rex, qui summo Pontifici *sine mora* parendum censuit, perditos homines, qui à nemine illorum accusationem prosequente innoxii reputati fuerant, restitui jubenti, juris sui esse duxisset, Episcopos ad Concilium generale à Papa vocatos retinere.

8. Asseruntur deinde duo loca Hincmari Rhemensis Archiepiscopi, negantis posse Episcopos à Regno decedere sine consensu Regis. Sed jam lib. 3. cap. 7. Vidimus ipsum de facto loqui non de jure: & ex alio ejus loco scilicet epist. 17. tom. 2. evidenter ostendimus, ipsum sensisse Episcopos Romam à Pontifice vocatos accedere debere.

9. Minoris momenti est exemplum Philippi IV. à Bonifacio VIII. dissidentis, & Caroli VII. Basileensibus contra Eugenium IV. faventis. Quid enim mirum, si primus sciens Episcopos adversum se Romam vocari, eos illuc proficisci non siverit, & contra suam prohibitionem profectos malè habuerit; alter suscepto Concilii Basileensis Patrocinio, ab ipsismet Episcopis rogatus, Ferrariam, quo ab Eugenio vocati fuerant, ire vetuerit.

10. At nonne, sicut in rebus temporalibus, & sæcularibus, Regi, ita in spiritualibus, & Ecclesiasticis Summo Pontifici tenentur Præsules obedire? Cùm ergo commune totius Ecclesiæ bonum postulat, ut Prælati aliò se conferant, Pontificem jubentem, potiùs quàm Regem vetantem debent audire, nisi fortè per vim detineantur, aut graviora indè mala consecutura sint. Si aliquis insediisset justitiæ amor consarcinatoris animo, propositionem ad eos casus restrinxisset, in quibus Episcopi gravi suspicione laborarent, alicujus contra Regem, vel Regnum machinationis; aut dixisset dumtaxat debitum Regiæ Majestati reverentiæ officium esse, eo insalutato non abire.

11. Quandoquidem Puteanus suas omnes probationes à facto & autoritate ducendas putavit: cur hic & alibi ei displicuerunt exemplum & sententia S. Ludovici? An servitus est, Gallorum nobilitate indigna, sanctos imitari ac sequi.

Guil-

Guillelmus de Nangiaco in vita S. Ludovici refert epistolam sancti illius Regis ad Imperatorem Fredericum, in qua hæc habentur; *Vos unitatem pacis & concordiæ disrumpentes, Prælatos Regni nostri ad Sedem Apostolicam accedentes, cui* TAM EX FIDE, QVAM EX OBEDIENTIA TENEBANTVR, NEC EIVS POTERANT RECVSARE MANDATA, *in mari, quod molestè ferimus, capi fecistis, & ipsos sub gravi custodia detinetis.* An majoris ponderis est autoritas Philippi Pulchri, aut Caroli VII. quàm S. Ludovici? Nota hæc ejus verba; *Cui* (Sedi Apostolicæ) *tam ex fide, quàm ex obedientia tenebantur, nec ejus poterant recusare mandata.*

12. Non soli B. Ludovici religioni, sed veritatis certitudini tribuenda est illa sententia. Scripserat antea S. Bernardus epistolâ 131. quæ est ad Mediolanenses; *Potest* (Papa) *à finibus terræ sublimes quascumque personas Ecclesiasticas evocare, & cogere ad suam præsentiam, non semel, aut bis, sed quoties expedire videbit.*

13. Quid juvat Puteanum in cap. 20. hujus voluminis, ac in alio integro volumine, ab isto, quod percurrimus, distincto, schismatis, & diffidiorum perpetua oblivione delendorum memoriam revocare. An Regno Gallicano gloriosum est cum summis Pontificibus disceptasse? An à justitia ita stetit Gallia & in causa, & in modo, ut tantopere cavendum sit, ne pereant illa monumenta? Qui veras, & sinceras earum rerum historias legerunt, hinc non parum imminutam norunt antiquæ pietatis, & religionis laudem, Gallicano Regno ægregiis in sanctam Sedem, & summos Pontifices officiis partam.

14. Quin potestas sæcularis in aliquibus saltem ex iis actis, quæ in eodem cap. 20. referuntur, modum suum excesserit, non videtur à Catholico posse negari; v. g. quod Senatus Placito num. 43. relato, Archiepiscopum Turonensem delegaverit, seu commiserit ad conferendum beneficium curatum, ut illa collatio eundem haberet effectum, quem habuisset in Curiâ Romanâ facta: quod Henricus IV. Rex Franciæ, & Navarræ litteris num. 44. exscriptis Oeconomum spiritualem deputaverit ad conferenda Beneficia, Parochias, Prioratus, & Dignitates; quodque Oeconomus ille spiritualis Beneficia contulerit sub hac forma, quæ legitur in ejus litteris ibidem extantibus; *Virtute dicti nostri Oeconomatus con-*

tulimus, & donavimus, &c. Quis enim Catholicus affirmare audeat posse Parochum absolvere à peccatis, vel Priorem posse Monachos excommunicare, potestate solùm acceptâ à Rege, vel à Senatu, aut ab eorum delegatis.

15. Idem cum proportione dicendum de collatione aliorum Beneficiorum, licet in eis non sit æquale periculum. Quamvis enim jurisdictionem non habeant annexam, adeoque minùs aliorum fidelium saluti noceat Beneficiariorum intrusio; nullum tamen est, quod spirituale aliquod jus non habeat.

16. Patet certè ex actis in 21. cap. contentis potestates sæculares in Gallia, renuente summo Pontifice, vel Episcopis, aliquando Beneficia de facto contulisse, vel alicui facultatem legitimam non habenti officium illud commisisse. Sed quid indè concluditur, nisi conculcatos fuisse Canones innumeros, quibus sub gravissimis pœnis prohibetur, ne laici Beneficia Ecclesiastica conferant, vel Clerici ab eis collata recipiant. Magistratuum sæcularium Placita titulos Canonicos non esse, quibus in tuto ponatur Beneficiariorum conscientia, nemo non videt, nisi jam præ avaritia & ambitione in mentis cæcitatem, & cordis duritiam prolapsus sit. Tederet Canones referre, per hanc portam in Beneficia ingredi vetantes, quod à nemine ignorentur, & à pluribus Autoribus collecti sint; ut à Gratiano ca. 16. quæst 7. quam his verbis inchoat; *Quod autem Ecclesias de manu laicorum accipere, nec Abbati, nec alicui liceat, omnium Canonum testatur autoritas.* Ab Antonio Augustino Juris Pontificii veteris Epitome lib. 15. tit. 7. & ab aliis. Vide rursus quomodò speciosa libertatum Gallicanarum definitio plerisque illarum capitibus conveniat; ideòque quàm directè illis opponatur.

17. Quæ circa 22. caput notanda essent de pecuniarum ab Ecclesia Gallicana per Curiam Romanam exactione, partim dicta sunt lib. 6. partim circa duo ultima capita istius voluminis dicentur.

CA-

CAPUT VIII.

De Legatis, ac Vice-Legatis sanctæ Sedis ad capp. 23. & 24. Puteani.

1. ROmanus Pontifex omnium Christi fidelium Pastor est, ac simul multarum Provinciarum Princeps temporalis. Itaque duplicis generis Legatos mittere potest, scilicet pro negotiis Politicis, ac pro spiritualibus. Equidem qui ab eo tanquam Principe temporali mittuntur Legati, omnibus à jure Gentium, vel à consuetudine inter alios Principes Christianos inductis Legibus obnoxii sunt, nisi quod in Papa non ità prescinditur Principis temporalis ratio à supremi Ecclesiæ Pastoris Dignitate, quin ejus Legatis, quæcumque negotia gerant, specialis reverentia debeatur, præsertim cùm Princeps non sit, nisi quia successor B. Petri, cujus Patrimonium vocatur, quod habet dominium temporale Romana Ecclesia.

2. Si autem spiritualibus tantùm, & Ecclesiasticis rebus tractandis, Legati deputentur, Legationis suæ litteras tenentur exhibere. Hoc enim tàm canonico, quàm civili jure cautum est cap. *Cum in jure peritus de offic. deleg. & lege unicâ cod. de mandatis Principum.* Sed eorum facultates, aut jurisdictionem restringere, aut etiam examinare, ad potestatem sæcularem non pertinet. In hujusmodi enim rebus Principes Papæ subsunt, nec sine ordinis à Christo constituti confusione ejus mandata suæ, vel Judicum suorum, censuræ subjicere possunt.

3. Equidem si Regi justa esset timendi causa, ne quod ex Legatione detrimentum in legitimis suis juribus pateretur, non illi vitio verteretur, quod illud modo congruo præcaveret. Ita refert Henricus Spondanus ad annum 1625. num. 5. & Puteanus cap. 23. num. 82. Cardinalis Francisci Barberini facultates, non nisi cum hac conditione admissas fuisse, quod intra sex septimanas Breve Pontificium obtineret, quo titulus Regis Navarræ per incogitantiam omissus diceretur, non autem ut indè aliquod præjudicium Regi Franciæ

in jus Regni Navarræ fieret. Sed obtentu conservandorum Regis aut Regni jurium, omnia Papæ mandata circa res spirituales, & Ecclesiasticas, Judicum sæcularium arbitrio permittere, justitiæ, antiquorum Gallorum religioni, & Ecclesiæ Romanæ autoritati repugnat. Itaque omnia illa exempla, quæ à Puteano cap. 23. & 24. afferuntur, eâ tantum ratione justa esse possunt, si Regibus Franciæ, aut eorum Curiis propositum fuit vera jura Regia tueri, non autem potestatis Pontificiæ exercitio impedimentum præstare.

4. Id agnoverunt Reges Franciæ, etiam Philippus IV. tempore dissidii cum Bonifacio VIII. ut probat unus ex articulis missis à Bonifacio ad Philippum per Cardinalem Sanctorum Marcellini & Petri, cum responsione Regis. Est enim articulus ille hujusmodi, à Puteano relatus cap. 23. num. 2. *Item ad denuntiandum, & declarandum eidem, quod Romanus Pontifex Legatos de Latere, ac Nuncios liberè mittere potest ad quævis Imperia, Regna, vel loca prout vult, absque petitione cujuslibet, vel consensu, usu, vel consuetudine contrariis non obstantibus.* Non poterat jus sanctæ Sedis clariùs & apertiùs explicari. Quid igitur ad hæc respondit Rex Philippus, quem vel Ecclesiæ cum suorum jurium dispendio, vel personæ ipsius Pontificis, jam sibi odiosæ, impensiùs faviſſe nemo suspicabitur. *Respondet Rex, quod non impedivit, nec impedire intendit, Legatos, Nuncios, vel alias quascumque personas, quò minùs liberè ingredi valeant Regnum suum, nisi sibi & Regno sint legitimâ ratione suspecti, vel aliàs habeat justam causam.*

5. Quæ prædictus Puteanus sub numeris sequentibus exscripsit, schismate, quod, uti jam sæpè notavimus, maximam disciplinæ Canonicæ confusionem invexit, posteriora sunt; & quid factum fuerit, non quid fieri debuerit, plerumque ostendunt. Numero autem primo proponit exempla epistolæ fidei publicæ, seu salvi conductûs, à Carolo Majore domus dati Bonifacio Episcopo missо S. Petri in Franciam venienti; sed quod Legati sanctæ Sedis protegantur, & defendantur, ad officium Principum spectat; qui eos in suæ Legationis exercitio juvare debent, impedire nequaquam sine injuria possunt. Citat præterea Glabrum Rodulphum, cujus testimonium alibi expendemus: & epistolam Concilii Africani ad Papam Cælestinum, de qua modò pauca dicenda sunt.

6. Ad-

6. Adverte hîc, quod in pluribus aliis locis licet obſervare, quomodò erga ſanctam Sedem ſit affectus Puteanus. Prætermiſſis enim exemplis, in quibus moderatio, & juſtitia magis elucent, ea tantùm ſeligit, in quibus vel animi commotione, vel ignorantiâ, vel aliquâ aliâ causâ eſt aliquid actum adversùs ſummos Pontifices, etiamſi ad propoſitum non faciant. Miſerat Papa Zoſimus paulò ante mortem Legatos in Africam occaſione appellationis, quam Apiarius Presbyter à ſententia Epiſcoporum Africanorum ad ſanctam Sedem emiſerat, iiſque à Conciliis Africanis recepti fuerant. Sed quia eorum facultas, ſeu jus ſanctæ Sedis ad mittendos in Provincias Legatos pro judicio interpoſitarum ad ſe appellationum, Canonibus Concilii Sardicenſis, ſub nomine Nicæni, à Zoſimo confirmatum fuerat: & Epiſcopi Africani, quibus ignoti erant Canones veri Concilii Sardicenſis, quiſque inter Nicænos non legebant eos, qui ſibi allegabantur, ſcripſerunt ad Bonifacium Zoſimi, intereà defuncti, ſucceſſorem, rogantes ut ab Eccleſiis Orientalibus exemplaria Concilii Nicæni ſibi mittenda curaret, & ſpondentes ſe interim ſervaturos, quæ in Commonitorio Legatorum continebantur. Apiarius, petitâ veniâ communioni reſtitutus, in nova crimina relapſus eſt, propter quæ rursùs ab Epiſcopis Africanis eſt excommunicatus, ſed à Cæleſtino Bonifacii ſucceſſore in communionem receptus eſt; miſſuſque Fauſtinus Legatus in Africam, ut ejus causâ maturè diſcuſsâ definitivum ferretur judicium. Apiarius crimina ſua in Concilio confeſſus, juſtè ſe excommunicatum fuiſſe demonſtravit.

7. Epiſcopi Africani indignati, quod ſcelerati criminum pœnas evaderent, aut ſaltem diu effugerent, atque adeò juſtorum judiciorum vim eluderent, reſcripſerunt Cæleſtino epiſtolam illam, quam innuit Puteanus, quamque hæretici, & alii, qui ſanctæ Sedis autoritatem impatienter ferunt, tam frequenter, tamque importunè obtrudere ſolent. Eam ſanctæ Sedis juribus minimè adverſari aliqui arbitrantur, nec in ea appellationes ad ſanctam Sedem, vel Legationes in Provincias ad judicandas illas appellationes improbari, ſed modum dumtaxat; idque ſignificare videntur hæc Concilii Africani verba, ſeu adverbia; *Facilius, feſtinatò, præcipitanter, præpropere, indebitè.*

tè. Sic enim scribit ; *Præfato itaque debitæ salutationis officio impendio deprecamur , ut dcinceps ad vestras aures hinc venientes non* FACILIVS *admittatis , nec à nobis excommunicatos in communionem ultra velitis accipere: quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum facilè advertet Venerabilitas tua, Nam etsi de inferioribus Clericis , vel Laicis videtur ibi præcaveri , quantò magis hoc de Episcopis voluit observari , ne in sua Provincia à communione suspensi , à tua Sanctitate vel* FESTINATO , *vel* PRÆPROPERE', *vel* INDEBITE' *videantur communioni restitui.* Cælestinus autem ideò in antecessum Apiarium absolverat , quia cum ad se provocasse crediderat , ut notat idem Concilium ; *Quem tua Sanctitas credens appellasse , (quod probare non potuit) communioni reddiderat :* quæ verba jus appellationum recipiendarum summo Pontifici competere innuunt.

8. Equidem tam frequenter Romani Pontifices hæreticorum , atque improborum technis decepti , recta Episcoporum judicia suspendebant , ut justa videretur Africanorum querela , si eo tantùm spectabat , ut major adhiberetur ad vitandas ejusmodi fraudes cautela. Non enim solus restitutionem suam suffuratus fuerat Apiarius , sed paulò antè Pelagius , & Cælestius Zosimo Catholicos se fingentes , ab eo ut Catholici habiti fuerant.

9. Si autem , ut aliqui ex illius epistolæ contextu colligunt , etiam appellationes ipsas ad sanctam Sedem , atque adeò Legationes ad illas judicandas rejiciebant Episcopi Africani ; ea erat causa , quia , ut suprà diximus , Canones veri Concilii Sardicensis ignorabant , & disciplinam in illis constitutam in Canonibus Nicænis , sub quorum nomine , quia nimirùm Nicæni cæteros præibant , secundùm usum jam inductum , citabantur , non reperiebant. Sed ubi tenebræ illæ dissipatæ sunt ; & appellationes ad sanctam Sedem , & ejus Legationes in Africa , sicut in aliis Provinciis Christianis , liberè admissæ sunt , quod pluribus exemplis comprobari posset. Videri potest S. Leo epist. 87. non longè post id tempus scriptâ , & S. Gregorius , qui lib. 2. epistola 33. ad Columbum Episcopum Numidiæ scribit in hunc modum ; *Fraternitatem tuam scriptis præsentibus duximus adhortandam , ut veniente ad te Hilario Chartulario nostro , adunato Episcoporum universali Concilio , habito præ oculis terrore venturi Judicis , causa eadem* (scilicet Maximiani Episcopi , qui præmio cor-

corruptus Donatistarum Episcopum fieri permiserat) *subtili, ac solenti debeat indagatione perquiri.*

10. Sed & antè tempus scriptæ epistolæ supradictæ autoritatem suam in Episcopos Africanos Romanus Pontifex exercuerat, teste S. Augustino, qui unus fuit ex Patribus epistolæ prædictæ Autoribus. Is enim paulò antè sancti Cælestini judicio se submiserat, ut patet ex ejus epistola 262. in qua alia refert exercitæ Pontificiæ jurisdictionis exempla. *Existat*, inquit, *exemplo ipsâ Sede Apostolicâ judicante, vel aliorum judicata firmante, quosdam pro culpis quibusdam nec Episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos. Quæ ut à nostris temporibus remotissima non requeram, recentia memorabo. Clamet priscus Provinciæ Cæsariensis Episcopus, &c.*

11. Denique quorsum hanc epistolam citat Puteanus, cùm in ea nulla Principum, pro quibus tamen ipse in hoc capite certat, fiat mentio? Satis nimirum illi est, ut autoritatem sanctæ Sedis deprimat: nam facilè posteà Episcopi, quibus favere adversùs summos Pontifices videtur, Regum potestati subjicientur.

12. Illustrissimus Petrus de Marca lib. 6. de concord Sacerd. & Imp. cap. 19. num. 7. & seqq. affert exempla, primò Vigilii Papæ scribentis ad Auxanium Episcopum Arelatensem, *Se pro ejus pietatis affectu, & pro glorioſissimi Regis Childeberti Christiana devotione mandatis suas ei vices conferre:* & ad Aurelianum Auxanii successorem, se eandem administrationem committere, *Childeberti Francorum Regis Christianâ, & Deo placitâ in perhibendo ei testimonio voluntate accedente.* Secundò Pelagii primi ad Childebertum scribentis se *secundùm petitionem ejus* Legatum constituisse, seu Vicarium Sapaudum Arelatensem. Tertiò S. Gregorii à Regina Brunechilde mittendi in Galliam Legati licentiam postulantis. Ex quibus infert necessarium esse Regum consensum, ut Legati facultatibus suis utantur in Gallia. Verum ex his exemplis aliud quidquam inferri non potest, quàm postulatum aliquando illum consensum, ut res ex ambarum potestatum concordia feliciùs gererentur, & Principes libentiùs opem suam præstarent Legatis, si quando eâ indigerent; aliquando ipsosmet Principes intercessores adhibitos ab Episcopis ad obtinendam Legationem; non autem necessarium omninò esse prædictum consensum.

13. Si

13. Si ad spiritualia tantùm negotia destinentur Legati, eos Principum consensu non egere, nisi ut eorum ope, quæ sibi sunt injuncta faciliùs exequantur, per se patet, & probari potest pluribus exemplis Legatorum à summis Pontificibus, non petitâ ullâ Principum licentiâ, missorum. Ita missus est Petrus Damiani ab Alexandro II. circa an. 1062. ut constat ex hujus Pontificis epistola 21. apud Philippum Labbeum tom. 9. Concil. in qua nulla fit Regis mentio. Ita Callistus II. Cardinalem quemdam misit, eumque Ludovico VI. commendavit his verbis, quæ significant Principum quidem esse, Legatos juvare, non autem circa eorum Legationem aliquam jurisdictionem exercere. *Sanè Charissimum filium nostrum sanctæ Sedis nostræ Presbyterum Cardinalem nobilitati tuæ attentiùs commendamus. Nos enim à latere nostro eum secundùm antiquam Sedis Apostolicæ consuetudinem ad terram potestatis tuæ pro corrigendo & confirmanda, quæ corrigenda, & confirmanda fuerint, delegamus. Rogamus igitur Excellentiam tuam, & in Domino commonemus, ut eum tanquam Vicarium nostrum reverenter suscipias, honestè habeas, & ita ei facultatis tuæ consilium, & auxilium præbeas, quatenus sibi injunctum possit Ministerium adimplere.* Callist. II. epist. 23. Nec afferri potest exemplum aliquod magno schismate antiquius, vel certum aliud argumentum, quo prædicti consensus necessitas ostendatur.

14. Imò Principes, sicut & cæteros, Legatis Apostolicis obtemperare debere in rebus spiritualibus, & Ecclesiasticis ratio suadet, & confirmant exempla. Gregorius VII. epist. 5. append. 2. apud prædictum Labbeum tom. 10. scribit non solum *Omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus*, sed etiam *Regibus, Principibus, Clericis quoque, ac Laicis in Narbonensi Gallia, Guasconia, Hispaniave Regione*; & tamen indiscriminatim ab omnibus recipi jubet Amatum Oloronensem Episcopum S. R. E. Legatum; *Quem*, inquit, *sicut nostram, imò B. Petri præsentiam vos suscipere, Apostolica autoritate jubemus.*

15. Gregorii forsitan ingenio tribueretur ea formula, quæ autoritatem maximam significat. Sed alii Pontifices ante ipsum, licet animi minùs generosi, aliam etiam vivaciorem usurparant. Joannes VIII. mitis adeò indolis, ut ignaviæ ab aliquibus accusaretur, licet ageretur de Dominio Principum Francorum, Legatos misit, & eorum Legationem hâc clausulâ

sulâ corroboravit epist. 3. apud Sirm. tom. 3. quæ est ad Episcopos in Regno Ludovici Regis Baioariæ constitutos. *Nam cujuscumque sit gradûs, ordinis, sublimitatis, sive professionis, qui cum præsentibus Legatis nostris, Joanne Siculensi, itemque Joanne Tuscanensi, venerabilibus Episcopis, quos vice nostrâ illas in partes ad examinanda simulq; definienda Canonice sive legaliter, quæ hoc anno inter utrosque emersere negotia, convenire in loco ab eis designato, eisq; satisfacere humiliter detrectaverit, autoritate Dei Omnipotentis, sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli, nostræq; mediocritatis, veniam sibi deinceps denegari, nec amodo communionis nostræ, ut verbis sanctissimi Prædecessoris nostri utamur, futurum esse consortem, quisquis esse voluerit disciplinæ.* Hanc ultimam clausulam repetit epist. 4. quæ est ad Comites in eodem Regno constitutos.

16. Ultimis quidem temporibus inductus est usus, ut non solùm de assensu Regum Christianissimorum Legati suis facultatibus utantur; sed etiam ut illæ facultates verificentur, imò aliquando modificatæ sunt. Sed ipsa rei novitas eum usum à Libertatibus Gallicanis, quæ antiquitate nituntur, excludit. Nam ut ait prædictus de Marca dicto libro 6. cap. 31. num. 8. prima omnium modificatio singillatim facta continetur in litteris Francisci I. pro Legatione Cardinalis Carnosini anno 1514. quod tempus causam indicat, nimirùm gravissima dissidia, quæ paulò anteà intercesserant inter Ludovicum XII. Francorum Regem, & Julium II. Romanum Pontificem, quæque inter eorum successores nondum plenè composita fuerant, ut non mirum sit, si eâ diligentiâ voluerit Rex præcavere, ne quid in Regno suo contra se Legati Apostolici molirentur. Verùm ex hujusmodi casibus prorsùs extraordinariis regulam generalem conficere, contra omnes juris, & rationis leges est.

CAPUT IX.

De publicatione Indulgentiarum, de collectione Eleëmosynarum, de Societatibus, & de possessione Beneficiorum. Ad capp. 25. & 26. Puteani.

1. CApite 25. in Regem confertur potestas impediendi, ne absque sua vel Parlamentorum licentia, Indulgentiæ publicentur; ne quærantur eleëmosynæ illarum occasione; neve instituantur Societates seu Confraternitates. Si qui abusus in hujusmodi publicationem, quæstum, aut Societates irrepserint, Canonum contra illos editorum executionem Principes laudabiliter urgebunt; ac si quid sub pietatis specie contra Regem, aut Regnum aliqui machinarentur, possent à Magistratibus comprimi. At, si ea Religionis officia ad id, ad quod sanctè sunt instituta, colliment, ea bona impedire posse, non est Ecclesiæ libertas, nec jus Principum Christianorum. Earum rerum cura ad Episcopos non ad Magistratus sæculares spectat.

2. Reditus Beneficiorum temporales sunt; sed jus eos percipiendi, nonnisi spirituale dici potest, utpotè fundatum in celebratione Divini Sacrificii, recitatione Horarum Canonicarum, administratione Sacramentorum, exercitio spiritualis jurisdictionis, & cæteris spiritualibus operibus. Quare nemini unquam dubium fuit, quin Simoniæ crimen ab iis patretur, qui Beneficia vel emere, vel vendere, aliove contractu, non gratuitò distrahere, vel accipere præsumpserint, quod necessariò res esse sacras, & spirituales supponit. Quomodò ergò ad judicium sæculare spectaret controversiarum beneficialium decisio?

3. Undè Judicibus Laicis esset potestas Curatos, Canonicos, alioſque Beneficiarios, suis Placitis, seu, ut vocant, Arrestis constituere? Numquid si vitiosus sit ejus, cui favent, titulus, possent ipsi jurisdictionem spiritualem conferre, ut valida sint, quæ consecraturus est, Sacramenta.

4. Fatentur, qui Laicam jurisdictionem ad has materias pro-

ten-

tendunt, Judices sæculares non de petitorio, sed de possessorio, non de jure, sed de facto debere sententiam ferre, hoc est non definire, quæ provisio sit canonica vel vitiosa; sed quis magis legitimè possidere videatur, ut is in sua possessione servetur, donec de jure prolata fuerit ab Ecclesiastico Judice ultima sententia; idque ne partes ad arma concurrant, quod frequenter accidit, dum plures rem eandem possidere conantur; quodque ne accidat, inquiunt, Principis est impedire. Sed nonne de possessorio, sicut de petitorio per plurima sæcula jus dixerunt Officiales Ecclesiastici in Gallia, sicut in aliis Provinciis Christianis? Cur ergo gens adeò antiquitatis retinens à veteri illa disciplina recessit? Hæc certè immutatio Episcopis tribuenda non est. Fatetur enim Carolus Fevretus lib. 4. de abusu cap. 11. num. 6. ab illis ægrè admodùm admissam.

5. Primam prætensi à Judicibus sæcularibus juris probationem petit Puteanus à quadam deliberatione Senatus Parisiensis anno 1411. vetantis, *Ne Cardinalis Pisanus Joannis XXIII. ad Carolum VI. Regem Franciæ Nuncius, seu Legatus diceret Regem, ejusq; Judices, præcipuè Curiam ipsam non posse de causis possessoriis Beneficiorum cognoscere.* Hæc quidem verba probant intentionem Senatûs, sed non ejus justitiam. Cæterùm tunc usus ille adeò erat Pontificis illius Curiæ incognitus, adeoque iis, qui eum norant, improbatus, ut prædictus Cardinalis scripserit in epistola, circa quam deliberabat Senatus; *Deus scit* QVANTVM ECCLESIASTICÆ IVRISDICTIONIS (notentur hæc verba) QVOTIDIE VSVRPATVR. *De omnibus causis Ecclesiasticis possessoriis indistinctè cognoscunt, inter personas Ecclesiasticas, Religiosas, Abbates, Episcopos, ac etiam Cardinales. Et totum procedit à Clericis, qui sunt in illa Curia.* Licet autem tunc schismatis tempus esset, multaque permittere cogerentur Pontifices, quorum partes Gallia sequebatur, adversùs Ecclesiasticam libertatem, magnam tamen retinebant autoritatem in Ecclesia Gallicana, etiam circa controversias beneficiales, ut testantur prædicti Joannis XXIII. litteræ, præsertim quæ referuntur à Bulæo in tom. 5. histor. Univers. Paris. ad an. 1412. ante finem.

6. Puteanus numeris 2. & 3. profert duas Constitutiones Martini V. declarantis pœnas aliâ suâ constitutione latas in

eos, qui ad Judices sæculares recurrerent in causis Ecclesiasticis, nominatim in beneficialibus, non afficere subditos Regis Franciæ. Verum illæ litteræ, Judicum Regiorum conscientiæ in tuto ponendæ impares sunt. Confirmant etiam dumtaxat jus, si quod erat, nullum autem concedunt. *Per hoc autem nullum jus, seu jurisdictionem in præmissis cognoscendis eidem Regi de novo acquiri volumus, sed antiquum, si quod habet, tantummodò conservari.*

7. Allegatum enunciatur *ipsum Regem, & suos Progenitores super omni possessorio à tanto tempore, quod de ejus contrario memoria non existat, consuevisse cognoscere*; Quæ conditio deficiebat, cùm nondum eo tempore passim & constanter lites de Beneficiis coram Judicibus sæcularibus agitarentur, ut monimenta etiamnum extantia testantur; undè mirum est Carolum Fevret. qui lib. 4. cap. 11. num. 3. autoritate Joannis Galli, & Guidonis Papæ, probat eum usum tempore Martini V. non fuisse constantem, renitentibus nimirùm Episcopis, imò testimonio Philippi Probi confirmat centum post id tempus annis Ecclesiasticos Judices de possessorio Beneficiorum cognoscere potuisse cumulativè cum laicis, quibus eam cognitionem permiserat Romanus Pontifex: Mirum, inquam, est eum in illo ipso numero affirmare possessorium beneficiale nunquam in Curiis Ecclesiasticis fuisse tractatum, & numero 2. ejusdem capitis coronæ jus illud esse, ac verè Regium. Ita scilicet constant Libertates Gallicanæ, ut qui eas justas ostendere nituntur, sibi ipsis non possint non contradicere.

8. Constitutiones illæ, seu privilegia indicant facultatem Judicum Regiorum exerceri tantùm *inter Clericos, Ecclesiasticasq; personas, ad Beneficiorum suorum possessionem ipsius Regis auxilium implorantes*; puta ne quis per vim à sua possessione deturbetur, *præsertim in casu possessorii retinendæ possessionis.* Itaque Beneficiorum fructus essent tantummodò sequestro committendi, ut diremptâ lite apud Ecclesiasticum tribunal victori consignarentur, vel potiùs ille, cujus titulus Episcopi judicio magis probatus fuisset, in possessione esset defendendus, aut si per vim ab ea fuisset deturbatus, autoritate Regiâ restituendus. At nonne super tituli validitate pronunciant Judices Laici, siquidem, ut notat Petrus Rebuffus, discrimen inter profanum, & be-

beneficiale poſſeſſorium interponitur, ut in profano ſola poſſeſſio, à qua quis ſe dejectum conqueritur, in beneficiali autem proviſio, ſeu titulus attendatur.

9. Etiamſi poſſeſſorii nomine donentur cauſæ beneficiales apud ſæculares Judices, revera tamen ut petitoriæ judicantur: tum quia, ut diximus, ex titulis dirimuntur: tum quia ſuper iis judicium ab Eccleſia non profertur. Pars enim, quæ in poſſeſſorio ſuccubuit factis primæ litis ſumptibus, qui maximi ſunt, plerumque proſequendæ ſecundæ impar eſt, nec dilationes, & cavillationes partis adverſæ, quæ, cùm fructibus gaudeat, proceſſum, ſi poſſit, in infinitum protrahet, ſe unquam ſuperaturam eſſe confidit. Imò, ut inſinuat Carolus Fevret. Tract. de abuſu lib. 4. cap. 11. num. 6. poſt Loüetum, datâ ſuper poſſeſſorio ſententiâ, non ſineretur quis ab Eccleſiaſtico Judice contrarium judicium obtinere, vel illud executioni demandare, niſi fortè novum jus coram ſæculari non allegatum ſuperveniſſet: quaſi tanta ſit Judicis ſæcularis de re ſpirituali decernentis peritia, tanta ejus autoritas, ut poſſeſſionem tantùm diſcutiens, jus ipſum certiſſimè attingat.

10. Poſſeſſio propriè rerum temporalium eſt. Cur ergo quod in Beneficiis eſt ſpirituale, Eccleſiæ non dimittitur omninò? Cur Epiſcopo, cui ſæpe conſtat alterum ex litigantibus jus nullum habere, non licet alteri, cujus Canonicus eſt titulus, Beneficii officia exequenda committere, præſertim cùm juriſdictionem ſpiritualem requirunt, ac fine illa ſalus animarum certiſſimæ ruinæ patet? Cur arguetur tanquam ſua poteſtate abuſus Prælatus, ſi confeſſiones audire inhibeat ei, quem norit verè non eſſe Curatum, atque adeò nullâ juriſdictione præditum, imò fortè juriſdictionis incapacem? An toleranda erunt innumera ſacrilegia, ne lædatur reverentia Judici Laico debita, apud quem cauſa poſſeſſionis tractatur?

11. Delicatior erat conſcientia Judicum ſæcularium tempore Joannis Galli, hoc eſt circa initium decimi quinti ſæculi. Is enim quæſt. 136. teſtatur, tunc non admittendam fore querelam (Galli vocant *Complainte*) pro poſſeſſione Beneficii Curati, aut ejus fructuum, quia, inquit, hoc erat merè ſpirituale.

12. Post Martini V. declarationes affertur à Puteano num. 4. alia Eugenii IV. earum primam confirmantis. Verùm illa provisionalis tantùm est ; donec aliud autoritate præfatâ desuper ordinatum fuerit. Neque generalis est, cùm primam tantùm Martini V. declaret ; „ atque adeò malè hoc ei lemma præfixit Puteanus ; Bulla Eugenii IV. quâ declaratur, „ Bullas Pontificum circa possessorium Beneficiorum non habere locum in Francia.

13. Breve Leonis X. ad Præsidentes, & Consiliarios Parlamenti Curiæ Tolosanæ exhibet Puteanus num. 7. ut ostendat Judicem in Francia cognoscere de possessorio Beneficiorum, approbante Papâ. In eo brevi, quod non extat in Regestis Pontificiis, supponitur commendari Senatui Tolosano Joannes de Anseduna litterarum Apostolicarum Abbreviator, cui Papa Beneficia contulerat, super quibus lis erat in dicto Senatu. Verùm præterquam quod hoc non est approbare saltem expressè usum judicandi de possessorio Beneficiorum; ejus Pontificis mens certiùs perspicitur in iis, quæ Concilio generali præsidens fecit, quam in litteris, quæ ab Officiali Curiæ suæ proprio commodo studente, furtim obtineri potuerunt. Leo X. à quo dicitur datum prædictum Breve die 17. Novembris 1513. mense sequenti, hoc est 17. Decembris ejusdem anni in Concilio Lateranensi sessione 8. monitorium pœnale decrevit adversus Senatores Parlamenti Aquisextiensis, Ecclesiasticam jurisdictionem violantes in variis capitibus, quorum unum erat de cognitione causarum Beneficialium. Quocirca id, de quo Judices sæculares in Francia cognoscunt, possessorium fictè dumtaxat dici, sed revera petitorium esse significavit, eumque usum abolere deliberavit. Erat enim articulus ille prædicti monitorii expressus his verbis ; *Causas spirituales & beneficiales non tantùm super possessorio, sed etiam* POSSESSORII CONFICTO COLORE SVPER TITVLO AVDIVNT, &c. Nonne illa est possessorii ratio, quam hodiè Judices Galli ad suam jurisdictionem pertinere contendunt ? Non tantùm de possessorio, cujus cognitio ad petitorii Judicem de jure spectat, sed de petitorio ipso quantumvis spirituali, hoc est de titulo, *possessorii confícto colore* judicant. Nec enim quis de facto possideat,

deat, sed quis justiorem possidendi titulum habeat, examinant, & eum tuentur, etiamsi Beneficiis animarum Cura, vel jurisdictio spiritualis insit.

CAPUT X.

De puniendis autoritate Regiâ Clericis in officio laico delinquentibus, Hæreticis quietem publicam turbantibus, & Concionatoribus seditiosis: de Alienigenis ad Beneficia Regni non admittendis: ac de officiis Ecclesiæ Gallicanæ: ad capita 27. 28. 29. & 30. *Puteani.*

1. CApiti 27. hunc titulum præposuit Puteanus, „ Posse „ Regem de crimine Officialium suorum Clericorum, „ quod in officiorum suorum exercitio admiserint, judicare; „ non obstante privilegio Clericali. Hoc probat num. 1. quodam Senatusconsulto post medium sæculum 13. dato. Agebatur de cæde duorum hominum in carcere Cathalaunensis Episcopi. Quæstio erat, an ejus rei Judex esset Senatus. Negabat Episcopus, allegans privilegium Clericale; affirmabat pars altera, eo quod ageretur de culpa admissa occasione jurisdictionis Laicalis, Episcopo tanquam Baroni & Pari Franciæ competentis, atque ità judicatum est. Sed hoc judicium non dirigebatur propriè in personam ipsius Episcopi, sed in exercitium jurisdictionis à Rege acceptæ. Neque fuisset ei pœna indicta, si ulteriùs processum fuisset, & probata fuisset Episcopi negligentia (non enim addit Puteanus, an illud Senatusconsultum effectum aliquem sortitum fuerit) nisi in jurisdictione ipsa: ut patet ex instrumento sequenti.

2. Nam post id tempus, scilicet anno 1313. Rex, qui, ut probat Henricus Spondanus, tunc erat Philippus IV. dictus Pulcher in litteris à Puteano ibidem num. 2. exscriptis, declarat, Parlamentum, Guilielmum Boutellum Clericum Reportatorem Regium Inquestarum privasse officio, eò quod processuum & Inquestarum secreta revelaret; sed hoc modo: primò ad requisitionem Officialium Parlamenti. Secundò per Offi-

Officialem Episcopi Parisiensis, & ipsius Ordinarii captus fuerat, & ejus bona mobilia sequestro commendata. Tertiò consultus fuerat Rex, an ulteriùs esset procedendum; qui respondérat puniendum esse, quantum ad ipsum pertineret. Quartò reus per propriam confessionem, & aliis probationibus convictus officio Regio privatus fuit. Quintò intra hos terminos stetit Parlamentum; *Adjungentes* (verba sunt ipsius instrumenti, seu Litterarum Regiarum) *quod ipsi dictum Officialem* (Episcopi Parisiensis) *non intendebant impedire, quatenùs ipse de dicto Guilielmo, & ejus bonis prædictis, prout ad eum pertinet, faciat, quod rationabiliter fuerit faciendum.*

3. Ubi aliud est notatu dignum, & hodiernæ Gallorum doctrinæ adversum, scilicet de bonis saltem mobilibus Clericorum judicium, etiam ex Regis jurisdictionis suæ studiosissimi, & acerrimi vindicis sententiâ, ad Officiales Ecclesiasticos pertinuisse.

4. Numero tertio exstat Senatusconsultum anni 1496. (notanda epocha, tempus scilicet dissidii inter Alexandrum VI. Pontificem, & Carolum VIII. Francorum Regem) quo quidem Senatusconsulto ad pœnas, officii Regii privatione majores, damnatus est Clericus in Parlamento Parisiensi Consiliarius. Sed num. 4. profertur Bulla Clementis VII. quæ tum prædicti Senatusconsulti, tum aliarum, si quæ sint, probationum vim elueret. Quamobrem laudarem Puteanum hîc, & alibi sæpè de bona fide, quia testimonia efficacissima contra se-ipsum adducit, nisi ex propositis sibi lemmatibus constaret, eum in ejusmodi probationibus attendisse, non ad id, quod Ecclesiæ jus manifestè asserere perspicitur, si ab æquo Judice legatur, sed quod ei adversari videbatur; qua de causa magnoperè cavit, ne quid afferret ex iis, in quibus solius Ecclesiæ jus elucet. Numero igitur quarto exstat Bulla Clementis VII. Francisco primo concedentis facultatem puniendorum Clericorum in Officiorum Regiorum exercitio delinquentium.

5. Fuit autem data hæc Constitutio; primò ad instantiam Regis; *Pro parte tua Majestatis nobis nuper exhibita petitio continebat..... Pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum..... Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati.* Secundò pro Clericis uxoratis, non bigamis

mis officia merè laica exercentibus ; *Quod quandoque tuæ Majestatis Officiales Clerici uxorati officia merè sæcularia in Regno tuo, & aliis locis tibi subjectis exercentes, eo sibi velamine confecto, quod cum unica, & virgine conjugati privilegio Clericali gaudere debeant, & à Judicum sæcularium examine & correptione exempti existunt, &c.* Ex quibus constat ante id tempus, ideſt ante annum 1530. non fuisse, saltem legitimè, judicatos à Judicibus sæcularibus Clericos, nisi qui privilegio Clericali carebant. Tertiò facultas puniendi Clericos conjugatos Officiales Regios eâ conditione Regi concessa est, ut Clericos etiam conjugatos, qui non essent Officiales Regii, privilegio Clericali faceret gaudere ; *dummodo alios Clericos conjugatos privilegio Clericali gaudentes, tuos Officiales non existentes, dicto privilegio Clericali gaudere facias.* Quartò non solùm Pontifex in ea Bulla, sed etiam Rex in litteris patentibus ad ejus verificationem datis, & ibidem à Puteano relatis, declaravit illam facultatem non à jure Regio, sed à concesione Pontificis emanasse. *Autoritate Apostolicâ*, inquit Papa, *tenore præsentium licentiam concedimus*, scilicet puniri faciendi Clericos conjugatos, etiam monogamos in officiorum sæcularium exercitio delinquentes. Rex autem enunciat se ad Papam recurrisse, Bullam prædictam impetrasse, eamque post examen judicatam supplicationi suæ conformem, & Regni sui bono admodùm utilem. Quintò, Privilegium illud, factâ expressâ Bullæ mentione, ab eodem Francisco I. & ejus filio Henrico II. adductum, probant exempla ibidem à Puteano subjuncta.

6. Nescio quomodò non vidit Puteanus sibi etiam apertissimè adversari, quod refert ultimo loco ex Constitutionibus Barcinonensibus manuscriptis Jacobi II. Aragoniæ Regis anno 1291. scilicet ; *Item quod aliquis Clericus, vel alius homo, qui habeat tonsuram, non possit tenere aliquo tempore aliquod officium nostrum, salvis Cancellario, & Consiliario nostro, & Eleëmosynario nostro, & Judicibus, qui scirent jus, pro eo quod si delinquerent in aliquo, quod nos possemus eos punire indè.* Quomodò indè assumptum suum probat Puteanus (nimirùm posse Regem Clericos in officio Regio delinquentes punire, non obstante privilegio Clericali) cùm è contra Rex Aragoniæ ideò nolit habere Clericos Officiales, quia non posset eos punire ? An quia excipiuntur Cancellarius,

rius, Consiliarius, Eleëmosynarius, & Judices jus scientes? sed hæc exceptio ad prohibitionem refertur, non ad privilegium Clericale. Absurdum enim esset ita Regis mentem interpretari, ut intelligeret se inferiores quidem Officiales in officio à se accepto peccantes non posse plectere, obstante privilegio Clericali; posse autem, nihil obstante illo privilegio, in Eleëmosynarium, Cancellarium, & alios præcipuos animadvertere. Supponit è contra Rex, hujusmodi eximia officia non fore gerenda, nisi à viris, quorum perspecta sit probitas, quique sub spe impunitatis ob privilegium Clericale peccaturi non sint; atque adeò nec puniendi, vel saltem id tam rarò eventurum, ut eorum privilegium Regi non sit allaturum incommodum.

7. Capiti 28. hunc Puteanus titulum præfixit; *De judicio hæreticorum publicæ quietis perturbatorum.* Sed quod sit ejus consilium non satis apparet. Certum est, & plerisque actis illic relatis constat, ad Ecclesiam pertinere de controversiis Fidei judicare, qua in re Procurator Regius Senatus Aquensis respondens quibusdam articulis querelarum Officialium Pontificiorum anno 1527. declaravit ad articulum 16. æquum esse, ut de crimine hæresis Judicibus Ecclesiasticis relinqueretur judicium, ac revera nunquam de illo Judices Regios jus dixisse, nisi fortè seditio cum hæresi fuisset conjuncta, quæ declaratio refertur à Puteano in capite 36. num. 17. Ultrò fatetur Senatus Parisiensis, cujus Deputatorum oratio ad Carolum IX. Regem Franciæ anno 1560. habita, refertur numero ultimo, Imperatores, Reges, Principes & alias cujusvis ordinis, & conditionis personas Ecclesiæ subesse. Certum etiam est posse, imò & debere Potestates sæculares opem, autoritatemque suam ad extirpandas hæreses apertas, & corrigendos, vel puniendos subditos suos, doctrinam ab Ecclesia declaratam hæreticam profitentes, impendere, eòque tendunt reliqua ferè omnia in eo capite contenta. Certum adhuc est, in profligatione hæreseos, ac hæreticorum punitione, unicuique potestati suam jurisdictionem salvam esse debere, atque plura ex illis actis testantur sæpè unamquamque suas partes in Gallia expleviſſe. Contigit quidem interdùm, ut potestas sæcularis Ecclesiasticæ fines ingrederetur; sed tuendæ Fidei necessi-

ceſſitas ad hujuſmodi tranſgreſſionem attendere non ſinebat, magiſque laudabatur zelus, quàm reprehenderetur exceſſus.

8. Laudatur in eo capite, atque in ſequenti exercitium Inquiſitionis, quod tamen Galli moderni tantùm abeſt ut probent, ut etiam gravi odio proſequi videantur, quaſi rem utiliſſimam, ſub prætextu quorumdam abuſuum damnare præſtet, quàm abuſus, ſi qui illapſi ſint, amputare. Nimiam queruntur à quibuſdam Inquiſitoribus adhibitam ſeveritatem, nonnullos avaritiam ſectatos. Verùm hæc, & ſimilia, perſonarum vitia ſunt, non officii. Sed neſcio quâ fide Galli, ut ſacro illi Tribunali odium concilient, illud accuſant, aut ſacram Indicis Congregationem, quaſi Regum Interfectoribus patrocinetur, eò quod notaverit Senatuſconſultum prolatum adversùs Joannem Caſtellum Henrico IV. Regi mortem inferre conatum, cùm nonniſi per atrocem, & apertam calumniam Sacræ Congregationi tribui poſſit, quod probaverit tantum ſcelus, graviſſimis pœnis expiatum, quandoquidem id tantùm in eo Senatuſconſulto diſplicuit, quod cenſuris Apoſtolicis autoritas detraheretur.

9. Hæc autem non eò ſpectant, ut Inquiſitionis exercitium in Gallia renovandum ſignificem, ſed ne ſacrum illud Tribunal, Eccleſiæ tantoperè neceſſarium, & à quo Gallia ipſa maximos olim, uberimoſque fructus percepit, debitâ ſibi apud fideles reverentiâ careat. Illud quidem etiam viri verè Catholici non neceſſarium in eo Regno arbitrantur, ob Epiſcoporum vigilantiam, ac Regis pro Fide zelum, ſed illud conviciis ac detractionibus proſequi, hominis eſt admodùm iniqui, vel criminum ſibi conſcii, propter quæ à ſacro illo Tribunali plecti mereretur.

10. Prædicandi munus, ſi quod aliud in Eccleſia Dei, ſpirituale ſine dubio eſt, ac proprium Epiſcoporum. Apoſtolis enim, quibus ſucceſſerunt, præcepit Chriſtus Marci ultimo: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Quod ut exequerentur, curam pauperum, quantumvis laudabilem, dimiſerunt Diaconis. *Nos verò*, inquiunt Act. 6. *orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Si quid igitur in eo munere peccetur ab iis, qui Epiſcoporum vice illud obeunt, ab Epiſcopis cor-

rigendi ſunt, qui nimis hodie Regi fideles ſunt, quàm ut deſides ſeſe præbituri ſint in eo officio, ſi quid adversùs Regiam Majeſtatem, aut contra publicam pacem prædicaretur, ut eorum negligentiam à ſe ſupplendam eſſe, non poſſint cauſari ſæculares Magiſtratus. Debet quidem Laica poteſtas brachium ſuum, ſi opus ſit, Prælatis ad correctionem eorum, qui miniſterio verbi ſcandalosè abutuntur, commodare, ut præſtitum eſt nonnullis actis à Puteano cap. 29. exſcriptis: ſuo autem jure non poteſt perſonas Deo ſacras in functione Diviniſſima peccantes plectere. In exemplis, quæ adducit Puteanus, præterquam quod ſæculo proximè elapſo antiquiora non ſunt, & ſolius poteſtatis ſæcularis autoritate ſunt munita, aut Eccleſiæ tantùm ad exequenda ſua judicia, & Decreta collatum eſt auxilium; aut Reges, quorum nutabat Imperium, quiſque plures in Clero patiebantur Adverſarios, jus ſuum, quod prædicationibus publicè impugnari audiebant, non aliâ poſſe tueri ratione arbitrati ſunt, quàm ſi Prædicatores per ſuos etiam Judices comprimerent; quod, etſi legitimè factum fuiſſet, in conſequentiam trahi nullatenus deberet: vel certè Judices Laici falcem in alienam meſſem miſerunt contra Canones, & contra morem antiquum Regni etiam Gallicani.

11. Quamvis ſecundùm jus Canonicum in conferendis Beneficiis plerumque non ſit attendenda perſonæ Patria; rationes tamen non paucæ poſtulare videntur, ut uniuſcujuſque Regni Beneficia indigenis conferantur, quod Actis in capite 30. à Puteano relatis ſtatuitur, dummodò digni reperiantur. Sed hujuſmodi ſtatuta, cùm circa rem ſpiritualem, nempè Beneficiorum diſpenſationem, verſentur, ab Eccleſia edenda eſſent, non à Principibus; nec tunc vim habere debent, cùm propter indigenarum defectum, aut aliam juſtam cauſam magna Eccleſiæ neceſſitas, aut evidens utilitas illis derogari poſtulat; quæ omnia de Regularibus, de quibus etiam illic agitur, intelligenda ſunt pari, & fortè majori ratione, quia illorum ſtatus à negotiis ſæcularibus longiùs diſtat, & Regimen minùs eſt cum adminiſtratione politica connexum.

12. Miſſalium, & Breviariorum Eccleſiaſticorum particularium Franciæ, mutationem mandato, ſeu ordini, & per-

permissioni Regis subjicere, quid aliud est, quàm Ecclesiam in rebus Divinioribus sæcularis potestatis servam facere?

13. Num sicut sine Regis mandato, ac licentiâ mutari non possunt libri sacrificii conficiendi formam continentes, ità è contra indiscriminatim poterunt de ejus mandato, ac licencia? si quis ergo Regis religionem fefellerit, ac facultatem impetraverit inducendorum Codicum, in quibus desint verba consecrationis, admittendi erunt, ac juxta illos celebranda Divina Mysteria, & officia, etiamsi Clerus, & milites obsistant, & Deus ipse contrariam voluntatem miraculis significet, quemadmodum contigisse in Ecclesia Toletana narrat Rodericus Toletanus in fragmento exscripto à Puteano cap. 31. num. 4. quod tamen fabulæ, quàm historiæ similius mihi videtur. Talibus scilicet Canonibus nituntur, quas ipse Autor vocat Libertates Gallicanas. Id ab eo libertas reputatur, quod in eo fragmento his verbis exprimitur; *Sed cùm Rex* (scilicet Castellanus & Legionensis Alfonsus) *esset magnanimus, & suæ voluntatis pertinax executor, nec miraculo territus, nec supplicatione suasus, voluit inclinari, sed mortis supplicia, & direptionem minitans resistentibus, præcepit ut Gallicanum officium in omnibus Regni sui finibus servaretur, & tunc cunctis flentibus, ac dolentibus inolevit proverbium; Quò volunt Reges, vadunt leges.*

14. Verùm, si hæc vel historia, vel fabula referenda putabatur, titulo capitis insinuandum erat, mandato Regio præire debere præceptum Ecclesiasticum. Ità enim in principio fragmenti legitur: *Gallicanum Officium suscipere à Legato, & Principe cogebantur.*

15. Ex reliquis Actis in prædicto capite 31. relatis, illa quæ antiqua sunt, nullam Regibus circa Divina officia tribuunt autoritatem, sed ostendunt solummodò Ecclesiam Gallicanam suas habuisse orationes speciales, vel ab Ecclesia Romana, petente Rege, acceptas; quæ autem acta recentia sunt, præterquam quod generatim novitate sunt suspecta in materias, ubi pro conservanda antiquitate certari dicitur; rationes, quæ Theologiæ Parisiensi adscribuntur, adversus eos, qui Breviarium ex decreto Concilii Tridentini correctum antiquo Parisiensi substituendum putabant, stylo adeò irreverenti, & temerario scriptæ sunt, & partim adeò inep-

tæ, ut meritò instrumentum eas continens Sorbonæ decreto proscriptum sit. Quod autem Puteanus, qui decreti illius meminit, adjungit, Curiam contra illud autoritatem suam interposuisse, atque ità instrumentum tutum servasse, magis hac in parte Curiæ vim inferentis religionem obscurat, quàm justitiam demonstret.

16. Ego quidem fateor eam, quam de augusti illius Senatus religione, & æquitate opinionem, lectis antiquis ejus sapientissimis, piis justisque Placitis, & præclaris pro Ecclesia, & Republica gestis, conceperam, plurimùm imminutam ob ea, quæ posterioribus temporibus adversus Ecclesiasticam jurisdictionem tentavit. Misera certè Ecclesia Gallicana; siquidem ejus jura, testantibus in processu verbali Episcopis an. 1681. Parisiis congregatis, cæteri omnes illius Regni Judices minùs quàm Senatus Parisiensis servant illæsa. Quid enim v. g. Ecclesiasticæ Libertati, & jurisdictioni magis infestum, quàm quod Arresto à Puteano relato ibidem num. 7. statuitur in materia Divinorum Officiorum; „Declarat malè & abusivè processum, ordinatum, & executio„ni demandatum, cùm à dicto Episcopo (Andegavensi,) „tùm ab ejus Officiali, & Promotore. Ordinat quod servi„cium Divinum ordinarium in Ecclesia Trinitatis continua„bitur. Inhibuit, inhibetque dicto Episcopo quidquam in„novare in exercitio, & celebratione Divini servitii in Ec„clesiis suæ Diœcesis absque autoritate Regis. En libertas Ecclesiæ Gallicanæ. En religio ejus defensorum, & protectorum. Major potestati sæculari adscribitur circa Divina officia autoritas, quàm exercere sineretur Episcopus, imò summus Pontifex, vel Ecclesia universa congregata in Concilio Oecumenico, Tridentino scilicet, de cujus exequendo Decreto circa Divina officia agebatur.

17. Sed gravius, quia generalius, est vulnus, quod in dicto Arresto sequitur, (nisi fortè aliquis Typographi error est;) „Ejus quoque Promotori, & Officiali (inhibet) „ne curam, jurisdictionem, aut cognitionem suscipiant, „nisi quæ ipsis à Constitutionibus (Regiis) tribuitur. Constitutiones ergo Regiæ, jurisdictionis Ecclesiasticæ circa Divina officia sunt origo.

18. Equi-

18. Equitati, ac Religioni magis consentaneæ videntur litteræ Regiæ, quæ subinde afferuntur, cùm Missalis, & Breviarii Ecclesiæ Romanæ usum permittant. Nihilominùs Ecclesiæ Libertas offenditur, quòd in hujusmodi rebus necessaria putetur Regis autoritas. Ut enim notat jurium Regiorum non negligens vindex Illustrissimus Petrus de Marca lib. 2. cap. 7. num. 1. *Cum ipsum Clericorum mysterium jure Divino sit institutum, quæ necessaria sunt ad illud explicandum, aut vindicandum, ei potestati commissa censentur, quæ jus imponendarum manuum à Christo Domino nostro accepit.*

CAPUT XI.

De Regularibus, & de aliis materiis Ecclesiasticis. Ad capp. 32. 33. 34. 35. 36. 37. & 38. Puteani.

1. NOvos Regularium Ordines in Galliam admitti non posse, vel illic stabiliri, aut nova Monasteria construi, absque expressa Regis licentia cap. 32. à Puteano probandum suscipitur. Qua in re cùm possint interdum rationes civiles, & temporales cum spiritualibus commiscerì, uniuscujusque potestatis est, quod ad ipsam pertinet curare; sed sub eo prætextu spirituali Regularium regimini, sive circa electiones, sive circa Capitula generalia, sive circa delictorum correctionem, de quibus agitur cap. 33. sese Magistratus sæculares immiscere sine injuria non possunt, præsertim dum eorum auxilium juxta Canonum præscriptum non imploratur.

2. Qua in re multifariam est peccatum; atque adeò graviter, ut mirum sit non erubescere virum Catholicum (qualem nescio non fuisse Puteanum) hujusmodi exempla in Libertatis Ecclesiæ Gallicanæ defensionem adducere. Quomodò enim cum fide Catholica cohæret, ut Censurarum usus penes Laicos legitimè reponatur? Affert ille in præd. cap. 33. num. 23. Senatus-Consultum anni 1599. quo Capuccino cuidam, nomine Archangelo à Podio, indicta est suspensio ab officio prædicationis per sex menses. Simplicem esse

esse prohibitionem ad removendum scandalum, quod ex Concionibus creandum timeretur, factam interpretarer, nisi temporis spatium suspensioni præscriptum censuræ Ecclesiasticæ formam exhiberet. Non enim per sex menses dumtaxat vitandum est scandalum. Itaque prohibitio illa pœna erat, non cautela dumtaxat.

3. Repugnat Religioni, & antiquæ Gallorum pietati, ut Adolescentibus, cùm ad ætatem à Canonibus præscriptam pervenerunt, tollatur libertas, quæ ipsis jure Divino, ac naturali competit, genus vitæ, quod sibi ad salutem opportunius judicant, deligendi, sub prætextu servandi honoris Parentibus à filiis debiti: Quid enim, si Parentes, ut sæpè contingit, proprio affectui, aut familiæ utilitati, aut gloriæ, magis consulant, quàm Divino cultui, & propriorum filiorum perpetuæ felicitati? Hæc certè Jurisprudentia cum omnium Theologorum, ac cum Sanctorum Patrum doctrinâ pugnat. Quomodò v. g. Senatus-Consultum anni 1602. prædicto cap. 33. num. 26. relatum Capuccinis prohibens generatim, filios absque consensu Patrum ad habitum, aut professionem admittere, concordat cum exhortatione S. Hieronymi epist. 1. quæ est ad Heliodorum, quam quidem exhortationem, ceu Divinum quoddam Oraculum, omnibus deinde sæculis venerata est Ecclesia; *licet sparso crine, & scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat, Mater ostendat: licet in limine Pater jaceat: per calcatum perge Patrem; siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem?* Numquid saniùs, & sacris Canonibus magis consentaneè, judicatum fuerat anno 1583. referente Puteano ibidem num. 22. vetandum esse Parentibus, ne filium ab ingressu Cappuccinorum deterrerent, si legitimam ætatem adeptus in ea voluntate perseveraret? Sed ita crescit in eo Regno pietas, & Religionis profectus, præsertim apud Laicos.

4. Atque hæc sunt justa Dei judicia, ut personæ Ecclesiasticæ, sive sæculares, sive Regulares, quæ Superiorum Ecclesiasticorum Tribunal fugientes, ad Laicorum Curias recurrerant, quo se sanctiori disciplinæ subtraherent, aut fortassis etiam, ut veras injurias repellerent, postmodùm jugo, quod sibi ultrò, ac contra sacrorum Canonum prohibitionem

nem impoſuerunt, adeò præmantur, ut officia magis ſpiritualia, & proprio ſtatui magis convenientia, liberè exequi non ſinantur. Ità dum Epiſcopi adverſus Regulares privilegiis ſe tuentes; Regulares adverſus Epiſcopos Hierarchicâ ſuâ autoritate utentes; Clerici adverſus Epiſcopos, Regulares adverſus Religionis Superiores, Laicos Judices adeunt, Eccleſiaſticarum, & ſpiritualium rerum diſpoſitionem ad ipſos devolvunt; unde regimen Eccleſiæ penes ſæculares poteſtates, potiùs quàm penes Eccleſiæ Paſtores, reſidere in Gallia hodie videtur, quod verendum eſt, ne Deus ulteriori pœnâ ulciſcatur. Id probant diverſa acta in hoc, & in aliis capitibus à Puteano deſcripta.

5. Utinam pro Monaſteriorum reformatione toties à ſacris Conciliis præſcriptâ ſuam autoritatem impenderent Poteſtates ſæculares, ac non potiùs reformare conantibus hodiè obſiſterent. Tamen dum Reformatoribus auxilium legitimè præſtant, non jure proprio agere ipſis licet, ut intendere videtur cap. 34. ſed ad executionem Canonum Eccleſiaſticorum. Idem dicendum de variis diſciplinæ Eccleſiaſticæ articulis ſub cap. 35. collocatis, in quibus tamen, ut patet ex actis illic relatis, Magiſtratus ſæculares Eccleſiaſticæ juriſdictionis terminos ſæpè invadunt: quod ex ipſa rerum temporalium, & ſpiritualium, profanarum, & ſacrarum diſtinctione facilè dignoſcitur.

6. Applicanda eſt eadem doctrina capiti 36. cujus titulus eſt; „ Miſcellanea diverſarum materiarum ad Libertates Ec„cleſiæ Gallicanæ ſpectantium. Nec excuſat Judices ſæculares, quod, ut jam diximus, ipſæmet perſonæ Eccleſiaſticæ juriſdictionem eis detulerunt, ſive quod, cùm eſſent reæ, ſperarent, eos ſibi magis propitios, ob hanc voluntariam ſubmiſſionem fore (quod facilè præſumi poteſt, v. g. de Epiſcopo illo Meldenſi, qui ut habetur ibi num. 19. anno 1525. proteſtatus eſt. „ Se ſi reus probaretur, ab ea Curia pu„niri velle; illud tribunal aliis omnibus præeligere; neque „alios poſtulare Judices) ſive quia Judicum Eccleſiaſticorum præjudicia ſuis deſideriis magis adverſari ſciebant. Non enim minùs ſacra eſt Juriſdictio Eccleſiaſtica quàm ſæcularis, ut iſta non poſſit, poſſit illa ex conſenſu partium transferri ad

Judices aliàs incompetentes ; quod tamen volunt Judices sæculares , ut observare potes in responsionibus Procuratoris Regii Senatus Provinciæ , quæ referuntur num. 19. ejusdem capitis. Nam in responsione ad primum articulum officialium Romani Pontificis , defenditur usus incarcerandorum à Laicis Sacerdotum , aliorumque Clericorum , ex eo quod pro debitis pecuniariis sigillo rigoroso Provinciæ se submiserint ; in responsione verò ad 13. negatur posse Laicos sese jurisdictioni Ecclesiasticæ submittere , nisi in casibus à jure præscriptis.

7. Sed non est prætermittendus primus articulus , notatu scilicet dignissimus ; nempè ; „ Urbem Gratianapolitanam „ locum esse , in quo Reges Franciæ , ac summi Pontifices „ sese invisebant. Is est titulus num. 1. præfixus. Numquid hinc concludendum est , Libertatis Ecclesiæ Gallicanæ partem esse , ut Papa Gratianopolim sese conferat , cùm eum illuc vocare Regi visum fuerit. Sub hoc num. ponitur epistola Hugonis Regis ad Joannem Papam sic scribentis ; *Gratianopolis Civitas in confinio Italiæ , & Galliæ sita est , ad quam Romani Pontifices Francorum Regibus occurrere soliti fuerunt. Hoc , si vobis placet , iterare possibile est. At si nos , & nostra invisere libet , summo cum honore descendentem de Alpibus excipiemus , morantem , ac redeuntem debitis obsequiis prosequemur.*

8. Verùm non advertit Puteanus , quàm adversa esset suis libertatibus hæc epistola. Non enim reverentiam tantùm Regis , cujus plurima continet specimina , sed etiam subjectionem significat in re admodùm cara. Arnulphum Lotharii Regis defuncti filium , ac Ludovici , qui ei successerat in Regno, quique posteà & ipse mortuus fuerat , fratrem , Hugo Capetus , in quem excluso Carolo Lotharii fratre , ac Ludovici Patruo , nuper translata fuerat Regia Dignitas , ad Archiepiscopatum Remensem evehendum curaverat , ut eum hoc Beneficio suas in partes traheret : captâ autem , & direptâ Remorum Civitate à Carolo , de Regno adhuc cum Hugone contendente , Hugo Arnulphum , licet à Carolo abductum tanquam bello captum , licet gravibus censuris Deprædatores Civitatis persequentem de proditione , suspectum habuit. Quamobrem , ut ab Episcopali Dignitate deponeretur ,

tur, effecit. Sed huic depositioni viriliter obstitit Joannes XV. Pontifex, ad quem ea occasione scripsit Hugo epistolam à Puteano relatam : sed in ea illud vel maximè observandum est, quod protestatur Rex, se summi Pontificis, licet de crimine Læsæ Majestatis ageretur, judicium non declinare. Addit enim statim post verba suprà relata ; *Hoc ex integro affectu dicimus, ut intelligatis, & cognoscatis nos, & nostros, vestra nolle declinare judicia*, ac re ipsâ in suam Sedem restitutus est Arnulphus.

9. Nihil frequentiùs videas inculcatum in actis à Puteano relatis, ac in aliis, quæ à Curiis sæcularibus Galliæ emanant, vel etiam in libris Scriptorum sæcularium illius Regni, quàm Regem, ejusque Officiales esse Protectores, ac vindices sacrorum Canonum ; ab eis abusus circa Canonum violationem mediis appellationibus, quæ tanquam ab abusu dicuntur, emendari ; eam esse veram libertatem Ecclesiæ Gallicanæ, ut secundùm Canones ei vivere liceat ; & alia his similia, quæ speciem præseferunt eximiam : sed cùm ad particularia capita descenditur, Canonibus violationem Canonum substitutam deprehendis, ut multis jam exemplis comprobavimus. Tale est, quod continetur sub num. 24. hujus capitis 36. circa quod versamur. Legibus enim tùm Ecclesiasticis, tùm Civilibus, vetitum est ne Clericis in rebus, quas ex Ecclesia perceperunt, Parentes, aut Propinqui succedant, ut alibi ostendimus ; & tamen hìc variis statutis consuetudinariis probatur Propinquiores Cognatos succedere Beneficiariis : etiam in fructibus à Beneficiis provenientibus. Itaque Ecclesiæ libertas est, servandorum Canonum obligatione solvi : Ecclesiæ bona, resistentibus Canonibus in familias sæculares transferri.

10. Quod de Regularium Ordinibus, Monasteriis, ac disciplinâ, circa capita 32. 33. & 34. est dictum, ad Universitates, & Scholas publicas accommodandum est, quas negat Puteanus cap. 37. sine autoritate, ac consensu Regis reformari, nedum constitui posse.

11. Trigesimum octavum caput inscribitur ; *De exemptionibus Ecclesiarum, Capitulorum, Abbatiarum, & Monasteriorum à Prælatis legitimis, & ordinariis*, sub quo titulo collocat nonnulla monu-

menta, ex quibus constat olim Episcopos privilegia spiritualia, Reges verò temporalia Monasteriis concessisse, ut Monachi majori cum quiete Deo inservirent, sed continet etiam aliqua Senatus-consulta circa exemptionem Capitulorum ab Episcopali jurisdictione, quæ materia fori Ecclesiastici, non sæcularis est, ut per se patet: hinc igitur nihil concludendum est, nisi Curias sæculares, postremis præsertim temporibus, causarum Ecclesiasticarum cognitionem usurpasse, ut suprà notavimus.

CAPUT XII.

De subsidiis à Clero Regi Franciæ, aut summo Pontifici præstandis: ad duo ultima capp. Puteani.

1. ÆQuum est, ut subsidia & Regibus, & summis Pontificibus à Clero Gallicano aliquando conferantur, de quo Puteanus in duobus ultimis capitibus. Sed cùm Ecclesiæ bona sacra sint, iniquum est, ut in eis exigendis summus Pontifex à consensu Regiorum Officialium pendeat; Rex autem, quæ sibi necessaria duxerit, non expectato summi Pontificis consensu, exigat.

2. Profert quidem Puteanus capite 39. num. 10. Bullam Bonifacii VIII. declarantis, Regibus Franciæ licere, occurrente necessitate, à Clericis ipsis subditis, ad tuitionem Regni auxilium pecuniarium accipere, inconsulto etiam Romano Pontifice. Sed sufficit modò huic constitutioni aliam in corpore juris clausam, & ab eodem Bonifacio editam opponere, scilicet; *Clericis Laicos* de Immunit. Eccles. in 6. quam suum robur aliquandiu obtinuisse constat, ex eo quod Clemens V. ad instantiam ejusdem Regis, cujus favore ad summum Pontificatum evectus fuerat, eam temperavit, ut patet Clem. unicâ de immunit. Eccles. ita tamen ut Decreta Concilii Lateranensis tertii sub Alexandro III. cap. 19. & Lateranensis IV. sub Innocentio III. cap. 46. observari voluerit; *Quæ*, inquit, *nos sub obtestatione Divini judicii præcipimus observari.* Glossa super verb. *Quoniam ex constitutione.* Rex Franciæ,

cia, inquit, *qui fuit passiva causa constitutionis, fuit activa causa revocationis*; atque adeò æquum est, ut Gallia revocationis conditionem impleat; præsertim cùm executionem Conciliorum generalium præcipiat.

3. En igitur Concilii Lateranensis IV. cap. 46. quod alterius Concilii etiam Lateranensis Decretum commemorat. *Adversus Consules, ac Rectores Civitatum, & alios, qui Ecclesias, & viros Ecclesiasticos talliis, & collectis & exactionibus aliis aggravare nituntur, volens immunitati Ecclesiasticæ Lateranense Concilium providere, præsumptionem hujusmodi sub Anathematis districtione prohibuit: Transgressores, & Fautores eorum, excommunicationi præcipiens subjacere, donec satisfactionem impendant competentem. Verùm si quandò forsan Episcopus simul cum Clericis tantam necessitatem, vel utilitatem prospexerint, ut absque ulla coactione ad relevandas utilitates, vel necessitates communes, ubi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias duxerint conferenda: prædicti Laici humiliter, & devotè recipiant, cum actione gratiarum.* PROPTER IMPRVDENTIAM TAMEN QVORVNDAM, ROMANVM PRIVS CONSVLANT PONTIFICEM, CVIVS INTEREST COMMVNIBVS VTILITATIBVS PROVIDERE.

4. Huic autem conditioni, postulandæ summi Pontificis licentiæ, paruerunt, tùm Reges subsequentes, ut testatur Henricus Spondanus ad annum 1336. & aliis in locis, tùm ipsemet Philippus IV. ut scribit Odericus Raynaldus ad annum 1306. num. 4. Alia ministrat exempla ipsemet Puteanus cap. 40. præsertim num. 2. & 5. ut nemini dubium esse possit, quin Reges Christianissimi lege illâ teneantur.

5. Si verò Clerus non expectato Papæ consensu, Regibus subsidia conferre se posse arbitratus est, justas luit suæ libertatis pœnas: aut veriùs, quia oblitus libertates suas in observandis Conciliorum generalium Decretis se reposuisse, à præcepto Concilii Lateranensis IV. recessit, jugum sibi tùm Decimarum, tùm Doni gratuiti imposuit; quod nescio an unquam deponet. Commodum id quidem plerisque Deputatis, qui eâ ratione Principis gratiam promerentur, ex quâ maxima aliquandò beneficia consequuntur; sed reliquo Clero grave, cujus quidem donum est gratuitum, quia mercedem non sperat, sed nescio an ità voluntarium.

6. Si quandò Reges bellum, aut aliud negotium suscipiunt, quod Religioni conducat, dubium non est, quin Ecclesia teneatur eis necessaria subsidia subministrare. Cùm enim, ut sæpè notavimus, bona Ecclesiæ, Dei bona sint, in quos possent convenientiùs sumptus impendi, quàm in perferendam Dei notitiam ad barbaras & infideles gentes, aut ad tuendam fidem, & Religionem in terris Christianorum. Sic Philippo II. sic sancto Ludovico, aliisque Regibus Galliæ concessæ sunt Decimæ, & alia adjumenta temporalia, ut Christianis Infidelium tyrannide oppressis opem ferrent, aut ut hæreticos in proprio Regno comprimerent.

7. Sed numquid etiam ob temporalem Regni necessitatem possent hujusmodi subsidia ex bonis Ecclesiasticis colligi? Sanè securitas Ecclesiarum, & bonorum Ecclesiasticorum cum incolumitate status politici conjuncta est, præsertim cùm ab hostibus Infidelibus, aut hæreticis impetitur. Itaque tunc Ecclesia, Regem ejus ope indigentem juvans, propriis etiam rationibus consulit.

8. Verùm necessitatibus Regni, quibus opitulari tenetur Ecclesia, non intelliguntur, Regia magnificentia, Imperii merè sæcularis propagatio, aliæve rationes omninò temporales. Patet enim eum usum longè ab illo distare, cui destinatum est sacrum Ecclesiæ patrimonium; metuendumque esset, ne non tàm juvaretur Rex, aut Regnum, quàm concitaretur ira Divina, si quæ ad Divinum cultum, ad Ministrorum Christi, & Pauperum alimoniam deputata sunt, expensis profanis consumerentur.

9. Statuerat Rex Clotharius tertiam reditum Ecclesiasticorum sui Regni partem fisco addicere, consentientibus (non tamen omninò liberè) Episcopis, sancto Injurioso Episcopo Turonensi excepto, qui ab aliorum sententiâ discrepans Regem ab eo consilio deterruit, eam objiciens rationem, fore ut Deus Regnum Clothario auferret, si ipse bona Deo consecrata tolleret. Rem narrat his verbis Gregorius ejusdem Sedis Episcopus Hist. Franc. lib. 4. cap. 2. *Denique Clotharius Rex indixerat, ut omnes Ecclesiæ Regni sui tertiam partem fructuum fisco dissolverent. Quod licet inviti, cùm omnes Episcopi consensissent, atque subscripsissent, viriliter hoc B. Injuriosus respuens subscribere dedignatus est dicens,*

cens, si volueris res Dei tollere, Dominus Regnum tuum velociter auferet, quia iniquum est, ut Pauperes, quos tuo debes alere horreo, ab eorum stipe tua horrea repleantur. Et iratus contra Regem, nec vale dicens, abscessit. Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem B. Martini misit post eum cum muneribus, veniam precans, & hoc quod fecerat damnans, simulque rogans, ut pro se virtutem B. Martini Antistitis exoraret.

10. Antistites in Concilio Meldensi congregati Carolo Calvo constanter, sapienterque declararunt mala, quibus tunc Gallia præmebatur, Ecclesiasticorum bonorum usurpationi esse adscribenda. Quò circa prudenter Baronius ad annum 850 *Francorum*, inquit, *tunc quidem enituit robur, cùm in Regibus cultus pietatis excelleret, elanguit cùm defecit, & Ecclesiæ sunt prostitutæ Laicis, quorum reditibus non sunt illi roborati, vel erecti, sed enervati penitusq; depressi. Luxerunt ista, & aperuerunt ea Principibus ipsis Reverendissimi Patres in Meldensi Concilio, & ad putridum vulnus opportuna apposuere remedia, sed recusavit ille* (Carolus Calvus) *ea omnia suscipere, unde justo Dei judicio factum est, ut, qui latas à sanctis Patribus leges subire renuit, à Northmannis coactus sit durissima suscipere jura; & qui Ecclesiarum bona Laicis tradebat, coactus sit sua largiri Northmannis. Sed sicut nulla est secuta emendatio in Rege, ità nec quievit Northmannorum flagellum in manu Dei.*

11. Philippus Augustus Rex Franciæ, cum Othone Imperatore certamen initurus, militibus suis spem victoriæ suadebat, hâc oratione, quæ refertur à Rigordo in historia de ejus gestis ad annum 1215. *Rex autem antequam congrederetur, hâc brevi, & humili oratione suos fuit milites allocutus: in Deo tota spes & fiducia nostra est posita. Rex Otho, & exercitus suus à D. Papa excommunicati sunt, qui sunt inimici & destructores rerum S. Ecclesiæ & pecunia, quâ eis stipendia ministrantur, de lacrymis Pauperum, & de rapina Ecclesiarum Dei, & Clericorum acquisita est. Nos autem Christiani sumus, & communione & pace S. Ecclesiæ fruimur; & quamvis peccatores simus, tamen Ecclesiæ Dei consentimus, & Cleri pro posse nostro defendimus libertates. Undè præsumere fiducialiter debemus de Dei misericordia, qui nobis licet peccatoribus dabit de suis, & de nostris hostibus triumphare.* Divinum numen sibi maximè propitium expertus est, reportatâ glorioſissimâ victoriâ. Plura leguntur in historiis, & in orationibus à Clero Gallicano ad Reges habitis, ex quibus constat Deum injustam bonorum suorum acceptationem, etiam facultatum legitimè partarum spoliatione ulcisci.

12. Quam-

12. Quamobrem, ut ex Decreto Concilii Lateranensis supracitato colligitur, principiò causa consideranda est, ne si perperàm capiantur Ecclesiæ bona, non tam adjutorium Regi, quàm pernicies conquiratur: deindè servandus est modus, id enim, quod ultra necessitatem exigitur, injustè usurpatur. Quæ ratio ubique, sed maximè tunc valet, cùm non Ecclesiæ, aut Religionis, sed Regis aut Regni res agitur. Tunc imprimis ex fisco depromenda sunt, quæ potest suppeditare. Quippè cùm Fiscus, ut, & Galli vocant, Domanium ideò Regibus reservatum sit, ut hinc fierent sumptus, quos aut justitiæ dispensatio, aut hostium propulsatio, aut alia negotia ad Populi quietem conducentia requirunt; tum, si publica deficiant, recurrendum ad privata, & profana: Quoniam sicut ab initio debuit unusquisque pro sua facultate, ac Regni necessitate Principi conferre ea, quibus indigebat ad curandum bonum publicum; ità cùm prima non sufficiunt, tenetur eâdem ratione nova superaddere. Sed si ea sit hostium potentia, & Civium egestas, ut Rex impar sit præstandis sumptibus, nisi Ecclesia opem ferat; tum denique Ecclesiastica bona in subsidium vocabuntur.

13. Quocircà mirum videtur, cur Galli, qui suas libertates tunc maximè sibi adhibendas censuerunt, cùm summus Pontifex, aut, ut ipsi dicunt, Curia Romana subsidium aliquod postulabat, quod gravius videretur, id duram servitutem reputantes, ut habetur hist. Univers. Paris. tom. 5. &c. Tamen Ecclesiæ Gallicanæ Libertatibus accenseant jus, quod Regi tribuunt, hujusmodi subsidia exigendi ab Ecclesiis sui Regni, dum iis opus habet. Sed magis adhuc mirum, quod summum Pontificem asserant nihil obtinere posse sine consensu, ac licentia Regis; Regi autem summi Pontificis consensum necessarium non esse? Puteanus cap. 22. & 29. Carol. Fevret. lib. 1. cap. 8. num. 6. & 7. quasi minor adhibenda esset cautio, dum bona Deo consecrata in juvando Principe sæculari expenduntur, quàm dum à Christi Vicario in Ecclesiæ utilitatem sunt insumenda, aut in ea Rex plus haberet autoritatis, quàm Papa.

14. Non ea fuit olim, ut suprà insinuavimus, Christianissimorum Principum, ac Cleri Gallicani sententia, quandoquidem

quidem summi Pontificis assensu confirmari optabant dona, quæ Regibus conferebantur, etiam in Ecclesiæ utilitatem convertenda. Exstant tum in medii temporis, tum in alterius sæculi Conciliorum Oecumenicorum actis concessiones Decimarum, ad præstandos belli Infidelibus inferendi sumptus; legi possunt acta Concilii generalis Lateranensis sub Innocentio III. anno 1215. Concilii generalis Lugdunensis sub Innocentio IV. anno 1245. Concilii generalis Viennensis anno 1311. Vita Benedicti XII. Papæ. Concilium generale Lateranense sub Leone X. anno 1517. &c. Philippus IV. Romani Pontificis consensum tunc tantum sibi non expectandum volebat, cùm eâ necessitate urgeretur, quæ Romam adeundi tempus non concederet.

15. Sed numquid sufficit Cleri Gallicani voluntas? Expedit certè tum Regis, tum Ecclesiasticorum virorum saluti, ut non sufficiat. Quàm enim verendum est, ne plurimi eorum, qui Comitiis generalibus Cleri intersunt, aut metu, aut spe ducantur ad elargiendos Ecclesiasticos reditus, quorum ipsi minimam partem pendentes, maximam ex alienis bonis liberaliter profusis usuram se consecuturos confidant. Quot enim sunt secundi ordinis Clerici, qui primum ambientes, eoque se non posse sine Principis favore ascendere intelligentes, ejus captandæ benevolentiæ occasionem avidè arrepturi sunt? Quot ex utroque ordine, qui aut plura, aut pinguiora Beneficia exoptant? Quot denique qui Regi placendum, aut saltem non displicendum, etiam cum bonorum Ecclesiasticorum dispendio, arbitrantur, prætexentes temporalium jacturam Regiâ in spiritualibus protectione abundè compensandam? Cùm igitur consensus hujusmodi debeat Regi esse suspectus, etiam à summo Pontifice confirmatus: quantò magis exclusâ illâ confirmatione. Præsertim cùm Clerici Dispensatores sint, non Domini.

16. Adhuc majus imminet periculum Ecclesiastici ordinis Viris, (quorum esset ad sanctorum Antistitum exemplum Christianissimo Principi significare, quàm perniciosum sit, Christi patrimonium in usus non necessarios, & profanos convertere) si præposterâ in Regem liberalitate conscientiam ejus compescant: si propriis utilitatibus inhiantes, Beneficiorum, quorum

sunt Procuratores substantiam prodigant: iisque facultatem adimant restaurandorum, ornandorumque Templorum, alendorum pauperum, aliorumque bonorum operum præstandorum.

17. Denique sicut, nisi justa causa subsit, nec Regis, nec Cleri conscientia tuta est in imponendis subsidiis: ita utrorumque salus periclitatur, nisi, cessante causâ, removeatur ab Ecclesia onus. Quid enim juvat præcessisse optimum bonorum Ecclesiasticorum usum, si pravus, aut inutilis succedat?

18. In his, quæ suggessimus, fideliter custodiendis vera consistit Ecclesiæ libertas, in illis contemnendis gravis est Sponsæ Christi servitus. Ejus quidem in præsentiarum dulcis apparet fructus, sed maximum est periculum, quod qui non metuunt, aut de bonorum Ecclesiasticorum conditione, aut de Divina justitia rectè non sentiant.

19. Metu illo se affici pluries testati sunt religiosi Principes, præsertim Carolus Magnus in pluribus Capitularibus; *Novimus*, inquit, Capitular. 8. anno 803. relato in Capitularibus Benedicti Levitæ lib. 7. cap. 132. *multa Regna & Reges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias expoliaverunt, resq; earum vastaverunt, abstulerunt, alienaverunt, vel divipuerunt, Episcopisq; & Sacerdotibus, atque, quod majus est, Ecclesiis eorum abstulerunt, & pugnantibus dederunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, nec victores extiterunt; sed terga multi vulnerati, & plures interfecti verterunt, Regnaque & Regiones, &, quod pejus est, Regna Cœlestia perdiderunt, atque propriis hæreditatibus caruerunt, & hactenus carent. Quæ omnia vitantes, nec talia facere, nec consentire, nec infantibus, aut successoribus nostris exemplum dare volumus.*

20. In eodem Capitulari 8. refertur petitio Populi ad prædictum Imperatorem, in qua declaratur, quâ intentione, & quâ formâ bona Ecclesiis offerrentur. Est autem forma hujusmodi; *Offero Deo, atque dedico omnes res, quæ hac in chartula tenentur inscriptæ, pro remissione peccatorum meorum, ac Parentum, & filiorum (aut pro quocumque illas Deo deliberare voluerit) ad serviendum ex his Deo in sacrificiis, Missarumque solemniis, orationibus, luminariis, pauperum ac Clericorum alimoniis, & cæteris Divinis cultibus, atque illius Ecclesiæ utilitatibus. Si quis autem eas indè, quod fieri nullatenus credo, abstulerit, sub pœna sacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas offero atque dedico, districtissimas reddat rationes.* Huic formulæ subjunguntur ista verba; *Ponit etiam in ea alias conjurationes, quas enumerare longum est.*

LL

LIBER UNDECIMUS

In quo expenduntur aliorum Scriptorum Gallicanorum ſententiæ de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ.

PAuci hodie ſcribunt in Gallia, qui occurrentem autoritatis ſummi Pontificis conſtringendæ, Regiæ verò amplificandæ, occaſionem, idque ſæpenumerò ſub obtentu tuendarum ſuarum Libertatum, obviis ulnis non excipiant; ut ferè dixeris Galliam pœnitere, quod olim Sanctam Sedem tantâ reverentiâ proſecuta fuerit, tantâ humilitate audierit, tanto zelo defenderit. Singulorum dicta perſequi, neque eſt neceſſarium, & nimii, diuturnioriſque laboris opus eſt. Quamobrem præcipua tantùm Capita ſeligemus, ex quorum ſcilicet examine, de cæteris facilè feretur judicium; præſertim cùm etiam quæ hactenus dicta ſunt, vel ſola ſufficere viderentur.

CAPUT PRIMUM.

De Libris Illuſtriſſimi Petri de Marca de Concordia Sacerdotii & Imperii, ſeu de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ.

1. COmmota fuerat, non ſolùm Roma, ſed etiam Gallia editis à Petro Puteano voluminibus, de quibus in ſuperiori libro diſputatum eſt. Quo circa juſſus eſt Illuſtriſſimus Petrus de Marca doctrinam illic contentam ità temperare, ut ſchiſmatis quidem, cujus prænuncia videbantur illa volumina, ſuſpicionem amoveret; Libertates tamen Eccleſiæ Gallicanæ illæſas, integraſque ſervaret. Munere ſibi demandato ad Regiorum Miniſtrorum voluntatem appoſitè, ſed non ſine præjudicio Eccleſiæ, functus eſt. Cùm enim Aulæ induſtriâ eſſet inſtructus, ità res componere conatus eſt, ut cuique parti ſatisfeciſſe videretur, licet revera unius tantùm cauſam egiſſet.

2. In quatuor libros opus ſuum diſtinxit; plures tamen pollicitus, fortè cum animo ſtandi promiſſis; fortè ut Eccleſia, ſi quatuor primis ſe læſam doleret, ſperaret poſterioribus hanc ſibi reſarciendam injuriam, quod aliquoties inſinuat, & in libris ipſis, & in Apologiis ſuis. Quatuor illis, quatuor alios addidit Stephanus Baluzius poſt mortem Autoris, ab eo tamen, ut aſſerit, compoſitos, in quibus ita non reſarcitur, ut etiam augeatur damnum ab aliis illatum. Et quantum ex poſtremis Marcæ operibus, ſive manuſcriptis, ſive etiam typis excuſis conjicere licet, doctrinam in illis contentam, antequam publici juris fierent, in aliquibus ſaltem Capitibus immutaturus erat. Nec enim illi ipſi ſunt, quos promiſerat; vel ſaltem non omnia continent, de quibus ſe acturum ſpoponderat.

3. In libro primo ſummi Pontificis Dignitatem, & autoritatem plurimùm commendat, & confirmat; ut ſtatim Lector arbitretur, eum non minùs pro tuendis Sanctæ Sedis juribus, quàm pro vindicandis Libertatibus Gallicanis certare. Sed lectis

lectis libris sequentibus oritur suspicio, in primo ipsum benevolentiam captare voluisse, ut in aliis lædens minùs offenderet; nam in eo etiam verba quædam Ecclesiæ minùs æqua ab Autore de industria videntur interjecta, ut iis se tueri posset, si quando sibi posteriora prioribus contradicere objiceretur. In secundo libro Regiam Majestatem, & jurisdictionem, quantùm Pontificiam in primo, & ampliùs extollit. Potest certè utraque potestas seorsim, cùm utraque suprema sit, altera in spiritualibus, in temporalibus altera, usque ad Cœlum evehi. Sed cùm inter se comparantur, si aliò, quàm ad veritatem, & justitiam respiciatur, difficillimum, imò impossibile est, quæcumque ars adhibeatur, injustitiæ notam, & alterutrius potestatis, ac forsan utriusque querelas effugere.

4. Quid enim, ut hæc tantùm exempla proponamus, juvat autoritatem Romani Pontificis in condendis Legibus Ecclesiasticis, aut proferendis judiciis cap. 8. 9. & 10. lib. 1. tàm solidis argumentis constituisse, quandoquidem capp. 15. 16. & 17. lib. 2. Autor probare contendit, leges illas non obligare in Gallia, nisi acceptentur; & expressè affirmat dicto cap. 16. num. 6. *Nihil obtrudendum esse fidelibus, quod eos offendere aliquo pacto possit; atque adeò legem Ecclesiasticam minùs commodam pro non scriptâ esse habendam?* In quo versabitur eximia illa summi Pontificis autoritas, si nullam habeant vim leges ejus, nisi acceptatæ fuerint, & si quæcumque minus commodæ sint, pro non scriptis habeantur? Certè quæ commodæ sunt, sine Papæ mandato, imò sæpè contra ipsius mandatum, aut prohibitionem usurpantur.

5. Caput 10. & 11. ejusdem libri 2. Ecclesiæ suam jurisdictionem asserere videtur, licet revera Regiam ultra debitos terminos proferat. Nam cap. 10. num. 8. insinuat confirmationem Principum vim obligandi Canonibus circa disciplinam editis conferre, licet num. 13. laudato Facundi Hermianensis loco, ubi de Marciano Imperatore dicitur; *Ob hoc itaque vir temperans, & suo contentus officio Ecclesiasticorum Canonum executor esse voluit, non conditor, non exactor*: addat Marca; *Hic est certus limes, quem Regiæ autoritati in his negotiis præfigere oportet, ne inconsultò trahamur ad eam adulationem, qua Principibus suis totius disciplinæ Ecclesiasticæ sum-*

nam Græci deserebant. Verùm tamen quod generatim Ecclesiæ concessisse videbatur, retractat cap. 11. num. 4. autoritate Joannis Scholastici Patriarchæ Constantinopolitani. Et ejusdem cap. 11. num. 3. Constitutiones omnes Justiniani circa res Ecclesiasticas defendit; quarum tamen multæ jurisdictionem Ecclesiasticam imminuunt, & unam, scilicet *de prolatione verborum Consecrationis*, ipsemet Marca damnare coactus fuerat cap. 6. num 6.

6. Cæterùm in prædicto cap. 11. num. 3. Bellarmini, quem citat, circa impedimenta Matrimonii totam mentem non exprimit. Silet enim Illustrissimum illum Cardinalem docuisse, ut impedimenta à Constitutionibus Imperialibus inducta Matrimonium dirimerent, necessarium fuisse Ecclesiæ assensum, ab eo tempore, quo contractus ad Sacramenti dignitatem evectus est.

7. Ibidem num. 6. cùm dixisset, *Principum eam fuisse mentem, ut nihil sibi licere putarent in eos Canones, qui editi fuissent à Conciliis Oecumenicis*; quia Oecumenicorum Conciliorum Canonibus nimium tribuisse sibi videbatur, conditionem statim adjecit, nempè si Canones fuissent *Edicto publicè recepti*. Sed quid si Edictum receptionis Edicto contrario revocetur. An Canones Edicto recepti, an Edictum receptionem revocans, prævalebit?

8. Tertius Marcæ liber ad Libertates Ecclesiæ Gallicanæ descendit, in quo, sicut & in secundo, licet modò in unam, modò in alteram partem declinet, ut neutram offendere videatur; eò tamen tanquam ad ultimum scopum pervenit, ut persuadere conetur nullam esse summi Pontificis autoritatem in Ecclesiam Gallicanam, nisi Gallia, & præcipuè Rex consentiat. Nam postquàm in tribus ultimis capitibus libri 2. acceptationem omninò necessariam esse, ut lex obliget, probare enixus est in 3. libro capite 15. num. 4. acceptationem illam docet etiam esse necessariam, ut à Canonibus recedatur, & summi Pontificis dispensationes valeant. *At verò*, inquit, *si status publicus, aut recepta in Regno jura ladantur, amplectenda est sententia eorum, qui in universum dispensationes sine justa causa indultas, invalidas esse censent. Quod verum esse in speciem, quam tractu hac collectione demonstratur. Vel dispensationes illæ sine legitima, & justa causa conceduntur, & hoc casu nullæ dicendæ sunt, propter ea, quæ superiùs allata*

lata sunt argumenta. Sed quid si dispensatio in se justa sit, Ecclesiæ tamen Gallicanæ usui non conveniat ? Tunc non solùm injusta, sed & invalida erit, eâ ipsâ ratione ex ejus Autoris mente. Prosequitur enim, *Vel probabili quadam ratione nituntur, respectu ejus habito, cui conceduntur; sed usui recepto in Ecclesia Gallicana repugnant, quo certæ quædam regulæ è Canonibus & Decretis Pontificum petitæ, ità firmatæ sunt, ut juxta legum illarum naturalem conditionem perpetuæ apud nos esse debeant: hoc casu dispensatio carebit justâ causâ, quod attinet ad statum publicum Ecclesiæ Gallicanæ, atque ideò nulla erit.* Ne quis autem arbitretur, hoc provenire ex sola rerum utilitate, non autem ex voluntate pendere, adjungit; *Præcipuè cum dispensandi ratio in his negotiorum articulis, recepta non fuerit consuetudine aliquâ. Ut enim lex Ecclesiastica debet usu recipi; ita & dispensatio illius legis debet usu probari.* At, inquies, ratio & justitia regula erunt ejus, vel legum, vel dispensationum acceptationis. Commoditate metiendam esse pluribus in locis tradit in hoc libro 3. Nam capite 6. num. 5. *Enim verò*, inquit, *in Gallia quod ad disciplinam attinet, Decretalium Constitutis locum damus, cum bonâ Romanorum Pontificum veniâ, quæ nostris rebus, & utilitati publicæ accomodatæ sunt. Quatenus Ecclesiæ Gallicanæ commodis expedit.* Et lib. 4. cap. 1. num. 1. quatenus Ecclesiæ Gallicanæ commodis expedit ut *pro rerum ac temporum conditionibus, summi Pontificis Rescriptis juris rigor aliquando temperetur.* Et lib. 2. cap. 16. num. 6. jam relato; *Legem Ecclesiasticam minùs commodam pro non scripta esse habendam.*

9. Nec in hoc dissimilis est apud Gallos Conciliorum Oecumenicorum, ac summorum Pontificum conditio, ut testatur Autor lib. 3. cap. 7. num. 1. his verbis; *Libertates perinde tuemur, si de Concilii generalis novis Decretis, ac si de Romani Pontificis constitutionibus agatur.* Nec ad firmitatem illarum libertatum requiritur (si Marcæ credimus) ut Concilii generalis Decreto nitantur. Quin etiam subjungit; *Receptos mores & consuetudines Eccl siæ Gallicanæ nostro usui commodas adeò retinemus, ut etsi Canone Concilii generalis destituantur, quo illæ firmatæ sint, tamen ab iis nobis discedendum esse non censeamus.* O mira firmitas! quæ, licet *Canone Concilii generalis destituta*, à nullo potest Concilio Oecumenico, à nullo Pontifice concuti!

10. In quarto libro agit de legum executione, quæ hodie per appellationes ab abusu procurari dicitur ex parte Principum,

pum, sed de his appellationibus dicemus libro sequenti. Porrò Marca in hoc libro, sicut in aliis, quamvis exempla usurpatæ jurisdictionis Ecclesiasticæ nonnihil temperare videatur, eò tamen semper redit, ut de consensu Principum omnia geri velit, ipsosque ita Canonum custodes constituat, ut ferè Dominos esse insinuet.

11. Capite primo num. 1. monet, quæcumque apud veteres Principes in causis olim viguerunt, locum apud Gallos habere non posse, hinc tamen usum fori hodiernum confirmat; ut scilicet stent immota, quæ in usu sunt in Gallia, satisque sit, si in cæteris rebus, utpotè iniquioribus, antiquos non imitetur. Antiqui enim, v. g. Imperatores, ut refert ibidem num. 6. *Deturbationem, quæ vacantem Ecclesiam redderet, sui arbitrii esse putabant. At verò*, ut subjungit *pœnam illam expulsionis, cùm vacatione Episcopatûs hodie irrogare non possunt Principes.* Quidni etiam hodie, si olim? Citiùs enim provideretur à Rege Christianissimo Ecclesiis vacantibus, nec tamdiu Archiepiscopo caruisset Parisiensis, si expectandus non fuisset consensus Eminentissimi Cardinalis Retzii, ut illi præficeretur Illustrissimus Petrus de Marca. Nonnè vox illa, *hodie*, potestatem illam olim penes Principes fuisse indicat? si ad jus Regium pertinebat, desuetudine sopiri, sed non extingui potuit. Vide quàm facilè subverti possint, quæ Marca Ecclesiæ reservat, si stent aliæ illius sententiæ.

12. Prætermitto quamplurima, quæ in iisdem libris confutatione, vel saltem examine indigerent, quia licet ad argumentum nostrum pertinere videantur, minùs tamen afferunt detrimenti; e. g. 3. capp. 10. 11. & 12. immensa ferè beneficia Ecclesiæ Romanæ à Regibus Francorum collata fuisse contendit Marca, quorum tamen pars magna multis dubia est, ab aliis falsa omninò judicatur, licet Reges Christianissimos olim de Ecclesia Romana, & de summis Pontificibus optimè meritos fuisse nemo possit negare. Verùm quoniam eò tendit hæc beneficiorum commemoratio, ut quæ in Gallia contra jus commune aguntur, privilegio Ecclesiastico fulciantur: ego Ecclesiæ Gallicanæ nec debitæ gloriæ, nec veris privilegiis invideo, dummodò, quod unum mihi cordi est, prætextu liberalitatis aut libertatis debita summo Pontifici obedientia

non

non negetur, miserrima servitus non inducatur, neque potestas Ecclesiastica opprimatur à sæculari.

13. Dum placet Ecclesiæ suos Benefactores aliquo privilegio insignire, id ego servitutem, aut potestatis sæcularis abusum non ausim appellare, præsertim cùm hinc alii ad similia erga Christi sponsam officia incitentur. *Non est*, inquit Marca lib. 3. cap. 10. num. 8. jam suprà relato, *cur cæteri Principes nobis invideant, benigniorem erga Reges nostros Romanæ Sedis remissionem. Certent nobiscum liberalitate, tunc integrum illis erit de privilegiis quoque nobiscum certare.* Sed viderint Galli ne gloriam à Majoribus ad se propagatam denigrent, si quæ illi generosè, ac sine ulla spe retributionis ab hominibus consequendæ, præstiterunt, ipsi hodie sibi persolvi velint; ne pro beneficiis temporalibus collatis, jura spiritualia longè pretiosiora postulent, aut per vim usurpent; neve privilegiis se tueantur, quæ nunquam extiterint. Sanè ex utriusque juris dispositione frustrà allegantur, quæ non exhibentur.

14. Circa secundum tomum non immoror: tum quia ex iis, quæ continet, plurima jam aliâ occasione discussa sunt; tum quia, ut suprà insinuavi, non dubito, quin si Autor diutiùs vixisset, multa fuisset immutaturus; tum denique quia summa quatuor illorum librorum argumenta egregiè sunt ab aliis v. g. Joanne David, Christiano Lupo, Emanuele Schelstrate tractata. Quæ in 5. de Legatis continentur, eò præsertim spectant, ut sine consensu Regio nihil in Gallia moliantur, de quo in capitibus præcedentibus dictum est occasione Petri Puteani. Circa librum 6. qui est de Conciliis pauca dicemus capite sequenti: nam pleraque ad praxim modernam non attinent. Quæ in 7. & etiam initio 4. de judiciis Ecclesiasticis, præcipuè de Episcoporum depositionibus perperam ab Autore scripta sunt, validè impugnavit prædictus Joannes David Doctor Parisiensis integro volumine. Quæ autem in 8. de Regalia disputata sunt, abundè illustrata fuerunt, editis tùm Latinè, tùm Italicè, tùm Gallicè scriptis. Plura continet liber 4. Ecclesiasticæ jurisdictioni ac veræ illius libertati infesta, quæ nos aliquantò diutiùs distinebunt.

CAPUT II.

De autoritate Principum circa Concilia, in particulari circa convocationem illorum, ac præsentiam, & præsidentiam in illis.

1. MUlta intercedunt discrimina, inter Synagogam & Ecclesiam: sed illud inprimis quod magis spiritualia sint hujus bona, magis spiritualis ejus jurisdictio, spiritualibus armis sese tueatur. *Non secundùm carnem militamus*, inquit S. Paulus 2. Corinth. 10. *nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt.* Porrò arma illa cùm sæpè parùm à malis Christianis reformidentur, ab Infidelibus contemnantur, solâ interdum patientiâ opus est. *Ecce*, inquit Christus ad Apostolos, *Ego mitto vos sicut agnos inter lupos* Lucæ 10. 3.

2. Sed licet Ecclesiam suam Christus ad patiendum, quàm ad resistendum persecutionibus, & ad injurias perferendas, quàm ad ulciscendas paratiorem velit; tamen præter curam, quam ipsemet de illa gerit juxta promissionem suam; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Matt. ultimo; Principes ideò ad fidem vocavit, aut fideles ad Principatum evexit, ut autoritate suâ malos comprimerent, & Matrem suam ab hostibus, aut inobedientium filiorum infestationibus liberarent. *Intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent*, inquit S. Isidorus Hispalensis de summo bono lib. 3. cap. 53. *nisi, ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem.*

3. Verùm quod Christus tanquam officium, & debitum Principibus erga Ecclesiam imposuit, hoc politici tanquam jus, & autoritatem in ipsam interpretantur, & quos ille sponsæ suæ constituit custodes, protectores, & defensores, ipsi arbitros, duces, ac dominos efficiunt: quam ut matrem colere, audire, ac sequi Christiani omnes tenentur, ei ut ancillæ præcipere, ac leges ponere suadent. Quid enim aliud est, Principibus tribuere facultatem non solùm Ecclesiam ad Concilia convocandi, sed etiam Conciliis tractanda pro-

po-

ponendi, ita ut de aliis deliberare non liceat : Ordinem ac modum præscribendi, à quo si recedatur, inane sit quidquid fiat : Decreta Conciliorum confirmandi, sine qua confirmatione robore careant : Judicata suspendendi, donec novo judicio, aut novo examine probata fuerint : Concilia, ex quibus libuerit Episcopis, conflandi : Jurisdictionem aliundè non habentibus conferendi : Causam unius Provinciæ, alterius Provinciæ Episcopis definiendam committendi : aliaque similia præstandi. Hæc sunt ex Petro de Marca Imperatorum Romanorum in Ecclesia jura. Præsenserat illa omnia, si crudè dicerentur, horrorem Christianis animis incussura. Quamobrem capite primo in fine num. 1. ei commotioni occurrere festinat his verbis, jam suprà indicatis ; *Quæcumque apud veteres Principes in causis olim viguerunt, locum apud nos habere non possunt.* Quid ni etiam apud vos ? An quia hæc olim à Principibus usurpata sunt, contra Ecclesiæ libertatem, & jura, per vim, ac sine legitima facultate ? Nequaquam. Sed quia, inquit, *immutata aliquantisper disciplina antiquum illum ordinem nullo pacto admittere potest.* Itaque si rursùs immutetur aliquantisper disciplina, quæcumque apud veteres Principes olim viguerunt, locum apud Gallos habere poterunt ; quoniam, ut ait Marca cap. 5. initio ; *quemadmodum Imperii Romani mole in varias partes dissectâ, Galliarum Provinciæ in victoriæ præmium Francorum Regibus, Divini numinis auspiciis, cesserunt, ita etiam Imperii jura plenè, & integrè cum illis communicata sunt.*

4. Ex iis pleraque adeò manifestè cum rationis, ac fidei regulis pugnant, ut proposuisse, confutasse sit. Et sanè ipsum etiam Autorem illorum puduisset, nisi pro suo more interjectis aliquibus verbis emollisset. Ne quis autem arbitretur ea in usum evocari posse, expendenda sunt exempla, quæ profert ; raro enim aliud genus probationum adducit, aut adducere potest ; pro causis tam malis militare nequeunt rationes, quarum falsitatem, aut debilitatem detegere in promptu non sit ; sed priùs quæ alibi de Conciliis diximus, pauca quædam adjiciemus. Nec enim necesse est quæcumque de illis scripsit D. de Marca minutim expendere.

5. Licet consensus Principum ad congreganda Concilia de facto necessarius sit, ac possint ipsi etiam de jure, illorum

congregationem impedire, cùm juſtis de cauſis metuunt aliquid contra ſua, vel Regni jura moliendum; ut tempore Ludovici Pii, & aliàs, quamvis rariſſimè, contigit: tamen convocandi Concilii jus omne penes Principes reponere, injuſtum, & Eccleſiæ perniciosiſſimum eſt. Hinc enim Principes colligerent, licere ſibi pro libitu ea vel permittere, vel vetare, ex quo maxima damna pateretur Eccleſia, quippè quorum remedia vix niſi à Conciliis ſperari poſſint. Hoc demonſtrat ipſiuſmet Galliæ exemplum, in qua jam dudum nulla habita ſunt Concilia Eccleſiaſtica, etiamſi deſierint cauſæ ſuſpicionum, quæ Reges à permittenda Synodorum congregatione deterrebant: undè fit ut quæ in Conciliis Provincialibus determinari ſolebant, ad Tribunalia ſæcularia perferantur, in detrimentum juriſdictionis, & libertatis Eccleſiæ.

6. Habita ſunt in Imperatorum, & Regum Palatiis nonnulla Concilia, ut Nicænum primum in aula Palatii Conſtantini; quemadmodum tradit Euſebius lib. 3. vitæ Conſtantini cap. 12. Sextum pariter ſub Conſtantini Pogonati Imperio in ea Regiæ parte, quæ Trullus dicebatur. In Gallia non ſolùm Reges voluerunt; ſed & Præſules aliquando poſtularunt congregari in Palatio Concilia; adeò certi erant integram ſibi, plenamque fore ſuffragiorum libertatem. Sed abſurdum eſſet inde concludere omnia in Palatiis congreganda eſſe, quaſi aptior eſſet tractandis rebus Divinis locus, Principis, quàm ipſius Dei Baſilica. Concilium Conſtantinopolitanum Primum celebratum eſt in ſacra Æde Sanctorum Martyrum Pantaleonis & Marini, Epheſinum in Æde B. Mariæ, Chalcedonenſe in templo S. Euphemiæ, Nicænum ſecundum in Baſilica Metropolitana illius urbis, Conſtantinopolitanum quartum in Eccleſia S. Sophiæ, & alia ferè omnia, præſertim generalia, in aliis Eccleſiis. Certè quæ ratio Aulicis hominibus ſuaſit penes Principem eſſe, ſi libuerit, locum Conciliis aſſignare Palatium (puta ut Principes commodiùs intereſſent, ac ſuâ præſentiâ Epiſcopos continerent, moverent, & inflecterent) eadem ſuadet non eſſe jus illud tribuendum Regibus. Nihil enim eſt tam neceſſarium cuilibet Congregationi, maximèverò Eccleſiaſticæ, quàm libertas, quæ

quæ plurimùm autoritate sæculari debilitatur; imò etiam Aulicorum propriis cupiditatibus impulsorum, artibus, ac potentiâ sæpè omninò tollitur.

7. Prodest quidem præsentia Principis optimè rerum Ecclesiasticarum notitiâ instructi, & erga Religionem affecti. Verùm cùm experientia docuerit, optimorum etiam Principum Religionem à Ministris, vel etiam à perversis Episcopis seduci non rarò posse, præstat integram hujusmodi cœtibus libertatem relinquere, ac Ecclesiasticis viris Divina & Ecclesiastica negotia tractanda dimittere; expeditque, ut Principes Conciliis Provincialibus, & Nationalibus, in quibus maximè reformidaretur illorum potentia, non intersint. Factum id quidem aliquoties, ut diximus, præsertim sub secundæ Dynastiæ Regibus, quorum erat autoritas necessaria ob collapsam & ferè extinctam in Gallia disciplinam Ecclesiasticam, ac innumeras penè difficultates, quas vix superasset Ordo Ecclesiasticus sine auxilio Principum, qui se ad id præstandum promptos, ac devotissimos exhibebant. At verò cùm hodiè Regii Officiales in id conspirasse videantur, ut Ecclesiasticam autoritatem deprimant, vel potiùs in Regem, ac in se transferant, verendum esset, ne Rex Christianissimus illorum, qui, dum propriis utilitatibus laborant, jura Regia videntur curare, consiliis inductus, etiam præter suam intentionem Ecclesiastica jura læderet, Episcopis plerisque dissentire non audentibus. Justum esse hunc timorem multorum Episcoporum Aulicis artibus injustè ac per vim depositorum exempla, quæ alibi recensuimus, fidem faciunt. Quamobrem octava Synodus Oecumenica Principum in Conciliis præsentiam necessariam non esse declaravit, imò & absentiam optavit, à Conciliis præsertim non Oecumenicis.

8. Ea est hodie Principum sæcularium potentia, ut metuendum eis omninò non sit, ne quid in hujusmodi cœtibus adversùs eorum jura statuatur; ac, si quid fortè incautè decretum fuerit, quod displiceat, facilè illius executionem impediant. Itaque minimè dubium est, quin illorum præsentia minùs sit ad Regias rationes tuendas necessaria, quàm suffragiorum libertati contraria.

9. Certè si in Conciliis Principes adesse non debent, multò minùs præesse, si præsidentia autoritatem significet. Hæc enim ad Ecclesiam pertinet, id est ad eum Episcopum, qui cæteris, vel jure suo, vel ex delegatione superior sit. Ejus est primum locum occupare, determinanda proponere, suffragia rogare, ac juxta illorum pluralitatem concludere. Olim quidem aliquando Principibus in Gallia, dum Conventibus intererant, primus locus concedebatur; ipsi sententiam Episcoporum postulabant, aliquando etiam proprio nomine Decreta edebant. At illa propriè Concilia Ecclesiastica non erant, sed Regni Comitia, in quibus sæcularia etiam tractabantur negotia, & Laici jus habebant suffragii. Nam causæ spirituales ab Episcopis seorsim definiebantur; dum autem aliæ causæ Ecclesiasticæ discutiebantur, Principes quasi Ecclesiasticæ disciplinæ promotores à Summo Pontifice rogati, & ab Episcopis acceptati, non autem quasi Judices, multò minùs tanquam Præsides Ecclesiastici, aderant, nec suo nomine Canones quasi Conditores, sed quasi Protectores promulgabant.

20. Antiquum Comitiorum Gallicanorum ordinem describit Hincmarus in Epistola ad Episcopos quosdam Galliæ ex Adelardo; *Quæ utraque tamen*, inquit cap. 35. *seniorum susceptacula sic in duobus divisa erant, ut primò omnes Episcopi, Abbates, vel hujusmodi honorificentiores Clerici absque ulla Laicorum commixtione congregarentur. Similiter Comites, vel hujusmodi Principes sibimet honorificabiliter à cætera multitudine primo mane segregarentur, quousque tempus sive præsente sive absente Rege occurrerent: & tunc prædicti seniores more solito, Clerici ad suam, Laici verò ad suam constitutam Curiam, subsellliis similiter honorificabiliter præparatis, convocarentur. Qui cùm separati à cæteris essent, in eorum manebat potestate, quando simul, vel quando separati residerent, pront eos tractandæ causæ qualitas docebat, sive de spiritualibus, sive de sæcularibus, seu etiam commixtis. Similiter si propter quamlibet discendi, vel investigandi causam quemlibet convocare voluissent & re compertâ discedere, in eorum voluntate manebat.*

11. Quamquam, ut verum fatear, tantus erat olim Principum cum Ecclesia consensus, ut mutuis potiùs officiis inter se decertarent, quàm potestatis limites scrupulosè observarent.

rent. Dummodò libera essent Episcoporum suffragia, cætera olim non tanti esse momenti judicabantur, ut concordiæ ac commodis, quæ ex concordia inter utramque potestatem ad bonum commune unanimiter tendentem consequuntur, anteponenda viderentur. Quamobrem ea exempla, in quibus Principes, quæ ad Prælatos Ecclesiasticos pertinent, exercere videbantur, in legem vertenda non sunt, cùm dispar sit rerum status, ac diversæ circumstantiæ. Sed de his satis. Parùm enim hodiè Principes de præsentia illa in Conciliis solliciti sunt, quippe qui vel absentes id quod optant, nullo negotio consequantur.

CAPUT III.

De materia in Conciliis tractanda; de jure suffragii, ac de confirmatione, & executione Canonum.

1. QUemadmodùm Episcoporum cura ad cuncta se extendit, quæ ad animarum suæ Diœcesis salutem pertinent, scilicet fidem, mores, ac disciplinam; ita Episcoporum in Concilio Provinciali congregatorum cœtus iis omnibus provident pro tota Provincia, & insuper causas ipsorummet singularium Episcoporum definit: quibus cum in propriis Diœcesibus nullus sit superior, æquum est, ut præemineat Concilium Provinciale, reservatis tamen summo Pontifici causis majoribus, ac semper exceptâ ejus, & Concilii Ocumenici autoritate, quæ sine dubio Provincialis Concilii potestate major, ac superior est.

2. Equidem si res ipsa sine circumstantiis spectetur, is quasi naturalis ordo est, ut Episcopus primùm suæ Diœcesi prospiciat. Si quæ gravis difficultas occurrat, ad Metropolitanum & Concilium Provinciale illam perferat. Si nec illic definiri queat, ad summum Pontificem recurratur. At verò incidunt aliquando tempora, cùm prætermisso illo ordine necesse statim sit ad supremum tribunal accedere: ac tunc iniquum esset, ut cum evidenti justitiæ detrimentò, obirentur omnes illi gradus, qui, ne justitia violaretur, instituti, ac distincti sunt.

sunt. Imò tam frequens posset esse vel fidei, vel morum, vel disciplinæ, vel justitiæ periculum, ut universim certi cujusdam causarum gravissimarum generis cognitionem trahere ad se, ac Episcopis interdicere, summus Pontifex deberet.

3. Miror quî potuerit ea cogitatio in mentem venire Domino Petro de Marca, ut scriberet pluribus in locis non licere Conciliis alia tractare, quàm quæ à Principe proposita fuissent. *Inter jura Regia*, inquit lib. 6. cap. 22. num. 3. *& hoc etiam eximium est, ut Conciliorum cognitionem Principes inter certos limites coerceant, servato quoque ordine præscripto.* Nunquamne igitur Ecclesiæ licebit disciplinam collabentem firmare; collapsam restituere; abusus corrigere; crimina plectere, nisi id à Rege præscriptum sit? Quid si (quod avertat Deus) Rex hæreticus, aut etiam Ecclesiæ hostis evaderet? Quæcumque statuerent Episcopi, si fortè coire possent, nullius roboris forent, defectu propositionis Regiæ?

4. Certè in iis, quæ ad fidem, & bonos mores, ad quæ omnis refertur Ecclesiastica disciplina, spectant, soli Episcopi Judices à Christo constituti sunt. Principi quidem justa præcipienti parendum est; justum autem est ejus præceptum, cùm Ecclesiæ Decretum custodiri jubet; justitia tamen illa Decretorum, atque adeò robur ad obligandum coram Deo Canonibus inest, antequàm Principis autoritate confirmentur.

5. Supereſt unicum dubium, sed maximi momenti, utrùm scilicet Principes sint Ecclesiæ Decretorum meri executores, an cum cognitione causæ, ita ut, si quid obscuritatis, aut difficultatis emergat, possint Canones interpretari. Id quidem juris videntur velle sibi vendicare Reges Christianissimi, eorumque Senatus, cùm de causis Ecclesiasticis per appellationem ab abusu ad se delatis, eo ferè ordine, iisdemque formulis judicant, quibus utuntur in judiciis sæcularibus, in quibus ex legibus civilibus jus dicendum est. Verùm licet possint potestates sæculares executionem Canonum non urgere, dum in particularibus casibus dubitant, an locum habere debeant hujusmodi Canones, propter circumstantias, quæ repugnare videntur: tamen si ex verbis ipsis Canonis oriatur difficultas, quo scilicet in sensu accipienda sint, quæ-

ve

ve fuerit conditorum mens, ſtandum eſt trito illi Juris utriuſque axiomati ; *Unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat.* Cap. *Inter alia* de ſent. excom. cum ſuis concord. & ll. 9. 10. 11. Cod. *de legibus.*

6. Sanè cùm interpretatio illa, de qua loquimur, vim quodammodò legis obtineat, ſi liceret Principibus Canones interpretari, penes illos eſſet omnis legum Eccleſiaſticarum poteſtas, ipſique, non Epiſcopi, quos ad hoc Spiritus Sanctus poſuit, regerent Eccleſiam Dei. Non ſolùm enim executio, ſed & judicium in illorum eſſet poteſtate. Alia fuit Eccleſiæ, ſed & Principum ipſorum mens, quorum exempla variis in locis, prout ſeſe obtulit occaſio, adduximus.

7. Adeò lucent Eccleſiaſtici juris regulæ, ut eorum etiam viſum feriant, qui oculos claudere videntur, ne videant, quæ ſibi non arrident. Quis non laudet æquitatem Petri de Marca, & eum, ad defigendos Eccleſiaſticæ ac ſæcularis juriſdictionis terminos, arbitrum lubens non conſtituat, audiens quomodò circa Canonum executionem ſuas Eccleſiæ partes, Principibus ſuas, ſervet lib. 4. cap 1. n. 2. *ſi propriè loqui velimus*, inquit, *executio Canonum juriſdictionem Eccleſiaſticam reſpicit: cujus partes ſunt, ut judicia Canonica reddat; pœnis canonicis, ideſt excommunicatione, degradatione, & ſuſpenſione, & cæteros ejuſmodi reos plectat, &, ut omnia uno verbo complectar, ligandi & ſolvendi Pontificium exerceat. Tuitio verò Canonum à Principibus pendet, quæ Canonum cuſtodiæ proſpicit, & nullitatem rerum adverſus Canones geſtarum aliquando declarat, atque omnia in integrum reſtituit, ſed ultrà non progreditur, ſcilicet ad executionem Canonum, quam ab Epiſcopis implendam indicit. Non ergò eâdem autoritate in rebus Eccleſiaſticis, ac in rebus ſæcularibus Principes utuntur.* Æqua videtur ſententia; ſi quis tamen verba attentè conſideret, in eis Autoris ingenium deprehendet. Nam Principibus executionem Canonum, quæ ſine cauſæ cognitione fieri poſſet, negat, declarationem nullitatis geſtorum adversùs Canones concedit : quo pretextu negotiorum omnium judicium ad ſe trahere poterunt. Eccleſiæ eſt illam nullitatem declarare, Principum autem, poſt hujuſmodi declarationem, Eccleſiam juvare ad omnia in integrum reſtituenda. Sed quid largitur Eccleſiæ Marca ? Non vult ut Princeps Canones exequatur, ſed ei tribuit ut eorum executionem

Patriarchis & cæteris Episcopis præcipiat, & malè gesta corrigat. Non enim vult observari gradus ad custodiam Canonum, quam Principibus tribuit. *Lex decernitur à Principe post constitutos Canones, quæ eorum executionem Patriarchis & cæteris Episcopis præcipit. Eadem lex in acta Præfectorum Prætorio refertur; qui una cum Præsulibus Provinciarum violari Canones prohibent. Et, si infracti fuerint, ea de re ad Principem referant, qui malè gesta corriget.* Præposterus est ordo, nisi in executione, sicut in conditione Canonum, Ecclesia præcedat. Non enim debent Principes illorum executionem pœnis à se constitutis urgere, quamdiu pœnis spiritualibus Ecclesia illam executionem obtinet: *ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem,* quemadmodùm loquitur S. Isidorus Hispalensis de summo bono lib. 3. cap. 53.

8. Sed quod addit ibidem prædictus Marca, Ecclesiasticam jurisdictionem manifestè lædit; *Inter cæteras autem pœnas, quas in Episcopos, & Clericos eâ lege constituit* (Justinianus scilicet Novell. Const. 123. *Frequens est expulsio à Sacerdotio; quam vi constitutionis suæ fieri diserte præcipit, aliosque in depulsorum locum subrogari.* Depositionem Episcoporum, & aliorum institutionem vi Canonis, aut sententiæ Ecclesiasticæ, non autem constitutionis Principis fieri debere indubitatissimum est. Nec juvat, quod affert Marca numero sequenti, Justinianum in Musæo suo cum peritioribus Episcopis de rebus Ecclesiasticis tractare solitum. Quis enim nesciat nullo unquam tempore defuisse Præsules, etiam doctrinâ conspicuos, qui Principibus Ecclesiæ jurisdictionem usurpantibus abblandirentur.

9. Nisi Autor desiderio protendendæ Principum jurisdictionis excœcatus fuisset, quomodò potuisset non advertere primum exemplum, scilicet Anthimi à Sede Constantinopolitana remoti, id, quod probare intendit, validissimè confutare. Etenim quamvis Anthimus ab Ecclesia Trapezuntina in Diœcesi Pontica, ad Sedem Constantinopolitanam sola Theodoræ Augustæ autoritate, absque Synodi judicio translatus fuisset, atque adeò Canones apertè violasset, nec ulla videretur requiri causæ cognitio; tamen Justinianus S. Agapeti Romani Pontificis sententiam expectavit, eamque deinde executus est, Invasorem illum expellens. Hoc ni-

nihilominùs exemplo utendum sibi putavit Marca (ita scilicet efficacia sunt ejus argumenta) quia Marianus libellum in actis Synodi Constantinopolitanæ sub Menna actione prima insertum, & ab omnibus Provinciæ Hierosolymitanæ & secundæ Syriæ Abbatibus subscriptum, Justiniano adversùs Anthimum obtulit, in quo leguntur hæc verba; *Vos piissimi, valentes ipsos extraponere, tamen Canonicum judicium à Romano Pontifice in ipsum Anthimum, & in prædictos Hæreticos benefaciendo audire voluistis*, & cætera, quæ Marca non est ausus referre, quia manifestè contraria sunt ei, quod hinc concludit; liberum scilicet fuisse Justiniano Anthimum removere, quamvis id à Pontifice Romano fieri maluerit. Voxilla, *valentes* potentiam Imperatoris innuit, non autem jus, ut manifestè patet ex sequentibus, quæ apertissimè declarant, necessarium omninò fuisse Romani Pontificis judicium, ut res legitimè gererentur, & ejus executorem tantùm fuisse Justinianum. Eam habent sententiam illa verba; *Canonicum judicium à Romano Pontifice in ipsum Anthimum, & in prædictos hæreticos benefaciendo audire voluistis.* Maximè cùm ageretur de causa fidei.

10. Sed ne conjecturis locus daretur, aut interpretationibus, ipsimet libelli autores protinùs probant, debuisse Justinianum Romani Pontificis audire sententiam, eique exequendæ suam operam præstare. Subjungunt enim; *Illo persuasi, qui dicit: interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi, seniores tuos & dicent tibi.* Ne quis autem illa de consilio interpretaretur, non de præcepto, prosequuntur in hunc modum: *& Apostolo dicente. Obedite Ducibus vestris, & subditi estote; ipsi enim vigilant pro animabus vestris tanquam rationem reddituri, &c.* Posteà Imperatorem obsecrant, ut Agapeti judicium exequatur; *Obtestamur itaque vestrum Imperium (licet temerarium quid faciamus) per magnum Deum Salvatorem nostrum Jesum Christum, qui protegat honorabile Imperium vestrum, & omnem inimicum, & hostem propter vestram rectam fidem vobis subjiciat, non contemnere justum judicium prædicti S. Viri, sed ipsum exequi, & Ecclesiam Dei, ac totum mundum liberare à peste Anthimi, & prædictorum Hæreticorum.*

11. Secundum exemplum est Irenæi post binas nuptias, contra Canones Apostolicos, Tyriorum Episcopi facti, & ab illa Ecclesia nullâ prævîâ damnatione canonicâ, solo Principis Imperio dejecti. Sed primo tenuis autoritatis est in hac

materia exemplum Theodosii Junioris, quem in aliis multis ultra suæ potestatis limites constat excurrisse per id maximè tempus, cùm abfuit à Curia sancta Pulcheria. Secundò ex eo quod Imperatoris Edictum sententiæ Synodicæ meminerit, non sequitur nullam præcessisse. Cùm enim & antea, & post Episcoporum destitutio sub Imperatoribus etiam hæreticis, ut Constantio, fieri non consueverit, nisi post alicujus, vel legitimi, vel illegitimi Concilii judicium, cur in isto tantùm casu, ac pauciſſimis aliis, prætermissum hunc ordinem putabimus? Tertiò, etsi revera prætermissus est, cur ex isto exemplo potiùs quàm ex innumeris aliis contrariis, juris controversia dirimenda esset; præsertim cùm illud juri communi repugnet? Quartò, sed colligitur ex epistola 110. Theodoreti, quæ est ad Domnum Episcopum Antiochenum, postulatum ea de causa fuisse Concilium. In ea enim epistola Theodoretus postquam probavit, ritè ordinatum fuisse à se Irenæum, quem multifariam commendat, addit; *Et impium ducimus hominem condemnare, qui multis & variis rebus optimè gestis est exornatus.* Petebatur igitur ab Episcopis condemnatio Irenæi.

12. Minus valet tertium exemplum, scilicet Petri Moggi à Sede Alexandrina Zenonis Imperatoris jussu expulsi. Destituebat enim, & restituebat impius Zeno Episcopos, tanta cum temeritate, sæpe tanta cum injustitia, ut mirum sit non puduisse Petrum de Marca in ejus exemplis Principum jura fundare. Eundem Petrum Moggum, quem anno 477. à Sede Alexandrina Zeno dejecit, anno 482. in eandem Sedem hæreticus hæreticum revocavit. Petrum Fullonem hæreticum Apollinaristam, & Eutichianum Antiochenæ Ecclesiæ amoto Martyrio, præfecit. Timotheum Ælurum sacrilegum ab Ecclesia Alexandrina destituit, & restituit; & alia patravit his similia.

13. Potest in hac etiam parte versatile Autoris ingenium observari. Num. 1. distinguens tuitionem Canonum ab executione, istam Ecclesiæ, illam Principibus tribuit: Num. 4. Principibus in executionem Legum ad Canonum tuitionem editarum, facultatem concessit, Episcopos à suis Sedibus expellendi, & alios subrogandi, quod tribus exemplis suprà dictis probare conatus est num. 5. & 6. In hoc ultimo nume-

mero vulnus Ecclesiæ illatum linit declarans, *hæc omnia à Principibus acta jure quodam extraordinario; idq; in apertissima Canonum violatione, quæ nullâ causæ cognitione, nec Judiciorum solemnibus indigebat; sed in mera facti executione versabatur.* Quibus verbis nonnihil restricta videtur Principum in Episcopos licentia. Sed ne Principes de illa restrictione quærantur, rursus asseritur illis Episcoporum expulsio à Sede. *Deturbationem enim illam*, inquit, *quæ vacantem Ecclesiam redderet, sui arbitrii esse putabant.* Sufficiet sanè Principibus hoc arbitrium; cognitionem enim causæ necessariam non fuisse dicentibus quis contradicet? Num fiunt inquisitiones à Ministris Regiis, antequam in exilium mittantur per litteras, parvi sigilli, quæ in Gallia, *de Cachet*, dicuntur, qui ad Aulæ voluntates ægrè se accommodant? Iterum illa in Episcoporum Sedes aliorum subrogatio, sine sententia canonica, ita injusta unicuique apparet, ut ab ea Christianissimi Reges, qui aliquam Religionis, ac justitiæ laudem consecuti sunt, semper abstinuerint. Fatetur ergo Autor, quod *pœnam illam expulsionis, cum vacatione Episcopatus hodiè irrogare non possint Principes, ob eas causas*, inquit, *quas tom. 2. exponam.* Tomum secundum etiamsi plus 20. annis supervixerit, ipse publici juris non fecit, ut certò scire possimus, quæ sint illæ causæ. Sed vox *hodiè* justum creat timorem, fore ut causæ illæ, Principum intentioni, si pœnam expulsionis cum vacatione Episcopatus irrogare voluissent, nequaquam obstitissent.

CAPUT IV.

De autoritate Imperatoribus à Domino de Marca tributa circa judicia Ecclesiastica.

1. OBservat Marca lib. 4. cap. 2. duplici modo restitutos ab Imperatoribus violatos Canones, scilicet vel latis legibus, quibus innovationes ultra progredi vetarent, vel amotâ specialiter alicujus Canonis violatione, si quis ad eos querelam suam deferret. Hujus ultimi modi quatuor profert exempla. Primum Eusebii Dorylæi Episcopi, apud Impera-

torem Marcianum de injuriis ſibi à Dioſcoro illatis conquerentis. Secundum Baſſiani Epheſini quondam Epiſcopi, eidem Imperatori ſe injuſtè depoſitum exponentis. Tertium Eunomii Nicomediæ in Bythinia Epiſcopi, auxilium ejuſdem implorantis adverſus Anaſtarii Nicæni, à quo uſurpatam ſuæ juriſdictionis partem querebatur, invaſionem. Quartum S Athanaſii ad Conſtantinum confugientis adverſus Arianos. Sed hæc exempla docent, quomodò ſe gerere debeant Principes, dum ab Epiſcopis, aut aliis, eorum invocatur autoritas; ut ſcilicet querelas hujuſmodi ab Eccleſia examinari, & terminari procurent; quemadmodum Marcianus trium ſupradictorum Epiſcoporum Libellos ad Concilium Chalcedonenſe, cujus actis inſerti ſunt, remiſit. Actione namque prima judicata eſt cauſa Euſebii, & Talionis pœna, ideſt depoſitio indicta Dioſcoro, à quo depoſitus fuerat. Confirmata eſt actione 11. & rurſus 12. addito quodam temperamento, Baſſiani depoſitio. Actione 13. dirempta eſt controverſia de juribus Epiſcoporum Nicomediæ & Nicænæ.

2. Sed quare ad Marcianum confugerant, ſi Concilii erat eas cauſas judicare? Primo quia tantus erat rerum in Concilio tractandarum numerus, ut metuerent illi Epiſcopi, ne ſine litteris Imperatoris non audirentur. *Quoniam*, inquit Eunomius in Libello, quem Valentiniano, & Marciano porrexit, *audientia in dilationem cedit, & formidamus ne ſortè dimiſſo Concilio jura noſtra vacuentur; ſupplicamus nutu Veſtræ Majeſtatis audientiam noſtram ſine dilatione fieri.* Deinde ut libentiùs exequendo judicio Imperatores operam præſtarent, eo magis neceſſariam, quod vis illata plerumque dicebatur. Denique ut Concilium maturiùs, ac benevolentiùs cauſas diſcuteret, ac terminaret.

3. Illuſtrius & attentione dignius eſt quartum exemplum, nimirum S. Athanaſii, quem aſſerit Marca num. 4. à judicio Concilii Tyrii ad Conſtantinum Magnum appellaſſe, eo appellationis genere, quod Galli, *tanquam ab abuſu* nuncupant. Ecquis hujuſmodi appellationes damnare auderet, ſi tanti viri autoritate, ac exemplo gloriari poſſent? At certè S. Athanaſius ab inimicis ſuis opprimi, & crudeliſſimam mortem ſubire maluiſſet, quàm Eccleſiaſticæ juriſdictioni tam lethale vulnus infligi, quale hodiè in Gallia patitur ab appellationibus,

nibus, *tanquam ab abusu*. Expendamus exempli vim. Imperator Constantinus, qui jam pluries, scilicet Episcopis Concilii Nicæni, & Donatistis, ut tradunt Sozomenus lib. 1. cap. 17. Ruffinus lib. 1. cap. 2. Nicæphorus Callistus lib. 8. cap. 16. S. Optatus Milevitanus lib. 1. contra Parmenianum, S. Augustinus epistola 166. declaraverat Episcoporum judicium ad se non pertinere, victus tamen importunis Arianorum precibus tandem concessit, ut Synodus Tyri in Phœnicia haberetur sexaginta Episcoporum, quos, ut libuit, elegit, vel potiùs quos Ariani voluerunt, ad quos scripsit Imperator; *Scripsi ad quos volebatis Episcopos, ut vestras curas & solicitudines præsentia & laboribus suis adjuvarent* apud S. Athan. Apol. 2. Misit quoque illuc Dionysium Comitem virum Consularem, ut omnia ordinatè, ac pacificè geri curaret. Episcopi congregati omnem judiciorum ordinem pervertentes, accusati inimicos, inter Judices admiserunt: imò ipsi inimici suspectissimos homines, & apertissimos hostes delegarunt ad recipienda contra ipsum testimonia, quæ illo, & absente, nec vocato recepta sunt. Instat S. Athanasius cum Episcopis Ægyptiis, tum apud Episcopos, ne delegationem à paucis decretam communi calculo approbent, tum apud Comitem, ne causâ in tanta legum omnium violatione definiatur. Sanctus ille Patriarcha nullam justitiæ, nullam Religionis speciem in illo, non judicio, sed latrocinio, servari animadvertens, ad Constantinum ipsum recurrit, impetravitque, ut Episcopis evocatis, ipso præsente Imperatore, vim sibi posset illatam explicare. At Eusebiani, confictâ novâ calumniâ, eâque corruptis quibusdam testibus, qui olim à partibus Athanasii steterant, probatâ, Constantinum ementito illo crimine, ita commoverunt, ut S. Patriarcham in Galliam relegaret. Quia nimirùm S. Præsul accusabatur, quasi minatus fuisset se impediturum, quò minùs frumentum ab Ægypto Constantinopolim quotannis deferretur, quod huic urbi plurimum incommodi fuisset allaturum.

4. Quo circa primò notandum est Concilium illud Tyrium non solùm non legitimum, sed ne quidem Ecclesiasticum habitum fuisse, ut demonstrat epistola Concilii Alexandrini an. 339. quæ directa est ad omnes Ecclesiæ Catholicæ Episcopos;

copos ; *Quâ fronte*, inquiunt Patres hujus Concilii, *talem conventum Synodum appellare audent, cui Comes præsedit? Et ubi speculator apparebat & Commentariensis, sive Carcerarius pro Diaconis Ecclesiæ adventantes introducebat? Ubi Comes verba faciebat, cæteri præsentes in silentio erant, vel potiùs Comiti obsequium suum accommodabant. Ubi quod communiter Episcopis placuit, ab illo impediebatur..... In summa dilectissimi, quæ species ibi Synodi, ubi vel cædes vel exilium, si Cæsari placuisset, constituebatur.* Et inferiùs. *At præclari Eusebiani quo veritatem scriptaq; sua obliterent, nomen Synodi suis actis prætexunt, cùm res ipsa negotium Imperatorium non Synodale haberi debeat, quippè ubi Comes præsideat, & Milites Episcopos sub satellitio cingant, & Imperatoria Edicta, quos ipsi volunt, coire compellant..... Si veluti Episcopi sese Judices volebant esse, quid opus erat vel Comite, vel Militibus, aut Edictis, ad coeundum, Imperialibus?* An ex hujusmodi cœtu duci debuit argumentum, quo Principibus jus quæratur delegandorum Judicum in causis Episcoporum? An hinc probari possent appellationes tanquam ab abusu, nisi fortè ab abusu sæcularis potestatis? Non enim appellavit Athanasius Constantinum tanquam Judicem criminum impositorum sibi, vel rei in legitimo Concilio gestæ; sed vim sibi sub Comitis autoritate factam ab Imperatore, qui eum miserat, reparari postulavit.

5. Appellationis quidem mentionem faciunt Episcopi Orientales, qui se à Concilio legitimo Sardicensi segregaverant, & seorsim se congregarant, in epistola sua Synodica apud S. Hilarium in fragmentis. Sed ipse S. Athanasius Apologiâ secundâ non appellationem à sententia Ecclesiastica, sed querelam adversùs hostes suos se detulisse profitetur his verbis. *Nos autem adito Principe, qui Synodum indixerat, in qua ipsius Comes præsiderat, Eusebianorum scelera patefecimus.*

6. Notandum est secundò, S. Athanasium Concilii Tirii autoritatem non approbasse, licet ad illud accesserit: quia nimirùm invitus. *Mihi*, inquit Apol. 2. *scribitur ut adsim, atque adeò necessitas veniendi injungitur, ut nisi venirem, invitus adducerer.*

7. Denique S. Athanasius ad Constantinum recurrit, non per appellationem à judicio legitimi judicis, sed per supplicationem adversùs vim, Imperatoris ipsius autoritate sibi illatam in cœtu inimicorum, præsidente Comite ac opitulantibus militibus, S. Patriarchæ adversariorum furori obsequentibus.

tibus. Quocirca S. Athanasius, ut à Concilio legitimo sua causa discuteretur, à Constantino postulavit: vel, si petitio adeò justa repelleretur, saltem iniquis adversariis ad se opprimendum arma Imperator non ministraret: ideoque & suam innocentiam, & illorum iniquitatem sibi exponi pateretur. Constantinus autem intelligens, quò Athanasii preces tenderent, simul pollicitus est, & causam ad Concilium tanquam ad legitimum Tribunal deferendam, & se nihilominus partes auditurum, ne non Canonum executioni, sed eorum violationi patrocinaretur. *Imperator*, inquiunt Episcopi Concilii Alexandrini apud S. Athanasium Apol. 2. *Rei indignitate motus scriptis suis accusatores citat, suamq; ipsius audientiam promittens, simulq; Synodum indici jubet.*

8. In hoc etiam capite curavit Autor verbis quibusdam lenioribus, Ecclesiæ de usurpata sua jurisdictione conceptum dolorem mitigare. Nam num. 4. cognitionem de judiciis Ecclesiasticis ab Imperatoribus susceptam dicit; *Eo tantùm fine, ut illis de violentia constaret, quam deindè amoveri procurarent.* Sed num. 6. ait, *Dolum, calumniam, & hostium, qui in illo Concilio* (Tyri) *Judices sedebant, gratiam, Athanasio, & Ægyptiis occasionem dedisse, ut Judicis Ecclesiastici cognitionem ad Consistorium Principis transferrent.* Quando autem prætextus *doli, calumniæ, Judicum suspicionis* deficiet volentem judicia Ecclesiastica trahere ad Principes?

9. Adde, quod num. 3. dixerat, non solùm Canonum custodiam Principibus commissam esse, sed etiam Civium, & præcipuè Clericorum patrocinium, & tranquillitatis publicæ curam ad eos spectare. Quâ occasione nulla erunt judicia Ecclesiastica, quæ ad Principes non pertineant, cùm nulla sint, in quibus Cives, vel etiam Clerici injuriam sibi per violatos Canones factam non obtendant, si causâ ceciderint.

CAPUT V.

De autoritate Principibus attributa circa alios jurisdictionis articulos.

1. GRaviùs & apertiùs jura Ecclesiæ violant, quæ Marca cap. 3. ejusdem libri 4. Principibus tribuit, quare invidiam, in quam se incursurum agnovit, avertere his verbis num. 1. fatetur, *Quamvis pleraque à nostris moribus sint aliena, atque adeò in usum deduci non possint, quin apertè Sacerdotii, & Imperii concordia violetur.* Quæ verba nos ab onere illa examinandi liberarent, nisi periculum esset, ne, mutatis *Gallorum moribus*, justè usurpari posse crederentur.

2. Primò ergò Imperatores Romanos à Sacerdotibus interpellatos dicit, Judices dare potuisse, sed Clericos, qui de negotiis Ecclesiasticis sententiam ferrent. Id si ità intelligeret, ut licuerit Imperatoribus consensum, imò, & operam dare, ut congregaretur Concilium, cujus erat de illis judicare, non facilè redarguendus esset, & menti ejus faverent testimonium Concilii Milevitani II. quod refert, & exemplum, quod hìc repetit, Imperatoris Marciani, qui Bassiani à Sede Ephesina depulsi, & Eusebii Dorylæi Episcopi causas remisit ad Concilium Chalcedonense. Sed quod ait num. 3. *Non solùm autem eis Episcopis judicium delegabant, qui ordinario jure intra Provinciam suam judicium ferre possent; sed etiam extra Territorium jurisdictionem aliquando prorogabant.* Hoc, inquam, aliquando de facto, nunquam sine injuria contigit.

3. In eo enim exemplo, quod attulerat num. 1. Cæciliani scilicet à Donatistis injustè damnati, Constantinus dum Donatistas graviter objurgavit, ut fatetur Autor, quod se criminis Ecclesiastici Judicem esse postularent, satis testatus est se Judicibus extraordinariis causam delegare non potuisse, quamvis importunitati Donatistarum cesserit. Non enim jurisdictionem delegatam confert, nisi qui ordinariam formaliter aut eminenter possidet. Præterea, cùm summus Pontifex causarum hujusmodi legitimus esset Judex, ordi-

nem

nem Canonicum sequebatur Constantinus, partes ad eum mittens. Episcopos autem, quos Melchiadi adjunxit, cùm ex ejus essent Patriarchatu, Judices esse cum illo nihil vetabat. Nec tamen soli tres illi, quos miserat Constantinus, judicio interfuerunt cum Melchiade, ut patet ex illis S. Augustini verbis epist. 166. *Quod & factum est in urbe Roma Præsidente Melchiade Episcopo illius Ecclesiæ cum multis collegis suis.* Et clariùs ex S. Optato Milevitano, qui lib. 1. contra Parmenianum quindecim Italos Episcopos, quorum nomina & Ecclesias recenset, cum supradictis convenisse testatur, ut ex novemdecim conflatum fuerit Concilium.

4. Cæterùm S. Augustinus epistolâ 162. non adstruit jurisdictionem Melchiadis à delegatione Imperatoris, quasi Pontifex ab eo potestatem aliquam mutuatus fuerit (ea enim erat causæ conditio, ut absque Romano Pontifice ritè definiri non posset, quemadmodum confitetur ipse Marca) sed Donatistis os obstruit, ne Judicem incompetentem fuisse conquerantur; tum quia legitimus erat; tum quia fuerat à Constantino, à quo ipsi Judices postularunt, nominatus. *An fortè*, inquit S. Augustinus, *non debuit Romanæ Ecclesiæ Melchiades Episcopus cum Collegis transmarinis Episcopis illud sibi usurpare judicium, quod ab Afris 70. ubi Primas Tingitanus præsedit, fuerat tentatum. Quid quod nec ipse usurpavit: rogatus quippè Imperator Judices misit Episcopos, qui cum eo sederent, & de tota illa causa quod justum videretur, statuerent. Hoc probamus & Donatistarum precibus, & verbis ipsius Imperatoris.* Undè convincuntur Donatistæ Melchiadem recusari ab ipsis non posse, utpotè à Constantino, à quo ipsi Judices petierant, assignatum.

5. Sed quâ ratione probat Marca istam facultatem Imperatorum, Judices aliundè jurisdictionem non habentes, committendi? Autoritate S. Cyrilli Patriarchæ Alexandrini, & Memnonis Episcopi Ephesiorum, conquerentium in libello, quem Concilio Ephesino porrexerunt, in cujus actis habetur parte secundâ act. 4. se à Joanne Antiocheno depositos, licet ille *nec per leges Ecclesiasticas, nec per Imperiale Decretum potestatem haberet*; ex quibus ultimis verbis infert Marca per Imperiale Decretum posse constitui Episcoporum Judices, qui aliundè jurisdictione in illos careant, ut Patriarcha Antiochenus in Patriarcham Alexandrinum, & in Episcopum Ephesinum nul-

lam habet. Infirmum sanè argumentum. Nam eo tempore concurrebant Imperatores cum autoritate Ecclesiasticaad convocationem Conciliorum, in quibus tractabatur depositio Episcoporum. Ad illum igitur usum, qui tunc frequentissimus erat propter rationes alibi notatas, non ad jus quoddam imaginarium, aut certè sacrilegum, deponendorum autoritate sæculari Episcoporum, referenda sunt hæc verba Cyrilli, & Memnonis. Etenim libellus sic incipit; *Pium* (Imperatorum nostrorum) *Edictum, & nos & vestram Sanctitatem in hanc Ephesiorum Metropolim, eâ de causa convenire jussit, ut & rectum Apostolicæ Fidei decretum communi sententiâ confirmetur, &c.* Huic Ephesini Concilii convocationi opponunt, quæ de conventiculo Joannis Antiocheni dicunt; *Nec per leges Ecclesiasticas, nec per Imperiale Decretum potestatem habuit, quâ sultus, vel quempiam ex nobis judicare, vel omninò simile quidpiam attentare posset.* Evidentiùs demonstraturi erant duo illi Episcopi depositi sententiæ adversùs se latæ injustitiam, etiam Imperiale Decretum excludendo: non quod posset tale Decretum jurisdictionem non habenti conferre, sed quia colorem aliquem, aut excusationem apud homines prætexuisset Antiochenus Patriarcha, si ad Episcopos sibi non subditos judicandos Imperiali Decreto coactus fuisset: ut ergò & prætextum necessitatis obediendi Principi, & legitimam excusationem concurrentis Imperatoriæ autoritatis cum Ecclesiasticâ ad convocandum Concilium, in quo depositi fuerant, atque adeò & fundamentum, & colorem justitiæ omnis defuisse ostenderent, etiam Imperialis Decreti defectum commemorarunt.

6. Non est prætermittendum quod ait Marca, Imperatores judicia à Patriarcha, vel Metropolitano, si qua esset contra eos suspicio, ad aliam Provinciam olim transtulisse. Nescio enim, an non hinc fortassis aliqua Galliæ Parlamenta patrocinium accerserent illi abusui, quo aliquando, interverso Tribunalium Ecclesiasticorum ordine, partes ad Judices non suos mittunt, etiam ubi de censuris agitur. Marcæ arridet mirum in modum gesta Theodosii Junioris, quia cùm ad concedenda, quæ rogabatur, puerili facilitate promptus esset, plurima patravit legitimam suam superantia potestatem. Refert igitur Marca exemplum Theodosii Junioris, qui judicium

Ibæ

Ibæ Edeſſenorum Metropolitani, nec non Joannis, & Danielis Epiſcoporum Provinciæ Oſrhoænæ de hæreſi accuſatorum, à Domno Patriarcha Antiocheno, apud quem jam fuerat lis conteſtata, ad Photium Epiſcopum Tyri, & Euſtathium Beryti Provinciæ Phœniciæ, cum Uranio Himeriorum Epiſcopo avocavit, quod patet ex ejus reſcripto inter acta Concilii Chalcedonenſis act. 10. Sed uſurpatum fuiſſe judicium illud ex ipſa rei naturâ fit evidens.

7. Sanè ſi hæc poteſtas penes Principes eſſet, Canonum non ſolùm tuendorum, ſed etiam evertendorum facultatem haberent; cum à Conciliis etiam generalibus ſtatutum ſit, ut cauſarum Eccleſiaſticarum judicia in propriis Provinciis exerceantur. Is enim eſt, nominatim Canonis Nicæni ſenſus, ad quem reſpexerunt S. Joannes Chryſoſtomus, & Theophilus Alexandrinus, cùm Arcadius Theodoſii Junioris Pater Theophilum à S. Joanne Chryſoſtomo, & mox S. Joannem Chryſoſtomum à Theophilo judicari præcepiſſet. Nam Imperatoris delegationem hujuſmodi uterque tanquam Canonibus contrariam improbavit, quippe cum neuter alteri eſſet ſubditus: eam tamen Theophilus, qui, quo minùs adverſum ſe uſurparetur, inſtiterat, adverſus S. Chryſoſtomum acceptavit, aliâ in eum menſurâ utens, quàm quæ adverſus Theophilum ipſum à S. Joanne Chryſoſtomo adhibita fuerat. Conſtat hoc epiſtolâ ejuſdem ſancti ad ſanctum Innocentium primum. *Cùm Theophilus*, inquit, *cauſam dicere nollet, meque urgerent Accuſatores ejus, vocavit nos Imperator pientiſſimus, & juſſit, ut iremus ad locum in quo ille agebat, & illic ea, quæ contra illum dicebantur, audiremus. Nos autem ſcientes leges Patrum, virosque honorem deferentes, habentes etiam ſuper hac re ejus litteras, oportere in quibuſque Provinciis ſua negotia tractari, neque extra limites illarum trahi, vehementer detrectavimus, ne cauſam ſuſciperemus judicandam. Deinde congruum non eſt, ut qui in Ægypto ſunt, judicent eos, qui in Thracia.* Et infrà; *Domini mei maxime venerandi, & pii, ſtudium veſtrum, & magnam diligentiam adhibete, quo retrudatur hæc, quæ in Eccleſias irrupit, iniquitas. Quippe ſi mos hic invaluerit, & fas fuerit cuivis in alienam paræciam irrumpere, idque ex tantis intervallis, & ejicere quos voluerit, & propria autoritate quævis pro libidine ſua facere, ſcitote quod brevi tranſibunt omnia, & totus Orbis premetur bello non indicto, omnibus ejectis, & omnibus ejicientibus.*

8. Sed & ipſi Accuſatores Ibæ profiteri non audent ſe Judices extraordinarios ſpontè poſtulaſſe, cùm potiùs agnoſcant poſt Patriarcham Antiochenum adeundum fuiſſe Concilium tam Orientale, quàm Occidentale. Sic enim habet Libellus Samuelis, & aliorum Presbyterorum Edeſſæ ad Photium, & ad reliquos Epiſcopos, contra Ibam. *Conſequenter & ſecundum Canones adeuntes Concilium tàm Orientale, quàm Occidentale, oportuit nos, & piiſſimum atque Chriſtianiſſimum Principem noſtrum pro his deprecari. Ex hoc ergò, & ſanctiſſimo noſtro Archiepiſcopo Flaviano pariter decernente, & cum piiſſimo noſtro Principe diſponente, à veſtra ſanctitate noſtrum exerceri negotium, advenimus parati nobis adeſſe.* Inter acta Concilii Chalcedon. act. 10. Recurrerant igitur ad Imperatorem, ut eorum cauſa ejus favore à Concilio Orientali, & Occidentali audiretur.

9. Domnus injuriam ſuæ juriſdictioni ab his Clericis illatam graviter conqueſtus eſt in ſuo Concilio Antiocheno, cùm ad cauſæ judicium ſeſe accingens eorum quoſdam ad Imperatorem recurriſſe audivit. *Manifeſti ſunt*, inquit, *deſertores, & excommunicationem, & Apoſtolicum hunc thronum contemnentes, & ſe ipſos ſubmittentes majori damnationis ſupplicio.* Inter acta Concilii Chalcedonenſis act. 10. Non ergo ſine Canonum violatione, ſine legitimorum Judicum injuria, & ſine ſæcularis poteſtatis abuſu, tranſlata ſunt ab una Provincia in aliam per Imperatores, Eccleſiaſticorum negotiorum judicia.

10. Iniquius eſt, quod in reliquâ hujus cap. 3. parte probat, & jus vocat Marca; ſcilicet Principes ordinem à Conciliis etiam Oecumenicis ſervandum præſcripſiſſe, eam obſervationem per Comites ad id miſſos curaſſe; imò, ſi quid præter eum ordinem attentatum fuiſſet à Concilio Oecumenico, in irritum miſiſſe; quis tanquam Judex; quis tanquam reus ibi habendus eſſet, ſtatuiſſe; nec non cujus Concilii Decretorum habenda eſſet ratio, ut ab eo non poſſet appellatio interponi; cujus autem ſententia non eam vim habere deberet. Neſcio an ſalvâ fide tanta Principibus ſæcularibus in Concilia tribui poſſit autoritas. Sed quæ ſunt illius juris fundamenta? Exemplum Theodoſii Junioris ea, quæ à Concilio Epheſino geſta fuerant contra Joannem Patriarcham Antiochenum, alioſque Epiſcopos Orientales, reſcindentis,

dentis. *Eo etiam*, inquit Marca, *quod à forma litteris suis præscripta temerè discessum fuisset. Liberum enim sibi Principes existimabant, ut rerum gerendarum ordinem etiam Conciliis Oecumenicis præscriberent.* Magis videntur expressa verba numeri 3. capitis 22. libri 6. *At non fortuitò aut per occasionem Synodus deliberat de materia à Rege proposita; sed quia inter jura Regia & hoc etiam eximium est, ut Conciliorum cognitionem Principes intra certos limites coerceant, servato quoque ordine præscripto. Modus hic agendi deprehenditur in litteris Imperatoris Theodosii pro convocatione Concilii Ephesini primi, atque item secundi.* Sed Theodosii fuit illa temeritas: & indignum est, ut proponatur in exemplum, factum, quod tum ab omnibus aliis scriptoribus Catholicis dedecori Theodosio vertitur, tum ab ipsomet Imperatore improbatum est, ut patet ex actis Concilii Ephesini parte 3. cap. 14.

11. At, inquies, improbatum est, quia injustum in se, non quia ab illegitima potestate. Nec enim Synodus expostulavit cum Theodosio de usurpata jurisdictione, sed de obreptione ob falsam Candidiani Comitis relationem. Quasi verò liberum sit omnia injustitiæ capita Principibus à perversis Ministris seductis objicere; & non cogat potius illorum potentia, quæ minus placent, idest quæ potestatis limitum admonent, silentio involvere: quæ autem minùs ægrè ferunt delicatæ illorum aures, scilicet alienum mendacium, ac rei veritatem exponere, dummodò hoc satis sit, ut damnum illatum reparetur.

12. Nec minùs improbum fuit aliud factum Theodosii, cùm in Conciliabulo secundo Ephesino eum cognitioni Synodi ordinem præscripsit, ut Flavianus Episcopus Constantinopolitanus inter reos haberetur, eo quod sententiam adversus Eutichem dedisset; licet secùs actum fuisset antea erga Episcopos Orientales, qui Antiochiæ in S. Athanasium sententiam dixerant. *Discrimen*, inquit, Marca in fine hujus cap. 3. *ex eo proficiscitur, quod Concilii Antiocheni ratio habita fuit perinde ac si appellari ab ejus judicio non posset, sed tantùm retractationis cognitio institui, ut fieri solebat adversus sententias Præfectorum Prætorio. At Synodus Flaviani non eo jure potita est, sed eo loco habita, ac si ab ea provocari possit. Quod non alia ratione nitebatur, quam mero Theodosii arbitrio, qui ordini hujus cognitionis, quas voluit leges præscripsit, etsi à cæterorum judiciorum ordine alienas.* Hujus doctrinæ, ac similium Autores,

Ec-

Ecclesia Gallicana suarum libertatum vindices tantopere laudat, tantique facit. His adminiculis suffulciuntur celebres illæ libertates. Illi sunt Canones, illa Patrum traditio, quibus nituntur, nempe exempla violatorum ab Imperatoribus sanctiorum Ecclesiæ jurium.

CAPUT VI.

An possint Principes Synodalium sententiarum effectum suspendere, atque à Judicibus Ecclesiasticis appellationes in causis etiam Ecclesiasticis recipere.

1. RUrsus exemplum Theodosii junioris adhibet Marca lib. 4. cap. 4. num. 1. ut probet Principes posse sententiæ in judicio Ecclesiastico latæ executionem suspendere, novâ Synodo ad causam iterùm tractandam indictâ; quia nimirùm, licet Cælestinus summus Pontifex cum Concilio Romano, & eum secutus Cyrillus cum Concilio Alexandrino, Nestorium à communione Ecclesiæ Catholicæ segregassent, nisi intra decem dies, ab admonitionis tempore numerandos, nefandam suam hæresim anathematizaret, Theodosius Synodum generalem Ephesi celebrandam indicens, Romanæ & Alexandrinæ sententiam interim effectum sortiri vetuit, quod ex eo colligit, quod Nestorius tanquam Episcopus ad Synodum vocatus, & in Synodo nominatus fuit. Sed, quam habuit vim suspensio sententiæ à Conciliis Romano & Antiocheno contra Nestorium prolatæ, ea non Imperatoris Edicto, sed summi Pontificis indulgentiæ adscribenda est. Consultus enim Cælestinus Romanus Pontifex à S. Cyrillo paulò ante Concilium Ephesinum, utrùm Nestorius tanquam Episcopus habendus esset, quippè cùm effluxisset tempus induciarum ei ad anathematizandum errorem concessarum, respondit supersedendum exequendo judicio. Quæstio S. Cyrilli concepta his verbis erat; *Utrùm sancta Synodus recipere debeat hominem à se prædicata damnantem, an, quia induciarum tempus emensum est, sententia dudum lata perduret.* Respondit summus Pontifex; *Super hac utique consultatione communi, communem Dominum consulamus. Nonne nobis respondet illico*

illicò per Prophetam, mortem se nolle morientis; & per Apostolum Paulum omnem hominem velle salvum fieri, & venire ad scientiam veritatis? Nunquam displicet Deo accelerata in quocumque correctio. Epistolâ Cælestini ad Cyrillum, Labbe tom. 3. Concil. Ephes. act. 2.

2. Quomodò potuit Catholicus Autor in animum inducere, excommunicationis, & depositionis vim & effectum Edicto Imperiali suspendi. Hæc propositio, si de jure, ac in ordine ad conscientiam intelligatur, hæresis labe non carebit. Quamobrem de facto interpretari eam malumus; ut scilicet Principes pro eâ, quâ pollebant, potentiâ impedirent, aut remorarentur nonnunquam judiciorum Ecclesiasticorum executionem: hoc autem ab eis legitimè tunc tantùm fiebat, cùm præeuntem, ac rogantem Ecclesiam sequebantur. Eorum enim auxilium implorare cogebantur Pontifices, & Synodi adversùs contumaces, & interdum rabidos Ecclesiæ hostes, ut videre est in exemplis ab Autore relatis num. 2. & 4. ejusdem cap. 4. scilicet S. Leonis Theodosium interpellantis, ut suspendi juberet executionem secundi Concilii seu Latrocinii Ephesini, nec non Legatorum sanctæ Sedis invocantium auxilium Judicum in Synodo Chalcedonensi, adversùs illius Synodi decreta, quæ Canonibus Nicænis erant contraria. Absurdum autem est, eam Legatorum petitionem appellatione tanquam ab abusu explicare: quasi Judices à Martiano delegati fuissent ad judicandas appellationes de Canonibus violatis interjiciendas, & ad eos appellassent Legati S. Leonis à Concilio Chalcedonensi, suis Canonibus Canones Nicænos violante.

3. Jus aliud, inquit Marca num. 6. à Justiniano continuatum, vel institutum legimus, scilicet, ut ab Episcopis Imperatoris rescripto delegatis ad controversiam Ecclesiasticam dirimendam, Princeps ipse appellaretur. Sed in Justiniani loco, quem refert ex novel. 123. cap. 21. causarum Ecclesiasticarum nulla fit mentio. *Si tamen* (verba sunt Justiniani à Marca exscripta) *Imperiali jussione, aut judiciali præcepto Episcopus judicat inter quascumque personas, appellatio ad Imperium, aut ad eum, qui transmisit negotium, referatur.* Verba illa, *inter quascumque personas*, indicant potiùs causas profanas, quæ si Episcopis, ut fiebat interdum, commissæ fuissent, & ab eo-

rum sententia fuisset appellatum, ad committentem perferenda erat appellatio, inter quascumque personas esset controversia, ideſt etiamsi Clericatus honore essent insignitæ, quia res non persona tunc attendebatur. Quæ interpretatio ex eo, quod præcedit, confirmatur. Statuit enim Justinianus, ut, si Judex sententiam Episcopi in causa contra Clericum aut Monachum sive Monacham, justam cognovisset, eam executioni demandaret, amotâ omni appellatione. Si Judex injustam declarasset, posset ab ejus declaratione appellari secundùm legum ordinem; ideſt, ad legitimum Superiorem secundùm rerum conditionem. Addidit posteà verba suprà relata, quibus decernit in causis delegatis ab Imperatore aut alio, ad ipsum delegantem esse appellationem emittendam, sine personarum distinctione. Sed si de causis profanis id non accipitur; quid aliud effecit Imperator, quàm culpam addidit culpæ, & primam causæ cognitionem delegans, & appellationem sibi reservans?

4. Hoc delegationis genus S. Gregorio non ingratum fuisse colligit Marca ex iis, quæ gesta sunt in causa Adriani Thebanæ Civitatis Episcopi: sed fruſtrà. Cùm Adrianus à Diaconis suis accusaretur de pecuniariis, criminalibusque capitulis, Mauritius Imperator Joanni Episcopo Lariſſæ causam commisit. Sed cur placuit Marcæ hanc delegationem vocare? Cùm enim prædictus Joannes Metropolitanus esset Adriani, an, qui ex tot Canonibus Ecclesiasticis Judex erat, Principis indigebat delegatione? De pecuniariis quidem permisit Imperator, ut Metropolitanus ferret sententiam; de criminalibus verò post examen ad se referri voluit.

5. Si tam religiosus fuisset Marca in conservandis summorum Pontificum juribus, quàm in extendenda Regum potentia profusus; factum illud ita fuisset interpretatus, ut Mauritius ordinem canonicum secutus, Episcopum ad proprium Metropolitanum remittens, pecuniarias quidem causas ab eo definiendas duxerit, criminarias verò tantùm examinandas; ut, si fortè reus deponendus esset, Romani Pontificis sententia requireretur. Agebatur enim de neglecta ab Adriano correctione Stephani Diaconi turpem vitam degentis, & de negato Baptismate Infantibus, non recepto illo Sacramento de-

defunctis, ut refert S. Gregorius regest. lib. 2. epist. 46. quæ est 7. indictionis 11. Nec careret optimis conjecturis illa opinio. Primò enim illa crimina Ecclesiastica sine dubio sunt, & ad Ecclesiasticam cognitionem magis spectant, quàm causæ pecuniariæ, de quibus Metropolitanus permissus est jus dicere. Secundò re ipsâ de criminibus illis ex Imperatoris assensu judicavit Honoratus sanctæ Sedis Diaconus, cum uno ex Officialibus Imperii, judiciumque ab Imperatore approbatum fuit; siquidem fuerat illa Mauritii mens, non immeritò ejus *rectas jussiones* appellavit S. Gregorius.

6. Quod spectat delegationem Joannis Episcopi primæ Justinianæ, qui Thebani Judex ordinarius non erat; S. Gregorius testatur eam fuisse fraude elicitam. *Nescio*, inquit prædictâ epistolâ 46. *quibus machinationibus exquisitis alia rursus est principalis jussio elicita, ut de cunctis antefactis capitulis Joannes primæ Justinianæ Episcopus requirens subtiliter judicaret.* Sunt autem tum in ea, tum in præcedenti epistolâ multa, quæ demonstrant Principum delegationes juri superiorum Ecclesiasticorum, præcipuè summi Pontificis non posse, nisi fortè per vim, quidquam detrahere. Nam S. Gregorius sententiam contra Adrianum, tum Metropolitani, quem Marca vult jure delegato processisse, tum Joannis Episcopi primæ Justinianæ, quem delegarat Mauritius, non obstante delegatione Principis irritas declaravit, & in ipsos Judices animadvertit; ut constat ex epistola supracitata, & ex præcedenti: quod certè non attentasset S. Pontifex, nisi suæ sibi potestatis conscius intellexisset, supremum illius negotii judicium ad se pertinere, Judicesque, qui primam tulerant sententiam, quantumvis interveniisset Imperatoris opera, etiam in ea ferenda, à se pependisse, sibique subjacuisse.

7. His Ecclesiæ vulneribus à se inflictis lenimentum apponere se simulat Marca num. 7. docens graviora inferri solere ab Imperatoribus Constantinopolitanis, quorum tamen usum juris nomine decorat, quàm à Regibus Franciæ; *potiori jure utebantur Imperatores Constantinopolitani, &c. Quæ ideò commemoravi*, inquit, *ut constaret omnibus Reges Francorum cautiùs, & reverentiùs se gessisse in his controversiis, quæ disciplinam respiciunt.* §. etiam 8. observationibus quibusdam, sed ad sanandum malum non omni-

nò efficacibus, quæ hucusque dixerat, in isto libro non nihil temperare conatur. Scribit enim v. g. ad Imperatores Romanos de judicio canonico ab uno Episcopo reddito, querelam statim rectâ viâ non fuisse delatam in materiâ fidei, rituum, disciplinæ Cleri, aut in alia quæstione canonica; sed parùm juvabat Ecclesiam ille ordo, siquidem mediatè, sub prætextu delegationis, aut aliis modis parùm canonicis, hujusmodi causas tandem Principes ad se trahebant.

CAPUT VII.

De autoritate Regum & Episcoporum Franciæ.

1. SI Reges Francorum cautiùs, & reverentiùs, se gesserunt in controversiis, quæ disciplinam Ecclesiasticam respiciunt, quàm Imperatores Romani, ut affirmavit Marca sub finem capitis 3. §. 7. id eorum pietati, non defectui juris tribuendum esse vult; quandoquidem statim initio cap. 5. ait; *Quemadmodum Imperii Romani mole in varias partes dissectâ, Galliarum Provinciæ in victoriæ præmium Francorum Regibus Divini Numinis auspiciis cesserunt; ita etiam Imperii jura plenè, & integrè cùm eis communicata sunt; præcipuè verò tuitionis Ecclesiasticæ cura Reges nostros respexit, postquam glorioſissimus Princeps Clodovæus Paganæ impietatis labe aquis divini lavacri feliciter abstersâ, in Ecclesiæ Catholicæ filium primogenitum adoptatus est.* Quantam sibi vim faciat Autor, cum effusam Principum in Ecclesiasticam jurisdictionem præsumptionem cohibere cogitur, ne omninò non Catholicus videatur, diù diſſimulare non potest, cùm statim, quod Ecclesiæ reliquerat, repetere tentet. En hocce §. primo, quando sperabas magnam Ecclesiasticæ autoritatis securitatem in Gallia, ex quo Reges Ecclesiæ filii, atque adeò in spiritualibus, & Ecclesiasticis rebus subditi, effecti sunt: ità supra Ecclesiam efferuntur, ut possint ipsi quidem Episcopos, Canones violantes, corrigere, non possint autem ipsi ab Episcopis corrigi, si similis violationis rei sint. Hoc igitur præstat Baptismus, ut qui in Ecclesiam admittitur, ab Episcoporum censura eximatur.

2. At, inquies, non tàm Marcæ opinio est, quàm Gregorii

gorii Turonenſis, qui lib. 5. hiſtoriæ cap. 19. Sic Regem Chilpericum alloquitur; *Si quis de nobis ô Rex, juſtitiæ tramitem tranſcendere voluerit, à te corrigi poteſt; ſi verò tu exceſſeris, quis te corriget?* Verum id quidem eſt, ubi de facto intelligitur. Sæpe enim tanta eſt Principum potentia, tanta etiam aliquorum licentia, ut Epiſcopos tùm reos, tùm innoxios peſſimè habeant, & vix cujuſquam monitionem, nedum correptionem patiantur. Eam eſſe verborum Gregorii ſententiam indicant quæ continuò ſequuntur; *Loquimur enim tibi, ſed ſi volueris audis: ſi autem nolueris, quis te condemnabit, niſi is, qui ſe pronunciavit eſſe juſtitiam?* Sed ſi quis Chriſtianos Principes ab omni Prælatorum cenſura eximeret, & illos Ethnicos declararet, & ſe ipſum proderet hæreticum. Attamen tutus ſit hac in parte Marca ſub clypeo Gregorii Turonenſis.

3. Quid ſentiemus de eo, quod §. 2. ait, ſi quæ judicia in cauſis Eccleſiaſticis ab Epiſcopis adverſum Decreta Regia lata eſſent, ſtatim contrariis judiciis infringebant Reges. Hoc Marca non probat expreſsè, (is enim mos ejus eſt in odioſis, & pudendis, ut odium, & pudorem declinet) nec improbat, quippe quod Regibus faveat. Sed nonne referre, nec improbare, probare quodammodò eſt? Exemplo autem, quod *inſigne* ab Autore appellatur, & certè inſigne dici poteſt, licet alio ſenſu, quàm quem Autor videtur intendiſſe. Vix enim aliud reperias in hiſtoriis Francorum injuſtius, crudelius, & Rege Chriſtiano indignius.

4. Emerius Epiſcopus Santonenſis abſque conſenſu Metropolitani, Archiepiſcopi ſcilicet Burdegalenſis, atque adeò contra Canones, decreto Regis Clotharii ordinatus fuerat. Mortuo Clothario, Metropolitanus, nomine Leontius, Synodum Provincialem apud Santones convocavit, in qua prædictus Emerius, utpotè contra expreſſam Canonum diſpoſitionem, ad Epiſcopatum promotus, depoſitus eſt, ejuſque loco ſuffectus Heraclius. Charibertus Clotharii filius, quaſi Regis voluntas Canonibus Conciliorum, etiam generalium, quibus cavetur, ne Epiſcopus ſine Metropolitani conſenſu ordinetur, eſſet anteponenda, non ſolùm acta ſupradicti Concilii reſcidit, mille aureos à Metropolitano, ſub mulctæ nomine extorſit, cæteros autem Epiſcopos ad id,

quod quisque solvere poterat, condemnavit; sed etiam Heraclium plaustro spinis repleto in exilium trahi præcepit, ut refert Gregorius Turonensis lib. 4. hist. Franc. cap. 26. O eximiæ libertates! ô præclara exempla illarum! Ergone Gallicani Episcopi, nedum Ministri Regii, hujusmodi libros, ceu Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ armamentaria prædicant? Ergone libertatem reputant, mulctis, & crudelibus exiliis, ob custoditos Canones subjacere?

5. Sed cujusmodi, & quàm variabilis est ista Regum Francorum potentia! Potuit Charibertus Episcopum contra Canones promotum, & secundùm Canones dejectum, restituere, alium secundùm Canones à Concilio constitutum deponere, ut tradit Autor §. 2. modò citato; non potuerunt autem, ut refert ibidem §. 4. Reges Galliæ, & Germaniæ Drogonem Patruum suum, filium Caroli Magni, quantumvis autoritate Apostolicâ munitum, in Apostolici Vicariatus possessione manutenere? Eidem potentiæ defectui obnoxius fuit Carolus Calvus Imperator & Rex Franciæ, secundùm Autorem num. 5. cùm efficere non potuit, ut Ansegisus, à Joanne Papa VIII. Primas per Gallias & Germanias creatus, eâ dignitate frueretur. Undè tanta diversitas? An ex eo quod Charibertus solo jure suo utebatur; Nepotes autem Caroli Magni autoritatem summi Pontificis suæ præire curaverant? Infirma, imò infelix summi Pontificis conditio! non solùm enim ipsius autoritas nihil invitis Episcopis potest in Canones, sed etiam conjuncta cum autoritate Regum, illi, quæ alias potentissima esset, robur omne adimit. Sic enim Marca sub finem §. sexti post prædicta exempla Drogonis, & Ansegisi, nec non post autoritatem Hincmari Remensis. *Quare*, inquit, *certum erat apud Episcopos Gallicanos hoc sæculo, Canones receptos absque manifesta necessitate à quoquam violari non posse, nec à Pontifice, nec à Rege: solaque Synodi Gallicanæ refragatio, antiquis Canonibus, & Decretis nixa, novarum rerum effectum impediebat.*

6. Sed numquid Autor à suo instituto, ideſt à consilio augendæ jurisdictionis Regiæ, deflectit, Episcopis tantam facultatem relinquens, ut possint Principibus, aliquid contra Canones tentantibus, obsistere? Hanc ille à se suspicionem quamprimùm amovet. Prosequitur enim; *Non frustrà autem necessitatem excu-*

excepit (Hincmarus) *quia sæpè ea tempora incidunt ; ut Ecclesiæ interdùm antiquum aliquando immutari, ut his posterioribus sæculis factum videmus.* Posterioribus enim sæculis multa contra Canones, aliquando quidem assentientibus, sed sæpè renitentibus Episcopis in mores Gallicanos invecta sunt, ad stabiliendas libertates Ecclesiæ Gallicanæ, quæ tamen in observandis Canonibus consistere dicuntur.

7. Nullibi non exstant vestigia propensioris Marcæ erga jurisdictionem sæcularem, quàm erga Ecclesiasticam studii in reliquis hujus libri capitibus. Omnia enim ubique contorquentur ad autoritatem Regiam. Tempore Caroli Magni, & Ludovici Pii Ecclesia, & Respublica communi ferè consensu regebantur in Gallia; & sicut Reges Episcopos politici regiminis participes efficiebant, ità Episcopi Regiam potestatem circa res Ecclesiasticas non tam accuratè declinabant, quàm eâ utebantur ad promovendam disciplinam. Marca quidquid Principes, sive hortantibus summis Pontificibus, sive consentientibus Episcopis, sive per modum monitionis, succursus, aut aliâ ratione, præstabant, omnia in jura Regia conjicit. Sic cap. 7 commemorato zelo Regum Christianissimorum, in juvandis & monendis Episcopis §. 7. asserit illam monitionem ejusmodi fuisse, ut effectus verba sequeretur, & pœna in contumacem, ut jam alibi observavimus.

8. Licet autem frequenter misceretur autoritas Principis cum Ecclesiastica; non tamen inter se ità confundebantur, quin appareret discrimen. In eo enim ipso, v. g. quod refertur in fine ejusdem cap. 7. ex cap. 8. capitular: Tolosan: anno 844. Carolus Calvus non ita sibi vendicabat correctionem eorum Episcoporum, qui malè interpretati Canones, Presbyteros nimis gravaturi essent, quin Synodi etiam judicium requireret. *Si aliter fecerint, omnimodis, & qualiter Canones fidelium decimis agendum statuant, & qualiter intelligi, & observari, cùm mansuetudinis nostræ decreto debeant,* SYNODALI DIJVDICATIONE, *& nostrâ autoritate Regiâ docebuntur*; Nisi autor Ecclesiæ suam jurisdictionem invidisset, juxta hunc locum alium explicuisset, quem affert cap. 10. §. 1. ut probet Reges de Causis Ecclesiasticis cognoscere solitos, ordine quodam judiciario, licet non tam accurato. Cùm enim ex Constitutione Philippi IV. Regis Franciæ,

ciæ, quam citat §. 2. cognitio Decimarum, non feudalium, tam in petitorio, quàm in poſſeſſorio, Eccleſiaſticorum eſſet Judicum (vide an praxis hodierna Tribunalium ſæcularium Galliæ, de poſſeſſorio Decimarum, imò & Beneficiorum judicandi, poſſit inter jura Regia connumerari, quam reprobat Rex jurium ſuorum tenaciſſimus) cur Carolum illius materiæ judicium ad ſe traxiſſe putabimus, ut ei *ſine Synodali dijudicatione* provideret ? Quid ergò ſibi volunt illa verba Philippi in loco ab Autore adducto, *prout ad nos pertinebit?* Nonne indicant Regem id, quod ad ſe non pertineret, Synodali dijudicatione dimiſſurum.

9. Proſequitur Marca cap. 8 probare, ſolitam olim Eccleſiam Gallicanam Synodicâ deliberatione, vel ad Regium Patrocinium recurſu, ſibi proſpicere, *Cùm rebus*, inquit, *per obreptionem decretis Romæ aſſentiri non poſſet, idq; ut executionem impediret.* Certè non ita culpabile videtur, ut executio ſuſpendatur Decretorum per obreptionem impetratorum : quandoquidem nec ipſi ſummi Pontifices id moleſtè ferre cenſendi ſunt; cùm ipſis fraus facta ſit, quæ cuiquam patrocinari non debet; præſertim ſi partes ipſæ culpam fatentur & cenſuræ ſe ſubjiciunt. Itaque ſi obreptitium erat privilegium à Monachis Cluniacenſibus obtentum, ut ab alio, quàm à proprio Epiſcopo, poſſent, etiam in Monaſteriis, in ejus Diœceſi poſitis, ordinari, meritò reprobata fuit in Concilio apud Anſam anno 1025. ordinatio facta in Monaſterio Cluniacenſi Diœceſis Matiſconenſis ab Archiepiſcopo Viennenſi; qui ſimiliter, ſi obreptionis conſcius fuerat, prudenter egit, cùm ſponte ab Epiſcopo Matiſconenſi veniam petiit, & de modo ſatisfactionis, cum illo pactus eſt, ſicut narratur in fragmento à Marca relato cap. 8. num. 1.

10. Sed quidquid ſit de illius narrationis veritate, quæ non adeò indubitata eſt, rem ut fertur, & ſine colluſione geſtam ſupponamus; ex illa, & ex aliis ſimilibus, quæ fortè ab Autore adduci potuiſſent, concludendum eſt, non potuiſſe Antiſtites Gallicanos nec de jure, nec de facto Conſtitutionibus Pontificiis obſiſtere : cùm certiſſimum ſit, Monachos Cluniacenſes privilegiis Apoſtolicis uſos fuiſſe, quantumvis renitentibus, ſed tandem cedere coactis Epiſcopis. Exſtant hujuſmodi

modi Privilegiorum conceſſiones in libro, cui titulus eſt; *Bullarium ſacri Ordinis Cluniacenſis*, Lugduni editum anno 1680. & pag. quidem 8. leguntur 2. epiſtolæ Joannis XIX. in cujus Pontificatum incidit Concilium Anſanum, quarum altera eſt ad ipſummet Epiſcopum Matiſconenſem nomine Gauſlenum, qui in Concilio apud Anſam inducitur querelam movens contra Burchardum Epiſcopum Viennenſem, pro ordinatione Monachorum Cluniacenſium; ſed hæc epiſtola teſtatur & Monachos, & Papam privilegia jam conceſſa contra Matiſconenſem Epiſcopum defendiſſe. *Neſcimus*, inquit Pontifex, *quâ novâ temeritate illectus, inextinguibili cupiditate accenſus, Matri tuæ repugnas, & contra nos meritis Apoſtoli Petri Magiſtrum tuum levas calcaneum; cùm Cœnobium Cluniacenſe cunctis penè nationibus ſanctitate præfulgens, necnon Apoſtolicis privilegiis fultum, & ab omnium ditione ſubtractum, ſolius Principis Apoſtolorum & Vicariorum ſuorum judicio reſervatum commoves; venerandum etiam Infidelibus Patrem Dominum Edilonem Abbatem irreverenter appetis; fratres ibidem degentes pro adipiſcenda perpetua tranſitoriam quietem appetentes ſollicitas; Apoſtolica privilegia caſſare contendis; quod ita accipimus, quemadmodum ſi ipſa membra noſtra avidè diſcerpere quæreres, & quod ſine tua ruina eſſe nequit. Cave cautè vel jam monitus animæ, & noſtrum Monaſterium ſingulare nobis relinque, ne, dum particeps ejus contra nos eſſe cupis, Ordinis noſtri exors Apoſtolicâ autoritate efficiaris.* In altera epiſtola gratum animum teſtatur Epiſcopo Lugdunenſi Borchardo, quod Cluniacenſi Monaſterio faveret contra Gauſlenum, hortatur ad proſequendum, & concludit his verbis; *Rogamus, ut eidem Epiſcopo interdicatis, ſicut nos litteris noſtris fecimus, conſecrationem, ordinationem, vel aliquod jus in noſtro Monaſterio quærere, ne, dum hoc injuſtè appetit, quod juſtè ſibi licet pro ſua inobedientia, iterata tantorum Patrum querela, Apoſtolicâ autoritate careat.* Sed quare Pontifex gratias ageret Borchardo, ſive Burchardo pro favore Cluniacenſibus in tuendis privilegiis impertito, ſiquidem in Concilio apud Anſam, hoc eſt, non longè ab Urbe Lugduno habito, præſidente ipſo Burchardo, nec refragante decretum fuiſſet, ut acta continent, privilegium Papæ nullius eſſe momenti; aut ſi Concilio anterior eſt epiſtola, (nec enim quo tempore data ſit apparet) quomodò poſt honorificum illud officium Romani Pontificis privilegia, quibus anteà faverat Burchardus, impugnare cœpiſſet? Sequitur duas illas epiſtolas ejuſdem Pon-

tificis conſtitutio, confirmans omnia privilegia prædictorum Monachorum, & nominatim; *ut liceat Monachis ipſius loci cujuſcumque voluerint ordinationis gradum ſuſcipere, ubicumque Abbatibus placuerit.* Acceſsit à plurimis aliis Pontificibus eorumdem privilegiorum confirmatio, ut in præfato Bullario legere eſt.

11. Non nego modum in concedendis privilegiis ſervandum, ut abuſus præcaveantur. Sed nonnulli, dum malo mederi quærunt, ſanationi obicem ponunt, quia ſcilicet, dum à ſummo Pontifice petendum eſſet remedium, ei concedendorum privilegiorum facultas denegatur; quod eum ad defendenda conceſſa, & ad conſervandam concedendi poſſeſſionem potiùs excitat.

12. Privilegia quidem ii, quibus indulta ſunt, non negligenter defendunt, nec noſtrâ operâ indigent, ſed pro conferendorum poteſtate viſum eſt, occaſione privilegiorum Cluniacenſium pauca hic addere ex iis, quæ S. Petrus illius Monaſterii Abbas 12. ſæculo ſcripſit. Licet enim in propria cauſa loquatur, debetur ejus pietati reverentia, & rationibus æquum, maturumque judicium. Ille igitur lib. 1. epiſt. 28. ſic reſpondet accuſantibus Cluniacenſes, quòd proprio Epiſcopo non ſubjacerent; *Nos verò reſpondemus iſtud veritati contrarium oppoſitâ fronte exiſtere; quoniam patet nos proprium Epiſcopum habere. Quis rectior, quis dignior Romano Epiſcopo Epiſcopus poteſt inveniri? Nonne ille eſt, quem cæteris præeſſe non humana, ſed Divina autoritas ſanxit? Nonne ille eſt, cui dictum eſt, tibi dabo Claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis? Hunc unum ſolum, & Maximum nos habere Epiſcopum gloriamur; huic ſolùm ſpecialiter obedimus, ab hoc ſolo, ſi cauſa* (quod abſit) *exigeret, interdici, ſuſpendi, atque excommunicari poſſemus. Hoc irrefragabilis ſanctæ Sedis ſanxit autoritas . . . . . Nos enim quia contraire non debemus, nec de ejus unquam,* (*quod nulli mortalium licitum eſt*) *judicio judicare. Hoc non ſoli Cluniacenſes obtinent, ſed & quampluribus datum cernimus: & longè ante Cluniacum conditam, multis aliis Monaſteriis ab eadem Apoſtolica Sede conceſſum videmus. Cujus Sedis Præſules cùm magni ſapientiâ, & Religione fuerint, & quorumdam ex ipſis merita miraculorum quoque fulgore ſolemniter in Mundo claruerint, incredibile eſt, aut decipi in talibus potuiſſe, aut contra conſcientiam ſuam agere voluiſſe. Eo namq; animo, ac intentione quæ noſtrorum temporum Apoſtolici, quieti Monachorum providentes, ea, quæ diximus quampluribus Monaſteriis contulerunt, antiquiores quoque Romanæ Eccleſiæ Præſules*

les ſimili de cauſa in multis à jugo Epiſcoporum libera eſſe Monaſteria decreverunt.

13. Quod in eodem cap. refert Marca ex Glabri Rodulphi lib. 2. cap. 4. confutatur ex ipſiſmet tabulis, ex quibus Glabrum interpretari conatur. Siquidem Glaber narrat Monaſterium à Fulcone Andegavorum Comite in Pago Turonico fundatum, eâdem die, quâ fuerat à Petro Cardinali autoritate Joannis Pontificis conſecratum, corruiſſe, in pœnam uſurpatæ à ſummo Pontifice, inſtigante Comite, juriſdictionis Epiſcopi Turonenſis. *Ceptâ igitur*, inquit, *die conſtituto ſatis pompaticè hujuſmodi dedicatione, atque peractâ, Miſſarumq; ex more ſolemniis celebratis, poſtmodum quique ad propria rediere. Denique imminente ipſius diei horâ nonâ cùm ſlabris lenibus ſerenum undique conſiſteret Cœlum, repentè ſupervenit à plaga Auſtrali vehementiſsimus turbo, ipſam impellens Eccleſiam, ac replens eam turbido aëre, diù multumq; concutiens. Deinde verò ſolutis laquearibus univerſæ ejuſdem Eccleſiæ trabes, ſimulq; tota teges, per pignam ejuſdem templi Occidentalem in terram corruentes everſum jerunt. Quod cùm multi per Regionem factum comperiſſent, nulli venit in dubium, quoniam inſolens præſumptionis audacia irritum conſtituiſſet votum, ſimulq; præſentibus ac futuris quibuſque ne huic ſimile agerent, evidens indicium fuit.* Tabulæ autem illæ continent, Hugonem Archiepiſcopum Turonenſem, audito privilegio à Papa conceſſo, Romam acceſſiſſe, atque à Sergio IV. Joannis ſucceſſore ſubmiſſis precibus contendiſſe, ut Monaſterii conſecrationem ſibi permitteret: ſed repulſam tuliſſe; eò quod liberum fuiſſet Fundatori Monaſterii, Eccleſiæ Romanæ illud concedere. Denique ipſum Archiepiſcopum acquieviſſe, atque jus omne, quod in illud Monaſterium ſibi competere poterat, Eccleſiæ Romanæ conceſſiſſe; itaque à Petro Epiſcopo Viterbienſi autoritate Sergii fuiſſe conſecratum.

14. Quis ergo credat Eccleſiam illam miraculosè everſam fuiſſe, in pœnam invaſæ juriſdictionis ordinariæ; ſiquidem ipſe ordinarius juri ſuo ceſſerat? Quorſum à Chronico Turonenſi diceretur, ut à Marca refertur; *Abbatia belli loci* (eo nomine vocatur in tabulis prædictis illa, de qua hic eſt ſermo) *& Eccleſia S. Florentii de Ambatia à Fulcone Herra fundatur an.* 1010. Quorſum, inquam, id diceretur, ſi ſtatim à conſecratione fuiſſet everſa? Aut quis Eccleſiam miraculosè deſtructam ſtatim auſus fuiſſet excitare?

CAPUT VIII.

Expenduntur quæ à D. Petro de Marca in favorem Regum Decretis Ecclesiasticis adversantium proferuntur capp. 10. 11. 12. & 18. *lib.* 4.

1. QUamvis injuriam ferre plerumque laudabile sit, præcipuè cùm ab iis infertur, quibus aliàs parere tenearis; Eam tamen licet amovere, dummodò institutam à Deo, atque à legibus, viam sequaris. Est autem ea prima lex, ut nemo in propria causa Judex sit, nemo propriam ulciscatur injuriam; maximè ubi superior ejus, qui damnum intulit, adiri potest, ac jus dicere non recusat: Hanc equidem legem ad unguem servatam volunt in Gallia sæculares Judices, in iis causis, quæ apud ipsos judicandæ sunt, & ab ea, si quis ex Clero vel tantillùm recesserit, appellationes ab abusu ac mulctæ intentantur. Quid ni ergo Judicibus Ecclesiasticis eâdem regulâ uti licebit. Quia scilicet ad Regem, ut in temporalibus, ità & in Ecclesiasticis devolvere supremam autoritatem enituntur Aulici; Idque per gradus, & ordine quodam, ne injustitia tam citò deprehendatur.

2. Dominus de Marca lib. 4. cap. 10. refert litteras Philippi IV. Francorum Regis (cujus, ut jam notavimus, exemplum in rebus Ecclesiasticis, à tempore præsertim dissidii cum Bonifacio VIII. suspectæ autoritatis est) quibus litteris datis anno 1312. continetur Regem requisisse Episcopum Santonensem, ut abstineret ab exigendis Decimis de rebus, de quibus præstari non consueverant, & inductum novum decimandi modum corrigeret: eique spopondisse, si jus ad hoc habere crederet, se cum deliberatione sui consilii provisurum, prout, servatâ pace, & salute Ecclesiæ, & Patriæ, faciendum foret: mandasse autem Bailliaco, seu Senescallo Santonensi, ut, si Episcopus quod requirebatur, implere recusaret, aut nimiùm differret, bona ejus temporalia sequestrarentur, & ad manum Regiam tenerentur. Æquius fuisset, ut Episcopi Santonensis injusta exactio Metropo-

tropolitani fuisset autoritate compressa ; præsertim cùm, ut fatetur Marca §. 3. Decimarum cognitio, ex ipsiusmet Philippi IV. declaratione, pertineret ad Judices Ecclesiasticos. Sed vera, inquit §. 4. ratio, ob quam Philippus negotium istud sibi vendicat, è scandalo petitur. Frustra verò §. 5. autoritate S. Leonis, Anastasii, & alterius Leonis Episcopi Santonensis probare nititur, Principum esse, scandala compescere. Id enim verum est in rebus Ecclesiasticis, dum ob improborum potentiam, & proterviam, Ecclesia hæreses, schismata, vel alia scandala sistere non potest, Regumque opem implorat, vel dum sine periculo seditionis, homicidiorum, aliorumve malorum remedium ab Ecclesia expectari non potest, quod periculum tunc aberat, & tam raro contingit, ut hinc regula constitui non possit.

3. Rescriptis Regiis consultum semper fuisse libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ affirmat idem Marca §. 6. Illud ita factum *semper*, probat hic libellis Comitiorum Turonensium anni 1493. Recentiora sunt illa monumenta, quàm ut indè ostendi possit idem fuisse factum *semper*. Non negamus certè postremis his sæculis, Regni illius Ordines, etiam Clerum, Regiam autoritatem invocasse contra Romanum Pontificem; sed quæstio est, an laudabilis sit ille recursus, ut possit in argumentum juris assumi ? Sanè, si ex fructibus ferendum est de arbore judicium, usum istum ad minus suspectum habebunt, quicumque jurisdictionem Ecclesiasticam illæsam cupiunt. Viam enim, ut alibi observavimus, laicæ potestati aperuit, non solùm ut imminueretur debita sanctæ Sedi reverentia, sed etiam ut extingueretur ferè jurisdictio Episcoporum, aut potiùs ad tribunalia sæcularia traheretur. Itaque si propter temporis improbitatem, seu propter incommoda, in quæ se Gallia conjecerat, Pontificum Avenionensium partes amplectens, aliquam habuit à necessitate excusationem; non tamen ejusmodi fuit exemplum, quod oporteat imitatione dignum judicare.

4. Prospectum erat executioni Bullarum, quibus certa privilegia Regibus pro terris, & fiscis Domanii Regii, à Romanis Pontificibus concessa fuerant, deputatis Conservatoribus. *Sed quia*, inquit Marca §. 7. *variis ludificationibus, & judiciorum*

formulis negotium trahebatur, visum est Principi, tuitionis jure rem ad se revocare. Putasne Conservatores privilegiorum ludificare, variasque judiciorum formulas excogitare, quo negotia, quæ Regibus cordi sunt, tantùm protrahant, ut ipsis necesse sit, autoritate propriâ, per bonorum captionem, & mulctas inflictas, Episcopos cogere ad revocandas excommunicationis, aut aliarum censurarum sententias, non solùm contra prohibitionem Concilii Tridentini Gallis parùm accepti, sed etiam contra constitutionem Concilii Lugdunensis sub Gregorio X. quod maximi facit Marca cap. 18. §. 3. & 4. licet illius verba detorqueat, ut intento suo obesse non videantur. Ità scilicet securum est, privilegia Principibus conferre, qui prætextu conservandæ gratiæ collatæ, alia jura concedentis, quæ religiosiùs tueri deberent, sensim usurpant.

5. Hanc autem Ecclesiæ injuriam patienter tolerari vult pro more suo Marca §. 8. quia graviores olim intulerunt Imperatores. Ex quo intelliges, quod alibi monuimus, eum pessima, & iniquissima exempla sæpè proferre, non ut omninò probet (puderet enim, nisi saltem addito temperamento) sed ut illorum comparatione innocua videantur, aut saltem toleranda, quæ in Gallia fiunt, injusta quidem, sed minùs, quàm quæ ab Imperatoribus perpetrata sunt.

6. Cap. 11. §. 1. controversiarum de invasa jurisdictione Principum altum silentium apud Veteres fuisse notat; quia ab Episcopis antiquis sola Canonum disciplina curabatur. Si quando se rebus Sæcularibus, aut judicandis, aut administrandis immiscerent, id sibi Legibus suo Sæculo latis indultum profitebantur. Id planè verum: sed addendum, hodiè controversiis hujusmodi Tribunalia sæcularia continuò personare; non tam quod Episcopi Principum jurisdictionem usurpent, vel etiam Canonum disciplinam non curent, quàm quod Judices Sæculares, Ecclesiasticam jurisdictionem invadentes, suam conquerantur fuisse invasam, aut violatos Canones; causasque spirituales ipsi judicent, nedum non permittant Episcopis temporales. Cætera, quæ disputat hîc Marca, sunt in lib. 3. suprà examinata.

7. Laudandus tantummodò est, quod in fine hujus capitis saniùs sentiat de Libertatibus Gallicanis, quàm Papirius Mas-

Maſſonus : quæ tamen laus non eſt admodùm inſignis.

8. Conciliis perinde, atque Summis Pontificibus obſiſtunt Galli, ut probat Marca cap. 13. dum ſibi adverſantur. Quæ quidem reſiſtentia, ut minùs culpabilis appareat, trito illo prætextu excuſatur, quod jura Principum læſa ſint ; quod ſi verum eſſet, non vi aut minis, ſed modeſtiori, atque honeſtiori eſſet ratione reparanda injuria. Cui enim probentur hæc verba Henrici II. Regis Angliæ à Marca in fine §. 1. poſt Wilielmum Malmesburienſem relata. *Quid ad me delitteris Apoſtolicis? Jura Regni mei nolo amittere.* Sed neſcio an juſtum cuiquam videri queat, quod ipſimet Principes pravorum Conſiliariorum ſuggeſtione inter ſua jura, quæcumque libet, recenſeant, ac poſtmodùm adhibitis ſevérioribus pœnis exigant. *Vetuerant Gregorius VII.* (ut verbis Marcæ §. 1. iſtius cap. 13. utamur) *Vrbanus II. & Paſchalis II. excommunicationis pœnâ adjectâ, ne Epiſcopi, aut Clerici hominio, ſed tantùm fidelitate ſe Principibus adſtringerent. Tamen Radulphus in Epiſcopatum Remenſem, expulſo Gervaſio invaſore, reſtitui non potuit, niſi præſtito hominio.* Factum excuſat Ivo Carnotenſis epiſt. 190. ex parte Radulphi, ſed quis exiſtimet ideò excuſandos eſſe Miniſtros Regios, quia Epiſcopus Carnotenſis cum S. Auguſtino monet Paſchalem, ut ait Marca, *ubi populorum ſtrages jacent, detrahendum eſſe aliquid Canonum ſeveritati, ut majoribus morbis ſanandis charitas ſincera ſubveniat.* Ita ſcilicet Aulici homines controverſias Eccleſiæ cum Principibus componi curant, non detectâ Principibus injuriâ, quæ irrogatur Eccleſiæ, ſed intentatis Eccleſiæ majorum malorum *minis*, (*ubi populorum ſtrages jacent, & majores morbi*) niſi Principum votis ſeſe accommodet.

9. Apertiùs improbat Ivo coactos Clericos pauperes à Magiſtratibus Regiis ad perſolvendas aliquas præſtationes ; contra quas Clerus Carnotenſis privilegium ſpeciale à Paſchali II. impetraverat. Magiſtratus excuſat Marca §. 2. vel ſaltem excommunicari non debuiſſe contendit, quia eorum injuſtitia erat dubia ; *Et quod Clerici de rapina damnabant, Præpoſiti inter ſalaria recenſebant.* Certè, ſi mutato nomine res apertè injuſtæ, evadunt dubiæ ; ſi ſatis eſt, ut Salarii, juris, alteriuſve tituli colore obducantur, ut ab Eccleſia vindicari nequeant, nihil erit, quod ſæcularibus in res Eccleſiaſticas non liceat. At

re

re ipsâ Præpositorum illorum manifestam fuisse injustitiam, testatur Ivo his verbis epist. 271. *non enim minuitur aliquid de jure Præpositorum, vel aufertur. Sed Apostolicâ autoritate interdicuntur eis illicitæ angariæ & pauperum vexationes, quas non tantùm Clericis, sed nec Laicis licet exercere vel exigere, &c.*

10. Capite 18. ut jam alibi probat Marca, exemplis scilicet, Reges eorumque Officiales, per pignorum captionem, & mulctarum exactionem cohibuisse Episcopos jurisdictionem suam adversùs Regiam defendentes censuris; sed sunt ejusmodi exempla, quæ ideò vult admitti, quia pejora, & à sapientibus improbata edidit Justinianus. Quid enim aliud, quàm vim illatam innuunt illa verba epistolæ 137. Ivonis à Clero Beluacensi consulti circa controversiam inter ipsum, & Ludovicum VI. de cognitione causæ cujusdam Canonici ejus Ecclesiæ, quam Curia Regis ad se evocabat, Ecclesiastica verò retinere conabatur. *Si autem sciremus vos esse paratos, ut cum gaudio tolerare possetis ruinas domorum, exterminationes corporum, rapinas bonorum vestrorum, possemus vos exhortari, ut sequeremini consilium Susannæ, quæ magis elegit in manus hominum incidere, quàm Dei legem derelinquere.*

11. Quæ in tribus ultimis lib. 4. capitibus tractat Marca de appellationibus tanquam ab abusu, lib. seq. expendemus, alia jam alibi, prout sese obtulit occasio.

12. Sufficiunt, quæ hactenus dicta sunt, ut quilibet agnoscat Illustrissimum Petrum de Marca concordiam inter Sacerdotium & Imperium procurare his libris voluisse, eâ tantùm conditione, ut quæcumque in Gallia geruntur à Ministris Regiis, & sæcularibus Judicibus, patienter ab Ecclesia ferrentur, consideratis gravioribus injuriis olim Ecclesiæ illatis, aut etiamnùm metuendis, nisi temperamentum illud acceptetur: Nec minùs Episcoporum Gallicanorum, quàm sanctæ Sedis jura, ejus Autoris doctrinâ violari, ideoque non satis consultò agere, qui tantam ei autoritatem deferunt, ejus eruditionis opinione ducti, aut quod Galliæ adversùs Romanum Pontificem in nonnullis articulis favere videatur; cùm magis ei cordi fuerit Principum adversùs Ecclesiam, quàm Episcoporum adversùs Curiam Romanam causæ patrocinari, ac Præsidis Regii eo in opere, ut ipsemet confessus est, potiùs quàm Episcopi personam sustinuerit.

CA-

CAPUT IX.

De Stephani Baluzii doctrina circa Principum in res Ecclesiasticas autoritatem.

1. NOn est sejungendus Stephanus Baluzius à suo Mecænate Petro de Marca, cujus zelum in amplificanda Principum potestate secutus est, & nescio an non etiam superaverit. Illi saltem, cùm Præses esset, scribenti pro sæculari jurisdictione similis esse maluit, quàm Episcopo sanctæ Sedis dignitatem aliquo pacto defendenti. Quamvis enim Illustrissimus Petrus de Marca in ea, quam Baluzius ejus libris de Concordia Sacerdotii & Imperii præfixit, schedâ declaraverit. *Quidquid præter Canonum & Decretalium mentem in Gallia circa res Ecclesiasticas agitur, id fieri ex privilegiis Apostolicis, non autem mero jure Regio, ut quidam autumabant, Marcæ persuasum esse.* Baluzius è contra ubique occasionem captat Regibus suis, tanquam Coronæ jus, vendicare autoritatem circa res Ecclesiasticas, ut in variis ejus operibus cuique licet observare.

2. Audi eum in notis ad Lupi Ferrarienſis epist. 81. ver. *Zachariæ*; *Meritò*, inquit, *rejicienda est sententia Illustrissimi Cardinalis Baronii, qui ex hoc Lupi loco collegit jus illud, quo per eas tempestates utebantur Reges in dandis Episcopatibus, non ex ipsorum autoritate fluxisse, sed ex concessione Sedis Apostolicæ. Nullum enim penitùs in rebus Ecclesiasticis jus habere Reges. Sanè diffitendum non est, quin ita cum Baronio sentiant Transalpinæ gentes. Nos verò Galli, Reges nostros non summovemus prorsùs à rebus sacris, ab iis nimirùm, quæ disciplinam Ecclesiasticam respiciunt, & executionem Regaliarum Ecclesiasticarum.*

3. Necesse fuit, inquies, Marcæ ad obtinendam Episcopatûs provisionem, ut sese Romanorum opinionibus accommodaret. Baluzio autem licet liberiùs loqui. Non puto concessurum Baluzium in re gravi mentitum Illustrissimum illum virum. Sed nonne Baluzium ipsum invitare posset ad extollendam Regis sui autoritatem spes impetrandi à Christianissima Majestate Beneficii? Illic enim à nonnullis pluris fit nominatio Principis, quàm collatio Pontificis; quia licet ista

verè faciat Abbatem, vel Episcopum; illa tamen magis apparet efficax, eo quod, nisi gravissima causa obstet, suum sortiatur effectum. Undè Regi potiùs, quàm sanctæ Sedi acceptum Beneficium refertur. Audi Reverendissimum Archiepiscopum Tolosanum ad Pontificem Maximum scribentem die 3. Decembris 1680. *Scimus equidem in iis omnibus, quæ hactenus dicta sunt à Sanctitate vestra, eò tantùm illam spectasse, ut nonnullæ hujus Regni Ecclesiæ subtraherentur jugo, & novo, ut credebat ipsa, & intolerabili: asseverabo tamen illud fidenter Sanctitati Vestræ, nullum jugum grave nobis visum iri sub hoc Principe Pio æquè ac Benefico; futurasque Ecclesias nostras satis liberas, quamdiu Patrono tanto gloriari poterunt. In ejus ditione nati sumus, sub ejusdem Imperio vivimus,* NOSTRAS EI DIGNITATES DEBEMVS; NOS ILLE SANCTITATI VESTRÆ NOMINAVIT; *eo protegente in vinea Domini operamur; eo denique benevolente opimis illis pacificè fruimur reditibus, quibus munifici Majores ejus Ecclesias nostras æquè ac Sedem Apostolicam locupletarunt.*

4. Ob illa igitur Beneficia non solùm *nullum jugum grave videbitur, & erunt Ecclesiæ satis liberæ*, quamvis tollatur eis collatio Beneficiorum, & Dignitatum, etiam jurisdictionem spiritualem habentium, Sede vacante (forsan enim si hæc Episcopo plenâ Sede adimerentur, jugum grave videretur, & Ecclesiæ non ita liberæ censerentur) sed etiam, si Papa illi Coronæ juri obsistere audeat, Episcopos experietur Adversarios; quasi *suas ei Dignitates non deberent*, plusque illis præstitisset, qui *illos Sanctitati suæ nominavit*, quàm sua Sanctitas (cujus gratiâ nihilominus etiam prædictus Præsul se dicit Archiepiscopum Tolosanum) eis Episcopatus conferens. Audi rursùs Metropolitanum illum paulò inferiùs comminantem; AN NOS QVI TAM INCLYTO PRINCIPI MVLTÒ PLVS DEBEMVS, QVAM CÆTERI SVBDITI, SEGNES, AC DESIDES ERIMVS; CVM ILLIVS RES AGETVR, CVMQVE ET CORONÆ IVRA, ET IMMVNITATES REGNI TVERI CONVENIAT? Etiamne Episcopi inter libertates, seu immunitates Regni enumerant, ut non possit summus Pontifex procurare executionem Concilii generalis, Lugdunensis scilicet, Regaliam de novo usurpare prohibentis? Etiamne Episcopi minis summum Pontificem, ab ea cura deterrendum existimant? *Quasi verò*, ait Facundus Hermian. lib. 4. *propter hoc tantum ordinati sumus Episcopi, ut ditemur Principum*

donis

donis & cum eis inter maximas poteſtates conſedeamus, tanquam divini Sacerdotii privilegiis ſulti : ſicubi autem fallaciis malignorum, quæ nullis temporibus defuerunt, aliquid eis inter tantas Reipublicæ tuæ curas ſubreptum fuerit, quod Eccleſiæ Dei præjudicet, vel Eccleſiæ pacem turbet ; non eis debeamus pro ipſorum ſalute, quæ ſunt vera ſuggerere, & ſi neceſſe fuerit, Religionis autoritate reſiſtere, ac patienter offenſionem quoque illorum, ſi acciderit, ſuſtinere. Et ubi erit illud Propheticum ; Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum, & non confundebar ? niſi fortè Paſtores quidem ad lac & vellera, ad avertendas verò Luporum inſidias, & tuenda ovilia, deſertores.

5. Hinc inferes, an juſta ſit Gallicanorum Scriptorum accuſatio adversùs Doctores, quosilli Ultramontanos vocant ; quod ſcilicet autoritatem ſummi Pontificis ultra modum extendant proprii commodi causâ ; quaſi non magis verendum ſit, ne ipſi Regiam juriſdictionem cum Eccleſiaſticæ detrimento plus æquo extollant, ut *Rege benevolente opimis fruantur reditibus.* Sed redeamus ad Baluzium.

6. O quàm erat Principi ſuo infidelis Clerus Gallicanus ! Quàm infidelis Senatus ! Quàm infidelis Univerſitas ſtudii Pariſienſis ! Quàm infideles denique omnes penè Galli, qui tam pertinaciter ſuis Regibus obſtiterunt, ne aboleretur jus electionis à Concilio Baſileenſi reſtitutum aut confirmatum, neve reciperentur Concordata nominationem Epiſcoporum Regi Chriſtianiſſimo tribuentia ; ſiquidem *jus dandi Epiſcopatus ex ipſorum Regum autoritate fluebat, inſignem, atrocemq; injuriam ſacroſanctæ Principum Dignitati* faciebant, qui tam eximio jure Coronæ illos frui non ſinebant, ſed ut penes Capitula remaneret, nitebantur.

7. Quamvis autem de jure dandorum Epiſcopatuum non neceſſe ſit modò diſputare, exhibendus tamen eſt locus Lupi Ferrarienſis, cujus occaſione Baronium carpſit Baluzius. Neminem enim ferè arbitror, qui, eo lecto, non judicet injuſtam eſſe omninò Baluzii accuſationem ; atque, ſi Lupi teſtimonio ſtetur, rectiùs *cum Baronio ſentire Tranſalpinas gentes, quàm Gallos* ; quandoquidem prædicto Baluzio placuit defenſores jurium Eccleſiaſticorum, quaſi contemptûs gratiâ, Tranſalpinas gentes nominare, illiſque ſe, alioſque Gallos opponere, quaſi altioris gradus Doctores ; (*nos verò Galli*) Vos ergò Galli inter ea, *quæ diſciplinam Eccleſiaſticam reſpiciunt, & executionem Regalia-*

galiarum Ecclesiasticarum computatis jus Regum in dandis Episcopatibus, non ex concessione Sedis Apostolicæ, sed ex ipsorum autoritate. Itane aliæ Provinciæ Christianæ? Itane Concilia Oecumenica vestrarum libertatum fundamenta? Itane etiam omnes Galli? Itane, ut longiùs non excurramus, Lupus Ferrariensis?

8. En igitur verba Lupi Ferrariensis epist. 81. Vide an non illis Baronii, & Transalpinarum gentium interpretatio magis congruat, quàm Baluzii, & aliorum Gallorum; *Pippinus à quo per Maximum Carolum, & Religiosissimum Ludovicum Imperatores, duxit Rex noster originem, expositâ necessitate hujus Regni, Zachariæ Romano Papæ in Synodo, cui Martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit consensum, ut acerbitati temporis industriâ sibi probatissimorum decedentibus Episcopis mederetur; ne fortè simplicitate Pontificum posset contingere, quod in hac Heduorum urbe, cujus nos nunc cura exercet, evenit. Proindè suppetere usi honorem à Papa Romano Majoribus ejus, & Regibus, & Imperatoribus concessum à Lugdunensibus Ecclesiæ Metropolitanis, cui, Autore Deo, præsidetis nunquam hactenus infirmatum, à vobis nullâ vestrâ injuriâ consequatur.* Nonne igitur ex confessione Caroli Calvi jus, quo utebantur Reges in dandis Episcopatibus, non *ex ipsorum autoritate*, sed *ex consensu*, atque *concessione* summorum Pontificum fluebat?

9. Sed, ut jam insinuavimus, circa jus dandorum Episcopatuum, non est diutiùs hærendum, quandoquidem constat, modò Regem Christianissimum ad illos non nominare, nisi *ex concessione Sedis Apostolicæ*, in Concordatis inter Leonem X. Papam, & Franciscum I. Franciæ Regem initis contentâ. Verùm prætermittere non debeo Baluzium, si voces illas, *nos verò Galli*, universim accipiat, ut videtur, cùm indefinitæ sint, falsò sibi tam celebre consortium tribuere.

10. Etenim secùs sentiebat Clerus Gallicanus in Conventu Melodunensi congregatus anno 1579. quandoquidem decrevit, cavendum, ne articulis ad disciplinam, seu politiam Ecclesiasticam pertinentibus, aliqua jurisdictio Regi tribueretur, sed rogaretur humillimè, ut iis, quæ à Clero statuerentur, autoritas Regis accederet ad executionem; utque cunctis suis Officialibus, & aliis præciperet ad id opem ferre, quatenùs requirerentur, & non ampliùs. In act. Cleri Gall. tom. 5. ult. edit. parte 8. tit. 2. Illi ergò *Galli, Reges suos submovebant prorsùs à rebus sacris, ab iis nimirùm, quæ disciplinam Ecclesiasticam re-*

respiciunt, nisi quatenùs eorum imploraretur auxilium ad procurandam executionem, quod eis officium nec Baronius, nec Transalpinæ gentes negant, imò impositum docent.

11. Nisi Baluzium Marcæ sui mentem non ignorasse verisimile videretur, dubitarem etiam an eam perfectè exhiberet, cum ait loco suprà citato, Reges Franciæ *jure suo*, *jure proprio* Episcopos præfeciſſe Ecclesiis vacantibus. Illa enim verba videntur omnem submovere concessionem Ecclesiæ; cùm tamen constet ex ipsomet Marca lib. 6. cap. 3. §§. 1. & 2. Reges Franciæ, etiam postquam fidem Christianam susceperunt, eam sibi autoritatem non vindicasse. Concilium Aurelianense quintum anno 549. primam fecit Regii consensus mentionem. Majorem sensim autoritatem Principes in se traxerunt, ut fieri solet, dum ad Ecclesiasticam admittuntur. Restitit tamen Ecclesia, ut videre est in Concilio tertio Parisiensi anno 557. cap. 8. electionum libertatem contra Principis imperium defendente; Nec potuit legitima esse illa Regum potestas donec Ecclesiæ consensus accessit. Id etiam insinuare videtur Marca lib. 8. cap. 11. §. 5. ad quem locum alludit Baluzius ubi suprà, dum ait, verba Lupi esse intelligenda de ratihabitione. *Ratum* enim *quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.* de regul. jur. reg. 9.

12. Cæterùm nec Marcæ nec Baluzio decorum cordati Catholici ducent, quòd magis faverint Principibus adversus Ecclesiam, quàm famosus ille Apostata Marcus Antonius de Dominis. Hoc enim est principium notæ suprædictæ Baluzii, ut integram exhibeamus; *Hunc locum ita intelligendum putat Marcus Antonius de Dominis, ut Pipino tunc fuerit concessum, ut posset solus personas promovendas ad Episcopatus eligere, & curare consecrandas, absque ullo Ecclesiasticorum consensu, nisi pro sola consecratione, ut ex ipsius Lupi verbis colligi posse ait. In quo Papæ, derogans juri Ecclesiastico, jus Principum in eo Regno auxerit. Marca verò existimat eum locùm esse intelligendum de ratihabitione Zachariæ, qui rectè, atque ordine factum censuerat à Pipino, & Carlomanno, quando ii jure proprio Episcopos instituerant. Nam diù ante Zachariæ tempora, Reges Episcopos jure suo præficiebant Ecclesiis vacantibus, ut multis exemplis ostendit Marca.*

M. C.
De Libertatibus Eccles.
G III 231

CAPUT X.

De autoritate Regum Franciæ in condendis Capitularibus circa res Ecclesiasticas.

1. BAluzius in præfatione ad Capitularia Regum Francorum, quæ edidit anno 1677. §. 10. *Insignem, atrocemque injuriam sacrosanctæ Principum Dignitati factam* dicit à Gretsero, quia pronunciavit; *Pippinum, Carolum magnum, & alios Francorum Reges, qui leges Ecclesiasticas, sive Capitularia ad restaurandam disciplinam Ecclesiasticam condidere, non suâ præcisè autoritate id feciſſe, ſed nutu, & permiſſu Epiſcoporum, approbantibus Epiſcopis, & Conciliis, imò pleraque eorum Capitularium autoritate Romanorum Pontificum condita fuiſſe.* Itaque ex Baluzio, *Francorum Reges, qui leges Ecclesiasticas, ſive Capitularia ad reſtaurandam diſciplinam Eccleſiaſticam condidere, ſuâ præciſè autoritate id fecere.* Ergo vel non ſunt diſtinctæ poteſtates, Eccleſiaſtica, & ſæcularis: vel ſolis Principibus data eſt à Chriſto autoritas *leges Eccleſiaſticas, ſive Capitularia ad reſtaurandam diſciplinam Eccleſiaſticam condendi.* Utrum concedet Baluzius? neutrum ſanè, quandoquidem Catholicus eſt. Atqui non datur medium. Siquis enim reponat inter Pontifices & Principes diviſam eſſe autoritatem, ita ut ambos concurrere neceſſe ſit, negabit Baluzius; Et *inſignem, atrocemq; injuriam ſacroſanctæ Principum Dignitati factam* conqueretur, ſi eis *leges Eccleſiaſticas, ſive Capitularia ad reſtaurandam diſciplinam Eccleſiaſticam condentibus*, adjungatur *nutus, & permiſſus Epiſcoporum, approbatio Epiſcoporum, & Conciliorum, autoritas Romanorum Pontificum.* Nam *ſuâ præciſè autoritate id feciſſe* illos pro virili defendet.

2. Quamobrem benè accidit Gretsero, quod *nec inſtituti ratio, nec anguſti præfationis limites ſiverunt, ut Baluzius ejus ſcriptionem pluribus verbis refelleret.* Juſtam enim paſſus fuiſſet erubeſcentiam, quam commeritus eſt, quando *abuſus verbis Chriſti Domini, quibus claves Regni Cœlorum Petro, & ſucceſſoribus ejus promiſit, omnem de rebus Eccleſiaſticis decernendi autoritatem ademit Principibus, nec Imperatorem inquiens, nec Regem, quâ talis eſt, ullam Eccleſiaſticam juriſdictionem habere.* Verùm ſi *Imperator, vel Rex, quâ talis eſt, de rebus Eccleſiaſticis decernendi*

nendi autoritatem habet : Habuerunt illam etiam Infideles & Pagani, siquidem verè Imperatores aut Reges extiterunt, non obstante infidelitate. Itaque potuit Nero, potuit Diocletianus, potuerunt alii similes *leges Ecclesiasticas, sive Capitularia ad restaurandam disciplinam Ecclesiasticam condere; idque sua præcisè autoritate.* Quis Catholicus id patiens audiat?

3. Contendunt Galli supremam Regis in temporalibus potestatem Ecclesiasticæ potestati nullo modo subjacere : cur similem saltem prærogativam negant Ecclesiasticæ jurisdictioni, ut Laicæ non supponatur in spiritualibus, & Ecclesiasticis? Sint saltem, ut voluit alius scriptor Gallicanus, tanquam duæ lineæ parallelæ, quæ quantumvis procedant, nunquam sibi invicem occurrunt, aut inter se conjunguntur. Claudicat hæc paritas apud Baluzium. Ordo est, seu subordinatio in potestatibus circa leges Ecclesiasticas. Ergo, ut in hujusmodi negotiis Laici Clericis subdantur. Econtra verò. *Satis erit*, inquit Baluzius, *uno verbo admonuisse, non ita ut Gretsero visum est, ab Episcoporum nutu, ac permissu pependisse olim potestatem Regum nostrorum in ferendis legibus Ecclesiasticis, cùm contrà constet Constitutiones Ecclesiasticas Episcoporum in Consistorio Principum examinari solitas ævo Caroli Magni.*

4. Ne objicias, impatiens Lector, de *facto* loqui Baluzium non de *jure* : neque præceps judicium de hujusmodi examine ferendum esse, cum possit aliquandò tam bono fine, ac cum tanta modestia fieri, ut inculpabile videatur. Non patitur Baluzius interpretem : ipse continuò exponit, quorsum *constitutiones Ecclesiasticæ Episcoporum in Consistorio Principum examinari solerent*, subjungens; *Et eorum confirmatione indiguisse, ut valerent*; Non solùm ut interveniente Principum autoritate faciliùs reciperentur, & efficaciùs executioni demandarentur, sed *ut valerent.*

5. Hinc inferes quid concludendum sit ex Baluzii, & Marcæ principiis, si conferantur inter se potestas summi Pontificis & potestas Regis Christianissimi circa Constitutiones Ecclesiasticas Episcoporum : quandoquidem Baluzius in hoc loco docet illas, *Principum confirmatione indigere ut valeant* : in lib. autem 6. de Concordia Sacerdotii ac Imperii, Domini de Marca, quem Baluzio debemus, pluribus in locis, præsertim cap. 14. §. 5. asseritur,

tur, quod *suprema potestate fruebantur Concilia Provincialia Galliarum; jure consultationis Ecclesiæ Romanæ servato in majoribus causis*; idque illo præcipuè tempore, de quo suprà loquebatur Baluzius. Sic enim incipit prædicti cap. 14. Marcæ §. 6. *Ævo Caroli Magni Concilia istiusmodi conservata est suprema potestas in judicandis Abbatibus, &c.* Cap. autem 15. §. 3. *statim atque*, inquit, *Summi Pontifices abolere tentarunt supremam eorum in judicando potestatem, comminati sunt Episcopi, se ab eis celebrandis, quòd inutilia futura sint, abstenturos.* Additque effectum minas secutum. Itaque Decreta Conciliorum, Regum confirmatione indigent, ut valeant, Papæ confirmatio adeò pernicioſa est, ut præstet nulla celebrari Concilia Provincialia, quàm ut Summi Pontificis confirmationi submittantur.

6. Quomodò autem probat Baluzius *Constitutiones Ecclesiasticas Episcoporum, confirmatione Principum indiguisse, ut valerent.* Hâc ratione, quam continuò profert; *sanè Reges nostri tunc putabant, se tertæ Dominos esse, non verò Episcoporum Vicedominos, Villicos, ac Ministros, quales eos facere voluisse videtur Gretserus. Testis est Carolus Calvus in Epistola scripta ad Hadrianum II. Papam anno 871. in causa Hincmari Episcopi Laudunensis.* Veriùs dixisset; Testis est Hincmarus Remensis, in Laudunensem, ac in summum Pontificem, Caroli Calvi nomine, cùm non auderet suo, verbis acerbissimis, cùm alio modo non posset, iram suam explere quærens. Sed videamus quid scribat Carolus Calvus, seu Archiëpiscopus Remensis ejus nomine; *Reges Francorum ex Regio genere nati, non Episcoporum Vicedomini hactenus fuimus computati; & ut Leo ac Romana Synodus scripsit, Reges & Imperatores, quos terris Divina potentia præcepit præesse, jus distringendorum negotiorum Episcopis sanctis juxta Divalia constituta permiserunt, non autem Episcoporum Villici extiterunt. Et S. Augustinus dicit: per jura Regum possidentur possessiones, non autem per Episcopale Imperium Reges Villici fiunt, Actoresque Episcoporum.* Formandum erat Argumentum, non enim facilè apparet consequentia. *Reges non sunt Episcoporum Villici: ergo Constitutiones Ecclesiasticæ Episcoporum, Principum confirmatione indigent, ut valeant. Vel; Reges & Imperatores jus distringendorum negotiorum Episcopis sanctis juxta Divalia constituta permiserunt: ergo Constitutiones Ecclesiasticæ Episcoporum, Principum confirmatione indigent, ut valeant. Vel etiam; Per jura Regum possidentur possesiones: ergo &c.*

7. Sed fortasse vel S. Leo cum Synodo Romana, vel S. Augustinus, à Carolo Calvo citati, Principibus illam autoritatem

tatem tribuunt. Primò S. Leo cum Synodo Romana quidquam simile locutus non est, ut non ignorat Baluzius, qui ad marginem §. 5. cap. 12. lib. 4. D. Petri de Marca, ubi citatur hæc epistola, notavit vel ex propria eruditione, vel ex instructione sui Autoris. *Leonis epistola, quæ hic laudatur, non est Leonis Papæ, ut visum Hincmaro, etiamsi hodie quoque edita sit inter epistolas Leonis: sed est Leonis Byturicensis Archiepiscopi scripta anno 484. ut observat vir clarissimus Jacobus Sirmondus.*

8. Deindè cujuscumque sit epistola, eò spectat, ut *declaret excommunicatos Clericos illos, qui prætermisso Ecclesiastico judicio sæcularem adierint potestatem*, quod ei summarium præfixit Pater Labbeus. Et ne qui fortassè obtenderent, quod illuc inviti traherentur; præoccupatur excusatio hâc ratione, quod etiam Principes hujusmodi negotia à Judicibus Ecclesiasticis tractari vellent. *Tantâ sæculi potestates circa Sacerdotalem hominem reverentiâ prævaluere, etiam hi, quos sub Imperiali nomine terris Divina providentia præesse præcepit, ut jus distringendorum negotiorum Episcopis sanctis, juxta Divalia constituta permiserint.* Non autem affirmatur, illa judicia *Principum confirmatione*, vel etiam permissione egere, ut valeant: vel Ecclesiam non habere circa ejusmodi negotia jurisdictionem, nisi à Principibus. Imò insinuatur hanc eis potestatem ex jure Canonico competere. Sequitur enim; Quod cum & *juris antiqui formulis, & in latis frequentiùs sit legibus constitutum, &c.* Nam jus illud antiquum de Ecclesiastico esse intelligendum indicat vox illa, *formulis*, quæ in eo sensu usurpatur, cùm paulò post additur; *Quocircà nobis visum est, ut hanc, & sacræ Legis, & nostri Ordinis contumeliam, & ad præsens ulcisceretur plena districtio, & observandam formulam constitueret in futurum. Censemus itaque, ut quicumque prætermisso Sacerdote Ecclesiæ suæ ad disceptationem venerit sæcularium, sacris Liminibus expulsus à Cœlesti arceatur Altario: neque ullus post hanc definitionem, quæ communi sedit arbitrio, &c.*

9. Sanctus autem Augustinus tract. 6. in Joan. undè verba citata desumpta sunt, probat Donatistas ab Ecclesia damnatos, & in schismate obstinatos justè potuisse bonis ad Ecclesias pertinentibus spoliari, non ut ea sibi Princeps adscriberet, sed ut Præsulibus Catholicis reddenda curaret. Quid indè concludendum, nisi, qui ab Ecclesia se separant, posse, postulantibus Catholicis, & legitimis Pastoribus, justè

ab Imperatoribus, & Principibus, etiam per privationem poſſeſſionum temporalium indebitè occupatarum coerceri? At, inquies, S. Auguſtinus docet, quod *per jura Regum poſſidentur poſſeſſiones.* An ita ut poſſint de rebus Deo conſecratis, abſque ullo Eccleſiæ judicio vel conſenſu, pro ſuo arbitrio, *ſuâ præcisè autoritate*, diſponere? Neque S. Auguſtinum, neque pium aliquem Principem ità verè ſenſiſſe crediderim, niſi fortè Adulatorum fraude circumventum; cùm etiam de bonis profanis doceat S. Thomas quodl. 12. art. 24. ad primum. *Quod verum eſt, quòd omnia ſunt Principum ad gubernandum, non ad retinendum ſibi, vel ad dandum aliis: & ſi Leges tales ſunt, Tyrannicæ ſunt, & non abſolvunt à conſcientia, ſed à Foro judiciali, & violentia.*

10. Denique tametſi Principes, quod non credo, de poſſeſſionibus terrenis, etiam poſtquam Deo conſecratæ ſunt, leges ferre poſſent abſque prævio Eccleſiæ judicio, vel non accedente illius conſenſu: liceretne generatim Baluzio pronunciare *Francorum Reges, qui Leges Eccleſiaſticas, ſive Capitularia ad reſtaurandam diſciplinam Eccleſiaſticam condidêre, ſuâ præcisè autoritate id feciſſe?* Aut *jus illud, quo per illas tempeſtates utebantur Reges in dandis Epiſcopatibus, ex ipſorum autoritate fluxiſſe*, non ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ.

CAPUT XI.

An ſine autoritate Eccleſiæ Reges Galliæ Leges Eccleſiaſticas, ſive Capitularia condiderint.

1. NOtato Gretſero arguitur Baronius à Baluzio §. ſeq. ſcilicet 11. præfationis, quòd ex Benedicti verbis intellexerit omnia Capitularia à Romanis Pontificibus fuiſſe confirmata; *Contra manifeſta*, inquit, *& aperta Benedicti verba:* ſic quidem Illuſtriſſimus Annalium Eccleſiaſticorum Autor ſcribit ad an. 819. *Ne tu igitur exiſtimes, Lector, dum audis ſingulis fermè annis collectas per eoſdem Imperatores Synodos, & ſancitas Leges Eccleſiaſticas, id abſque Romani Pontificis autoritate ab eis eſſe tentatum. Qui Ludovici leges collegit, Benedictus Levita, in præfatione ipſis præpoſita hæc habet: agnoſcant, &c.* Et infrà; *At non ſatis viſum Chriſtianiſſimis Imperatoribus nihil in-*

cau-

consultâ Apostolicâ Sede tentare, decernere, vel definire, sed quæ ejus autoritate cœpta, atque perfecta essent, adhuc tamen ipsis visa sunt indigere Romanorum Pontificum confirmatione antequam in publicum ederentur. Testatur hæc quidem ipse Benedictus Levita, qui in fine lib. 7. Capitularium à se collectorum hæc habet, &c. Mens Illustrissimi Cardinalis, quantùm quidem ego assequor, est, Imperatores Gallicanos sine autoritate Summi Pontificis Leges Ecclesiasticas nequaquam tulisse; imò verò sic latas ad majorem firmitatem rursùs à Summis Pontificibus plerumque approbandas curasse. (Non enim puto sensisse Baronium subsequentem confirmationem, ita universim requisitam fuisse, ut universim intervenit, sive prævius, sive subsequens assensus) quòd ex variis indiciis conjicio. Primò enim, dum *singulis fermè annis collectas per eosdem Imperatores Synodos, & sancitas Leges Ecclesiasticas cum Romani Pontificis autoritate* asserit, non solis Benedicti verbis, ad tres tantùm libros pertinentibus, id probat, sed ex aliis argumentis, quæ universim concludunt: petitam autem fuisse confirmationem, solo probat Ansegisi testimonio. Secundò, non utitur signis adeò generalibus, cùm de confirmatione loquitur, sed verbis indefinitis, quæ hîc moraliter & ut in pluribus, intelligenda sunt; *Quæ ejus autoritate cœpta atque perfecta essent, adhuc tamen indigere Romanorum Pontificum confirmatione.* Tertiò idem innuere videtur ipsa phrasis; *Non satis visum Christianissimis Imperatoribus ..... adhuc ipsis visa sunt, &c.*

2. Sed quæcumque fuerit mens Baronii, immeritò dicit Baluzius, ipsum *contra manifesta, & aperta Benedicti verba*, illum Autorem esse interpretatum. Nam primò aliud est in alicujus Scriptoris verbis amplius quàm sonent intelligere; aliud *contra manifesta, & aperta ejus verba* eum explicare. Hoc enim ultimum est, non solùm plus, quàm Autor scripserit, illi tribuere, sed etiam illi sententiam, ejus verbis manifestis, & apertis significatæ, contrariam affingere. Nunquam autem Benedictus, *manifestis, & apertis verbis* negavit omnia Capitularia fuisse autoritate Sanctæ Sedis confirmata. Secundò, etiamsi Baluzius Baronium accusasset deductæ tantùm nimis generalis conclusionis ex verbis Benedicti, atque in eo sensu perperam intellexisse hujus *manifesta, & aperta verba*, quæ scilicet non potuerint ab Illustrissimo Cardinali in tam ampla significatione accipi;

non esset justa accusatio. Vox enim illa, *Maximè*, quâ utitur Benedictus, de tribus ultimis libris loquens, innuere videtur aliorum etiam librorum Capitula fuisse confirmata, licet non tam expressè.

3. Referenda sunt Benedicti loca, ut pateat manifestiùs, an Baronius illa intellexerit *contra manifesta, & aperta verba.* Sic igitur Benedictus in præfatione ad tres ultimos libros à se collectos, *est in fronte primi Libelli posita Zachariæ Papæ Epistola omnibus Episcopis, ac reliquis Ecclesiastici ordinis gradibus, & cunctis Ducibus, atque Comitibus, omnibusq; Deum timentibus per Gallias, & Francorum Provincias constitutis directa, sicut in ea continetur. Quam sequuntur duo Synodales conventus, quos Sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Legatus Bonifacius memoratæ Magontiacensis Ecclesiæ Archiepiscopus vice suprædicti Zachariæ Papæ una cum Carlomanno Francorum Principe canonicè tenuit. Ut agnoscant omnes hæc prædictorum Principum Capitula maximè Apostolicâ autoritate fore firmata. Post ista quoque quæ sequuntur, eâdem autoritate, maximâ, ut diximus, ex parte, & omnium Francorum utriusque Ordinis virorum assensu sunt roborata.* Ultimum autem Capitulum, libri scilicet 7. sic incipit, *Maximè trium ultimorum Capitula istorum librorum Apostolicâ sunt cuncta autoritate roborata, quia his cudendis maximè Apostolica interfuit Legatio. Nam eorum nomina præter trium, id est, Leonis, Sergii, & Georgii hîc non inseruimus, licet ea per singulos Conventus inserta inveniſſemus, vitantes legentium, atque scribentium fastidia.*

4. Quando Baronius à Balusio citatus loquitur de Capitularibus Regum Francorum, de illis agit, ut legentibus patet, quæ sunt à Principibus secundæ Dynastiæ condita, & ab Ansegiso Abbate, atque à Benedicto Levita collecta; sunt autem illa omnia non solùm Romani Pontificis autoritate vel expressâ, vel saltem tacitâ, facta, quòd præcipuè intendit Illustrissimus Cardinalis, sed etiam plerumque confirmata; atque adeò illa *Reges Francorum suâ præcisè autoritate non condiderunt*; ut è contra contendit Baluzius. Nam Zacharias in ea epistola, quam præmittit Benedictus, & confirmat ea, quæ gesta erant in Synodo juxta ejus commonitionem adgregatâ, præsentibus S. Bonifacio Legato Apostolico, & Principibus Pipino, & Carlomanno; & Francos hortatur, ut singulis annis ad Concilium conveniant. *Ad Synodum namque omni anno convenite ad pertractandum de unitate Ecclesiæ, ut si quid adversi acciderit, ra-*

dici-

dicitùs amputetur, & Dei Ecclesia maneat inconcussa. Nec dicas verba illa monitionem continere, non potestatem conferre. Satis enim constat ex Epistolis Bonifacii ad Zachariam, & Zachariæ ad Bonifacium, Principes Pipinum, & Carlomannum non antè convocasse Synodum, quàm petita, & obtenta fuisset S. Sedis facultas, & in hac ipsa epistola plura sunt, quæ autoritatem Romani Pontificis significant, qualia sunt ista; *Dum Synodus adgregata esset in Provincia vestra* IVXTA NOSTRAM COMMONITIONEM, *mediantibus filiis nostris Pippino, & Carlomanno Principibus vestris, peragente etiam vice nostra Metropolitano Bonifacio, &c. Obsecramus enim omnes vos coram Deo, ut ejus* (Bonifacii) COMMONITIONIBVS FIRMITER OBEDIATIS, &c. SI EI IN OMNIBVS OBEDIENTES EXTITERITIS, &c.

5. Non errasset Baronius *contra manifesta, & aperta Benedicti verba*, etiamsi ex ejus testimonio concludisset, generatim omnia Capitularia Regum Franciæ à sancta Sede fuisse confirmata; cùm è contrà ex hac Zachariæ epistola planum fiat prima Capitula (reliqua enim sunt istis temporibus posteriora) fuisse expressè approbata, alia verò saltem tacite; cùm verisimile sit, quod primò factum est, fuisse regulam sequentium. David Blondellus expressam fuisse omnium confirmationem judicavit. Sed eum sibi confutandum existimavit Baluzius §. 13. conjecturis summi Pontificis autoritati faventibus repugnans, quibus cesserat Minister Calvinianus, adeòque sanctæ Sedis inimicus, quasque Baluzius nullo efficaci argumento impugnat, ne possit reponere corrigendum fuisse errorem certum, quantumvis in homine illo hæretico utilis videretur.

6. Verùm, ut diximus, præcipua intentio Baronii fuit, ostendere leges Ecclesiasticas à Principibus Francorum sine autoritate Ecclesiæ, ac præcipuè sanctæ Sedis non fuisse conditas, idque variis argumentis probat ad supradictum annum 819. possetque adhuc aliis confirmari. Nec valet argumentum negativum ex eo sumptum, quod in omnibus Capitularibus non fiat ejus autoritatis mentio. Licet enim solius Principis nomen aliquando præferant, quia non ità subtiliter omnia distinguebantur post horrendam Ecclesiæ Gallicanæ confusionem: tamen ipsa negotiorum conditio, & utriusque

que potestatis distinctio suadent interveniſſe in negotiis Eccleſiaſticis Eccleſiaſticam juriſdictionem.

7. Sed ne id gratis dictum objicerent Politici, extant luculenta ejus aſſertionis veſtigia. Prima duo Concilia in Gallia congregata ſub Principibus ſecundæ Dynaſtiæ, ac poſt luctuoſam illam Eccleſiæ Gallicanæ calamitatem, quam Zachariæ exponit Bonifacius in epiſtola, quæ cum reſponſione refertur ante illa Concilia à Sirmondo, & à Labbeo, fuerunt Liptinenſe an. 743. atque Sueſſionenſe an. 744. Liptinenſe congregatum fuit, poſtquàm Zacharias Bonifacio reſpondit; *De eo autem, quod nobis intimaſti, quod te Carlomannus filius noſter ad ſe rogavit accedere, ut in urbe Regni Francorum in ſua ditione, ſive poteſtate conſtitutâ, Synodum celebrare debeas, eo quod omnis Eccleſiaſtica regula, ſive diſciplina ab eadem Provincia funditùs eſt abolita, quod nimis mœrendum eſt, quod per ſpatia temporum ibidem Synodus Sacerdotum minimè celebrata ſit, & hoc libenter concedimus, & hoc fieri præcipimus.* Nota in his ultimis verbis, *hoc fieri præcipimus*, non nudum aſſenſum à Romano Pontifice præſtitum, ſed autoritatem interpoſitam. In præfatione ejus Concilii loquitur Carlomannus, quaſi ipſe præcipuus eſſet Legiſlator, Epiſcopi autem ejus Conſiliarii. *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ego Carlomannus Dux, & Princeps Francorum anno ab incarnatione Domini* 743. *videlicet Kalendis Maii cum conſilio ſervorum Dei, & Optimatum meorum Epiſcopos, qui in Regno meo ſunt, cum Presbyteris ad Concilium, & Synodum pro timore Chriſti congregavi.... ut mihi conſilium dediſſent, quomodo lex Dei, & Eccleſiaſtica Religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum Principum corruit.* Et Can. 1. *Itaque per conſilium Sacerdotum, Religioſorum, & Optimatum meorum ordinavimus per Civitates Epiſcopos, &c.* Ità Carlomannus de Concilio Germanico, quod Liptinenſe præceſſerat, quodque à Liptinenſi receptum eſt, eâdemque dicendi formâ utitur in Canonibus Liptinenſibus; *ſtatuimus, præcepimus, decrevimus.* Verumtamen Carlomannum non *ſuâ præcisè autoritate id feciſſe* probat Epiſt. 105. prædicti S. Bonifacii, cujus fragmentum refert Sirmondus tom. 1. Concil. Gall. pag. 583. cum hoc titulo; *De Canonibus & ſtatutis Synodi à Bonifacio juſſu Pontificis Romani, & rogatu Principum Francorum, & Gallorum celebratæ.* Sic autem Bonifacius Cudbertum alloquitur; *quia putamus vos libentiùs ſcire velle, quàm neſcire, quæ hic Sacerdotes nobiſcum ſervanda decreverunt, vobis emendanda*

danda, & corrigenda destinamus. Decrevimus autem in nostro Synodali conventu, & confessi sumus fidem Catholicam, & unitatem, & subjectionem Romanæ Ecclesiæ, sine tenus vitæ nostræ, velle servare. S. Petro & Vicario ejus velle subjici: Synodum per omnes annos congregare; Metropolitanos pallia ab illa sede quærere, & per omnia, præcepta Petri canonicè sequi desiderare, ut inter oves sibi commendatas numeremur, & isti confessioni universi consensimus, & subscripsimus, & ad corpus sancti Petri Principis Apostolorum direximus quod gratulando Clerus & Pontifex Romanus suscepit, statuimus, &c. decrevimus, &c. ex quibus, & aliis verbis liquet præivisse autoritatem Ecclesiæ Carlomanno illa Capitula edenti.

8. Id adhuc clariùs patet in Concilio Suessionensi. Nam licet in præfatione Pippinus ita loquatur. *Ego Pippinus Dux, & Princeps Francorum. Dum pluribus non habetur incognitum, qualiter nos in Dei nomine, una cum consensu Episcoporum, sive Sacerdotum, vel servorum Dei consilio, sive Comitum, & Optimatum Francorum, Colloquii apud Suessionis Civitatem Synodum, vel Concilium facere decrevimus, quod ità in Dei nomine, & fecimus. Primò imprimis constituimus fidem Catholicam, &c.* Ubi videtur similiter Pippinus statuere, Episcopi autem tantùm consulere: tamen conclusio, sive Canon ultimus sic habet; *Si quis contrà hoc Decretum, quod viginti tres Episcopi, cum aliis Sacerdotibus, vel servis Dei unà cum consensu Principis Pippini, vel Optimatum Francorum consilio constituerunt, transgredi, vel legem irrumpere voluerit, vel despexerit, judicandus sit ab ipso Principe, vel Episcopis, vel Comitibus;* ubi Canonum constitutio Episcopis, consensus autem Principi tribuitur.

9. Observa in his exemplis, quàm parùm fuerint solicitæ olim potestates de discernendis limitibus, & distinguendis officiis suis: cùm alicubi alteri tribuatur, quod aliundè constat ab altera præstitum, aut communi consensu peractum; ut vix ex loquendi formulis argumentari liceat, ad statuenda cujusque potestatis jura, sed assumenda sint certiora principia. Undè intelliges non rectè Gallos ad statuendam Regum suorum potestatem in res Ecclesiasticas omissâ discussione Juris ad exempla recurrere, in quibus non ita relucet Ecclesiasticæ jurisdictionis exercitium. Cùm enim illam in aliis exemplis, in quibus sola videbatur dominari potestas laica, robur suum obtinuisse manifestè conspiciamus, cur eam à reliquis exclusam censebimus, in quibus non ita luculenter apparet?

Cur

Cur non existimabimus, in sequentibus Synodis eundem, qui in Suessionensi, ordinem fuisse servatum, atque adeò *Episcopos constituisse*, *Principes consensisse*, etiamsi soli Principes decrevisse videantur; quod fortè in ista factum contenderent Galli, ob præfationem, nisi conclusione revincerentur: Cùm Liptinensis, quæ omnium sub secunda Dynastia celebratarum prima est, nonnisi post consensum, imò & præceptum Romani Pontificis congregata sit; cùm & Liptinensi, & Suessionensi, sicut Germanico præsederit S. Bonifacius Sedis Apostolicæ Legatus: cùm Zacharias Francis scripserit, ut ad Synodum singulis annis convenirent, & ea, quæ jam ab ipsis decreta erant, probaverit; cur ejus autoritas arcebitur à reliquis Conciliis, in quibus Capitularia edita, vel à quibus desumpta sunt? Trium quidem librorum capitula, quæ collegit Benedictus, fuisse autoritate sanctæ Sedis maximâ ex parte collecta, ipsummet testatum jam suprà vidimus. Non desunt argumenta generalia, quæ suadeant non abfuisse à reliquis autoritatem Apostolicam.

10. Ejusmodi sunt, quæ profert Baronius ad annum 770. ex lib. 6. Capitular. cap. 187. *Autoritas Ecclesiastica, atque Canonica docet, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Undè infert Illustrissimus Cardinalis, Francorum Reges hanc legem secutos. Eundem à sancta Sede præstitum Capitularibus consensum colligit ad annum 801. & ad annum 819. ex accurata obedientia, quam Carolus Magnus, & Ludovicus Pius sanctæ Sedi præstari volebant. *Ita unanimes*, inquit Ludovicus Pius, ut recitat Benedictus Capitular. lib. 6. cap. 267. *Divinis, & Apostolicis constitutionibus serviatis, ut in nullo patiamini pia Canonum Decreta violari. Ut nulli fas sit sine statûs sui periculo, vel Divinas constitutiones, vel Apostolicæ Sedis Decreta temerare.* Ut igitur Francorum Reges, qui leges Ecclesiasticas, sive Capitularia ad restaurandam disciplinam Ecclesiasticam condidêre, non suâ præcisè autoritate, id fecisse sentiamus; sufficit, ut sciamus per *Apostolica Sedis Decreta*, quæ *temerare* non licet, vetitum esse sæcularibus de rebus Ecclesiasticis propriâ autoritate decernere. Sic enim decernitur in Concilio IV. Romano sub Symmacho Papa; *Laici, quamvis Religiosi, nulla de Ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur unquam attributa facultas.* Refertur dist. 96. Ca. *Bene quidem*, & in Capitu-

pitular. Regum Franc. lib. 5. cap. 403. ubi Baluzius ipse multos alios Scriptores citat illud referentes, ac speciatim Concilium Trosleianum cap. 3. in quo, ut dicemus, Capitularia vocat *Canonum Pedissequa.*

11. Prætereà cur Adrianus Primus Codicem Canonum, & Decretalium Summorum Pontificum Carolo Magno Romæ dederat, nisi ut eorum executionem procuraret, quod indicat ultimus versus epistolæ illi Codici præfixæ; *A lege nunquam discede, hæc observans statuta?* Quæ Principes, & Reges Franciæ agebant, non solùm annuentibus, sed etiam hortantibus, atque rogantibus Pontificibus, atque adeò necessariam potestatem concedentibus, præstabant. Quamobrem, si quod occurebat dubium, consulebant sanctam Sedem, non solùm circa fidem, sed etiam circa disciplinam, non illud *suâ præcisè autoritate* declarabant. Exempla multa sunt, ut Pipini in epist. 7. Zachariæ: Caroli Magni, & Ludovici Pii in Capitular. lib. 6. capp. 96. & 267. lib. 7. cap. 91. 104. 187. 205. 267. Addit. 4. lib. 7. cap. 12.

12. Ego certè, cùm lego Christianissimos illos Principes, & Sanctæ Sedis, & Gallicanorum Episcoporum licentiam petiisse in rebus, in quibus hodie Reges illam postulare dedignarentur, ægrè possum modernis Scriptoribus Gallicis assentiri, asserentibus illos *leges Ecclesiasticas, sive Capitularia ad restaurandam disciplinam Ecclesiasticam condidisse suâ præcisè autoritate.* Quis v. g. hoc sentiat de Carolo Magno, de quo istud legitur in Concilio Francofordiensi anno 794. habito, cap. 55. *Dixit etiam Dominus Rex in eadem Synodo se à Sede Apostolica, idest ab Adriano Pontifice licentiam habuisse, ut Angilrammum Archiepiscopum in suo Palatio assiduè haberet propter utilitates Ecclesiasticas. Deprecatus est eamdem Synodum, ut eo modo, sicut Angilrammum habuerat, ita etiam Hildebaldum Episcopum habere debuisset; quia & de eodem, sicut & de Angilramno, Apostolicam licentiam habeat. Omnis Synodus consensit, & placuit eis eum in Palatio esse debere propter utilitates Ecclesiasticas.*

CAPUT XII.

De Capitularibus Regum Francorum primæ Dynastiæ.

1. ITà certum est Principes Francorum secundæ Dynastiæ cum assensu Ecclesiæ Capitularia circa res Ecclesiasticas edidisse, ut fortè non defuturi sint, qui ad defendendam illam Baluzii sententiam, scilicet, editionem Capitulorum Regibus jure proprio, non ex concessione, aut consensu Ecclesiæ, competere, reponant Pippinum & Carlomannum ideò plurimùm Ecclesiæ detulisse; quia cùm sibi conscii essent usurpati Principatûs, sanguinis, ac successionis jure sibi non debiti, è re illorum erat summos Pontifices, & Episcopos quorum maxima erat apud religiosum Populum autoritas, demereri, atque illorum ope Dignitatem sibi asserere: Pippini autem filium, & Nepotem, ejus agendi rationem imitatos; cumque pii essent, in conservando jure Regio non ità cautè, ac subtiliter erga Ecclesiam se habuisse. Quamobrem non sunt omninò prætermittenda Regum primæ Dynastiæ Capitularia; ut sciamus quomodò illi se gesserint in negotiis Ecclesiasticis, atque quomodò agendum senserint. Nec enim quod æquum quisque novit, id semper sequitur.

2. In Capitularibus Regum Francorum à Stephano Baluzio collectis primum locum occupat Constitutio Childeberti Regis, data circa annum 554. In ejus principio declarat, quæ sint Principis partes in negotiis spiritualibus; scilicet, ut eorum autoritate compellantur rebelles ad obsequendum Divinis & Ecclesiasticis præceptis, dum Sacerdotum potestas eam obedientiam obtinere non valet. *Et quia*, inquit, *necesse est ut plebs, quæ Sacerdotis præcepta non ita ut oportet custodit, nostro etiam corrigatur Imperio*: & prohibitis quibusdam sacrilegiis concludit; *Quicumque post admonitionem Sacerdotum, vel nostrum præceptum sacrilegia ista perpetrare præsumpserit, si servilis persona est, centum ictus flagellorum ut suscipiat jubemus, &c.*

3. Sequitur Constitutio Clotarii Regis data circa annum 560. cujus articulus sextus Judices sæculares in officio suo delin-

linquentes Episcoporum correctioni subjicit : cùm hodie vice versâ Judices sæculares, prætextu abusus, Episcoporum, aliorumque Judicum Ecclesiasticorum sententias reforment ; imò & summi Pontificis Decreta effectum sortiri non patiantur in rebus etiam spiritualibus ; *Si Judex*, inquit Clotharius, *aliquem contra legem injustè damnaverit in nostri absentia, ab Episcopis castigetur ; ut quod perperè judicavit, versatim melius discussione habitâ emendare procuret.* Hanc quidem facultatem Episcopis non concedit, nisi absente Rege, ad quem sine dubio pertinet propriorum Officialium censura ; sed quâ possunt æquitate Scriptores Gallicani, Pastoribus Ecclesiasticis denegare potestatem efficiendi, ut Judices sæculares, dum apertè suâ jurisdictione abutuntur, præsertim in præjudicium Ecclesiæ, peccatum emendent ; permittere verò Judicibus sæcularibus, ut statim atque aliquis de Episcoporum judicio conqueritur, prætermisso Metropolitano, aliisque in Hierarchia Ecclesiastica superioribus, querelam admittant ; & si quem putent re verâ intercessisse defectum, eos mulctis pecuniariis plectant.

4. At, inquies, conditio Clotharianæ constitutionis locum hodie non habet. Nunquam enim deest Rex, vel ejus consilium castigandis Judicibus contra legem injustè damnantibus ; adeoque Prælatorum curâ nihil est opus. Faxit Deus, ut ita se res habeat ; sed cur similiter Ecclesiasticorum Officialium emendatio legitimis eorum superioribus non relinquitur. Quia (respondebis) Superiores Ecclesiastici emendationem vel negligunt, vel recusant. Si ita esset, admonendi tantùm essent sui officii : sed magis certè metuendum est, ne sæcularibus non tam propositum sit, negligentiam, vel malitiam Judicum Ecclesiasticorum supplere, aut emendare, quàm ad se illorum trahere jurisdictionem.

5. In eadem constitutione alii sunt articuli pro conservandis Ecclesiæ juribus. Sed notatu dignus est duodecimus, qui est hujusmodi ; *Quæcumque Ecclesiæ, vel Clericis, aut quibuslibet personis à gloriosæ memoriæ præfatis Principibus munificentiæ largitate collata sunt, omni firmitate perdurent.* Ex quibus constat aliam fuisse olim Regibus Christianissimis mentem, à recentium Aulicorum sententia, qui, cum jus Regaliæ nullâ solidâ ratione possent in omnes Gallicanas Provincias extendere, eò confugerunt, ut

vellent retractari donationes, aut veriùs reſtitutiones libertatis, olim Eccleſiis quibuſdam à Principibus factas.

6. Refertur tertio loco præceptio Regis Guntramni an. 585. in qua Rex Epiſcopos monet, ut propriis Gregibus invigilent. Sed ab illorum officio ſuum luculentiſſimè diſtinguit, ſtatuens, ut Judices ſæculares opem Epiſcopis ferant: &, ſi qui deliquiſſe comperti fuerint, à propriis Judicibus, ſcilicet, Clerici ſecundùm Canones, Laici ſecundùm leges, emendentur. *Et licet*, inquit, *abſque noſtra admonitione ad vòs ſpecialiter prædicandi cauſa pertineat, attamen, &c.* Deinde, *ſed vos Apoſtolici Pontifices jungentes vobiſcum conſacerdotes veſtros, & filios ſenioris Eccleſiæ, ac Judices locorum, quoſcumque agnoſcitis, quos vitæ qualitas honeſta commendat, ita univerſam Populi multitudinem, conſtanti, vel Deo placitâ prædicatione corrigite, ut & benè viventes myſticus adhortationis ſermo mulceat, & excedentes ad viam recti itineris correctio Paſtoralis adducat.* Et poſt pauca; *Quicumque Sacerdotum, aut Sæcularium intentione mortiferâ perdurantes crebriùs admoniti, emendare neglexerint, alios canonica ſeveritas corrigat, alios legalis pœna percellat.*

7. Illuſtriſſimus Dominus Petrus de Marca lib. 6. cap 22. §. 7. Reges Conciliorum Canones examinare, atque temperare poſſe contendens (quod tamen minus eſt, *quam Leges Eccleſiaſticas ſuâ præcisè autoritate condere*) primum petit exemplum ab Edicto Clotharii II. Concilium Pariſienſe V. an. 615. confirmantis, & varios illius Canones modificantis. Sed Clotharius II. in Edicto illo profitetur, ſe cum Epiſcopis, quæ præcipiebat, conſtituiſſe. *Quicumque*, inquit, *hanc deliberationem, quam cum Pontificibus, vel tam magnis viris optimatibus, aut fidelibus noſtris in ſynodali Concilio inſtituimus, temerare præſumpſerit, in ipſum capitali ſententiâ judicetur, qualiter alii non debeant ſimilia perpetrare:* ex quibus verbis apertè colligitur Regem illum juxta mentem Epiſcoporum, ac cum illorum conſenſu Canones interpretatum eſſe, aut, ſi mavis, temperaſſe.

8. Sed & Lupus Abbas Ferrarienſis in illa epiſt. 81. cujus occaſione Baluzius Cardinalem Baronium immeritò arguit, quæque ſcripta eſt ad Amulum Archiepiſcopum Lugdunenſem Guenilonis, & Gherardi nomine, quæ eſſent Sacerdotum, quæ verò Regis partes optimè diſtinxit. *Præcepit itaque* (inquit, loquens de Rege Carolo Calvo) *ut ejus vobis ſermonibus*

nibus diceremus, se fideliter tenere, quod Rex Regum, idemque Sacerdos Sacerdotum, qui solus potuit Ecclesiam regere, quam redemit, postquam humanitatem suam in Cœlum evexit, semper cum suis futurus divinitate, potestatem suam ad eandem gubernandam Ecclesiam inter Sacerdotes divisit, & Reges; ut quod Sancti docerent Pontifices, & ipsi implerent, & impleri facerent devotissimi Reges. Ecce Principum sæcularium officium; *ut quod Sancti docerent Pontifices, & ipsi implerent, & impleri facerent devotissimi Reges.* Pontificum igitur est regulas Ecclesiasticas condere; Regum autem eas exequi, & ut subditi exequantur efficere, quod præstant, & libentiùs, cùm de illorum assensu constitutæ sunt, & efficaciùs, cùm præceptis, & censuris Ecclesiasticis pœnas temporales adjungunt.

9. Ex iis igitur, quæ à pluribus Franciæ Regibus gesta rectè videntur, (sunt enim à nonnullis multa iniquè facta) certò infertur, Reges Christianissimos erga Ecclesiam, & Ecclesiasticam disciplinam fuisse optimè affectos, restaurandæ canonicæ politiæ, ac promovendæ religionis studiosissimos; ideoque diligentissimam, & constantissimam operam dedisse, ut Concilia, quæ adversus omnia Religionis, morum, ac disciplinæ vulnera, remedia sunt efficacissima, frequentissimè celebrarentur; eorumque Canones, adjectis pœnis temporalibus, exequendos curasse. Cæterùm, si ex singulis, quæ tunc fiebant, argumentari liceat ad adstruendam Principum sæcularium in res Ecclesiasticas autoritatem; poterunt etiam inde argumenta duci ad vindicandam Ecclesiæ potestatem, non solùm in bona, & jura temporalia Regni, sed etiam in Coronam ipsam Regiam; concludendumque penes Ecclesiam esse, Reges destituere, ac restituere; quia Ludovicus Pius Autoribus Episcopis depositus fuit ab Imperio, & Regno, ac postmodùm restitutus; denique Regnum secundùm voluntatem Episcoporum erit administrandum, nam cùm recessisset Lotharius Ludovici Pii Filius, Ludovicus & Carolus ejus Fratres ditionem sibi sine assensu Episcoporum non vindicarunt, ut narrat Nithardus Caroli Magni Nepos ex filia hist. lib. 4. init. quæ extat tom. 2. Andreæ Ducheſne; *Et primùm quidem visum est, ut rem ad Episcopos Sacerdotesque, quorum aderat pars maxima, conferrent.* Sed non consenserunt Episcopi, nisi priùs certi facti, rectum fore illorum

regimen. Polliciti sunt autem Principes se omnia secundùm voluntatem Episcoporum facturos, quos, ut eam curam assumerent, obtestati sunt; *Respondentibus autem in quantùm nosse ac posse Deus illis concederet, secundùm suam voluntatem se & suos gubernare & regere velle, aiunt; & autoritate Divinâ, ut illud suscipiatis, & secundùm Dei voluntatem illud regatis monemus, hortamur, atque præcipimus.* Non minus legitimè argumentaretur, qui ex hac historia concluderet, secundùm voluntatem Episcoporum Reges, & Populos eis subditos, esse gubernandos; quàm Aulici, dum ex quibusdam antiquorum Regum factis aut verbis æquivocis inferunt, Principes suâ præcisè autoritate posse leges Ecclesiasticas condere. Initio secundæ Dynastiæ tanta erat circa Regni negotia Episcoporum facultas, ut, si ex illius temporis exemplis judicandum sit, plus Ecclesia in Regnum habitura sit autoritatis, quàm Regibus in Ecclesiam tribuatur: ut norunt Periti historiæ illius Nationis. Verùm mutuam utriusque potestatis consensionem in bonum Regni, & Ecclesiæ imitari præstaret, quàm hinc aut illinc Regum, aut Episcoporum exempla trahere ad confirmandam alterutrius in alterius jura invasionem.

10. Longè aliter quàm Baluzius de Capitularibns Regum Francorum sentiebant an. 909. Patres Concilii Trosleiani, licet Galli. Hi enim cap. 3. non dubitarunt Capitularia, *Canonum pedissequa* vocare, quia scilicet Canones tantùm secuta fuerant, & in eorum executionem edita.

CAPUT XIII.

Libertates Ecclesiæ Gallicanæ in aliis sensibus acceptæ.

1. LIbertates Ecclesiæ Gallicanæ à variis variè accipi pro cujusque commodo, aut studio, neminem latet eorum, qui res in Gallia gestas rescire satagunt. Principio quidem omnes Ordines exactam Canonum antiquiorum observantiam obtendebant: sed quia longiùs ab ea recedebant plurima, quæ à Laicis, plurima etiam, quæ ab Ecclesiasticis viris usurpabantur, detorquenda fuit nuncupatio illa à primaria

ria sua significatione, ad aliàs admodùm diversas, aut etiam contrarias.

2. Exeunte postremo sæculo Petrus Pithæus Bibliothecæ Regiæ Præfectus libellum suum de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ scripsit; in quo duo principia constituit, quorum alterum Regiam jurisdictionem in Ecclesiam amplificat, alterum summi Pontificis in Galliam potestatem constringit; atque ex duobus illis fontibus quamplurima capita derivat. Opus illud, cùm privati esset hominis, nullius erat autoritatis: imò nec totius Galliæ sententiam exponere censebatur. Quin ei potius Clerus refragari se multifariam significavit. Attamen quia nihil est, quod alicui aliquando non videatur commodum, incipit Tractatus ille per articulos citari, quasi antiqui illius Codicis Canones, in quibus observandis sita dicebatur libertas Ecclesiæ tùm universæ, tùm Gallicanæ, continentis loco successisset, ejusque interpretatio è commentario, ceù à Glossa communiter recepta peti.

3. In lite nuper à Senatu Parisiensi definita inter Illustrissimum Episcopum Cadurcensem, & nobilissimum Comitem de Marsano circa pensionem prædicto Comiti super fructibus præfati Episcopatus assignatam, instabat Reverendissimus Episcopus observandos Canones, quibus adversari videbatur pensio, præsertim in favorem Bigami Constituta; atque ita primariæ libertatum suarum definitioni inhærere videbatur. Nobilissimus Comes negabat esse veram, & sinceram libertatum Gallicanarum naturam; suumque intentum probabat plurimis exemplis Episcoporum, atque aliorum Ecclesiasticorum virorum super Canonibus secum dispensari postulantium, v. g. ad demigrandum ab una Sede ad aliam, ad plura simul Beneficia obtinenda, ad Beneficia Regularia in Commendam recipienda, contra regulam Regularia Regularibus, &c. Reponebant Actores Cleri Gallicani Domino Episcopo Cadurcensi sese adjungentes: quasdam quidem ex illis dispensationibus à Conciliis generalibus fuisse approbatas; alias autem puta Beneficiorum commendas ab usu, & à Conciliis Provincialibus esse confirmatas, quasi usus Galliæ & Conciliorum Provincialium sententia idem essent, ac Ca-

Canones Conciliorum generalium, quibus contineri dicebantur prædictæ libertates, ut obſervare licuit in actis typis editis, hucque perlatis.

4. Omnes autem libellum Pithæi, dum ſibi favere putabant, quaſi Codicem Canonum libertatum ſuarum allegabant; ut rurſus videas ſpecioſum illud nomen, quod primum ad ſignificandam defenſionem adverſus injurias Conciliorum generalium Canonibus contrarias inductum videbatur, hodiè multipliciter equivocum evaſiſſe, ac variè à variis, prout commodum videtur, uſurpari, quod plurimis aliis exemplis poſſet confirmari.

5. Sed quod vehementer deflendum eſt, nulli ſæpius uſui deſervit, quàm ut Eccleſia poteſtatibus ſæcularibus ſubjiciatur, ac ejus juriſdictio ad ſæculares Judices trahatur. Id ſæpiſſimè ſenſit Clerus Gallicanus, ſaltem circa ſuam, ut teſtantur ejus acta, & monimenta, quorum nonnulla ſunt à nobis citata. Itaque experitur Eccleſiaſticus Ordo quàm ſibi noxium fuerit poteſtatem ſæcularem adverſus Pontificiam imploraſſe. Utinam antiquam erga ſanctam Sedem obſervantiam reſumens, debitam ſibi à Laicis ipſe recuperare mereatur.

LIBER DUODECIMUS

De Appellationibus tanquam ab abuſu.

I. INter omnes Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ articulos plurimùm eminet, & ad defendendos alios excogitata eſt appellatio tanquam ab abuſu; qui modus hodie omnium frequentiſſimus eſt uſurpandæ, aut ligandæ juriſdictionis ſpiritualis ſub prætextu libertatis. Edmundus Richerius in ſuo Tractatu *De Eccleſiaſtica & Politica poteſtate* num. 13. aſſerit, quod *hæc ratio procedendi Gallorum, originem præbuit Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus, ut eas vulgò vocant.*

II. Carolus autem Fevret, qui Tractatum integrum novem in libros diſtinctum eo de argumento conſcripſit, lib. 3. cap. 1. num. 1. tradit hujuſmodi appellationem eſſe libertatis Eccleſiæ Gallicanæ partem. Non minoris intereſt Cleri Gallicani, quàm Sanctæ Sedis, ut plenè confutetur infeſta Eccleſiæ juriſdictioni doctrina, quæ in eo Tractatu continetur. Quamobrem ampliorem, & accuratiorem ejus confutationem Gallis, juriſdictionis Eccleſiaſticæ non negligentibus, & Cleri jurium, pariter atque uſuum contrariorum benè

consciis, dimittentes: Scriptorem illum per singulos articulos non insequemur: sed argumenta, quibus appellationes illas propugnat, discutiemus, quantum satis, ut pateat librum esse pernicioſissimum; atque ità neminem, nisi volentem fallat. Huc etiam propter materiæ connexitatem referemus tria ultima capita lib. 4. D. Petri de Marca, in quibus de appellationibus ab abusu disputat.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit appellatio ab abusu, & quæ illius origo.

1. APpellatio definitur à Jurisconsultis; *A minore Judice ad majorem, ratione gravaminis, facta provocatio.* Abusus autem est *perversus alicujus rei usus*, seu usus minùs bonus, ad quem res destinata non fuerat. Itaque, si justa, & legitima sit appellatio, nunquam interponetur, nisi ab aliquo abusu. Si enim Judex inferior rectè judicat, partibus gravamen non infert, atque adeò appellationi locum non præbet; si alterutri facit injuriam, abutitur suâ potestate, quæ circa justitiam dispensandam versatur. Sed à generali significatione ad particularem vox accommodata fuit in Gallia.

2. Illic enim appellatio ab abusu definitur in hunc modum; *A Judice Ecclesiastico suâ potestate abutente ad Judicem secularem provocatio:* quam definitionem sic explicat D. Petrus de Marca lib. 4. cap. 19. §. 4. *Etsi abusus significatio quamcumque Ministerii spiritualis aberrationem complectatur, sive in negotiis Ecclesiasticis, seu in temporalibus versetur, ut patet ex testimoniis jam relatis: attamen formula appellationum ab abusu specialiter accommodata est à Pragmaticis antiquis querela illi, quæ à Clericis adversùs vim Judicum Ecclesiasticorum ad Magistratus Regios defertur, sive de Rescriptis Romanæ Curiæ conquerantur, sive de judiciis Episcoporum.* Mutilam tamen esse hanc definitionem ad so-

solius Judicis Eccleſiaſtici abuſus reſtrictam videbimus §. 7. capitis ſequentis.

3. Nomine appellationis abuti videntur ſic nuncupantes provocationem à Judice Eccleſiaſtico ad ſæcularem, cùm nulla ſit inter eos ſubordinatio, ſed ſint omninò diſtinctæ poteſtates, Eccleſiaſtica & ſæcularis, & habeat utraque ſuos gradus, à gradibus alterius omninò diſtinctos; ut ab aliquibus, quamvis non omnimoda ſit paritas, comparentur, quod jam alibi notavimus, duabus lineis Parallelis, quæ quantumvis progrediantur, nunquam ſeſe contingent, aut conjungentur: cùm igitur Judex Eccleſiaſticus in rebus ſpiritualibus Judici laico ſuppoſitus non ſit, ab illo ad iſtum tanquam à minori ad majorem, provocari non poteſt; ſed à Judice Eccleſiaſtico inferiori, ad Eccleſiaſticum ſuperiorem, & ab iſto rursùs ad altiorem, donec deveniatur ad ſummum. „Si quid, „ait Carolus Fevretus lib. 9. cap. 3. num. 15. in praxim, uſum „ac vocem ipſam abuſus Curiæ Romanæ, ac Curiarum Ec„cleſiaſticarum Regni odium commovit, id fuit nomen ap„pellationis. Nunquam enim Clerus moleſtè tulit notorium, „& manifeſtum abuſum reparari. At vox appellationis, quæ „uſurpata fuit, ut ad illam reparationem procederetur, in„tollerabilis viſa eſt. Non enim concoqui potuit, ut à judi„ciis Eccleſiaſticis, & à Reſcriptorum, & Decretorum Sum„mi Pontificis executione appellaretur, ac poſteà hujuſmodi „appellationes in Curiis ſæcularibus judicarentur, &c.

4. Quamobrem fatentur Galli non dici ſimpliciter appellationem illam, quæ ab Eccleſiaſtico Judice ad ſæcularem movetur. *Simplicem enim, & meram appellationem*, inquit Illuſtriſſimus Petrus de Marca lib. 4. cap. 19. num. 5. *Ad Curiam Regiam nunquam in Gallia admiſſam fuiſſe fatentur Petrus de Cuneriis art. 14. Maſuerius tit. de appell. §. 22. & Joannes Gallus quæſt. 161.* Verùm cum illo additamento, *ab abuſu*, propriè, ac juſtè appellationes dici poſſe arbitrantur, quaſi vox magis odioſa rei ab altera voce ſignificatæ odium minuere poſſit, aut verba mitiora veram injuriam abſtergere.

5. De origine hujuſmodi appellationum non conſentiunt, qui de illis diſputaverunt. Appellatio quidem antiquiſſimum eſt contra iniquitatem Judicum inferiorum remedium. Quovis

tempore, ex quo Christiana pietas deferveſcere cœpit, inventi ſunt nonnulli Judices Eccleſiaſtici, qui datâ ſibi autoritate abuterentur : non defuerunt Principes, & Magiſtratus ſæculares, qui de illo abuſu conquererentur. (Juſtane, an injuſta eſſet querela, vel quod apponebatur remedium poſteà expendemus) Verùm appellationes ab abuſu ſub eo ſaltem nomine non ità ſunt antiquæ.

6. Carolus Fevret lib. 1. cap. 2. num. 2. antiquiorem appellationem refert ad annum 1404. allegans Placitum, ſeu Arreſtum Senatus Pariſienſis eo tempore datum, pro quo citat tom. 2. Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ cap. 7. num. 27. ſed quid Placitum illud contineret ignoratur, cùm nec à Fevreto, nec ab Autore tomi de libertatibus referatur, ſed tantùm citetur. Allegatur item ab utroque aliud Placitum anni 1449. Verùm in iſto refertur tantùm Procuratorem Regium dixiſſe, poſſe appellari à juriſdictione Eccleſiaſtica ad ſæcularem, quaſi ab abuſu, ac per viam prohibitionis, & nullitatis, ex eo quod Rex Deum tantùm ſuperiorem agnoſcat : Eccleſiaſtici verò juriſdictionem temporalem nonniſi à Rege habeant, qui de ea, ſi abuſus interceſſerit, poteſt cognoſcere : ex quo patet ibi agi de Judicibus Dominii temporalis Eccleſiæ, à quibus ad Judices Regios appellatur ; ſed hoc ad cauſas profanas, non autem ad ſpirituales ſpectat.

7. In defenſione Reginæ Navarræ Pio IV. ex parte Caroli IX. Regis Franciæ miſsâ anno 1564. earum appellationum uſus circa ea tempora incepiſſe dicitur, cùm Cardinalis Julianus à Balua Legatus à Latere ad Carolum VIII. etiam Regem Franciæ miſſus fuiſſet à Sixto IV. an. 1489. „Eo „tempore uſurpari cœperunt appellationes tanquam ab abu„ſu, quas emittendas ad Senatum placuit, ab executione „omnium Reſcriptorum Curiæ Romanæ contrariorum ſanctis „Decretis, libertatibus, & immunitatibus Eccleſiæ Galli„canæ, quarumque uſus plurimùm viguit, propter optima, „quæ indè conſecuta ſunt commoda ; ut ſcilicet hujuſmodi „abuſus à Senatibus autoritate Regia revocarentur. Libert. Eccl. Gallic. tom. 1. pag. 96.

8. Citatur à Renato Chopino de ſacra politia lib. 2. tit. 4. provocatio Procuratoris Regii à quibuſdam monitionibus In-

Innocentii VIII. contra Flandros: ſed hæc provocatio dirigitur *ad Papam modernum melius informandum, & ſanctam Sedem Apoſtolicam.* Addit quidem; *ſeu ad eum, vel eos, ad quos jure provocare poteſt, vel debet.* Sed iis verbis non deſignabantur appellationes ab abuſu, cum in jure fundamentum non habeant.

9. Inter acta Cleri Gallicani, ſcilicet tom. 1. tit. 2. cap. 19. ult. edit. continetur Eruditiſſimus, & ſolidiſſimus Tractatus de juriſdictione Eccleſiaſtica, in quo appellationum ab abuſu origo, pragmaticâ ſanctione recentior demonſtratur, & ejus eſſe quaſi partus abortivus; notaturque Ægidium le Maiſtre Protopræſidem in Senatu Pariſienſi in collectione appellationum ab abuſu nullam anno 1533. antiquiorem retuliſſe; Lucium item in libro 2. placitorum ſummæ Curiæ in titulo appellationum, quæ à veluti abuſu nuncupantur, nullam habere, niſi ab anno 1537. quamvis citet etiam litteras appellatorias ab executione Reſcripti Pontificii anno 1491.

10. Non poteſt certè uſus ille admodùm antiquus eſſe, quandoquidem Stephanus Aufrerius Præſes in Senatu Toloſano ſub initium ſæculi proximè elapſi in addition. ad repet. Clement. 1. de offi. ordinar. reg. 2. num. 30. mirabatur, quî poſſent legitimæ haberi appellationes; *De quibus*, inquit, *ſæpè numero dubitavi, ubi fundari poterant in jure*; ſed & tunc Judices de illis judicium ferre verebantur. Subjungit enim idem Aufrerius; *Numquam tamen audivi, neque vidi, niſi ſemel, quod ſuper meritis hujuſmodi cauſarum appellationum fuerit pronunciatum: ſed dumtaxat vel appellationes annullari, aut quod appellantes non erant ut appellantes recipiendi, quia à Judice ſpirituali non eſt ad ſæcularem appellandum.* „Non debe„mus, inquit etiam Stephanus Paſquierius lib. 3. inquiſitio„num ſuarum cap. 38. æſtimare remedium illud appellatio„nis (tanquam ab abuſu) aut tempore Philippi Valeſii (qui „obiit an. 1350.) aut 140. vel 160. annis poſteà inductum „fuiſſe. Nulla enim fit ejuſmodi appellationum mentio, „neque in regeſtis Curiæ, neque inter Senatus-Conſul„ta à Joanne Gallo Procuratore Regio tempore Caroli VI. „(qui obiit anno 1422.) collecta, neque inter deciſiones „Capellæ Toloſanæ ab Aufrerio Præſide in Senatu Toloſa„no digeſtas, neque inter deciſiones Senatus Delphinalis à „Guidone Papa editas.

11. Antiquior appellatio tanquam ab abusu assignatur à D. de Marca lib. 4. cap. 19. §. 4. nempè, quam interposuit Procurator Capituli Parisiensis an. 1501. à decimæ indictione, quam Alexander VI. in Gallia exigi jusserat. Sed ea appellatio primò dirigitur *ad præfatum Sanctissimum N. Papam melius consulendum, vel consultum, & sacrosanctam Synodum universalem primò celebrandam:* quibus verbis fatetur appellans appellationem ad Ecclesiasticum tribunal pertinere, nec per appellationis viam ad Principes se recurrere debuisse.

12. Licet magna videatur inter illos Scriptores, de tempore, quo usurpari cœperunt appellationes ab abusu, diversitas; ex omnium tamen consensu colligitur, earum originem non esse valdè antiquam; quod certè in re tanti momenti non obscurum est de injustitia præjudicium.

CAPUT II.

De progressu appellationum ab abusu.

1. PRælati Comitiorum Cleri Gallicani an. 1635. Parisiis congregati contra hujusmodi appellationes graviter conquesti sunt. Cumque eas penitùs abolendas non sperarent, petierunt, ut illis modus adhiberetur; monueruntque illas ideò institutas fuisse, ne Judices Ecclesiastici sæcularem jurisdictionem, aut sæculares Ecclesiasticam usurparent. Idem tradit Burdinus Procurator in Senatu Parisiensi Regius, à Carolo Fevret lib. 1. cap. 1. num. 4. relatus, his verbis; *Appellatio ab abusu hinc derivata est, quod Judex Ecclesiasticus, dum sibi partes vendicare conatur Judicis Laici, contra leges, & statuta Regia, jurisdictione sua abutatur:* ex quibus, & ex Edictis, ac Placitis in tom. 2. Libert. Gallic. cap. 7. num. 27. relatis, appellationum illarum in sua origine eum solum effectum fuisse colligitur, ut Regia jurisdictio conservaretur. Posteà tamen interpositæ sunt ad impediendos Judices Ecclesiasticos, ne potestate sua in cæteris negotiis abuterentur, ac denique eo processerunt, ut nulla, quantumvis spiritualis causa eis obnoxia non sit.

2. Re-

2. Reges quidem ſuis Edictis modum eis interdùm ponere cœperunt, ut videre eſt in actis Cleri tom. 2. parte 1. cap. 18. Sed nimius eſt Magiſtratuum ſæcularium, vel ad deprimendam Epiſcoporum Dignitatem, vel ad propriam augendam, ardor; quàm ut poſſit ſolis illis frænis cohiberi. In declivi poſita videntur eſſe omnia humana negotia, ut primus quidem greſſus difficilis aliquantùm ſit; at verò ubi ſemel inchoatus eſt motus, res ſuopte impetu, ac nullo impellente per præceps ferantur. Initio appellationes ab abuſu, cùm eſſent inſolitæ, atque ab ordine, ac jure communi remotiſſimæ, ipſos etiam Judices perterrere videbantur, ut ſuperiori Capite inſinuatum eſt: modò autem mirificis etiam laudibus extolluntur, ut infrà videbimus.

3. Tuenda primùm fuit juriſdictio Regia, deindè Laicorum, v. g. patronorum in Eccleſiis jura; poſteà juriſdictio Epiſcoporum, præſertim circa reditus ac beneficia; poſtmodùm Regni mores ſervandi; denique leges, acetiam Senatusconſulta vindicanda. Initio ſuſpendebatur executio; deindè coacti Epiſcopi Decreta revocare; denique ab ipſomet Senatu irrita ac nulla declarata ſunt. Circa bona temporalia, vel beneficia verſabantur primæ appellationes; de materia Eccleſiaſtica, circa diſciplinam ſubſequentes; modò etiam circa Sacramenta, & alia omnia ſpiritualia juxta doctrinam Opuſculi inſcripti; „ Politia Regia in perſonas, & res Eccleſiaſti„cas, autore Jacobo Duhamel, relati in primo tomo Libert. „ Gallic. Si contra has regulas, inquit, Edicta, Conſtitutio„nes, & placita Curiarum ſupremarum; ſi contra libertates „ & immunitates Regni; ſi contra ſancta Decreta, & Conci„lia recepta in Gallia; ſi contra juriſdictiones Regias, & „ temporales, aliquid à Judicibus Eccleſiaſticis fieri, vel at„tentari contigerit, remedium eſt appellatio quaſi ab abuſu. „ Idque non ſolùm intelligo de cauſis Criminalibus Regiis, „ & privilegiatis; ſed etiam de rebus civilibus, ſæcularibus, „ & profanis; imò etiam ſpiritualibus, & ſacramentalibus. „ Eſt enim Appellatio quaſi ab abuſu, via ad tribuendam Curiis „ Parlamentorum rerum ſpiritualium cognitionem, quæ aliàs „ ipſis non competeret. Quid igitur tam ſanctum, tamque „ Divinum reperiri poterit, quod juriſdictionem Parlamen„ torum effugere queat?

4. Ut in materia remota, ita in proxima, seu rerum conditione monstruosè excreverunt appellationes ab abusu. Nam principiò non usurpabantur, nisi quando notorius erat, & manifestus Judicum Ecclesiasticorum abusus; undè dicebantur Appellationes *ab abusu notorio, & certo*, quæ verba in litteris hac de re in Cancellaria expediri solitis, erant exprimenda, ut certum faciunt non solùm plurimi Autores, sed etiam Senatusconsulta, quæ citantur à Carolo Fevret lib. 1. cap. 2. num. 5. & alibi: his consonat declaratio Regis Christianissimi facta ad instantiam Cleri Gallicani anno 1666. art. 16. in act. Cleri loco citato. Tamen Officiales Regii commodis, quæ ex hujusmodi appellationum multitudine accedunt, inescati, plures excipiunt, in quibus adeò non elucet abusum à Prælatis Ecclesiasticis fuisse commissum, ut eas frivolas posteà Senatus non possit non declarare: cujus quidem examinis circa notorietatem omissio, ipsis etiam jurisdictionis Ecclesiasticæ hostibus iniqua visa est, ut legere potes loco Fevreti modò citato.

5. Sed quot, quantisque privilegiis sensim auctæ sint hujusmodi appellationes, quis exprimere queat? Primò possunt quovis tempore interponi, etiam post centum annos à data sententia, vel Rescripto, ut docent Fevretus lib. 1. cap. 2. num. 10. Duhamel, & alii hodie communiter, ex quo fit, ut nullus unquam securus sit actus jurisdictionis Ecclesiasticæ. Nam dum post multa etiam sæcula exhibebitur, si quid non solùm Canonibus, sed etiam moribus, legibus, aut Senatusconsultis Gallicanis contrarium contineat, appellatione ab abusu poterit everti. Itaque nutant v. g. omnia privilegia, & omnes dispensationes; quippè cùm à jure communi recedant, antiquæ disciplinæ non consentiant, atque adeò libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ adversentur.

6. Secundò nullus actus ab hujusmodi appellationibus eximitur, sivè procedat à jurisdictione Episcopali, sivè à Papali cum eo tantùm discrimine, (quod tamen non semper observari videbimus inferiùs) ut reverentiùs destruantur, quæ à Summo Pontifice, quàm quæ ab Episcopis profecta sunt; quæ ad spiritualia, quàm quæ ad temporalia pertinent. Id enim supremæ Papæ Dignitati, & autoritati tribuitur, ut non

non à Sententia, Decreto, vel Reſcripto ejus, ſed ab eorum publicatione, vel executione appellari debeat; cùm actus Epiſcoporum directè impetantur, & irriti fiant. In ſpiritualibus non de petitorio, ſed de poſſeſſorio judicetur, niſi fortè aliquid temporale conjunctum habeat; ſic v. g. Judices Laici validumne ſit Matrimonium, in quantùm eſt ſacramentum, non judicant; ſed an Maritus (quod idem in uxore locum habet) teneatur reſumere uxorem. Et quia ſacramentum matrimonii præſupponit contractum civilem, decernunt, an adimplendæ ſint promiſſiones matrimoniales; imò an ſeparandi ſint conjuges; etiam, ut à pluribus audivi, an partes ad aliud matrimonium contrahendum ſint liberæ: quodque adhuc magis mirum eſt, dum de eſſentia ipſa, & validitate ſacramenti agitur, non per ſe quidem ſententiam ferunt, ſed ad Judices Eccleſiaſticos, alios ab ordinariis, partes, etiam pro ipſius ſacramenti ſuſceptione ad Parochos non proprios remittant. Præcipitur quidem articulo 17. declarationis jam citatæ ut, ſi interveniſſe abuſum Curia comperit, eidem Tribunali Eccleſiaſtico, licet non eidem Judici, cauſam meliùs judicandam relinquat. Sed quàm vereor, ne ille articulus, ſicut & alii multi in favorem Cleri editi, à Judicibus ſæcularibus poſthabeantur.

7. Tertiò tres ſententiæ conformes à Judicibus Eccleſiaſticis prolatæ, appellationi obnoxiæ non ſunt, ſed tertia definitiva conformis, omni mora ceſſante, executioni debitæ demandari debet, quâcumque appellatione interpoſitâ non obſtante, ex legibus Concordatorum tit. de appellationibus. Verùm quod ad ſummum Pontificem perferri non poſſet, ad Parlamenta per appellationem ad abuſu devolvetur, quæ etiam poſt tertiam ſententiam conformem admitti poterit, ut docet Fevretus loco ſuprà citato & lib. 8. cap. 3. ante finem.

8. Quartò non eſt ſervandus juriſdictionum ordo, neque percurrendi varii Tribunalium gradus; non eſt expectandum, ut Archidiaconi iniquitatem reparet Epiſcopus, Epiſcopi Metropolitanus, Metropolitani Primas, Primatis ſummus Pontifex. Ipſe quidem ſummus Pontifex eam ſeriem ita revereri tenetur, ut ſi vel uno gradu prætermiſſo cauſam ipſe

contigerit, ejus Decreta nullius momenti futura sint, & per appellationes ab abusu ipsorum receptio, publicatio, & executio impedienda, quantumvis fuisset in mora periculum, Judices suspecti, denegatio justitiæ, aliave necessitas ad supremum Tribunal recurrendi: censuræ, si quæ in Decretis Pontificiis continentur, contemnentur; nulla denique habebitur potestatis Papæ ratio. At verò à quocumque Judice Ecclesiastico, &, ut ait Duhamel, à quacumque parte appelletur, velut ab abusu, legitima est appellatio.

9. Quintò appellationibus ab abusu nullo pacto præjudicari valet. Quantumvis partes concordent, aut transigant; Procurator Regius, qui principalis in his causis pars habetur, appellationem prosequi nunquam non potest, ut docet Fevretus lib. 1. cap. 2. num. 9. 10. 25. & alibi.

10. Sextò statim atque appellatum est ad Judices sæculares Judex Ecclesiasticus supersedere debet; ac quidquid interim contingere poterit, negotio illi Episcopus, aut alius, sese nequit immiscere, nisi quantum ei à Senatu indultum fuerit. Quantumcumque v. g. constet Episcopo Matrimonium invalidum esse, non poterit, appellatione pendente, partibus præcipere, ut quoad thorum separentur: Quamvis Parochus intrusus sit, aut jurisdictionis spiritualis incapax, non poterit Episcopus Pœnitentiæ, aliorumque Sacramentorum administrationem alteri committere, si ille appellaverit quasi ab abusu.

11. Septimò Læsæ Majestatis crimen esset appellationes ab abusu impugnare, quia fieret injuria supremæ Regis Majestati, summoque ejus Dominio. Itaque in tuto positum est istud Regiæ Coronæ jus, seu potestas Judicibus sæcularibus tributa, de qualibet, quantumcumque spirituali, re judicandi, dummodò appellationis ab abusu nomine insigniatur. Vide Fevretum lib. 1. cap. 3. num. 6. sub finem in margine.

C A-

CAPUT III.

De justitia appellationum ab abusu.

1. CUm innumera sint negotia, circa quæ versantur appellationes ab abusu, & alia aliis magis minusve spiritualia, & sacra, vel temporalia & profana; non in omnibus æqualiter elucet justitiæ vel injustitiæ ratio, sed cum quadam proportione. Quidam adeò evidenter injusti abusus à Judicibus sæcularibus prætextu illarum appellationum committuntur, ut ab ipsis etiam illarum Defensoribus dissimulari non possint, quamvis leniter reprehendantur. Sufficeret fortassis rationes expendere, quibus illæ appellationes à Judicibus, & Patronis defenduntur. Sunt enim adeò extraordinariæ, atque ab antiquo usu ipsorum etiam Gallorum abhorrentes, ut vel eo ipso nomine ingerant suspicionem. Verùm antequam examen illud aggrediamur, præjudicia quædam adversus illas proponenda sunt.

2. Duo considerantur à Jurisconsultis, ut intelligatur, an legitimè possit institui judicium in aliquo foro, nempe partes, & causa. Varii sunt enim Judices, prout varia sunt causarum genera, vel partium Dignitates, & conditiones. Certè causas spirituales, & Ecclesiasticas ad Ecclesiastici Judicis Tribunal perferendas, vel ipsæ voces clamant, nisi fortè, quod frequenter repetere cogimur, utramque potestatem à Christo D. N. divisam, separatamque confundamus, contra Ecclesiæ universæ, ac Principum etiam Christianorum communem sensum. Nec possunt Judices sæculares suam jurisdictionem tanto cum studio tueri, quin intelligant pari quoque ratione Ecclesiæ suam esse conservandam; nec possunt alias sibi, alias Ecclesiæ, leges ponere, quin Divinam in se iram concitent: quandoquidem, ut monet Sapiens Prover. 20. vers. 10. *Pondus, & pondus, mensura, & mensura, utrumque abominabile est apud Deum.*

3. Quin etiam, ut in rerum corporalium contrectatione, qui profanum aliquid subripit, furti tantùm reus est; qui

verò rem sacram aufert, sacrilegii crimen incurrit; ità injustitiæ quidem peccatum admittit, qui temporalem alterius jurisdictionem usurpat; qui autem sacram, & spiritualem invadit, sacrilegium perpetrat. Mirum certè est, quomodò Judices sæculares, qui Calicem, aut aliud vas Divinis Ministeriis consecratum non solùm rapere non auderent, sed nec nudis manibus contrectare, jurisdictionem sacram ad se trahere non vereantur, quasi non sit etiam res sacra, & Ecclesiæ maximè necessaria, & chara.

4. Ipsi etiam Imperatores, & Principes, ut jam sæpè insinuavimus, solemniter protestati sunt, non ad Laicos, sed ad Episcopos, aliosque Judices Ecclesiasticos spectare, non solùm condendorum jus Canonum, sed etiam interpretandorum. Retulimus jam sententiam Constantini Magni, Theodosii secundi, & Valentiniani III. Caroli Magni, aliorumque Principum, quibus adjungi possent alii non pauci. Sed nihil desiderari potest expressius, quàm quod Imperator Basilius publicè declaravit in octava Synodo. Cùm enim illius Concilii Decreta optaret ab omnibus libenter excipi, & executioni demandari, omnibus facultatem concessit ea proponendi, quæ sibi vel obscura, vel difficilia viderentur in ejus Canonibus, monuit illam licentiam eò tantùm tendere, ut ambigua explanarentur ab ipsamet Synodo; *Quisquis habet aliquid adversus hanc sanctam, & universalem Synodum, dicendum, vel contra hujus Canones, aut terminum, stet in medio, & quæ sibi videntur dicat, sive Episcopus sit, sivè quisquam de Ecclesiastico Clero, sive Laicus, aut ex iis, qui civilibus officiis mancipatus existat; quanquam non datum sit istis secundùm Canonem dicere quidquam penitus de Ecclesiasticis causis.* (Ecclesiasticæ causæ sunt juxta Basilii mentem non tantùm *terminus*, seu fidei definitio, sed etiam *Canones*, circa reliquas materias, ut ex præcedentibus verbis patet.) *Opus enim hoc Pontificum, & Sacerdotum est; Sed ex abundanti omne os iniquum obstruere volentes, licentiam præstamus omnibus, ut qui in mente habet, quid ambiguum de his, quæ decreta sunt ab hac sancta Synodo, hoc in medium exhibeat, & suscipiat satisfactionis salubre remedium.* Act. 10. quæ est ultima octavæ Synodi.

5. Philippus Augustus, referente, ac in exemplum proponente S. Ludovico, cum à suis Officialibus moneretur, jurisdictionem Regiam à Judicibus Ecclesiasticis usurpari, respon-

respondit, malle se id perpeti, quàm à Sacerdotibus cum scandalo dissidere: Utinam illius Regis Posteri, non neglectâ propriâ autoritate, sed vindicatâ contra Regios Officiales Ecclesiasticâ, dissidiis, ac scandalis occurrerent. *Dicitur de Rege Philippo Avo nostro* (verba sunt S. Ludovici in documentis, quæ ante mortem filio suo Primogenito scripsit, & quasi pro testamento reliquit, referente Guilhelmo de Nangiaco Monacho S. Dionysii in Francia) *quod quidam de Consiliariis suis dixit ei, quòd multa damna inferebant ei Ecclesiasticæ personæ, jura ipsius usurpando; & mirabantur multi, quod ità tolerabat. Cui Rex respondit: Benè credo quod dicitis; sed quando cogito Beneficia, quæ mihi Dominus contulit, meliùs volo pati, quàm inter me & Ecclesiam scandalum suscitare. Ama igitur, ò fili, personas Ecclesiasticas, & serva pacem earum quantum poteris.*

6. Quod spectat ad personas, peccatur à Judicibus sæcularibus in tritam illam Jurisconsultorum regulam; *Actor sequitur forum Rei*, cùm in actionibus, quas personales vocant, ideſt, quæ in personam diriguntur, non in rem aliquam temporalem, Viros Deo consecratos, quantacumque dignitate præfulgeant, ad sua Tribunalia trahunt. Itaque qui se sacrorum Canonum Custodes esse gloriantur, Canones, Clericos, & Regulares à foro sæculari arcentes, ita non servant, ut nullius alterius conditionis hominum major ibi copia videatur; quod in Clerum & in Religiosos Ordines relaxationem, & sæcularium morum colluviem inducit, & maximum sacris Dei Ministris, & famulis contemptum conciliat.

7. Qua in re tantùm abest, ut dignitatis Episcopalis Christianis omnibus tantoperè reverendæ, atque ab antiquis Gallis tanto in honore habitæ, rationem habeant; ut in hoc suam eminere dignitatem arbitrentur, si Episcopos pro rebus etiam Divinis, & Ecclesiasticis, ad se venire compellant. Undè in aliquibus Senatibus pertinaciter retinetur, quantumvis refragantibus Edictis Regiis, usus vocandorum in judicium Episcoporum ipsorum, non admissis Procuratoribus Fiscalibus, quos illic Promotores vocant, etiamsi de ordinationibus vel sententiis mota sit controversia, quam Præsules, ut Judices tantùm, cùm sua ipsorum nihil interesset, pro sui officii munere tulerunt.

CAPUT IV.

De vi appellationum ab abusu, quantùm ad conscientiam.

1. CErtissimum est non habere Judices sæculares claves Ecclesiæ, ut in foro, vel interno, vel externo ligare possint, aut solvere; ideſt, à peccatis, & censuris absolvere, vel illis innodare, jurisdictionem, aut missionem spiritualem conferre, vel auferre, Id de fide est, nec inter Catholicos probatione indiget. Undè necessariò consequitur nulla Principum Edicta, nulla Curiarum sæcularium placita posse quemquam ab excommunicatione, aut aliâ censurâ, vel irregularitate, vel peccato liberare; nulli Parocho, vel alteri Sacerdoti, aut Clerico validam, ad prædicandum missionem, ad Pœnitentiam, vel alia Sacramenta administranda, jurisdictionem conferre. Possunt quidem Senatores declarare, non esse aliquem excommunicatum, irregularem, vel alicujus criminis reum; sed hujusmodi declarationibus, cùm à non habentibus potestatem prodeant, ab excommunicatione, irregularitate, vel peccato neminem possunt eximere. Quid igitur, si fallantur Judices? Num eorum sententia excommunicatum participationi suffragiorum, aliorumque bonorum Ecclesiæ communicationi restituet? Num irregularem ad sacra ministeria idoneum præstabit? Num absolutionibus ab invasore curæ animarum dandis vim tribuet? Num ab incurrenda Dei offensa tuebitur? Num etiam titulum coloratum præstabit.

2. Sed cùm multæ sint tum antiquis, tum recentibus Canonibus, & Decretis, latæ censuræ adversùs eos, qui Ecclesiasticam jurisdictionem violant; num eas effugient, aut Judices causas spirituales, & sacras ad sua Tribunalia evocantes, aut partes illuc eas perferentes? Num bona fides utrosque à peccato, & censuris excusabit? Equidem bona illa fides in ignorantia fundari non potest. Ut enim à Judicibus incipiamus, aut ipsi Canones ignorant; ac sic temeritatis rei sunt, cùm rebus Ecclesiasticis, quæ Canonibus regendæ sunt, se im-

immiscent. Si Canones norunt; sciunt quàm arctè ab iis Ecclesiasticæ jurisdictionis usurpatio prohibeatur, quibusque pœnis spiritualibus plectatur. Sed cùm appellationibus ab abusu propositus dicatur is scopus, ut antiqui Canones serventur; æquius est, ut Judicibus, qui se defensores dicunt Canonum, perspectos illos esse sentiamus. Ergò ignorantia, &, quæ illam supponere videtur, bona fides illis minimè suffragatur, si aliud tentent, quàm ut jurisdictionem laicam, ideſt, civilem, seu circa res temporales, & profanas tueantur; nisi denique quatenùs sibi ex jure, vel ex privilegio certo competit. Complerent integrum volumen Constitutiones Ecclesiæ adversùs violantes suam jurisdictionem, quas nescio quomodò contemnere audeant, qui Ecclesiam Matrem habere se profitentur, aut quomodò qui audent, censuras in eis contentas evadant.

3. Metuunt illas Judices, qui deprimendorum Episcoporum, aliorumque Judicum Ecclesiasticorum, & extollendæ propriæ autoritatis ambitione, vel lucri, aut alterius commodi cupiditate non tenentur, nec Ecclesiæ tanquam sibi subditæ dominari, sed ut Matri obedire studeant. Justum esse illum timorem docuerunt etiam Scriptores laici, antequam illi, quibus Ecclesiastica negotia plus afferunt utilitatis, quàm profana, Ecclesiasticam jurisdictionem ad forum sæculare omninò evocare statuissent. Aufrerius in Senatu Tolosano Præses, in additione ad repetitionem Clementinæ primæ de offic. ordin. Reg. 2. num. 30. fatetur, ut suprà vidimus, se sæpè dubitasse, ubi fundari possent in jure appellationes ab abusu, & ad sua usque tempora, ideſt, circa annum 1514. Judices à jure super meritis causarum per appellationem tanquam ab abusu ad se delatarum dicendo, semper abstinuisse, nisi unicâ tantùm vice. Perfracta sunt Religiosi illius timoris repagula, & nescio quo poterit aggere præcipitis torrentis impetus cohiberi, quandoquidem nec primis æquitatis principiis, nec censuris Ecclesiasticis sistitur.

4. Evenit maxima ex parte, quod prædixerat Cosmas Guymier in Senatu Parisiensi Consiliarius, & Inquisitionum Præses in præf. prag. Sanct. §. *Cùm itaque* in verb. *libertatis*. Ubi postquam statuta, & consuetudines contra Ecclesiasticam libertatem

tatem esse nullas, utriusque juris autoritate comprobavit; postquam hujusmodi statuta servantes, aut servari facientes, itemque turbantes, seu impedientes jurisdictionem Ecclesiasticam per se, vel per alios, directè, vel per obliquum, & ad illud, auxilium, consilium, vel favorem dantes, in excommunicationem incidere ostendit; notavitque post Joannem Andr. & Panorm. infinitos Judices, seu Rectores hujusmodi censurâ esse Ligatos, ob diminutam, & subtractam jurisdictionem Ecclesiasticam, subjungit; CVM AVTEM REX FRANCIÆ SIT PVGIL ECCLESIÆ, ET INTER OMNES CHRISTIANOS CHRISTIANISSIMVS, DEBET CVSTODIRE IVRISDICTIONES, ET LIBERTATES ECCLESIASTICAS: SED OFFICIARII EIVS IN MVLTIS HODIE TVRBANT ECCLESIAM IN PRÆDICTIS: ITA QVOD, NISI DEVS PROVIDEAT, TANDEM IVRISDICTIO, ET LIBERTATES ECCLESIÆ EVANESCENT, SICVT TEMPORE PHILIPPI REGIS DE VALESIO, PETRVS DE CVNERIIS PVTAVIT AVFERRE IVRISDICTIONEM TEMPORALEM ECCLESIÆ.

5. Qui egregias huic Guymierii Glossæ notas addidit Philippus Probus, suum contra illata Ecclesiasticæ jurisdictioni damna zelum significat; his Guymierii verbis; *Officiarii ejus in multis hodiè turbant Ecclesiam in prædictis*, addens; *A quibus adhuc non desistunt, adeò quod Judices Ecclesiastici nihil aut parum habent in jurisdictionis exercitio: quia illud frustatim per Judices laicos fuit laceratum, & usurpatum, ut patet experientiâ rerum Magistrâ.* Vide ibi sequentia.

6. Si Gallicani Judices Theologos, & juris Canonici interpretes suspectos habent, eorumque sententiam super hac quæstione contemnunt, quasi in propria causa loquantur, aut propriis commodis studeant; audiant Senatuum suorum Præsides; audiant Jurisconsultos æqui justique retinentes, & sinceros: magisque hac in parte se, quàm Ecclesiasticos viros suspectos existiment, cùm isti de tuenda, illi de amplianda jurisdictione certent.

7. Petrus Rebuffus supremarum Curiarum privilegia recensens super procemio Concordatorum, ver. *summas*, octavum istud assignat; *Octavo cognoscit de abusu Judicum Ecclesiasticorum, & alius Judex non potest cognoscere, ut in Concord. in Rub. de protec. Concord.* ..... *Et hoc quatenus ei à jure conceditur, vel ex privilegio, ut plenius*

nius dixi in ordinationibus Regiis, non alias, ut est textus in ca. si quis à proprio. & ca. si quis Episcopus 21. quæst. 5. ALIOQVI, ET IS ABVSVS MVLTOS DEDVCET AD INFEROS. Non exciderunt hæc verba Rebuffo incogitanti, aut materiam Ecclesiasticam tantùm præ manibus habenti, quandoquidem eam ex professo tractans super ipsammet Rubricam Constitutionum Regiarum, quæ est de appellationibus ab abusu, idque Parisiis in scholis publicis, ne quis putet opinionem esse privati hominis, quam proferre non ausit nisi in scriptis sine examine vulgatis, disertè docuit, ut ipsemet hic confirmat, Judices sæculares eam autoritatem non nisi ex jure, vel privilegio sibi posse vendicare.

8. Quæ de Judicibus dicta sunt, in partibus etiam locum habent cum proportione. Ejusmodi enim plerumque sunt, ut sciant, aut saltem teneantur, & facilè possint scire, quæ à sacris Canonibus statuta sunt adversus eos, qui Ecclesiasticam jurisdictionem usurpant, aut ad eam usurpandam juvant. Minor tamen est istorum culpa, cum non propriâ sponte Tribunalia sæcularia pro rebus spiritualibus, & Ecclesiasticis appellant; sed ad ea inviti pertrahuntur, causæ alioquin justæ, ac gravissimi momenti jacturam perpessuri: sed quod omninò nulla culpa sit, definire quis audeat? Licet id aliqui præsumant ex benignitate Ecclesiæ, quæ sicut contumaces graviter plectere solet, ita & illis indulgere, qui sua præcepta non nisi magnâ necessitate compulsi prætermittunt: res tamen admodùm incerta mihi videtur.

CAPUT V.

Discutiuntur rationes, quibus appellationes ab abusu legitimas esse Autores Gallicani probare nituntur.

1. CAusas Ecclesiasticas à sæcularibus Judicibus definiendas non esse adeò perspicuum est, ut id fateantur ultrò, qui appellationes ab abusu legitimas esse affirmant; sed eum usum variis modis excusare conantur. Primò, quod Rex sit Canonum custos. Secundò, quod subditos suos à vi, ser-

vitute, ac oppreſſione tueri poſſit, & teneatur. Tertiò, quod ſcandala, quæ ab injuſtis ſententiis, aut Decretis oriuntur, à Principe compeſcenda ſint. Quartò, quod Canones ſæpè legibus confirmati fuerint, adeoque Principes propriarum legum, perinde atque Canonum infractionem ulciſcantur. Quintò, quod jus naturale injuriam à ſe, atque ab aliis arcere permittat. Sextò, quod Eccleſia partim expreſsè, partim tacitè illi uſui conſentiat. Exceptâ iſtâ ultimâ ratione, reliquæ omnes unicâ reſponſione videntur elidi.

2. Si enim Principes, ac Judices ſæculares nullo caſu putant Eccleſiam cauſas ad ſæcularem juriſdictionem pertinentes ad Eccleſiaſtica Tribunalia evocare poſſe; quâ æquitate illi cauſas Eccleſiaſticas ad forum ſæculare per appellationes ab abuſu pertrahunt? Nonne Eccleſia, ut leges, ac mandata Principum à fidelibus obſerventur, cenſuras adhibet? Num autem negotiorum ſæcularium cognitio permittitur Judicibus Eccleſiaſticis, dum cenſurarum imploratur auxilium, ad detegendam v. g. rei veritatem? Quomodò igitur prætextu cuſtodiæ Canonum, cauſarum Eccleſiaſticarum judicium ſibi laici tribuunt? Illuſtriſſimus Petrus de Marca lib. 4. cap. 12. §. 4. varia profert exempla, ex quibus patet ſolitos olim Principes ad Eccleſiam recurrere, ut ejus ope debitam ſibi fidem, & obſequium à ſuis ſubditis obtinerent. *Exempla*, inquit, *petere licet è Synodo apud Lauriacum habitâ an.* 843. *relatâ in Synodo Meldenſi, & apud Ivonem, quæ eos, qui contra regiam Dignitatem aliquid machinantur, vel poteſtati regiæ per ſummam contumaciam non obtemperant, Anathemate plectendos decernit. Inde Synodus Sueſſionenſis an.* 866. *rogat Nicolaum I. ut Salomonem Britanniæ Ducem moneat, quò Domino ſuo Carolo Regium obſequium præſtet, annuoſque cenſus perſolvat; alioqui gladio Apoſtolatus veſtri ſe percellendum debito cognoſcat libramine. Ludovicus Ultramarinus Rex Francorum ab Hugone Comite vexatus ſubſidium poſtulat à Synodo Engelenheimenſi, ubi aderat Legatus Romani Pontificis, & Otto Imperator an.* 948. *&c.* Si quis hodiè ob illa exempla contenderet, in foris Eccleſiaſticis ejuſmodi cauſas eſſe tractandas, partibus auditis, & eodem ordine, quo appellationes ab abuſu apud Judices ſæculares, ceu inſanus haberetur. Et tamen inſontes videntur Judices Laici, qui ſpiritualia, & ſacra quæque negotia ad ſe trahunt, ac juridicè definiunt; quia *abuſus* vocem

obten-

obtendunt ; quasi potestates sæculares non solùm autoritate sua nunquam abutantur , aut earum abusus corrigere nefas sit ; sed etiam ad Pastorum Ecclesiasticorum abusus emendandos , à Deo sint præpositæ.

3. Præterea , num Principes sæculares rariùs quàm Ecclesiastici proprios subditos opprimunt , aut Ecclesia de ope , filiis suis injustè vexatis, minùs debet esse solicita , quàm Reges de Regnicolis ab injuriis vindicandis ? Nonne etiam ab injustis Principum mandatis oriri possunt scandala , vel illis moveri non debent Apostolorum successores , qui à S. Paulo ità se habere didicerunt , ut verè dicere queant ; *Quis scandalizatur , & ego non uror ?* Quid quod leges Canonibus confirmantur : & tamen occasione violatorum etiam Canonum , Ecclesia de possessionibus terrenis , aliisque rebus merè temporalibus , liberè judicare non finitur ? Cur soli Ecclesiæ nefas sit non solùm sua jura , sed etiam fidelium bona , & libertatem, dum iis injustè spoliantur , propugnare ? An jus illud naturale Principibus temporalibus , non autem superioribus Ecclesiasticis concessum est.

4. Evenire sanè potest ; imò ut non eveniat fieri vix potest , ut Superiores Ecclesiastici aliqui aliquando sua abutantur potestate : Sed contingit frequentiùs , ut Principes & Magistratus sæculares ultra modum suos subditos præmant. Nonne ergo æquius esset , ut Pastoribus Ecclesiæ , præsertim Summo , liceret , & Principum conscientiæ , & subditorum quieti , quæ cum animarum salute sæpe conjuncta est , prospicere ; quàm ut Principes superiorum Ecclesiasticorum abusus , qui circa formulas à jure positivo inductas , aut fortè circa redituum temporalium , aut beneficiorum dispensationem versantur , possent autoritate suâ corrigere ? Præsertim cùm prætextu illius correctionis majores abusus aut foveantur , aut inducantur. Difficillimum , ac ferè impossibile est, ut præcaveantur , aut emendentur omnia incommoda. Si autem volunt Galli reverendam esse tantummodò Divinæ providentiæ dispensationem , quæ supremam Regibus potestatem contulit , cùm illi malè in administratione rerum temporalium se habent ; cur idem de potestate Ecclesiastica non sentiunt ? Cur utraque in alteram monitionibus tantùm non

agit ? si utriusque distincta sunt officia, & discreti limites, ut non debeat alterius altera fines ingredi ; ne, dum in alterius Provinciâ ordinem constituere satagit, & suam, & alienam perturbet. Cur Deo non relinquitur, ut in hoc mundo, vel saltem in futuro præpositorum à se constitutorum delicta emendet ? *Tu quis es, qui judicas alienum servum ? Domino suo stat, aut cadit.* Ad Rom. 14. Humanum dico propter infirmitatem.

5. Cùm enim corpus propter animam, non anima propter corpus à Deo creata sit ; cùm temporalia, & corporalia ordinata sint ad spiritualia, & æterna ; convenientius est, ut illi, quibus ex Divina dispensatione concredita est spiritualis, & æterna salus fidelium, curam suam ad temporalia protendant, quàm ut qui temporalibus præpositi sunt, ad spiritualia manum porrigant ; maximè cùm, ut diximus, abusus circa temporalia, magistratuum, ac etiam sæpe subditorum conscientias illaqueant. Quâ ergo ratione potestas spiritualis eodem jure in rebus sacris, quo temporalis in profanis frui permittitur, & plus Principibus in Ecclesia circa spiritualia, quàm Ecclesiæ in Principes circa temporalia tribuitur ? sed, ut redeamus ad illa, quæ in favorem appellationum ab abusu allegantur.

6. Primò, Rex Canonum Custos est, at non Conditor ; Executor, non Judex, ut notat Facundus Hermianensis de Imperatore Marciano verba faciens ; *Cognovit ille* (Marcianus) *quibus in causis uteretur Principis potestate, & in quibus exhiberet obedientiam Christiani. Et ideò ne impius, atque sacrilegus videretur post tot Sacerdotum sententiam opinioni suæ nihil reliquit..... Multò magis impunè sibi cedere non posse cognovit, vel quæ jam de fide Christianâ ritè fuerant constituta discutere, quod nullatenus licet, vel* NOVOS CONSTITVERE CANONES, *quod non nisi multis, & in unum congregatis primi ordinis Sacerdotibus licet. Ob hoc itaque vir temperans, & suo contentus officio, Ecclesiarum* CANONVM EXECVTOR ESSE VOLVIT, NON CONDITOR, NON EXACTOR. Facund. Hermian. defens. lib. 12. cap. 3. Judicare superioris est : Principes igitur Canonibus obsequi tenentur ; de illis judicare non possunt ; illorum interpretes non sunt : sed ejus est legem interpretari, cujus est & condere.

7. Se-

7. Secundò, tueantur Reges suos subditos, quando vim, & injuriam patiuntur; sed debito modo. Non autem v. g. cùm illi, quibus id muneris incumbit ex ordinatione Divina, remedium opportunum afferre non recusant: cùm non est manifesta injuria, &c. Sed Principes parem saltem fateantur facultatem Pontificibus competere, cùm fideles evidenti fuerint iniquitate à Laicis oppressi, non sine certo ipsorum æternæ damnationis periculo.

8. Tertiò, quantùm damnandi sunt, qui scandala concitant, de quibus pronunciant Divina Oracula, satius esse, ut alligatâ collo molâ demergerentur in profundum maris Matt. 18. tantùm laudandi sunt, qui scandala conpescunt, atque ad id traditâ sibi Divinitùs potestate utuntur. Verùm amoto, si quid instabat scandali, cædis videlicet, seditionis, & hujusmodi, periculo, causæ judicium Judici competenti relinquatur. Certè qui rixantes videt, potest, & debet propter imminens, & inevitabile periculum à mutua injuria, quantùm valet, impedire, non tamen illius rei, cujus causâ rixabantur, judicium sibi vendicare, aut injuriam inferentem plectere, nisi sit legitimus ejus superior.

9. Quartò, si res sit ejusmodi ut partim Canonibus, partim legibus regi debeat, unaquæque potestas jure suo liberè utatur. At, si leges in adjutorium tantùm Canonum invocatæ sint, nonne jus violatur, si, quæ Adjutrices venerunt, dominari velint?

10. Quintò, ex jure naturali licet manifestam injuriam, & à se, & ab aliis amovere, recurrendo scilicet ad Judices, & Superiores à Deo constitutos, non autem autoritate privatâ vel extrancâ, præsertim dum non desunt media ordinaria, & regularia; ut vix, aut nunquam in Ecclesiastico regimine desunt.

11. Sextò, testantur orationes Cleri Gallicani tom. 5. ejus actorum, aliaque innumera monimenta, Antistites Gallicanos appellationibus ab abusu pro viribus semper restitisse; & dum penitùs eas abolere posse desperarunt, usum moderari conatos esse: nec eas minùs, imò multò magis improbat Ecclesia Romana, ut ironicè loqui videantur, qui expressum, vel etiam tacitum ejus consensum adducunt in illarum

defensionem. Et hæ quidem præcipuæ rationes sunt, quibus à Gallicanis Scriptoribus excusantur appellationes ab abusu. Sed, ne quod nos alicujus momenti argumentum effugerit, expendenda sunt paulò accuratius, quæ à præcipuis illarum defensoribus dicta sunt, scilicet à D. Petro de Marca, & à Carolo Fevreto.

CAPUT VI.

Expenditur doctrina D. Petri de Marca de appellationibus ab abusu in 19. cap. libri 4. de Concordiâ Sacerdotii & Imperii contenta.

1. IN tribus ultimis libri 4. capitibus ex professo, alibi tantùm ex occasione, de appellationibus ab abusu disputat D. Petrus de Marca; idcircò paulò diligentiùs istorum doctrina examinanda est. Cap. 19. §. 2. scribit, ex Concordatis inter Leonem X. Pontificem, & Franciscum I. Regem Francorum initis, Senatus officium adversus eorum violationem implorari solitum per appellationes ab abusu; eò quòd Pontifex Canonum, atque Decretorum in illis Concordatis renovatorum tuitionem, consensu quoque suo, & Apostolicæ Sedis autoritate adhibitâ, Regibus Francorum permisisset: Franciscus autem Rex eam curam Parlamentorum Curiis demandasset. Sed, ne hujusmodi appellationibus novitas, quâ nihil est libertatum Ecclesiæ Gallicanæ Dignitati infestius, objiceretur, §. 3. *Abusus* dictionem in foro anteà incognitam non fuisse contendit. Vocem quidem illam Concordatis antiquiorem esse quis dubitat? Res enim per illam propriè significata vetustissima est: sed prout vox illa designandis appellationibus, de quibus agimus, est accommodata, non admodùm vetusta est, sicut nec ipsum ejus significatum. Usurpata est etiam à Laicis contra Ecclesiasticos ad denotandum indebitum potestatis usum, sed non semper verè ac justè.

2. Durandus enim Mimatensis, v. g. cujus autoritas primo loco adducitur, scilicet, ex tractatu de modo Concilia gene-

generalia celebrandi rubric. 70. monuit sæculares Judices solitos suo tempore, Judices Ecclesiasticos de turbata jurisdictione conquerentes repellere hac exceptione; *quod eorum actus essent abusus.* Sed justam, ac veram non fuisse illam excusationem comprobavit examen aliquot post annis factum coram Philippo Rege Francorum, hinc Bertrando Episcopo Augustodunensi Ecclesiasticam, illinc Petro de Cuneriis Procuratore Regio Laicam jurisdictionem defendentibus, ut in actis legitur typis pluries excusis, & à Patribus Philippo Labbe, & Joanne Cossart to. 11. Concil. part. 2. insertis, & in Bibliotheca Patrum tom. 13. edit. Col.

3. Antiquiorem ut supra notavimus postremo sæculo appellationem ab abusu non affert Marca: & quam tunc temporis interjectam dicit §. 4. præterquam quod ignoratur, an, qui interposuerat, prosecutus sit, recenter editi partus speciem præsefert. Adhuc enim vacillat. Appellatur *à Procuratore Capituli Parisiensis* contra decimam ab Alexandro VI. inductam ad Papam meliùs consultum, Synodum universalem, Regem Christianissimum, supremam Parlamenti Curiam, ac *ad illum, vel illos, ad quem, vel quos de jure, vel consuetudine in hac parte provocare, & appellare licet.* Hæc appellationis forma indicare videtur non posse ad Regem, vel ad Senatum deferri appellationem, nisi ad summum post judicium Papæ meliùs consulti, & post sententiam Synodi universalis, & propter illorum defectum, aut manifestissimam injustitiam. Non enim potest in omnibus illis Tribunalibus simul tractari negotium. Nec tot Judices appellari videntur, nisi quia dubitatur quisnam sit adeundus: vel potiùs an Rex, & Parlamenti Curia sint ex illis, *ad quos de jure, vel consuetudine in hac parte provocare & appellare liceat.* Et fortasse comminatio erat potiùs quàm vera appellatio, ut Papa metuens, ne Ecclesiasticum negotium ad Tribunal sæculare deferretur, atque ita jurisdictio Ecclesiæ detrimentum pateretur, onus Clero impositum minueret.

4. Paragraphi quinti notatu digna sunt hæc verba; *Simplicem, & meram appellationem à Curia Ecclesiastica, ad Curiam Regium in Gallia nunquam admissam fuisse fatentur Petrus de Cuneriis* (insignis jurisdictionis Ecclesiasticæ æmulus) *art.* 14. *Masueriis tit. de appel.* §. 22 &

22. & *Joannes Galli quæst.* 161. Illi enim Autores generatim negant à Judice Ecclesiastico ad sæcularem appellationem admitti, quantumvis eos Marca de appellatione tantùm simplici, non de illa, quæ tanquam ab abusu nuncupatur, intelligendos velit. *Nullus*, inquit Petrus de Cuneriis art. 14. *à Curia Prælatorum appellat ad Curiam Regiam.* Ac revera in lib. inscripto; *Stylus Curiæ Parlamenti Parisiensis*, licet prolixus sit titulus de appellationibus, nulla reperitur neque simplex, neque tanquam ab abusu à Judicibus Ecclesiasticis ad sæculares. Masuerius non solùm testatur de facto, sed etiam de jure. *A Judice Ecclesiastico*, inquit tit. de appel. §. 22. *non est appellandum ad Judicem sæcularem.* Joannes Galli Advocatus Regius, qui Placita Senatus Parisiensis usque ad an. 1414. per quæstiones digessit, idem variis Senatus-consultis probat. *Fuit*, inquit quæst. 161. *ante longum tempus dictum per Arrestum, Dominum Joannem Lappostole non esse, ut appellantem recipiendum, ab Officiali Curiæ Ecclesiasticæ Lingonensis ad Parlamentum; quia Curia Ecclesiastica non resortitur ad temporalem. Item fuit pariter dictum contra Dominum Guillelmum Creveil, qui ab Officiali Curia Ecclesiasticæ Capituli Lingonensis appellaverat ad Parlamentum.*

5. Cùm videret autem Marca illarum appellationum injustitiam, variis eas limitationibus temperare conatus est. Nam v. g. § 4 circa verba Procuratoris Capituli Parisiensis suprà relata istud animadvertit. *Quæ verba*, inquit, *observanda sunt, ut indè pateat in hoc casu appellationem ad Regem subsidiariam esse appellationi ad Concilium; in hac enim de iniquitate, in altera de abusu tantùm disceptari potest: & unius subsidio juvabantur appellantes, dum alterius præsidium expectabatur.* Ergò non nisi provisionaliter res determinandæ essent per appellationes ab abusu, nec de ipsa sententiæ Ecclesiasticæ iniquitate judicandum, sed sistendus abusus interim, dum Concilium jus diceret. Alias infrà limitationes adhibebit, quæ tamen, ut videbimus, nec observantur, nec observatæ possent omninò usum illum excusare.

6. In eodem paragrapho 5. appellationum ab abusu frequentiam induxisse ait Theologorum Parisiensium, præcipuèque Gersonii, sententiam. Quanta esset tempore Gersonii in Ecclesia confusio; quantus clavium à Pontificibus, seu Pseudopontificibus abusus, nemo ignorat. Undè nihil mirum est, si & Gersonius, & alii quidam Theologi Parisienses intolerabi-

rabiles illorum excessus, præsertim cùm contraria præciperent, & unusquisque sibi obtemperari sub frequentibus censuris præciperet, repelli posse docuerint : licet autem Gersonius parvulum istum tractatum de materia excommunicationum, & irregularitatum, quem citat Marca, fortasse post finitum schisma scripserit, cùm in eo Concilii Constantiensis mentionem faciat, plurima tamen profert, quæ animum adhuc exasperatum, atque indignatione in abusus, quorum testis exstiterat, commotum indicant. Cujusmodi fuerint abusus significat his verbis consid. 9. & aliis; *Contemptus clavium non incurretur in multis casibus, quibus Papæ mandato non obediretur.* DVM SCILICET ABVTITVR ENORMISSIME', ET SCANDALOSISSIME' POTESTATE SVA IN DESTRVCTIONEM, NON IN ÆDIFICATIONEM.

7. Quàm autem longè absit Gersonii sententia ab effusa illa appellationum ab abusu frequentia, quæ Galliam hodie inundant, patebit attentè legenti verba prædicta, & illa ipsa, quæ refert Marca ex consid. 10. *Contemptus clavium non semper invenitur* (invenitur certè quàm sæpissimè) *apud illos, qui nedum non obediunt sententiis excommunicationum promulgatis per Pontificem* (qualis erat Benedictus XIII. qui Reges, & Regnum Franciæ censuris suppossuit, eò quod sibi, concordiam recusanti, obedientiam subtraxissent) *vel suos, qui per potestatem sæcularem adversùs tales prætensas sententias tueri se procurant. Lex enim naturalis dictat, ut possit vis vi repelli.* Sed hoc aliud omninò est ab appellatione, quæ causæ cognitionem requirit, quantumvis prætendant Judices, se de abusu, non de iniquitate cognoscere. Gersonius enim supponit, evidentissimam esse censurarum injustitiam, ut non inquirendum sit, an Pontifex abutatur suâ potestate; sed quomodò quis possit ejus injuriam evadere. Subjungit enim; *Constat autem, quod tales excommunicationes, non debent dici jus, sed vis & violentia, contra quam fas habet liber homo, vel animus se tueri.* Adde quod, si Gersonii dictis standum est, possunt Laici adversùs injurias sibi à Rege factas Pontificem adire, quod Regii Ministri ceu crimen læsæ Majestatis æstimant. Etenim in isto etiam casu locum habet ratio Gersonii; *Lex naturalis dictat, ut possit vis vi repelli* : ac prætereà docet idem Doctor loco alibi exscripto, licere non solùm Communitati, sed etiam

privatis adversùs Principis, alioquin legitimè dominium obtinentis, tyrannicum regimen seſe defendere : quis autem juſtior, & modeſtior modus ſe defendendi, quàm ut appelletur Pater communis omnium Chriſtianorum, & Paſtor, cui tenentur etiam ipſi Reges parere, ſi inter Chriſti oves cenſeri volunt?

8. Quæ ſit appellationum ab abuſu juſtitia, ſatis intelligitur ex eo quod, cùm earum uſus inductus eſt, nec ipſi Judices Regii, ad quos deferebantur, quo jure niterentur, perſpicere poterant : & cùm rationes inquirere ſtuduerunt, ejuſmodi protulerunt, quas nec alii probarunt appellationum illarum Patroni. Quas Stephanus Aufrerius, cujus ſuprà meminimus, adducit, adeò debiles ſenſit Petrus de Marca, ut de illis ità loquatur §. 6. *Sanè fatendum eſt pleraque ab Aufrerio laudata teſtimonia longiùs eſſe petita ; quamvis aliqua huic diſceptationi inſervire poſſint.* Non deſignat Marca, quænam ſint illa *teſtimonia*, quæ *inſervire poſſint.* Sed quantum ſit illorum pondus abundè cognoſces ex eo, quod immediatè ſubdit ; *Præcipuum autem illud, in quo cauſæ fundamentum ponebant..... non adeò urget ac primâ fronte videtur, &c.* Cur timeantur alia, cùm præcipua, ipſi etiam Adverſarii parvi faciant? Concludit Marca ; *Quare non mirandum eſt, ſi Rebuffus, qui ſola hæc teſtimonia expenderat, iniquiùs ſe gerat erga iſtas appellationes, quas nimis anguſtis finibus coërcet, ſcilicet iis caſibus, in quibus Rex juriſdictionem habet delegatam à Papa, vel à Canone, ut in tuenda fide, vel Eccleſia, ſi oppugnetur, & in caſibus à jure expreſſis.* Hîc ad marginem monemur conſulere ſecundam præfationem Marcæ §. 13. Ibi autem Marca Rebuffum interpretatur, quaſi delegationem expreſſam, & non tacitam dumtaxat, exigeret. Itaque, ſi deſit etiam tacita, locum habebit Rebuffi ſententia.

9. At tacitam Summi Pontificis, aut Canonis delegationem, ſeu Eccleſiæ conſenſum non deeſſe probat §. 7. tum ex eo quod Concordatorum tuitio, quæ majoris eſt momenti, Regibus commiſſa ſit ; tum quod non ſint inviti Epiſcopi, nec de re, ſed de exceſſu conquerantur ; tum denique quod tamdiu ſiluerit Curia Romana. *Ex præſumpta mente Summi Pontificis ſemper Gallicanæ Eccleſiæ perſuaſum fuit, in cæteris etiam articulis* (ſcilicet ultra contentos in Concordatis) *eam tuitionem extraordinariam,*

riam, quæ in Gallia ante Concordatorum publicationem vigebat, à Summis Pontificibus tacitè fuisse concessam; cùm in rebus majoris persæpè momenti, quæ Concordatis continentur, præsidium Regium ad Decreta custodienda impendi gratissimum habuerint. Quæ Summorum Pontificum consensio indè etiam probari potest, quod ab aliquot sæculis cùm appellationum istarum usus frequentetur in Gallia (non invitis Episcopis, qui modum quendam illis præscribi, non autem rem ipsam aboleri aliquoties postularunt) à Romana Curia nihil prosectum sit, quo ingratam sibi esse fori trituram illam significaret.

10. Verùm ex Concordatis argumentum validissimum desumitur contra prætensum sanctæ Sedis tacitum consensum circa appellationes ab abusu. Ibi enim Summus Pontifex expressè declarat se alios usus præter contentos in Concordatis, si qui sint sanctæ Sedis, & Ecclesiæ juribus contrarii (quales esse ostendimus illas appellationes) non intendere approbare. *Et cum omnium* (verba sunt Leonis X. in Concord. tit. 33. qui est *de perpetua stabilitate Concordatorum*) *quæ in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis agantur, notitiam non habeamus, consuetudines, statuta, seu usus libertati Ecclesiasticæ, & auctoritati Sedis Apostolicæ quomodolibet præjudicantia, si quæ in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis, aliàs quàm in præmissis, existant, non intendimus nobis, & eidem Sedi in aliquo præjudicare, seu illa tacitè vel expressè quomodolibet approbare.* Vide an meritò *ex præsumpta mente summi Pontificis semper Gallis persuasum fuerit, in cæteris etiam articulis* (ultra contentos in Concordatis) *eam tuitionem extraordinariam à summis Pontificibus tacitè fuisse concessam.* Nonne potiùs expressa declaratio eliminat omnem taciti consensus præsumptionem. Testatur præterea Constitutio singulis annis in die Cœnæ Domini publicari solita, & aliæ innumeræ, quantùm aliena sit sancta Sedes à consentiendo usibus Ecclesiasticæ jurisdictioni tam infestis.

11. Testantur acta Cleri Gallicani, & nominatim Tractatus *de Ecclesiastica jurisdictione* alibi laudatus, & tomo 1. actorum Cleri Gallicani insertus, an Episcopi jurisdictionem suam per hujusmodi appellationes extingui gratum habeant; an verò ex desperatione tantùm abolendi usus sibi tam pernicioſi, modum ei adhiberi postularint. Ex his autem inferent Prælati Ecclesiastici, quantùm interſit jurium Ecclesiæ violationi, & quàm primùm, & quàm fortiter obsistere, cùm in rebus capitalissimis, quæque nullâ solidâ ratione nituntur, re-

sistentia non satis generosa (nedum silentium) accipiatur pro consensu; ut jam non de revocando, sed de minuendo malo deliberandum sit, ac pro magno favore habeatur, si pernicioſiores circumstantiæ resecentur. Inferent similiter, quàm periculosum sit ab iis opem emendicare, qui alienam dominationem excludunt, sed ità ut ipsi duriùs dominentur. Sapientissimè statuerunt Summi Pontifices, ut Laicorum leges circa res Ecclesiasticas sine assensu Ecclesiæ nullâ vi pollerent, etiamsi viderentur utiles. *A quibus* (Laicis) inquit Innocentius III. cap. *Ecclesia* de Constitut. *si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum, & favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum.* Minus enim est illud commodum, quàm damnum usurpatæ à Laicis in Ecclesia jurisdictionis; præsertim quia ubi semel Ecclesiasticarum rerum arbitrium prætextu procurandæ utilitatis Ecclesiasticæ ad se traxerint, si decernant injusta, respui vix poterunt ob dissimulatam judicandi possessionem. *Nam* ut ait Nicolaus I. epist. 47. quæ est ad Hincmarum Archiepiscopum Remensem, & refertur in Concilio. Suession. 3. *Mala consuetudo, quæ non minus, quàm perniciosa corruptela vitanda est, nisi citiùs radicitùs evellatur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur, & incipiunt prævaricationes, & variæ præsumptiones celerrimè non compressa pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuò celebrari.*

CAPUT VII.

Discussio capitis 2. libri 4. D. Petri de Marca, ubi adhuc de appellationibus ab abusu.

1. PEriculosam rem tentat Marca hoc cap. 2. §. 1. dum quorum Canonum violatio appellationibus ab abusu locum præbeat, determinare aggreditur. Quoscumque limites præfigat, ulteriùs excurretur. Satiùs erat, quandoquidem jurisdictionis Regiæ partes susceperat, indiscussam illam quæstionem prætermittere, ne, cùm novæ usurpationes ad capita ab eo assignanda revocari non possent, earum injustitia faciliùs deprehenderetur. Nam v. g. verum est, ut ipse dicit, *Edicto lato anno*

anno 1619. *de causis merè spiritualibus, & de Sacramentorum administratione cognitionem prohibitam esse Curiis supremis, etiam harum appellationum prætextu.* Sed praxim Edicto contrariam esse docent non solùm Jacobus Duhamel Autore antiquior, sed etiam Fevretus recentior, quos suprà retulimus, & recentia Decreta Curiarum sæcularium. Quod ait non provocari à concessione, sed ab executione Rescriptorum Pontificiorum, appellari autem ab ipsismet judiciis Episcoporum, reverentiæ quidem erga sanctam Sedem speciem habet, sed quæ injuriam tegat, non tollat. Cur autem Episcopis similis honor non defertur? Siquidem, ut §. 2. dicit Marca, de iniquitate judiciorum Ecclesiasticorum Judices in appellationibus ab abusu non judicant. Adde quod recentia Senatusconsulta reverentiam illam erga summum Pontificem, saltem ex omni parte non servant.

2. Paragrapho 2. monet Judices sæculares; Primò, ut Canonum Executores se non præstent, ideſt, *de solo abusu admisso, non de negotio ipso Ecclesiastico judicium ferant.* Secundò, ut nisi *abusus sit apertissimus, notorius, & manifestus Ecclesiasticis Judicibus litem relinquant*, rationem affert §. 3. *Necesse est enim*, inquit, ut *Judices Regii hoc sibi proponant, judicia Canonica nullo modo ad jurisdictionem Regiam pertinere; sed communi Episcoporum, & Principum consensu ab ipsis Christianæ Religionis primordiis Ecclesiasticæ jurisdictioni addicta. Quare, si, necessitate cogente, in eas cognitiones Regia jurisdictio aliquando excurrit, ità segetere debet, ut lineas hac in re defixas non egrediatur.* Observat deindè non passim, sed duabus potissimùm de causis judicia Canonica olim à Principibus tentata, vel suspensa; scilicet ad amovendum scandalum, & offensionem publicam; & dum judiciorum ordo per dolum, circumventionem, & machinationem judicio Ecclesiastico Episcopi, vel Clerici opprimerentur. Sed, ut notat §. 4. & ut generaliter dici posset, *Si quis ad hanc necessitatem coercere velit Patrocinium Regium, usus fori quotidiani periclitari videbitur.* Non enim circa ordinem tantùm, sed & circa negotia, nihil sibi non licere Judices sæculares arbitrantur, quibus, nisi validiùs obsistatur, brevî tacitus consensus obtendetur; eritque malum omnis prorsùs curationis impatiens. A religione, atque justitia Christianissimi Regis expectandum est remedium. Etenim ea est Parlamentorum firmitas (lenius est verbum ob Augusti illius cœtûs reve-

rentiam) ut à solo Rege flecti possit, vixque alterius etiam Regis, quàm Ludovici XIV. voluntati cessura sit, quod cùm ex aliis, tum ex inobservato Edicto anni 1619. supracitato constat. Invictissimi illius Principis autoritati, & æquitati reservata est gloria Constitutionis illius, quam promiserat Marca hoc §. 4. aut potiùs alia optanda, quæ integram suam libertatem, & jurisdictionem Ecclesiæ restituat.

3. Quemadmodùm de facta Ecclesiasticæ jurisdictioni à Judicibus sæcularibus injuriâ, si quidem inferiores illi sint, ad Senatum; si Senatus ipse fecerit, ad Regem recurrendum esse vult Marca in hoc 2. cap. §. 5. & cap. seq. §. etiam 5. si quid perperàm ab Episcopis gestum sit, cur non appellabitur Metropolitanus? Si à Metropolitano, alius superior, donec ad supremum Romani Pontificis Tribunal perventum sit? Nonne eandem in rebus spiritualibus potestatem à Deo Pastores Ecclesiæ obtinuerunt, quàm Magistratus & Principes in rebus temporalibus? Nonne, ut sæpiùs diximus, si alterutra potestas alteri præferri, vel alteram emendare debeat (& revera debet) spiritualis temporali est anteponenda? Quanta ergò fit spirituali injuria, cùm temporali postponitur, nedum par non habetur utriusque conditio, ut cuique liberè sua liceat obire munia?

4. Sicut olim Ecclesia judiciarium ordinem à legibus constitutum sequebatur; ità posteà ordinem à jure Canonico inductum amplexa est Gallia, ut ejus nationis Scriptores notarunt, nominatim Marca §. seq. & perhibet stylus ipse, ac praxis: sensim tamen plures factæ sunt mutationes, quibus ipsam Ecclesiam subjicere Judices laici conantur; adeò ut hodiè multæ appellationes ab abusu, vix alio prætextu colorentur, quàm non servatæ formæ à Constitutionibus Regiis, aut stylo præscriptæ, magisque fermè cavendum sit Judicibus Ecclesiasticis, ne fori sæcularis praxim, quàm ne Canones ignorent. Ex Canonibus enim non observantur quamplurimi; formulas moderni juris prætermittere nefas est, & abusus mulctæ obnoxius.

5. Ab ordine tamen judiciario per leges constituto Principem dispensare posse probat Marca §. 6. autoritate Meliphtongi Episcopi in Concilio Chalcedonensi dicentis, Eutichen

per

per se ipsum, non per Procuratorem respondere debere; *Nisi*, aiebat, *aliter jusserit Imperator, cui parendum erit.* Verùm etiam hodie Magistratibus sæcularibus in multis parendum est: sed hoc non propter conscientiam, sed propter iram: non quia justa præcipiunt, sed quia Præceptorum executionem per vim extorquent. Cùm ordo judiciarius ad hoc institutus sit, ut rei veritatem, & justitiam faciliùs assequantur Judices, & judicia commodiùs executioni demandentur: sicut in variis Regnis, imò in variis Provinciis pro circumstantiarum varietate diversus est, ita, & pro rerum, & causarum distinctione. Et quemadmodùm quilibet Princeps judiciorum formam, prout subditis suis convenire arbitratur, Judicibus suis præscribit; ità æquum esset, ut Ecclesia liberè posset in negotiis spiritualibus & Ecclesiasticis ordinem sequi, quem probasset commodiorem causis rectè citoque expediendis.

6. Frustrà verò dicto §. 6. probatur Ecclesiam olim leges secutam in ordine judiciorum: nam ut verbis Lucii III. utar, quæ referuntur cap. 1. *de novi operis nuntiatione*; *sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum, Principum Constitutionibus adjuvantur.* Glossa super verbo, *adjuvantur*, addit: *Et ità in causa Ecclesiastica leges possumus allegare, ut etiamsi Canones deficiant, possit judicari secundùm leges.* Sed aliud est Ecclesiam justis, & commodis legibus in suis judiciis uti, aliud non posse à legibus recedere, nisi ex dispensatione Principum.

7. Illis fori sæcularis formulis se non adstringi putabant Judices Ecclesiastici in Gallia ante paucos annos. Nam & quique suum stylum habebant; & initio hujus sæculi autoritate Comitiorum Cleri Gallicani editus fuerat stylus generalis in omnibus Curiis Ecclesiasticis illius Regni servandus. Anno 1560. instabat Senatus Parisiensis, sicut narratur in instrumento relato à Puteano inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ cap. 28. num. 19. ne causæ ad Religionem spectantes apud Judices Ecclesiasticos tractarentur, prout Edicto Regio constitutum fuerat, eaque inter alias afferebatur ratio; „Quia Judices Ecclesiastici legibus Principum temporalium „se non teneri arbitrantur, easque non observant. Expedit quidem ad vitanda incommoda, quæ interdum ex diversitate oriuntur, ut Ecclesiæ Officiales judiciario sæcularium ordini

sese

sese quantùm possunt accommodent. Sed cùm ab eo sibi recedendum existimant, iniquum est, ut tanquam abusi suâ potestate, plectantur à potestate sæculari.

CAPUT VIII.

De usurpatione jurisdictionis, circa caput 21. lib. 4. Domini de Marca.

1. QUatuor primis hujus capitis paragraphis Marca probat licere Principibus, & Magistratibus sæcularibus jurisdictionem suam, cùm ab Ecclesiasticis impetitur, defendere. Quocircà nihil est nobis observandum, cùm inutilis sit illa disputatio. Nec enim arbitror quemquam ex iis, qui res Gallicanas norunt, posse suspicari Ecclesiasticos Judices illic jurisdictionem sæcularem invadere, cùm vix propriæ jurisdictionis partem retinere possint.

2. Rectè animadvertit Autor §. 5. eodem jure uti debere Prælatos in tuenda sua jurisdictione, quo laici Magistratus in vindicanda sua; idque Decretalibus (debuit etiam addere Canonibus, quia huic nomini plusculum honoris illic defertur) constitutum fatetur. Sed monet, Regiis ordinationibus esse præscriptum, ut contra inferiores Judices, Senatuum, contra Senatus, Regis imploretur auxilium. Verùm, ut æqualitas servaretur, debuit ulteriùs, quod superiori capite diximus, injurias ab Episcopis illatas ad Metropolitanos, à Metropolitanis factas ad Primatem, vel denique ad summum Pontificem emendandas remittere. Contrarium nihilominùs obtinere debere quatuor rationibus probat. Sed hîc, ut alibi frequentissimè, jus cum facto confundit; nec tam solicitè quærit, utrum æquum sit Principes, vel Magistratus aliquid facere, quàm utrum aliquando sive jure, sive injuriâ, id fecerint, vel faciant modò: sed fallor fortassis. §. enim 6. sic inchoat; *Quod æquissimâ ratione nititur.* Priùs igitur videndum, an re ipsâ rationes illæ (quatuor enim affert) ex æquitate petitæ sint.

3. Prima ratio est, quia cùm Ecclesia in Imperio sit, idest, per

per Provincias ſparſa, ex Civibus conſtet, & ſub Patrocinio Regum degat, Epiſcoporum refert, pacem cum Imperio retinere. Prudentiæ præceptum eſt iſtud, non regula quâ diſcerni poſſit, an quod efficiunt Principes, Eccleſiæ injurioſum ſit. Eodem argumento, ſi Eccleſia Principum jura invaderet, repelli poſſent Regiorum Officialium querelæ; reponendo ſcilicet Regum intereſſe, ut pacem cum Sacerdotio colant; cùm Regnum ſit in Eccleſia; & Chriſtianis conſtet, quorum multi Religionem Civitati non poſtponant, ſed præferant. At exigunt juſtitiæ leges, ut quæratur, non quid quis pati cogatur, ſed quid ei debitum ſit.

4. Secundò, affertur regula juris; *In pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis.* Poſſet ab hac regula excipi Eccleſiæ cauſa, quæ ob Religionem favorabilior eſt. Sed regulæ inhærendo, ſervandæ ſunt ejus conditiones, ut ſcilicet par ſit cauſa, & poſſeſſio pacifica, nec à jure reprobata. Quæ autem inter Eccleſiam & poteſtates ſæculares controvertuntur, ejuſmodi plerumque ſunt, ut manifeſtè melior ſit illius, quàm iſtarum cauſa. Poſſeſſio etiam, cùm Eccleſia, quantùm licet, ſemper reclamet, pacifica eſſe non poteſt: ac præterea frequenter vel eſt violenta, vel eſt contra prohibitionem juris inducta, ut ex ſequenti ratione Marcæ concluditur.

5. Tertia ergo ejus ratio eſt, quòd minor ſit ex parte Eccleſiæ ſpes emolumenti, quàm metus damni; quod metuenda ſint diſſidia, contemptus autoritatis Eccleſiaſticæ, bonorum direptio, & fidelium pernicies. Vide quàm æquis rationibus nitatur jus Principum. Parva ſpes eſt, ut quod ab ipſis petit Eccleſia, conſequatur: magnum periculum eſt, ne potiùs ab ipſis damnum patiatur: metuendum eſt, ne autoritas Eccleſiaſtica in contemptum adducatur, ne bona Eccleſiaſtica diripiantur, ne animæ pereant. Suntne iſti juſti tituli, quibus poſſeſſio juri contraria poſſit apud æquos, & ſapientes Judices excuſari? Certa è contra hæc ſunt argumenta, non eſſe tutam Principum conſcientiam, ubi ſolâ ſe poſſeſſione tuentur, cùm tantorum malorum metu extortam ſcire poſſint.

6. Quartam rationem exprimit his verbis; *Adde alienum eſſe à prudentia, ut viribus impar ſe contentionibus implicet, quæ manifeſtum de-*

trimentum sunt allaturæ. Sed si hæc regula generatim observanda est, nunquam Episcopi Principibus Ecclesiastica jura occupantibus obsistent, quandoquidem semper viribus impares sunt in sensu illius Autoris. Alia fuit Sanctorum Antistitum mens, qui se pro libertate, ac jurisdictione Ecclesiasticâ morti exposuerunt; plures etiam eâ de causâ Martyrium adepti sunt. Sed hoc, inquies, in rebus capitalissimis. Etiam in aliis, ut docent historiæ; quippè cùm scirent à minoribus ad majora deveniri, ac nisi citò malis occurratur, insanabilia fieri. Non putabant autem illi se viribus esse verè impares, quippè qui Omnipotentis Dei auxilium expectarent; & mala omnia temporalia, imò & mortem ipsam glorioſissimæ victoriæ loco habebant.

7. *Est elegans ratio*, ut vocat Marca §. 7. quam ducit à Principis officio, cui vult componendarum contentionum arbitrium commissum, ex eo quòd constitutus sit à Deo optimo maximo, ut Ecclesiam foveat, ejusque tranquillitati prospiciat. Sed numquid idem sunt Ecclesiam tueri, & ejus ad se jurisdictionem avocare? Istud quidem etiam fecit Justinianus, sed injuriâ. Carolus Magnus, & Ludovicus Pius ex consensu, imò ad preces Ecclesiæ, ut alibi ostendimus, Ecclesiasticarum rerum curam susceperunt, seque Ecclesiæ Defensores, & Adjutores, non Judices, aut Dominos esse profitebantur.

8. Leonem IV. Ludovici II. Imperatoris judicio submisisse, si quid à se incompetenter gestum fuisset, refert ex Gratiano Marca §. 8. Suppositium esse, quod scribit Gratianus ca. *Nos si incompetenter* 2. quæst. 7. & ante illum Ivo Carnotensis, suadent temporis, & personarum circumstantiæ. Hallucinati sunt fortassis, & quod circa Leonem III. contigit, Leoni IV. tribuerunt, rei tamen gestæ seriem pervertentes. Nam, ut scribit Anastasius, in Concilio ad examinandas adversùs Leonem III. accusationes congregati; *Universi Archiepiscopi & Episcopi & Abbates unanimiter audientes dixerunt: Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus: Nam ab ipsa nos omnes, & Vicario suo judicamur, ipsa autem à nemine judicatur, quemadmodum antiquitùs mos fuit: sed sicut ipse summus Pontifex consuevit, jubeat canonicè obediemus.* Similia dixerant Episcopi à Theodo-

dorico contra Symmachum convocati, ut alibi vidimus.

9. Sed ne in prosequenda falsi accusatione diutiùs immoremur, notamus submissionem illam Leonis IV. si reverà facta est, *ex dispensatione Ecclesiastica*, ut fatetur Marca, fuisse factam. Cæterùm Glossam Alexandri Imolensis ad marginem prædicti ca: *Nos si incompetenter*, appositam, vel incongruè applicat, vel ad sensum à mente Autoris remotissimum detorquet. Quid enim sibi volunt illa verba Marcæ; *Ubi rectè adnotatum est ex Alexandro Imolensi idem observari debere in Rege Francorum?* Postularet contextus, ut in hunc modum intelligerentur contra intentionem Marcæ, quemadmodum Leo IV. *ex dispensatione Ecclesiastica* sese Ludovici II. judicio supposuit, ita & Rex Franciæ ex dispensatione debet se Summi Pontificis, aut Imperatoris sententiæ subdere: sed sensus Alexandri est, Regem Franciæ, cùm Superiorem (in temporalibus scilicet) non habeat, in propriis causis jus sibi dicere posse. Hæc sunt ejus verba in l. *Est receptum* ff. de jurisd. omn. Jud. unde sumpta est illa Glossa marginalis: *Facit* (ad quæstionem scilicet, utrum non recognoscentes Superiorem possint sibi facere justitiam) *Text. in ca. Novit. de judiciis. Ubi Rex Francorum superiorem non recognoscens, cognovit de propria causa feudi, de qua aliàs non debuisset esse Judex.* Quamobrem autoritate illius Glossatoris manifestè abutitur Marca, cùm ex ea concludit §. 9. non licere Judicibus Ecclesiasticis jurisdictionem suam, etiam per censuras, adversùs Magistratus Regios tueri, quasi isti proprio officio defungantur, dum rebus Ecclesiasticis sese immiscent, aut Rex Christianissimus, etiam in spiritualibus, Ecclesiam ceu Superiorem non recognoscat. Addit enim Alexander Imolensis cum Abbate; *Licet non recognoscens superiorem possit esse Judex in propria causa, verum est quoad sibi subditos, non quoad alios*, quod confirmat testimoniis Hostiensis & Joan. Andr. Papa autem, & Episcopi in spiritualibus Regi Franciæ non sunt subditi.

10. Liceat iterum animadvertere, quàm malè sibi concordent Galli de suis libertatibus agentes; cùm enim eas in observatione Canonum reposuerint, eas tamen Conciliorum autoritati anteponunt. Scribit enim Marca hoc §. 9. rejectum fuisse à Gallis Decretum Concilii Lugdunensis sub Gregorio X. anno 1274. habiti, quo permittebatur usus censura-

rum adversùs Ecclesiasticæ jurisdictionis usurpatores. Sed injustam fuisse recusationem, vel saltem alio quàm libertatum fundamento niti debuisse, satis ipsimet Galli significarunt; quandoquidem, ut subjungit idem Marca, privilegiis Apostolicis sese munire sategerunt. Miror autem eundem Autorem famosas illas consuetudines Angliæ, pro quibus Henricus II. Rex tantum sibi dedecus apud probos omnes comparavit, quasque meliori consilio postmodùm abrogavit, è Gallia, saltem ex parte, advectas doceat, quasi earum origo Galliæ magno esset honori vertenda.

11. Concludit Marca librum, monendo Episcopos pro fide tuenda, mortem, si opus sit, oppetere debere, potiùs quàm fidei violationi assentire, aut connivere; pro jurisdictione, ac pro disciplina Ecclesiastica, non ità; sed Canonum infractionem tolerare. Idest, faciant quidquid libuerit, & Rex, & ejus officiales contra Ecclesiam, dummodò fidem non oppugnent; imò nec si fidem impugnarent, Ecclesia ex nova declaratione Cleri Gallicani posset eos per temporalem pœnam cohibere; atque adeò per nullam; spirituales enim irrident, qui fidei bellum indixerint.

12. Libertatum Gallicanarum hæc summa est juxta Marcam, ut Episcopi, & Summus ipse Pontifex, majorum malorum metu omnia perferant. Cæterùm cùm tuitio Ecclesiæ Romanæ, Galliæ sit à Divino Numine commissa, dummodò jure, quo dixi, laica potestas uti sinatur, *communia erunt*, ut ait, *cùm Romana Ecclesia illius Regni Christianissimi & florentissimi fata, quæ sunt usque sæculi interitum perduratura*; sed aliter de illa conditione senserunt, ut suprà notavimus, Episcopi, qui Regi Cœlesti magis quàm terreno placere studentes, & Ecclesiæ jura suis rationibus præponentes, vitam sibi, quàm Ecclesiæ libertatem eripi maluerunt. Absit ut credam, Regem Christianissimum eo tantùm pacto communia velle cum Romana Ecclesia florentissimi sui Regni fata; ut in Ecclesiam quidquid sibi citra fidem libeat, liceat.

C A-

CAPUT IX.

De Tractatu Caroli Fevret.

1. LIbertatum Ecclesiæ Gallicanæ pars tantùm sunt appellationes ab abusu, ut ait Carolus Fevret: & tamen cùm ille novem libris partem illam enucleandam suscepisset, præfatur, fieri non posse, ut quis omnes hujusmodi appellationum casus complecti possit: unde concludit; „Plura sem„per dicenda fore, quàm dicta sint; decies longiorem viam „percurrendam, quàm quæ decursa fuerit; abyssum esse, „quam nullum ingenium quantumvis perspicax penetrare „posit, &c. Hujus autem difficultatis vera causa est, quod penes Curias Regias esse dicatur, declarare, quid in quaque re abusivum censeri debeat. Etenim Senatusconsulta supremæ leges sunt. „Res etiam non parvi momenti est, inquit idem Fe„vretus in præfatione, quod Arresta super appellationibus, „ab abusu inscriptis, in quovis Parlamento Regni lata, legis „generalis vim ubique obtinent, & loco judiciorum univer„salium sunt inter omnes, & in omnibus casibus. Emanant autem indies nova Placita novos abusionis articulos constituentia. Itaque impossibile est, ut appellationes eo titulo coloratæ certis circumscribantur limitibus.

2. Tantùm abest, ut huic torrenti obex aliquis possit opponi; ut si quis eas appellationes Ecclesiæ nocivas, nedum si hæreticas dicere ausus fuerit, in crimen læsæ Majestatis incurrat, ut innuit idem Fevretus loco jam suprà citato. Non est quidem hujus criminis reus habitus Clerus Gallicanus, quando Regibus supplicavit; ut ad certa quædam capita revocarentur, ne in immensum excrescerent. Sed licet mitiùs cum illo actum sit, parva ejus supplicationis habita est ratio, & renitentibus Curiis, tenuissimus ex ea fructus perceptus est.

3. Nec putes quæ in hac materia de novo accidunt, non esse recentia jurisdictionis Ecclesiasticæ vulnera, sed regulas jam constitutas ad similes casus de novo emergentes accommodatas. Plurima enim sunt, in quibus non ità pridem jus suum

Eccleſiæ aſſerebatur, quæ recentibus Placitis evertuntur, v. g. in reſponſionibus ad quoſdam articulos Româ miſſos, inter probationes Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ relatis cap. 36. num. 17. ad art. 18. Senatus Pariſienſis expreſsè declarat; circa cognitionem teſtamentorum, æquum eſſe, ut quæſtiones de teſtamentis. & eorum validitate inter laicos, apud Judices Laicos tractentur: & ita plurium Regni Provinciarum conſuetudinibus conſtitutum fuerat, præter uſum antiquiorem, quo abſque diſtinctione Judices Eccleſiaſtici de quæſtionibus illis judicabant, ut videre eſt apud Fevretum lib. 4. cap. 6. num. 3. ubi teſtatur in Provincia Burgundiæ ità obſervatum uſque ad annum 1508. Res tamen eò devenerunt, ut etiam inter Clericos de teſtamentis Clericorum controverſiæ apud Judicem Eccleſiaſticum ventilari non poſsint, quin appellationi tanquam ab abuſu locus detur, ut habet idem Fevretus loco citato num. 7.

4. Alia paſſim occurrunt exempla in ejus Scriptoris Tractatu, de quibus idem dici juremerito poteſt, quod fatetur lib. 4. cap. 11. num. 10. Adductâ enim autoritate Boërii, Joannis Galli, Molinæi, & Tiraquelli ſentientium, quod, dum Clericus ſuper penſione non ſolutâ convenitur, neque de fundamento illius penſionis, quod Reale ſit, agitur, omniſque fraus abeſt, debet coram Judice Eccleſiaſtico agitari controverſia, quod præfatus Joannes Galli adeò æquum eſſe arbitrabatur, ut ſe credere iſtam opinionem tanquam Evangelium veram, dicere non fuerit veritus. Tamen, inquit ibi Fevretus, „in pluribus locis uſus juri, & rationi prævaluit.

5. Sed, cùm juſtitia in quadam æqualitate, ac commenſuratione conſiſtat, tunc perfectè elucеſcit, cùm ambæ partes comparantur. An Curiæ ſæculares æqualitatem ſervent, dum quæ cujuſque juriſdictionis cauſæ ſint, diſcernunt, ex iſto exemplo inter alia innumera intelligi poterit. Idem Carolus Fevret lib. 4. cap. 10. num. 1. & 2. Clericos in officio, vel negotiatione ſæculari delinquentes Regiorum Officialium correctioni, ac caſtigationi ſubjicit. At verò num. 3. Laicum in officio Eccleſiaſtico, qualis eſt Presbyterorum in carceribus Epiſcopalibus detentorum cuſtodia, peccantem eximit à Judicis Eccleſiaſtici animadverſione. Fatetur id quibuſdam vi-

videri : sed, inquit, *quod Senatui placuit vim habet legis*; utinam in istis tantùm, non etiam in iis, quæ Religionem intimiùs attingunt. Non est, inquit Fevretus, Laicus Ecclesiastico Judici subditus, nisi in Spiritualibus. Sed quæ sunt illa spiritualia? Ab hoc enim numero excluditur ibidem dierum festorum observatio, & alibi alia.

6. Si quæ autem adeò evidenter spiritualia sunt, ut id negare pudeat, prætextu possessorii ad Tribunalia sæcularia trahuntur. „Nec cesserunt, ut notat lib. 4. cap. 11. num. 6. „Judices Regii Ordinationi, seu Constitutioni Regiæ an. „1629. qua Ludovicus XIII. vetuerat, ne supremæ Curiæ, „aut alii Judices Regii, de rebus spiritualibus, aut ad sacra„menta pertinentibus judicarent, etiam sub prætextu que„relæ, aut possessorii causis hujusmodi accommodati. Adeò scilicet ægrè quis resilit ab eo, quod semel injustè usurpavit, dum emolumenti, vel autoritatis aliquam hinc imminutionem consecuturam videt, ut observavit idem scriptor in præfatione.

7. Quandoquidem Regium Franciæ Consilium in causa Electensi, & in causa Aginensi aliquot ante annos Regularium jurisdictioni circa prædicationem verbi Divini, & Sacramentorum administrationem limites constituit; imò & in Electensi certis casibus absolutionem sacramentorum negari non posse declaravit: Quid erit adeò sacrum, & spirituale, quod à jurisdictione sæculari eximatur? Perhibent quidem hæc Placita, quorum alterum vidi, alterum relatu accepi, Regem tanquam Canonum executorem ea statuere: sed executio certam & evidentem Canonum sententiam supponit, quæ rei cognitionem judiciariam non requirat: & tunc tantùm à Principibus curanda est, cùm eam Ecclesia per se consequi non potest.

CAPUT X.

Qua ratione olim procederetur, ubi Superiores Ecclesiastici suâ potestate perperam uti videbantur; quibusq; gradibus perventum sit ad appellationes ab abusu. ad cap. 1. Fevreti.

1. CArolus Fevretus octo primis paragraphis capitis primi multis probat adductis testimoniis, vocem, *abusus*, aptè usurpatam ad designandum pravum jurisdictionis usum; sed nulla est de hoc nomine quæstio: de modo tantùm, quo abusuum reparatio procurari dicitur, plurimùm dolent, quicumque Ecclesiam amant: & multò tolerabiliores fuissent viæ illæ, quibus procedebatur olim, quasque ceu imperfecta quædam appellationum ab abusu rudimenta fuisse asserit § 9.

2. Nam cùm loco cap. seq. citando appellationes ab abusu in rebus tantùm gravibus interponendas esse notaverit, convenientiùs erat, ut recentiores Gallicani majorum suorum reverentiam erga sanctam Sedem imitantes, eam sequerentur rationem, quam refert §. 10. ubi ait; in rebus magni momenti, si quid accidisset libertatibus, & immunitatibus Ecclesiasticis, vel Regis, & Coronæ juribus contrarium, solitos olim Prælatos, & Regni Optimates, comprobante, ac permittente Rege, congregari ad restituendas res in pristinum statum, ideòque delegari ad sanctam Sedem Illustres, ac magni meriti viros, qui sanctæ Sedi supplicarent, ut quæ proponebantur, amplecteretur, & monitiones libenter audiret. Res gravioris ponderis, quas solas appellationibus ab abusu subjici debere fatetur, paucæ sunt; atque adeò non nisi rarissimè ad sanctam Sedem recurrendum foret. Si autem hodiè Tribunalia sæcularia hujusmodi causis, plusquam quibusvis aliis occupantur, hoc inde accidit, quia sine ullo delectu admittuntur appellationes tanquam ab abusu, sive levis sit materia, sive gravis, sive appareat abusus, sive secùs, sive de re spirituali agatur, sive de temporali, quibus ita se habentibus non mirum est, si incom-

commodum, imò impossibile videatur, toties sanctam Sedem adire.

3. Subjungit Fevretus Prælatos, & Optimates, dum optata à Summis Pontificibus consequi non potuissent, Regi suadere solitos, ut subditos ab oppressionibus tueretur: sed Ivo Episcopus Carnotensis, cujus autoritate nititur, non ita generatim loquitur. Consuluerat illum Episcopum Philippus Rex Franciæ circa indictionem tertii intra eundem annum Concilii ab Archiepiscopo Lugdunensi Vicario Apostolico destinatam. Respondet Ivo epist. 56. Rem verisimiliter non eventuram; si tamen, inquit, secus accideret, Apostolicæ institutioni, & Ecclesiasticæ consuetudini fore contrariam: deinde verba subjungit à Fevreto relata; *Si quis vos* (alii legunt eos) *contra* (alii legunt ultra) *terminos à Patribus constitutos angariare voluerit, habito communi consilio, oppressionibus pro persona vestra resistite.* Quâ verò ratione resistendum esset non expressit, arbitratus nimirùm convenientem illam fore, si communi cum Episcopis, Ecclesiasticæ Dignitatis studiosis, consilio deliberaretur. Omnium autem convenientissima fuisset, ut à Vicario sanctæ Sedis ad sanctam Sedem appellaretur, ut dicetur infrà. Quoniam autem alicujus Episcopi accusationem judicaturus dicebatur Legatus; monet idem Ivo non posse accusatum non se sistere judicio. Unde consequitur eo casu, atque adeò, si alia gravis causa postularet, à Legato pluries convocari Concilium, aut sine Concilio judicari Episcopos à Legato; *Si autem aliquis pro culpis suis indulto sibi congruo spatio à Legatis Apostolicis vocatus fuerit, non potest subterfugere, quin ad diem sibi præscriptum occurrat, nisi eum legitima causa detineat.* Inutilem igitur tantùm, & injustam, non autem necessariam convocationem excludendam censebat Ivo, & oppressionibus resistendum.

4. Paragraphis 10. & 11. congerit Fevretus exempla delegationum ad sanctam Sedem, tum à Francis, tum ab aliis factarum. Paragraphus 13. similia continet exempla, summorum Pontificum ad Principes litteras, Nuntios, querelarum articulos mittentium; quæ agendi ratio laudabilis, ac Christianæ charitati, mutuæque benevolentiæ erat consentanea magis quàm appellationes prætextu abusus.

5. Paragrapho 14. proponitur aliud multoties in rebus

graviſſimis adhibitum, nempè mutua colloquia inter Summos Pontifices, & Principes, vel ſaltem inter egregios viros ab ipſis deputatos. Optimum etiam conſilium, dum illud rei gravitas exigit.

6. Paragrapho 15. aperitur alia via ad impediendas injurias, quæ ex mandatorum ſanctæ Sedis executione conſecutura eſſent, nimirùm ad ſanctam Sedem appellatio. Nam, ut inquit S. Bernardus epiſt. 180. *Apoſtolica Sedes hoc ſolet habere præcipuum, ut non pigeat revocare, quod à ſe ſortè deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum.* Addit Fevretus appellationem ad futurum generale Concilium proximè congregandum, de qua jam ſatis alibi dictum eſt.

7. Occaſione diſſidii inter Bonifacium VIII. & Philippum IV. conflatum eſt ſchiſma; occaſione ſchiſmatis editæ ſunt multæ Conſtitutiones, decreta, & alia hujuſmodi juriſdictioni Eccleſiaſticæ infenſiſſima. Idcircò etiam edita eſt Pragmatica Sanctio, cujus occaſione inductas eſſe appellationes tanquam ab abuſu, affirmat Autor tractatus *de juriſdictione Eccleſiaſtica*, inter acta Cleri Gallicani inſerti, & jam pluries memorati. Unde Fevretus §. 16. ſcribit, appellatione denuntiatâ proteſtationes interponi ſolitas *in forma infractionis Canonum aut pragmaticæ*, invocarique Regium Conſilium aut Senatum, quorum decreto præcipiebatur; „Ut Eccleſiaſtici ab iis omnibus ceſſarent, attentata revocarent, alioquin certa die „coram Regis conſilio, venirent, ut poſteà, partibus audi„tis, ſuper iis rationabiliter provideretur.

8. En primos gradus juriſdictionis ſæcularis Eccleſiaſticam invadentis; non tamen adeò pernicioſos, ſi ulteriùs proceſſum non fuiſſet, earumque rerum ſola executio ſuſpenſa fuiſſet, quæ per obreptionem, vel ſubreptionem injuſtè obtentæ fuiſſent, quouſque per Superiorem ipſum Eccleſiaſticum de rei veritate, ac juſtitia certiorem factum, emendatæ fuiſſent. Subſecutus eſt uſus ille, de quo Fevretus §. 17. & 18. retinendarum litterarum Apoſtolicarum, ne antè demandarentur executioni, quàm à Judicibus Regiis compertum fuiſſet, eas nihil juribus, & libertatibus antiquis Eccleſiæ Gallicanæ, juriſdictioni ſæculari, aut Coronæ juribus adverſum continere. Animadverſum præterea eſt in eos, qui

qui litteras hujuſmodi perferebant. Examen illud, quantùm ad legitima jura Regis in ejus Officialibus excuſandum videbatur: ſed quantùm ad res Eccleſiaſticas, Epiſcoporum potiùs fuiſſet, opportunum & congruum inquirere remedium.

9. Denique ad appellationes tanquam ab abuſu deventum eſt, quas Fevretus cæteris omnibus modis, de quibus egimus, eâ ratione præfert, quod alii uſurpationes, & innovationes detegerent, ſed non tollerent. „Nam, inquit, „Senatus-conſulta eâ occaſione prolata in exempla, ſeu „præjudicia aſſumi non poterant, quippè cum cauſæ cog„nitione, ac partibus auditis non pronuntiata, ſed plerum„que ex officio, inſtante ſolo Domino Procuratore genera„li Regis, atque ad ejus querelam de uſurpationibus, in „reſcriptis, quæ ad ejus manus pervenerant, contentis. „Quamobrem ſucceſſit denique appellatio qualificata, tan„quam ab abuſu, quæ fuit efficacior quàm delegationes, & „colloquia, quàm appellationes ad Papam, vel ad futurum „Concilium, quàm proteſtationes publicæ, & citationes „in forma infractionis Canonum, quàm etiam examen Bul„larum, & proceſſus extraordinarii adverſus earum latores. Viſum eſt hæc omnia verba Fevreti eſſe referenda, ut intelligas appellationes ab abuſu nihil differre ab aliis appellationibus, niſi quod vox illa, *abuſus*, injuriam Eccleſiaſticæ juriſdictioni illatam, ſimplicibus aliquatenus occultet. Quid enim aliud Judex ordinarius appellationum præſtat, quàm ut partibus auditis, & cum cognitione cauſæ decernat, an aliquid ſit contra leges, vel contra conſuetudinem? Quid aliud facit Judex ſæcularis in cauſis merè temporalibus? Obtenditur quidem Judicem ſæcularem de ipſo negotio ſpirituali ſententiam non ferre, ſed tantùm de abuſu. Verùm quid aliud eſt ille abuſus, ſi Gallis credimus, niſi ſententiæ iniquitas, ideſt, Canonibus, & legibus repugnantia? Jam igitur non eſt melior via appellationum ab abuſu, ut è contra iniquior ſit. Nam recurſus ad Papam, appellatio ad ipſum meliùs conſultum, imò appellatio ad futurum Concilium teſtabantur, negotia eſſe autoritate Eccleſiaſticâ definienda: cùm per appellationes ab abuſu Laici jus, in

causis spiritualibus & Ecclesiasticis dicant, & judicata exequantur.

10. Nescio an risu, an fletu digniora sint appellationum ab abusu encomia, quæ habet Fevretus §. ult. Lugere magis libet, quia Ecclesia, cùm esset Domina gentium, facta est sub tributo, & à propriis filiis oppressa. „Itaque, inquit „Fevretus, si rectè ad eorum institutum attendatur, qui „appellationes ab abusu induxerunt, ad bonum, quod ex „eis sequitur, ad quietem Principalium potestatum, quæ „ea ratione procurata est, cùm olim ob exortas de jurisdictione contentiones sæpè commoverentur, ad firmum sustentaculum, quo Ecclesiastica, & temporalia jura sub protectione, atque autoritate Regiâ communita sunt, merito dici queat, primum earum Autorem bis terque exclamare cum Archimede debuisse ἕυρηκα ἕυρηκα, cùm nihil ultrà desideretur ad ejus perfectionem, quod tanto tempore, tantoque labore inquisitum fuerat, ut unusquisque in „suo jure conservaretur, & ut frequentibus usurpationibus „occurreretur. Habet enim id præcipuum appellatio ab abusu præ cæteris mediis aliàs adhibitis, quòd effectum suum „statim consequatur, sitque utilis communiter tam Ecclesiasticis, quàm Laicis, qui eâ utuntur. Quam justæ sint illæ laudes, aliæque, quas refert §. 6. constat ex iis, quæ jam dicta sunt, & constabit ex iis, quæ adhuc dicentur de justitia illarum appellationum.

CAPUT XI.

Rursùs de tempore, quo inductæ sunt appellationes ab abusu, & de variis illarum conditionibus: ad cap. 2. Fevreti.

1. PRobat Fevretus tribus primis paragraphis capitis 2. non ita esse antiquas appellationes ab abusu: sed adhuc recentiores sunt, quàm ipse putet. Concedit ille recentes esse quantùm ad formam, sed negat quantùm ad vim, & effectum, quippè cùm jam olim Regia potestas, Prælatorum Ecclesiasticorum abusus emendaverit. Verùm præterquam quod adeò

adeò erant evidentes, & notorii excessus, ut causæ cognitionem non requirerent, non ab ipsis sæcularibus corrigebantur, sed plerumque ab ipsismet eorum autoribus emendari curabantur. Nec parvi momenti est forma illa, scilicet appellationis, quæ postmodum inducta est. Imò gravissimum, & pernicioſissimum damnum infert Ecclesiasticæ jurisdictioni, quod, dum de illius injustitia egimus, demonstrasse nos putamus. Adde quod illa, quæ commemorat, saltem in principio, non tam erant provisiones à jurisdictione Regia factæ, quàm querelæ, ac minæ Regiorum Procuratorum Ecclesiasticæ jurisdictioni parùm faventium, vel potiùs multùm adversantium.

2. Optimè §. 4. notat Fevretus (si quid tamen optimum dici debet, ubi vix quidquam occurrit boni: sed optima dici possunt, quæ à pessimis liberant) appellationes ab abusu non nisi gravibus negotiis usurpandas. „Fatendum est, „inquit, appellationes illas ex eo magnoperè commendatas, „quod, ubi primùm inductæ sunt, non nisi in rebus gravi„bus, publicis, & magni momenti adhibebantur; & certè „satis culpari non possunt, qui hoc remedio in quavis occa„sione utuntur, sine distinctione boni publici, & privati, „quique omnia gravamina ceu abusus habent, quod nullo „modo ferendum est. Idem ferè antea senserat D. de Marca. Quod ait Fevretus, appellationes ab abusu ex eo magnoperè laudatas, quod non nisi in graviſſimis negotiis principiò interponerentur, causam insinuat, cur eis quàm primùm Ecclesia non satis validè obstiterit; quia nimirùm illarum usus, ob casuum gravitatem, erat rarus, ac propter remedii difficultatem ferè necessarius videbatur. Nec enim dubium mihi ullum est, quin, si passim, ut hodiè fit, perturbata fuisset Pastorum Ecclesiasticorum jurisdictio, & ad Tribunalia sæcularia distracta; Ecclesia, quæ pro causis multò minoris momenti tam strenuè decertavit, hanc pro viribus, vindicatura fuisset injuriam: sed malum sensim sine sensu adeò excrevit, ut remedium, nisi promptum sit, nihil profuturum videatur.

3. Alia fuit causa neglecti dudum ab Ecclesia illarum appellationum usus, quòd scilicet variis conditionibus tempe-

rarentur, de quibus Fevretus in §§. seqq. quæ tamen hodiè prætermittuntur. Necesse enim erat, quod probat pluribus autoritatibus, & ratione §. 5. ut non interponerentur nisi *ab abusu notorio & certo*. Et §. 6. asserit cum alio Autore Gallicano, nomine Buluc, Gallis tantùm, & non alienigenis licere sic appellare, &c.

4. Paragrapho 8. appellationes ab abusu in omnibus Franciæ Provinciis usurpari monet, etiamsi Paulus III. Papa institerit apud Henricum II. Francorum Regem, ne in Britannia, in Provincia Provinciæ, in Delphinatu locum haberent. Sed quare Procurator Regius tam justo Summi Pontificis desiderio sese opposuit? Quia, inquit, Primò illæ appellationes erant licitæ, & juridicæ; sed de hoc est quæstio. Secundò quia Rex justitiæ debitor est subditis suis. Verum id quidem est; sed quantùm ad illa tantùm negotia, quæ ad Principes temporales spectant. Imò & in rebus spiritualibus & Ecclesiasticis justitiæ debitor est, tanquam Ecclesiæ Protector. Itaque cohibere debet nimium Procuratorum suorum ad ampliandam autoritatem Regiam studium, ne Judices sæculares adducat ad usurpandam jurisdictionem, aut imminuendam libertatem Ecclesiasticam. Tertiò, quia obedientia illarum Provinciarum erat filialis ad ferenda legitima præcepta, non ad tolerandas novitates juribus temporalibus, & Regis in subditos jurisdictioni, contrarias. Sed an Senatus Judex est sanctæ Sedis, ut de illius præceptis sententiam ferat? An statim atque Procuratori Regio placebit, Decretum aliquod Summi Pontificis novitatem appellare, quantumvis de re spirituali, vel Ecclesiastica agatur, ita censendum erit; & à Laicis, ligandæ erunt Summo Pontifici manus, sub eo prætextu?

5. Si verum esset, quod anteà dixerat Fevretus, non interponi appellationes ab abusu, nisi ubi violatur Regia jurisdictio, concedendum esset Procuratorem Regium partis vice fungi, nec sine illius consensu controversias posse componi, ut asserit idem Autor §. 9. sed ea causa vel rarò, vel nunquam accidit. De privilegio appellationum ab abusu, de quo Fevretus §. 10. quòd scilicet nullâ præscriptione, nullo præjudicio, nullo partium consensu, nullâ temporis diu-

tur-

turnitate impediri valeant, id tantùm hîc dicendum est, nihil esse jurisdictioni Ecclesiasticæ, imò & publicæ tranquillitati infestius, quandoquidem nulla est judiciorum Ecclesiasticorum securitas, si quocumque tempore, ac quacumque firmitate roborata sint, concuti per appellationes ab abusu possunt. Sed qui sunt antiqui Canones, quibus innititur illud privilegium?

6. Variæ formulæ sententiarum circa appellationes ab abusu, quas refert Fevretus §. 11. parùm prosunt Ecclesiæ: sive enim appellatio in nihilum redigatur, sive judicium Ecclesiasticum abusivum declaretur; Laici rerum Ecclesiasticarum arbitros se constituunt; formulas autem, dum libebit, immutabunt. Iniquum videtur, quod ait §. 12. ut qui judicium Ecclesiasticum, à quo est appellatum, defendit, mulctâ pecuniariâ plectatur, si abusum interceſſisse Senatus declaraverit. Id enim saltem Ecclesiastica jurisdictio mereri videtur, ut insontes habeantur, qui judicia illinc profecta bonâ fide secuti sint. Alioquin enim, cùm ex innumeris capitibus Ecclesiastica Decreta de abusu damnentur, quis erit qui ad Tribunal sæculare vocatus mulctam metuere non debeat? Quis Judicis Ecclesiastici sententiam parvi non faciat, quam defendere sine periculo mulctæ non possit?

7. Quod non possint partes appellantes ab abusu, recedere ab appellatione, quod intendit Fevretus §. 13. quod etiam post tres sententias Ecclesiasticas conformes appellari tanquam ab abusu possit, Ecclesiæ damnum auget, & illatum jurisdictioni vulnus exacerbat; imò Edictis Regiis repugnat; quæ videri possunt inter Acta Cleri Gallicani sub hoc titulo; *De appellationibus tanquam ab abusu* tom. 2. jam citato.

8. Magna scilicet exhibetur Summo Pontifici reverentia, dum, ut ait Fevretus §. 15. non appellatur directè à concessione, vel expeditione Bullæ, seu Rescripti, sed solùm ab eorum fulminatione, & executione. Sed quæ fides haberi potest huic Autori, qui tam apertè sibi contradicit? Nam num. 9. refert, in Parlamento Divionensi anno 1632. 25. Julii pronunciatum fuisse Placitum, seu Arrestum, quo Rescriptum Pontificium in causa Matrimoniali declaratum fuit malè, nulliter, & abusivè expeditum. Hîc autem, idest, hoc §. 15. negat

negat appellari ab expeditione. Alia sunt, in quibus videtur Fevretus emollire velle jurisdictionis Ecclesiasticæ vulnera: sed praxis quotidiana, quam ipsemet aliis in locis refert, dictorum falsitatem arguit.

9. Fuerat quidem olim statutum, quod tradit §. 16. ut appellationes ab abusu Judicis Ecclesiastici potestatem non suspenderent, sed devolutivum dumtaxat, non autem suspensivum, ut loquuntur pragmatici, effectum haberent. Verùm immutata est hæc jurisprudentia. Rursùs restituta est, saltem ex parte, Edicto Regis hodie Regnantis, ut videri potest in Actis Cleri loco citato: sed nescio quamdiu duratura sit, aut num violari rursus jam non cœperit?

10. Conquesti sæpissimè sunt Præsules Gallicani adversùs illas appellationes; sed Judicum sæcularium nimis intererat, ne tollerentur. Quia Præsulum querelæ apertissimâ justitiâ nitebantur, adhibitæ sunt certæ conditiones, quæ doloris sensum remittebant per aliquod tempus: non autem morbo medebantur, neque etiam diu intermittebant. Ita verè scribit Fevretus §. 17. prohibitum fuisse art. 59. Constitutionis Blesensis Curiis Regiis, ne appellationes illas admitterent extra casus in Constitutionibus Regiis contentos. Sed debile repagulum ad sistendum Curiarum impetum. Verba illa generalia nunquam casibus particularibus convenire videbuntur. Quin etiam, licet aliqui articuli expresè prohibiti sunt à Constitutionibus Regiis, Judices nullatenus prohibitionem morantur, ut patet in exemplo alibi adducto de appellationibus in rebus spiritualibus, & Sacramentis, de quibus vetuerat Rex, ne prætextu possessorii cognoscerent Judices sæculares, & in exemplo, de quo Fevretus hîc §. 22. posteà discutiendo.

11. Præcepit etiam Ludovicus XIII. anno 1635. quemadmodum notat Fevretus §. 18. ut appellationes ab abusu auditis partibus statim judicarentur, nec ad consilium mitterentur, nisi ità sentirent duæ ex tribus Judicum partibus. Verùm facilè occurret, ut plerique Judices maturiùs de rebus illis deliberandum sentiant, aliqui fortasè, ut rei veritatem & justitiam diligentiùs inquirant; alii fortasè, ut emolumento non careant, quod nullum esset, si negotia extemplò definirentur.

12. Aliam

12. Aliam adhibuerat cautelam Henricus IV. Edicto verificato anno 1606. ut teſtatur idem Fevretus §. 19. ut ſcilicet Advocato pro appellante ab abuſu peroranti adſtarent alii duo appellationem approbantes. Ejuſmodi cautelæ ſigna ſunt gravitatis appellationum ab abuſu, quas difficiles efficere tot modis conati ſunt Principes. Sed debilia nimiùm remedia ſunt. Et quod quidem ſpectat ad præſentiam Advocatorum, in tanta Patronorum copia vix unquam deerit ille numerus litigare cupienti, ut à proſequenda appellatione revocetur defectu trium Patronorum, qui, utrum hodie requirantur, mihi certum non eſt, licet plurimùm partem metuam negativam.

13. Paragrapho 20. ſcribit vetitum fuiſſe anno 1610. ne litteræ appellatoriæ ab ordinationibus, quas in viſitationis decurſu edidiſſent Archiepiſcopi vel Epiſcopi circa cultum Divinum, & diſciplinam Eccleſiaſticam, aut à Statutis Conciliorum Provincialium, nonniſi magno ſigillo imprimerentur, ut ſcilicet difficilior eſſet expeditio, atque ità appellationum numerus minueretur: ſed ſtatim monet Senatum Pariſienſem anno 1612. 30. Maii facultatem appellantibus conceſsiſſe, ut, ſive in magna, ſive in parvis Cancellariis litteræ poſſent expediri, & ſigillari, ita ſcilicet, quod Rex concedit, Senatus aufert.

14. Edicto Ludovici XIII. anno 1625. quod citat Fevretus §. 21. cautum eſt, ne Judex Eccleſiaſticus, à cujus ſententiâ interpoſita eſt appellatio tanquam ab abuſu, ſeſe judicio ſiſtere cogatur. Statutum id fuit, ut dignitati Epiſcoporum, & Vicariorum provideretur, ut inquit D. de Marca lib. 4. cap. 19. num. 8. Verùm charior eſt Judicibus ſæcularibus propria Dignitas, quàm Epiſcopis, adeoque eſt danda opera, ut Senatorum majeſtas ex hoc etiam capite præfulgeat; ideſt, ut Epiſcopi aliique Judices Eccleſiaſtici omnibus litibus intercedere cogantur, in quibus de appellationibus ab ipſorum judiciis agitur. Ideoque non obſervatur iſtud Edictum à Curiis Regiis, ſaltem ab omnibus.

15. Is quidem honor adhuc Eccleſiæ defertur, ut appellationes ab abuſu in magna Senatûs Camera ventilentur, ut dicit Fevretus §. 22. & 23. Sed quis putet honore illo poſſe compenſari, quas jam notavimus, injurias, & quas adhuc

notare possemus ? Nam in hoc ipso §. 23. probat idem Autor appellari posse non solùm à fulminatione, & executione, sed etiam à publicatione Bullarum, & earum executionem prohiberi ; quamvis nullus exstet actus judiciarius circa illam executionem. §. 24. clausulam, *appellatione submotâ*, rescriptis delegatoriis inseri solitam, appellationibus ab abusu non præjudicare scribit, §. 25. non posse super his appellationibus in arbitros compromitti, aut inter partes componi, §. 25. possessionem triennalem nullatenùs juvare.

16. Vides quot accidant ex illis appellationibus incommoda Ecclesiasticæ jurisdictioni : quàm accuratè serventur, quæ Ecclesiæ adversantur : quàm parùm referat ipsa utilitatis ex iis, quæ Reges in ipsius levamen constituunt, etiam dum Clerus opima Regi confert subsidia.

CAPUT XII.

Respondetur rationibus à Fevreto cap. 3. adductis ad probandam justitiam appellationum ab abusu.

1. PRoposuerat sibi Fevretus in hoc capite appellationes ab abusu tanquam justas defendere. Sed nescio, an aliundè magis quàm ex ejus doctrina illarum injustitia innotescat. §. 1. distinguit duplex appellationum genus, scilicet simplicium, & tanquam ab abusu, duoque sibi objicit adversùs ultimum istud genus ; Primum quod pervertant ordinem jurisdictionum. Cùm enim appellationes ab inferiori ad superiorem perferendæ sint, hîc à Judice Ecclesiastico provocatur ad sæcularem, cui certè non subjacet ; undè jurisdictio ac libertas Ecclesiastica læditur : alterum, quod eâ viâ Ecclesiasticæ personæ, ac causæ spirituales Curiis sæcularibus submittantur. Optimè assignat præcipua capita, ex quibus petitur injustitia prædictarum appellationum ; illa si evertat, rem ferè confecerit. Videamus igitur, quibus machinis aggrediatur. Fatetur in appellatione simplici provocandum ab Episcopo, seu ejus Officiali ad Metropolitanum, à Metropolitano ad Primatem,

tem, à Primate ad ſanctam Sedem, vel ad Judices ab ea delegatos : appellationem autem ab abuſu dictam vult interponendam eſſe ad ſupremas Curias ſæculares, non ordine naturali, quem ille vocat Reſſortum, ſeu devolutionem ab inferiori ad ſuperiorem, ſed jure protectionis Regiæ, quâ Princeps tenetur ſubditos ſuos, ſive Clericos, ſive Laicos in propria juriſdictione conſervare.

2. Sed declinat ſtatim à ſcopo, & eo errore indicat ſe illuc rectà tendere non poſſe. Cùm enim appellationum ab abuſu innumeræ ſint ſpecies, quæ ſingulæ ſpecialibus, omnes autem duobus ſupradictis vitiis laborant ; ſcilicet quod juriſdictiones confundant, & Clericos, ac cauſas ſpirituales Laicis ſubjiciant ; quadam ſaltem generali ratione univerſæ defendendæ fuerant. Sed fruſtrà id, utpotè impoſſibile expectes. Aſſumit Fevretus unicam ſpeciem, cujus nimirùm injuſtitia minùs eſt evidens ; quaſi hæc alias omnes complecteretur. Conatur probare ; licere Principibus impedire, ne Eccleſiaſtici Judices juriſdictionem ſæcularem, aut jura Regnorum uſurpent. Ergone ſi hoc conſecutus fuerit, continuò innoxia erunt, quæcumque Judices Laici contra juriſdictionem, ac libertatem Eccleſiæ, prætextu appellationum ab abuſu in Gallia præſumunt ? An ad illum articulum pertinent, quæcumque Fevretus in novem libros digeſſit, proteſtatus ſe omnia complexum non fuiſſe, nec theſaurum illum à quoquam exhauriri poſſe ?

3. Quomodò autem ex jure defendendæ propriæ juriſdictionis infert licitas eſſe illas appellationes ? Nonne Eccleſia etiam poteſt propriam juriſdictionem tueri ? Cur ergo pari ſaltem ratione non licebit à Judice ſæculari ad Eccleſiaſticum provocare ? At, inquit Fevretus, non dicitur appellatio ſimpliciter, quæ interponitur à Judice Eccleſiaſtico ad ſæcularem, ſed cum addito ; tanquam *ab abuſu* ; quaſi verò de ſolo nomine, ac non potiùs de re ipſa ſit quæſtio ; aut poſſit nomen, quod etiam odioſum quid ſonat, à ſacrilega uſurpatione injuriam reſecare. Saltem ergo fateatur licere ad Summum etiam Pontificem appellare, cum addito, *tanquam ab abuſu*, quando Judex ſæcularis juriſdictionem Eccleſiaſticam offendit. Non enim minùs ad ſupremum Eccleſiæ Paſtorem

pertinet jura Ecclesiastica tueri, quàm ad Principes temporalia propugnare.

4. Non pervertitur, subjungit Fevretus, ordo appellationum Ecclesiasticarum, quia illud, in quo fundatur abusus, est quid facti, ad spirituale nequaquam attinens. Adeò iniqua est praxis Curiarum Franciæ, quæ contra Constitutiones Regias, nedum contra Canones, de causis etiam spiritualibus, affictâ illis imaginariâ possessorii specie, judicant; ut dum de justitia appellationum ab abusu in communi agit hic Autor, cogatur affirmare illas nequaquàm ad spirituale attinere. An igitur corporalia, seu temporalia sunt, quæcumque ille in suum tractatum congessit, tanquam materiam hujusmodi appellationum ab abusu? An sacramenta, dispensationes super votis, & juramentis, beneficia, censuræ, absolutiones, &c. in Parlamentis Gallicanis temporalia reputantur, quantùm ad omnia, quæ circa illa ibi ventilantur?

5. Addit præterea ad Regem pertinere, vel ad ejus Curias, decisionem quæstionis illius de facto; num scilicet aliquid contra jura sua temporalia sit attentatum; quia, inquit, dum aliquid attentatum est, Rex superiorem non agnoscit. Duo confundit inter se maximè diversa. Aliud enim est quærere, utrùm ad Principem dumtaxat spectet cognoscere, an aliquid juribus suis temporalibus adversetur; aliud, dum adversari constat, utrùm ab alio debeat injuriæ reparatio postulari. Sed quodcumque assumatur, nonne opponi potest ad Ecclesiam quoque spectare, ut judicet, an aliquid sit spirituale, & cùm ejusmodi esse patuerit, illud Ecclesiæ vindicare? At, reponit Fevretus, neque justum esset, neque decorum, ut Dominus Procurator Regius, qui partis vices agit in appellationibus ab abusu, litigaret coram Officiali; ut resarciri curaret, quæ ab eodem Officiali, vel ab ejus inferiori attentata fuissent contra jura Regis. Fateor injustum illud, & indecorum fore; sed apud eos tantùm, qui & personas, & res sacras parvi pendere consueverunt; quique, non ut fides & ratio docent, sed ut mundus sapit, sentiunt; non autem apud eos, qui spiritualia corporalibus, æterna temporalibus anteponunt, & intimo pietatis ac religionis affectu ducuntur. Sed nonne minùs justum, minusque decorum

corum est, ut Episcopus, aliique Judices Ecclesiastici, pro rebus spiritualibus & Ecclesiasticis, ad Laicorum Tribunalia traducantur; &, si quam prætermiserint in suis judiciis fori sæcularis formam, tanquam rei mulctentur?

6. Observa iterum Carolum Fevret in fine hujus §. 2. appellationes ab abusu in hoc ab ordinariis appellationibus discernere; quòd illæ nusquam interponendæ sunt, nisi usurpatio jurisdictionis intercesserit. Propria ejus verba exscribenda sunt, ut videas etiam ipsos Ecclesiasticæ jurisdictionis hostes, vi veritatis convictos, dum justitiam appellationum ab abusu statuere nituntur, illarum usum ad casum usurpatæ jurisdictionis restringere coactos. *Et de plus afin de separer ces appellations des autres pures & simples, on les qualifie du nom d'Abus, pour donner à connoitre, que sans ladite qualité d'Abus, qui denote toujours quelque entrepriſe ou uſurpation de juriſdiction, la juſtice Royale ne s'y entremettroit pas*; id est, „Præterea ut hujusmodi appellationes à meris, „& simplicibus appellationibus distinguantur, nomine abu„sus insigniuntur; quo significetur sine illa conditione abu„sus, quæ aliquam semper jurisdictionis usurpationem in„volvit, Judices Regios ab illis abstenturos. Cur ergo aliis casibus sese Regii Judices immiscent, ubi certum est nihil adversùs jurisdictionem Regiam esse tentatum?

7. Frustra autem §. 3. excurrit ad exempla implorati à Clericis Principum auxilii. Aliud enim est Regios Ministros, Ecclesiæ, vel ejus Ministris ad exequendos Canones, aut comprimendos Canonum infractores, postulantibus opem præbere; aliud Ecclesiasticas personas, & causas per appellationes ad se trahere, ac prætextu protegendorum Canonum, Ecclesiæ jurisdictionem, & libertatem opprimere.

8. Duo tantum ibi sunt, quæ aliquam videntur pati difficultatem. Primum est exemplum Leonis IV. Pontificis, judicio Ludovici Pii Imperatoris se supponentis, alterum autoritas Brunonis Cassanæi in libro *de privilegiis Regularium* appellationes ab abusu licitas asserentis. Quod quidem ad Leonem IV. attinet, de eo jam supra egimus. Ejus verba citantur quidem ab Ivone Decret. 5. part. cap. 22. & à Gratiano 2. quæst. 7. cap. *Nos si incompetenter*. sed referuntur, ut à Nicolao scripta Imperatori. Neque autem inter Epistolas Leonis,

neque inter Epistolas Nicolai reperiuntur. Testimonium Ivonis, & Gratiani, qui plura supposititia suis Decretis inseruerunt, adstruendæ facti veritati est impar: quia de re ipsorum ætate gestâ non loquuntur, præterquam quod potuisset fortè Leo IV. voluntariè, non coactus à jure, vel Officio, Imperatoris arbitrio se submittere, quemadmodum Leo III. coram Carolo Magno, aliisque Magnatibus, & Episcopis se purgaverat an. 799. referente Anastasio, aliisque quamplurimis, cum expressa protestatione se id agere non coactum, nec obligatum, id quoque publicè protestantibus Episcopis.

9. Brunonis Cassanæi autoritas ad hoc tantùm valet, ut certiores simus, quod aliunde docet experientia, Regulares aliquos in Gallia tuendorum suorum privilegiorum omnem honestam rationem arbitrari; utque in tuto illa ponant adversus Episcopos, non ad Summum Pontificem, à quo illa acceperunt, cùm minus suis desideriis propitium metuunt, aut longiores moras refugiunt, sed ad sæculares Judices contra libertatem Ecclesiasticam, & contra proprias etiam Constitutiones interdum recurrere. Sic etiam aliquando Episcopi adversùs Regulares malunt Curias sæculares, cùm in sua desideria propensas vident, quàm summum Pontificem adire: quæ causa est, ut dum quisque suis rationibus magis quam Ecclesiæ juribus intentus est, illinc petat auxilium, unde consequi speret; non attendens quantum Ecclesiasticæ jurisdictioni vulnus inferatur, dum Laicorum judicio subjicitur.

10. Cæterùm frustrà hîc & alibi exemplo Hispanorum, praxim Gallorum excusat Fevretus. Nec enim conditionem acceptarent Galli, ut iisdem legibus erga Ecclesiam, & supremum ejus Patrem, & Pastorem sese gererent, quibus Hispani. Sed extra institutum nostrum est illa collatio. Non enim quærimus, quid faciant Hispani, sed an rectè faciant Galli.

11. Paragrapho 3. asserit Fevretus appellationibus ab abusu non solùm Laicis Clericos, aut spirituales causas Curiarum sæcularium cognitioni non subjici; sed etiam iis potiùs effici, ut spiritualia secernantur à temporalibus, & illa Ecclesiasticis, ista sæcularibus judicanda tribuantur, Curiis Regiis id tantùm exquirentibus, an de facto jurisdictio Regia, jus patronatus Laici, & his similia læsa sint, & quæstiones omnes de

de rebus spiritualibus ad Ecclesiasticos Officiales liberè judicandas remittentibus. Minus esset inflictum Ecclesiæ vulnus, si limitibus illis verè circumscriberetur Regiorum Judicum examen. Sed præterquam quod non magis, imò minus ad Laicos, quàm ad Ecclesiasticos pertinet, spiritualia à temporalibus, à sacris profana discernere. Testis est ipse Fevretus quàm latè perrupti sint aggeres, quos hîc commemorat.

12. Adverte autem quomodò hic Scriptor excurrat. Nam §. superiori dixerat Curias sæculares non se immiscere judiciis Ecclesiasticis, nisi ubi usurpata fuisset jurisdictio Regia, hic jus patronatus ad Laicos pertinens etiam in exemplum adducit materiæ appellationum ab abusu, quasi jus patronatus sit aliquid profanum, & ut ipse loquitur, ad spiritualia nullatenus pertingens, de quo non possit Ecclesia sine injuria Judicum sæcularium sententiam ferre. Hic tamen non subsistit, ut in toto ejus Tractatus decursu videre est.

13. Paragrapho 4. negat confundi jurisdictiones, aut Ecclesiasticam à Regia ullo modo imminui; quia appellationes ab abusu inductæ sunt, inquit, ut sua cuique jurisdictio salva esset. Si is fuit primæ introductionis finis, ex eventu patet eas contrarium sortitas esse effectum, ut sæpè diximus.

CAPUT XIII.

Respondetur aliis rationibus, quæ à Fevreto proferuntur in præd. cap. 3.

1. NOn esset, cur tantùm eniteremur adversùs appellationes ab abusu, si verum esset, quod ait Fevretus in §. 5. hujus capitis; Illas scilicet Summis Pontificibus probari: vereor tamen ne non verum sit, quod ille affirmat. Saltem neque rationes, quas Summis Pontificibus propositas narrat, ejusmodi sunt, quibus motos illorum animos arbitrer; neque conjecturæ quibus utitur, secutam approbationem suadent. Quid enim sanctæ Sedi ab Oratoribus Regis Christianissimi adductum fuit in favorem illius praxis Curiarum Gallicanarum?

2. Pri-

M. C.
De Libertatibus Eccl. Gallic.
GIII 231

2. Primò propoſita fuit poſſeſſio. At illa neque multùm erat antiqua, neque pacifica, ut evidenter demonſtrant Acta Cleri Gallicani, inter quæ multa ſunt monimenta, quibus conſtat Epiſcopos apud Reges ſæpeſæpiùs oraſſe adverſus illum uſum, quem ſuperiori ſæculo vetuſtiorem non eſſe jam vidimus: cumque deſperarent ſe integram mali ſanationem conſecuturos, levamen ſaltem frequenter poſtularunt.

3. Secundò expoſitum fuit nullum alium Judicem poſſe de illis appellationibus cognoſcere, cùm ageretur de uſurpata juriſdictione. Quid ergo, ſi Princeps, aut Senatus declararet ſuæ juriſdictionis eſſe, de rebus Fidei decernere: ad nullum alium pertineret de controverſiis circa myſteria Religionis judicia ferre? Et, ſi id ab Epiſcopis tentaretur contendentibus partem illam Epiſcopalis juris eſſe, ſolæ Curiæ Regiæ Judices eſſent illius quæſtionis de competentia, ut vulgò nuncupatur? Dices nullum eſſe illius mali periculum in Gallia, ubi omnes profitentur autoritatem Regiam illuc uſque non pertingere. Ita quidem, exceptis hæreticis publicis, olim ſentiebant Gallicani. Sed metuendum eſt, ne Officiales Regii, quorum plerique tunc ſibi præclarè ſuo defuncti officio videntur, cùm, depreſsâ Eccleſiæ dignitate, Regiam extulerint, poſtquam diſciplinam, quæ, ut ait S. Cyprianus lib. *De diſciplina, & habitu Virginum, Retinaculum fidei eſt*, ad ſæcularia Tribunalia pertraxerunt, fidem denique ipſam Principum judiciis ſubmittant. Nec vanum eſſe timorem oſtendemus in concluſione.

4. Niſi Regii Officiales bonâ fide diſcernant, & agnoſcant, quid ad Eccleſiaſticam, quid ad laicam juriſdictionem pertineat, & unaquæque ſibi ſuas partes vindicet, nullus erit diſſidiorum finis; quibus in controverſiis, licet propter potentiam temporalem plerumque prævaleant laici, non ſine gravi animarum ſuarum detrimento, non dubito quin de jure finium regundorum judicium ad Eccleſiaſticum potiùs pertineret Tribunal. Argumentum à pari, quo ſæpè uſi ſumus, eſt *ad hominem*, ut dicitur, totam veritatem non exprimens.

5. Dicitur prætereà tertiò, Senatum non ſolis Laicis, ſed etiam Clericis conſtare, adeoque corpus eſſe mixtum, non merè laicum.

Laicum. Verum quidem est, Senatum Comitiorum generalium loco successisse, atque ita quemadmodum olim ex quo Clodovæus Catholicam fidem suscepit, Episcopi juxta consilium S. Remigii, Consiliis Regiis, ac generalibus Conventibus, seu Placitis, & Parlamentis (iis enim nominibus indistinctè nuncupabantur) interesse solebant; ità constitutis Curiis Parlamentorum, ut in loco permanentes, jus omni tempore dicerent, inter Laicos conscripti sunt etiam Clerici; & dum intermissus fuit mos eligendorum ex Clero Consiliariorum, instítit Clerus apud Reges, ut restitueretur; sperans nimirùm fore, ut Clerici fideliorem operam navarent, ad impediendas Ecclesiasticæ jurisdictionis à laica usurpationes. Verùm ridiculum est, ideò Parlamentis jus decidendarum causarum Ecclesiasticarum tribuere, quod aliqui ex Consiliariis Clerici sint. Illorum enim numerus adeò exiguus est, ut in tanta Judicum multitudine pro nihilo reputandus sit. Nec adsunt, ut res Ecclesiasticæ ibi judicialiter tractentur cum sæcularibus negotiis, alioquin enim par saltem Ecclesiasticorum, & Laicorum numerus requireretur, sicut in Curiis, de Edicto nuncupatis, seu bipartitis, ad dirimendas Catholicorum cum hæreticis controversias, totidem sunt, aut erant hæretici quot Catholici.

6. Fuit quidem illa Clericorum, & Laicorum paritas ab ipsa Senatus Parisiensis institutione aliquandiu observata; cumque interrupta fuisset, iterum fuit restituta, ut videre est apud Stephanum Pasquierium lib. 2. cap. 3. Inquisitionum. Constat enim ex Edicto Ludovici XI. an. 1461. die 11. Septembris dato, & inter acta Cleri Gallicani relato, Senatum Parisiensem ex pari, aut ferè pari Clericorum & Laicorum numero tunc conflatum fuisse, & ex iis quadraginta Senatores Ecclesiasticos, ac totidem Laicos fuisse, unum Advocatum Regium è Clero, & alterum laicum, &c. Nondum tamen natæ erant appellationes ab abusu. Assistebant verò Clerici ut dixi, in judiciis sæcularibus juxta consilium S. Remigii; quia spes erat fore ut illorum ordo, ac religio, tùm ipsos, tùm etiam alios ad justè judicandum induceret; deinde ut Ecclesiasticæ jurisdictionis vindices essent, sed immutata est Ecclesiæ sors: expulsi sunt Clerici, pauciſſimis exceptis,

ceptis, tum quando magis neceſſarii forent. Quamquam, ut verum fatear, neſcio an qui è Clero aſſumuntur, ſui erga Eccleſiam Officii ſatis meminerint. Nam etiam qui pii, ac juſtitiæ ſtudioſi audiunt, quia Magiſtratus ſuos, ut civiles habent, de rebus etiam Eccleſiaſticis plerumque magis juxta ſæcularium Judicum ſtylum, quàm ſecundum Canones, & ſummorum Pontificum Conſtitutiones ſententiam ferre dicuntur. Quid putas facturos Laicos quamvis Chriſtianos, & Catholicos?

7. Utilitas appellationum ab abuſu petitur quartò, ex eo quòd excogitatæ ſint, ad impediendum quò minùs ſacris Decretis derogaretur, vel Regni legibus. Sed Regis quidem eſt legum politicarum cuſtodiæ debito modo invigilare; Eccleſiaſticarum autem executionem tantummodò curare, poſtulante Eccleſiâ, non autem illarum Judicem agere. Aliàs ſacris Canonibus derogatur, dum opera dari dicitur, ne derogetur.

8. Ex eo etiam commendantur, quod illis pariter utantur Clerici ad tuendam ſuam juriſdictionem adverſus ſæcularium injurias. Factum id fortaſſis aliquando eſt; ſed computentur Placita, ſeu Arreſta in regiſtris Curiarum contenta, vel à ſcriptoribus Gallicanis, Fevreto præſertim, relata, & conſtabit, vix unum pro juriſdictione Eccleſiaſticâ contra Laicam reperiri, inter mille pro ſæculari contra Eccleſiaſticam prolata. Quod additur, temerè appellantes ab abuſu graviter puniri, ex eo ſolo falſi argui poſſet, quòd infinitus ferè ſit illarum appellationum numerus. Num gravis pœna temeritatis & ſacrilegii, duorum aut quatuor nummorum mulcta, quæ judicium Eccleſiaſticum defendenti perinde atque impugnanti imponitur?

9. Verum eſt quod notat idem Fevretus, Laicos potentiâ Brachii ſæcularis præditos, promptiores, & faciliores eſſe ad uſurpanda jura Eccleſiaſtica. Utinam æquè verum eſſet, quod aſſerit, appellationes ab abuſu utiles, ac efficaces eſſe ad comprimendas illas uſurpationes. Quod enim plures Prælatos, Collegia, & ſocietates Eccleſiaſticas illis uſas eſſe dicit, non probat earum utilitatem; quandoquidem multò pluribus Prælatis, Collegiis, ac ſocietatibus graviſſimæ, & Eccleſiaſticæ juriſdictioni infeſtæ viſæ ſunt. Cæterùm Fevreto

vreto fidem non habeo sine teste affirmanti, probatas ex omni parte fuisse hujusmodi appellationes Gregorio XIII. cùm anteà conquestus fuisset de Constitutione Blesensi ab Henrico III. editâ an. 1579.

10. Frustra §. 6. plurimas congerit autoritates scriptorum Gallicanorum in favorem appellationum ab abusu. Ex iis enim scriptoribus, plerique non in ea tantùm parte, sed in aliis pluribus Ecclesiasticæ jurisdictioni tam apertè iniquos sese exhibuerunt, ut minimi momenti sit illorum suffragium: & facile esset illis longè majorem omnis generis scriptorum numerum opponere. Galli quidam unico verbo respondent, illos Autores vel morum Gallicanorum inscios fuisse, vel Curiæ Romanæ adulatos. Sed nescio an non verius Gallicanis scriptoribus objiciatur, illos Ecclesiasticæ jurisdictioni esse infensos, Principibus abblandiri, Ecclesiasticæ Majestatis depressione gloriari, lucrum ex litibus circa res Ecclesiasticas expetere. Quod absit, ut de omnibus accipiam. Non enim desunt in Christianissimo illo Regno, qui illas appellationes improbent: nec parvus est illorum numerus.

11. Nec tâmen intra fines à scriptoribus ipsis, quos citat Fevretus, præfixos, illas appellationes continuerunt Judices. Nam, ut hoc tantùm exemplum proferâm, Guido Faber Advocatus Regius Legatione ad Concilium Tridentinum, vel potiùs orationum in illo habitarum irreverentiâ (ut mitiori verbo utar) & primo ad propagandam per universas Galliæ Ecclesias Regaliam conatu famosus, laudibus immensis, & eo ipso ridiculis, appellationes ab abusu extulit: non potuit tamen non fateri, referente Fevreto, hujusmodi appellationibus, non nisi rarò, opportunè, ac in magnis & illustribus causis esse utendum. An id observetur, testantur volumina registrorum, & librorum, Placita super his prolata continentium.

12. Inter illos quidem Autores, quos refert Carolus Fevret, sunt aliqui veneratione digni, quorum sententia, si appellationibus illis faveret, non esset facilè contemnenda. Sed illorum suffragium parum ad excusandam ejusmodi praxim juvat. Nam v. g. quæ refert Fevretus verba tanquam Cardinalis Perronii, non Illustrissimi illius, ac nunquam satis com-

mendandi Purpurati, sed Parlamentorum sententiam exprimunt; dum ait, remedium illud à Parlamentis haberi tanquam Asylum libertatum Gallicanarum, firmumque jurium Coronæ propugnaculum.

13. Dominus de Foix, qui etiam allegatur, factus quidem fuit Archiepiscopus Tolosanus, sed, cùm ea pro appellationibus proferret, quæ exscribit Fevretus, Oratoris Regii, non Archiepiscopi, munus obibat apud summum Pontificem: unde nihil mirum, si Regias rationes promovere conatus sit.

14. Ad appellationes illas confugerunt aliquando Episcopi, ut notat Fevretus, sæpè inferiores Clerici, aliquando Regulares; sed in hoc, ut suprà diximus, magis ad amovendam veram, aut falsam injuriam, aliâ, ut illis videbatur, ratione indeclinabilem attendebant, quàm ad damnum hinc Ecclesiæ illatum.

CAPUT XIV.

Quam sequi conveniat agendi rationem, si quando injusti mandati executio exigatur.

1. ETsi non temerè damnanda sint superiorum Decreta, vel Præcepta, sed potiùs justa præsumenda sint, quoties apertam iniquitatem non continent; à qua regula si recedatur, peribit omnis ordo, confundetur omne regimen, subditis ob innatam, vel à peccato contractam, ad libertatem propensionem, mandata sibi minùs grata tanquam injusta vel de injustitiâ suspecta facillimè accusantibus: Tamen quia Præpositi, quicumque illi sint, affectibus privatis duci in condendis legibus, aut imponendis præceptis possunt; atque adeò res injustas exigere; videtur illis, quorum interest, licere, cùm obedientiam negare; tùm, si urgeantur, aliorum opem implorare. Hac, ut opinor, ratione permoti sunt, qui primùm Judices sæculares in causis Ecclesiasticis appellarunt; quasi jure naturæ sibi fas esset adversus manifestas injurias à superioribus Ecclesiasticis, imò à supremo Pastore illatas, invocato potestatis sæcularis auxilio se tueri.

2. In-

2. Injustæ quidem legis nullam esse obligationem, nisi fortè ob vitandum scandalum, aut aliud malum; imò ne legem quidem esse docent communiter Theologi, quod de mandatis singularibus pari ratione sentiunt. Itaque illis non obtemperare nefas non est: de modo est quæstio. Equidem hac in parte optimus ille est, quem suadet Ivo Episcopus Carnotensis epist. 159. iis, qui se ab Ecclesia Romana gravatos conqueruntur; scilicet ut *ab ipsa ad ipsam confugiant: & indè expectent levamen, undè se conqueruntur accepisse gravamen.* Nam, ut docet S. Bernardus epist. 108. jam citatâ; *Apostolica Sedes hoc solet habere præcipuum, ut non pigeat revocare, quod à se fortè deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum.*

3. Sed quid, si mandata injusta non modò non revocet Summus Pontifex, quantumvis de rei veritate ac statu certior factus, sed illorum etiam executionem acriter prosequatur? Celeberrimum est consilium, quod habetur in Capitulo de honoranda Sede Apostolica, quod plerique post Ivonem & Gratianum Carolo Magno adscribunt, quodque habetur in Concilio Tribur. anno 895. Can. 30. *In memoriam B. Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam & Apostolicam Sedem; ut quæ nobis Sacerdotalis Mater est Dignitatis, esse debeat Magistra Ecclesiasticæ rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur jugum, feramus, & piâ devotione toleremus.*

4. Quid autem, si ne vix quidem ferendum sit jugum, vel propter ejus pondus, vel propter infirmas vires, aut voluntates subditorum? Nonne tunc saltem potestatis sæcularis opem fas erit implorare? Primò quidem, casus ille difficile contingere potest, ut veritate, ac justitiâ Summo Pontificī patefactâ, ille sæpesæpiùs rogatus iniqua postulare pergat. Secundò vix illo etiam casu liceret adversùs sanctam Sedem Principes sæculares implorare: sed plerumque necessarium esset, ac de præcepto, quod Ivo Carnotensis epist. citatâ consulere tantùm videtur, his verbis; *Quoniam judicia Romanæ Ecclesiæ à nemine foris retractari posse, eâdem Romanâ Ecclesiâ docente didicimus, si qui aliquando se prægravatos ipsius Ecclesiæ autoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Ægyptum propter auxilium.* Quæ ultima verba sic intellexit etiam ipse Marca Concord. lib. 4. cap. 17. §. 7. *Ab Ægypto auxilium petere, ideſt à Regia potestate.*

5. Nulla finit prudentiæ ratio, ut ab eo petas auxilium, à

quo periculum sit, ne postmodum opprimaris. Observat Stephanus Pasquierius disquisitionum suarum lib. 1. cap. 5. Romanis ad subjugandas Gallias reseratum ab ipsismet Gallis aditum, imploratâ imprudenter illorum ope. Quod toti Nationi olim accidisse dicitur, id ferè Clero postremis sæculis contigit. Cùm enim, ut alibi observavimus, Pontifices, aut Pseudopontifices potestate suâ in magnum Ecclesiæ Gallicanæ detrimentum abuti crederentur, invocatum est sæcularis potestatis auxilium; sed eâ occasione longè majus detrimentum passa est Ecclesia in sua jurisdictione, quàm consecuta sit emolumentum in conservatâ, pro qua decertabat, quorundam Beneficiorum, & redituum dispensatione.

6. Quantùm cordi semper Ecclesiæ fuerit sua jurisdictio, testata est innumeris Canonibus ea de re conditis, & delato etiam Martyrii honore iis, qui pro conservanda illa dignitatis, & potestatis suæ parte, mortem subierunt. Quo igitur lucro ejus jactura compensari potest? Aut quo pacto censuras eam ob causam promulgatas effugiunt, qui jurisdictionem Ecclesiasticam ad Laicos transferunt; aut qui, quò minùs transferatur, ut possunt, ac debent, non obsistunt?

7. Denique, ut rem ad extremas metas producamus, quæres, num saltem licitus esset ille recursus, si secluderentur illæ circumstantiæ, & Ecclesiasticæ jurisdictioni grave inde detrimentum consecuturum non esset? Suppositio illa videtur involvere contradictionem, cùm ille ipse recursus in causis spiritualibus, & Ecclesiasticis per appellationes ab abusu, ordine judiciario tractari solitas, sit Ecclesiasticæ jurisdictionis interversio. Adde quod, etsi suppositio sit metaphisicè possibilis, moraliter tamen videtur impossibilis. Quis enim rem adeò in proclivi positam sistere queat? Ex eo, quod jam toties evenit, conjice quid futurum sit, nisi hujusmodi appellationum cursus sistatur.

8. Quicumque modus ponatur, quæcumque adhibeatur cautela, in maximo semper versabitur periculo jus Ecclesiæ, quamdiu vigebit illarum appellationum usus: nec minoris Præsulum Gallicanorum, imò, ut arbitror, pluris interest, quàm Summi Pontificis, ut abrogetur; quia ipsorum officium frequentiùs impedit. Licet autem aliquando aliquibus pro-

prodesse videantur, omnibus tamen pensatis, plurimùm indè jurisdictio Episcopalis deprimitur, & imminuitur.

9. Hæc de appellationibus ab abusu in communi dicta sufficiant. Singula enim earum capita, quandoquidem ex Fevreto infinita sunt, persequi esset impossibile. Ex genere autem quid de singulis speciebus sentiendum sit, unusquisque facilè poterit intelligere.

10. Ex dictis enim abundè colligitur, quàm verè Autor Tractatûs illius *de jurisdictione Ecclesiastica*, quem Clerus Gallicanus inter Acta sua retulit, quique habetur tom. 1. cap. 9. ult. collec. scripserit in tertia part. quæ est *De appellatione tamquam ab abusu* hæc ipsa verba. *Or le plus grand mal, & la plus grande playe, que jamais l'Eglise ait receuë en sa jurisdiction & police, est l'appellation comme d'abus, moyen inventé par les Officiers, pour attirer à eux toutes sortes d'affaires contentieuses, & desquelles ils n'ont nulle competence, n'y ayant chose en tout l'Univers, à laquelle ne puisse estre appliqué le pretexte & couleur d'abus, pour faire venir à leurs pieds les personnes Ecclesiastiques, de quelque degré qu'elles soient, & mettre aux prisons & aux fers cette ancienne liberté, qui servoit d'ornement à la France, & d'exemple à toute la terre. C'est ce qui a au dernier siecle depoüillé l'Egliſe Gallicane de son honneur & autorité, & ruiné sa discipline. Ce qui doit faire apprehender le renversement de l'Estat, aussi bien comme nous voyons la desolation de l'Egliſe, &c.* Et Illustrissimus Episcopus Ambianensis in oratione nomine Cleri Gallicani ad Regem Christianissimum anno 1666. habita, & in tom. 5. actorum Cleri Gallicani relata. *Mais les appellations comme d'abus apportent bien encore un plus grand desordre & une plus grande confusion. C'est une nouvelle chicane incomuë en France avant les derniers siecles, & dont le venin n'a point infecté les autres Nations Chrestiennes.*

CONCLUSIO.

1. COnstans Galliæ in Fide Catholica jam à tot sæculis perseverantia, & magna etiamnum illic vigens pietas certam spem afferunt, Christianissimum illud Regnum usque ad consummationem sæculi tam arctè Petræ, super quam fundata est Ecclesia, inhæsurum, ut nullis unquam Sathanæ machinis ab ea dimovendum sit. Nobilissimæ illius Monarchiæ gloriam, firmitatem, ac felicitatem, Principum ad Ecclesiam de-

defendendam zelo, subditorum pro Catholica Religione studio, utrorumque erga Ecclesiasticum ordinem, præsertim verò erga sanctam Sedem reverentiæ, atque obedientiæ adscripserunt, & ipsimet Galli & Summi Pontifices. Quoniam autem res omnes per easdem causas plerumque conservantur, ex quibus ortæ sunt: expectanda est Religionis ac Principatûs Gallicani perpetuitas ab antiquo pietatis affectu, indivulsáque cum Petri Sede conjunctione; siquidem, ut ait Carolus Fevretus lib. 1. cap. 3. num 4. relatis Ecclesiæ Gallicanæ laudibus. *Elle s'acquist cette haute Dignité par l'union indissoluble avec le saint Siege de Rome, dont elle ne s'estoit jamais separée. Car l'Eglise Romaine estoit l'esprit principal, qui animoit toutes ses Facultés & Puissances: c'estoit le centre auquel elle reunissoit toutes les lignes de la circonference; le Soleil duquel elle empruntoit toutes ses plus divines clairtés, & les plus resplendissans rayons de sa gloire: bref c'estoit le premier mobile, duquel elle suivoit tous les mouvemens.*

2. Neque spem illam eripere valent, quæ interdum, maximè autem postremis temporibus interceserunt dissidia. Ea enim est mortalium omnium conditio, ut neque qui perfectionis Christianæ fastigium assecuti videntur, imperturbabili pace perenniter gaudeant, quamdiu in hoc mundo versantur. Propria civium Jerusalem cælestis est illa felicitas. Sed quemadmodum arbores à ventis exagitatæ radices altius defigunt; ita inter electos dissensiones strictiori concordiæ non rarò viam sternunt.

3. Fatendum est in Gallia fuisse à quibusdam tentata nonnulla, quæ si longiùs, ac latiùs progressa fuissent, non solùm communionis Ecclesiasticæ, sed & fidei jacturam tandem invexissent. Nam præter libellum Richerii *De Ecclesiastica & Politica potestate*, à duobus Conciliis Provincialibus damnatum, tanquam *multas continentem propositiones, expositiones & allegationes falsas, erroneas, scandalosas, schismaticas, & ut sonant hæreticas*: præter eorum fortè opera, quos Richerium in suas partes traxisse cum vehementi suspicione schismatis narrat Henricus Spondanus ad annum 1612. num. 3. præter duo volumina *De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ* à pluribus Episcopis die 14. Februarii anno 1639. hâc censurâ notata. *Volumen utrumque ferè per omnia commata noxium, hæreticum passim, schismaticum, impium, verbo Dei frequenter contrarium, Hierarchiæ Ecclesiasticæ, & disciplinæ Sacramentorum, ac Sacrorum*

tum rituum deſtructivum, ſanctæ Sedi Apoſtolicæ, glorioſiſſimo Regi noſtro, Sacerdotibus Dei, & Eccleſiaſtico Ordini, ipſique adeò Eccleſiæ Gallicanæ injurioſum, ac periculoſiſſimum, ſcandalo plenum, à nobis publico conſenſu judicatum vobis ſignificamus: Præter illa, inquam, ſparſa ſunt identidem alia ſchiſmatis & hæreſis ſemina, quale illud erat, cujus confutationem ante aliquot annos vidimus cum hoc titulo; *Memoire pour faire voir ſommairement au Roy, que la maxime ſchiſmatique & heretique que l'on a pretendu eſtablir dans le playdoyé, qui fut prononcé dans le Parlement de Paris le 12. Decembre dernier* 1664. *à ſçavoir que les Princes temporels ont le droit, & le pouvoir de juger & de decider des dogmes de la foy, & de la diſcipline Eccleſiaſtique, n'eſt apuyée que ſur des preuves defectueuſes, qui ſont toutes ou avancées contre la verité, ou détournées avec ſurpriſe, ou deduites avec artifice, ou raportées hors de propos, ou tirées des exemples des heretiques, ou des perſones ſuſpectes dans la foy.*

4. Contra diſciplinam autem, & juriſdictionem Eccleſiaſticam quot continentur dogmata in laicorum præſertim tribunalia ſæcularia frequentantium libris v. g. in tractatu Caroli Fevreti, in ſupradictis voluminibus de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, & aliis? Quodque maximè dolendum eſt, immanes illi errores & injuriæ, ipſaque demum Eccleſiæ ſervitus ſpecioſo libertatum Eccleſiæ Gallicanæ titulo inſigniuntur. Non poſſum triſtitiâ non affici; cùm inter legendos Laicorum propria commoda in imminuendâ Eccleſiaſticâ poteſtate ſectantium, libros ſimilia occurrunt: ſed longè graviùs fero, quod qui Clero adſcripti ſunt, ac privilegiis Clericalibus gaudere volunt, Eccleſiæ Dignitatem & autoritatem deprimere ſtudeant, etiam dum ejus Beneficia ſibi aſſerere contendunt.

5. Audi quomodò Eccleſiæ Gallicanæ libertates explicet Dominus Carolus de Lotharingia Comes Marſani in quadam reſponſione typis edita contra Dominum Epiſcopum Cadurcenſem in lite circa penſionem prædicto Comiti, quamvis conjugato, & ex interpretatione juris Canonici Bigamo, à ſancta Sede ſuper fructibus præfati Epiſcopatus indultam. *La Liberté Canonique, qui fait celle de l'Egliſe Gallicane, ne conſiſte pas à former des conteſtations contre l'autorité du Pape, elle conſiſte principalement, comme a remarqué le docte Monſieur du Puy, dans ſon Commentaire ſur les libertés de l'Egliſe Gallicane. Page* 16. *ſur le premier article, au droit, d'empêcher que les Papes n'entreprennent rien en ce Royaume au prejudice de la diſpoſition des*

anciens Canons, SI CE N'EST DV CONSENTEMENT DV ROY ET DV PEVPLE. *Ces derniers mots expliquent tres-bien l'effet de nos libertés, & font connoître qu'il n'eſt pas veritable, que ce ſoit une liberté de l'Egliſe Gallicane de ſe maintenir dans l'obſervation rigoureuſe des anciens Canons. La France reçoit les diſpenſes mêmes gratieuſes, comme on ſera voir dans la ſuite, elle s'accomode ſouvent des relâchemens mêmes de la diſcipline par une condeſcendance, pour ceux qui ne peuvent pas toûjours vivre ſuivant l'auſterité des anciens Canons. Toute la difference qu'il y a donc à cét égard entre la France, & entre les autres Païs, qu'on appelle Païs d'obedience, c'eſt* QV'EN FRANCE ON EST EN DROIT DE NE POINT RECEVOIR CES SORTES DE DISPENSES, SI CE N'EST DV CONSENTEMENT DV ROY ET DV PEVPLE; *& c'eſt dans cette differente* MANIERE D'ACCEPTER ET D'EXECVTER LES BREFS DV PAPE, *que conſiſte* TOVTE NOSTRE LIBERTE'.

6. Gratiam illam à ſancta Sede conceſſam accuſare non auſim, ſciens quam benemerita ſit de Eccleſia, & etiamnum mereatur nobiliſſima Lotharingiæ familia: ſed optarem ut recenti hoc exemplo moveretur Summus Pontifex ad ſtatuendam firmiſſimam legem de cuſtodiendis ſartis-tectis ex omni parte veris Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus, hoc eſt de procuranda ad amuſſim Canonum obſervantia, negatis quibuſvis diſpenſationibus, niſi evidentiſſimâ, & urgentiſſimâ neceſſitate compellente: cùm tam frequens experientia comprobaverit diſciplinæ Canonicæ per diſpenſationes relaxationem in ſanctæ Sedis injuriam converti, & ab aliis graviora ſæpe inferri damna, quos ipſa majoribus proſecuta eſt favoribus. Qui primus Eccleſiam Romanam ſchiſmate lacerare tentavit, Novatianus fuit, quocum ſuper irregularitate diſpenſatum fuerat à Romano Pontifice. Qui contra Canonum præcepta quamprimò Sedem obtinuerunt (abſit tamen illorum cum ſchiſmatico & hæreſiarcha Novatiano comparatio) cum aliâ, cujus ſunt vel pinguiores reditus, vel honores ampliores, tam facile commutant; qui ad beneficia Eccleſiaſtica beneficiis aut penſionibus cumulanda perpetuò anhelant; qui denique ad ſanctæ Sedis poteſtatem recurrunt, ut extortis diſpenſationibus amoveant impedimenta explendis privatis cupiditatibus, à ſacris Canonibus appoſita: iidem certè in aliis capitibus, quæ non ita ſibi commoda ſunt, Romani Pontificis Primatum & autoritatem facilè contempſerint, aut etiam impugnarint, ſi quid ſpe-

ſperent aliunde. Utinam ergo Eccleſia Romana & Gallia conſpirent ad propugnandam illam libertatem Canonicam, quæ validiſſimum eſt pietatis ac religionis, imò & fidei propugnaculum, exactam ſcilicet Canonum cuſtodiam.

7. Utinam Clerus Gallicanus Majorum ſuorum veſtigiis inhærens ad arcendos errores, & ad retinendam partem illam juriſdictionis, quæ nondum ipſi ablata eſt, curam & operam ſuam potiùs conferat, quàm ad circumſcribendam capitis ſui poteſtatem; ne fortè, quod plerumque accidit, ſi ipſe debitæ Patri ſuo reverentiæ deſit, à filiis ſuis graviores patiatur contumelias. Quomodò enim Fideles juxta D. Pauli præceptum obedient, & ſubjacebunt Epiſcopis, quos ſupremi Eccleſiæ Paſtoris partim obedientiam detrectare, partim metas ei breviſſimas ponere viderint? Intereſt famæ Auguſtiſſimi illius Cleri, ut quod ab aliquibus ex ipſo adverſus ſummum Pontificem pro illorum juribus contendentem geſtum eſt, ab aliis, qui nec mandatum nec conſenſum præſtiterant, minimè ratum habeatur; ſed ab omnibus potiùs oblivioni mandetur.

8. Maximi etiam intereſt gloriæ Regis Chriſtianiſſimi, ne prædictorum Antiſtitum declarationi patrocinetur. Cùm enim de conſtanti non ſolum retinendæ, ſed etiam propugnandæ fidei Catholicæ, atque Eccleſiæ propoſito ſibi certo conſcius ſit, ejuſque illuſtria edat argumenta, cur eam voluntatem, aut voluntatis conſtantiam in ſuſpicionem publicam vocet, ſignificans ſe doctrinam illam timere, quæ Reges & Principes fidei aut Eccleſiæ hoſtes, emendationis incapaces, per temporales pœnas ad officium ſuum reduci per Eccleſiam poſſe tradit?

9. Sed poſſetne Princeps tantâ ſapientiâ præditus non advertere, ex Cleri ſui ſententia plus periculi, ſi non ſibi, nimirum potentiſſimo, ſaltem ſuis ſucceſſoribus, quàm Romanis Pontificibus imminere? Nemo enim Catholicus dubitat poteſtatem B. Petri, ejuſque ſucceſſorum à Chriſto Domino immediatè oriri, atque adeò, ut ait Nicolaus I. epiſt. 8. *Privilegia iſtius Sedis vel Eccleſiæ, perpetua ſunt, Divinitùs radicata atque plantata ſunt, impingi poſſunt, transferri non poſſunt, trahi poſſunt, evelli non poſſunt:* Si ergo ſummum Pontificem à Chriſto conſtitutum omnium fidelium Paſtorem & Rectorem, ejuſque Vicarium immediatum deponi à Concilio generali poſſe admittamus, multò faciliùs Regem à Comitiis generalibus exautorari poſſe concedendum erit,

erit, cùm nonnisi mediatè à Deo Principatum obtineat. Nam quantumcumque protestentur moderni, se in tuto positam censere Regiam Dignitatem, non defuerunt etiam Gallicani Scriptores, qui assererent, Monarchiam illius Regni esse Aristocratiâ temperatam; idque de facto patuisse, quando Regnum ad alienas familias translatum est, contemptis propinquioribus Regum defunctorum Cognatis: nec ulla potest verisimilis ratio discriminis assignari, quæ in Papæ validiùs, quàm in Regis favorem non militet, si æquâ lance pendatur.

10. Ita senserunt etiam Regum adversus Summos Pontifices defensores, v. g. Jacobus Almain, qui tract. de Autoritate Ecclesiæ cap. 1. tertium hoc corollarium statuit; *Tota communitas potestatem habet super Principem ab ea constitutum, qua eum (si non in ædificationem sed in destructionem politiæ regat) deponere potest, alias non esset in ea sufficiens potestas se conservandi: & ista potestate communitas quondam usa Regem suum deposuit: non tam pro criminibus, quàm pro eo quod tanto regimini inutilis esset, &c.*

11. Omnium denique Fidelium paci & quieti expedit, ne de supremi Pastoris sententia dubitare doceantur, ac tanquam parvuli fluctuantes circumferantur omni vento doctrinæ, donec suborientes fortè fidei quæstiones generalis Concilii, quod vix post unum aut alterum sæculum celebrandum sperent, irreformabili judicio fuerint definitæ, aut communi dispersorum per mundum universum Prælatorum, quorum suffragia rescire difficile, conciliare difficilius sit, consensu diremptæ.

12. *Et quicumque viderit vel audierit, quod Rex & Episcopi Apostolicæ Sedis Summum Pontificem obaudiunt, & honorant, & promptiùs, & humiliùs eis subjecti sui obedient. Hincmarus epist. ad Nicol. Pap. quæ est 17. tom. 2. edit. Sirm.*

13. De illis, qui ut Summum Pontificem ab executione Canonis Concilii generalis Lugdunensis regaliam extendere prohibentis deterreant, odiosam quam confutare conati sumus, doctrinam importunè objicient, oportunè dicet Innocentius XI. cum Paschali 2. epist. 6. quæ est ad Archiepiscopum Poloniæ; *Numquid hæc nos commodi nostri professione requirimus, & non unitatis Catholicæ statuimus firmamentum? Possunt Apostolicam Sedem contemnere, possunt adversum nos calcaneum elevare, datum à Deo privilegium evertere vel auferre non possunt, quo Petro dictum est, Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Et: Tibi dabo claves Regni Cœlorum.*

FINIS.

M. C
De Libertatibus Eccl. Gallic.
GIII 231

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

A.

ACcademia Parisiensis Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ propugnatrix, *pag.* 128. *n.* 5. *& seqq.* Magna ejus autoritas, & zelus, *pag.* 129. *n.* 6. & *pag.* 603. *nn.* 22. & 23. Quâ ratione ab antiquiori erga sanctam Sedem observantia deflexerit, *pag.* 129. *n.* 7. *& seqq.* Antiquis Canonibus in suorum Doctorum favorem derogari curavit. Itaque ex ejus autoritate Libertas Ecclesiæ Gallicanæ in exacta Canonum observatione non est reponenda, *pag.* 130. *n.* 11

Adriani VI. autoritas circa infallibilitatem Papæ, *pag.* 458. *n.* 16

Ægydii Bituricensis laus, *pag* 604. *n.* 2. Non est Autor quæstionis inter vindicias Richerianas editæ, *pag.* 604. *nn.* 3. & 4. Principes subjecit Ecclesiæ in temporalibus, *pag.* 605. *n.* 5.

Africanæ Ecclesiæ sententia de appellationibus ad sanctam Sedem, *pag* 561. *n.* 16.

Antiquitas veneranda, & ab ea sine necessitate non recedendum, *pag.* 53. *n.* 1. *& seqq.*

Apostoli duplici potestate præditi, Apostolica & Episcopali: huic tantum succedunt Episcopi, *pag.* 522. *n.* 1.

Apostoli jurisdictionis Ecclesiasticæ dispensatores, *pag* 478. *n.* 3. & *pag.* 513. *n.* 1. *& seqq.*

Apostoli Orbis terrarum Provincias inter se diviserunt, fide, & moribus Christianis imbuendas, *pag.* 477. *n.* 1. Illa divisio non præjudicavit Monarchatui B. Petri, *Ibidem n.* 2

Appellari à Judicibus electis ad Papam, *pag.* 113 *n.* 4. *& seqq.*

Appellari non debent Principes in causis Ecclesiasticis, *pag.* 713. *n.* 3. *& seqq. & pag.* 775. *n.* 4.

Appellatio ab abusu non interponenda, nisi, ad summum, ubi jurisdictio Regia usurparetur, *pag.* 805. *n.* 6

Appellationes ab abusu jurisdictionis Ecclesiasticæ parùm prosunt. plurimùm nocent, *pag* 810. *n.* 8

Appellationes ab abusu non approbant summi Pontifices, *pag.* 778. *n.* 9. *&* *pag.* 810. *n.* 9. Neque Concordata, *pag.* 779. *n.* 10 Neque Episcopi, *pag.* 773. *n.* 11. *&* 779. *n.* 11

Appellationes ab abusu simplicibus similes, *pag.* 795. *n.* 9. *&* *pag.* 796. *n.* 1.

Appellationes ab abusu tollere quàm difficile sit, *pag* 762. *n.* 11. *&* *pag.* 801. *nn.* 9. *&* 10.

Appellationes tamquam ab abusu origo libertatum Ecclesiæ Gallicanæ secundum Richerium, *pag.* 753. *n.* 1. vel earum pars secundùm Fevretum, *ibid. n.* 2.

De Appellationibus à Summo Pontifice ad Concilium, *pag.* 640. *n.* 3. *& seqq.*

Appellationum ab abusu definitio, *pag.* 754. *n.* 1. *& seqq.* Earum origo, *pag.* 755 *n.* 5. *& seqq.* & 774. *nn.* 1, 2. *&* 3. Earum progressus, *pag.* 758. cap. 2. per totum. Quàm sint peri-

culosa Judicum, & inutiles partium conscientiæ, *pag.* 766. cap. 4. per totum, in immensum excrescunt, *pag.* 789. *n.* 1.

Appellationum ab abusu encomia ridicula, *pag.* 796. *n.* 10

Appellationum ab abusu injustitia, *pag.* 753. cap. 3. per totum, *pag.* 769. cap. 5. per totum, *pag.* 798. *n.* 4. & *seqq. pag.* 802. *n.* 1. & *seqq* 808. *n.* 2. & *seqq.* & 814. *n.* 7. & *seqq.* & *pag.* 778, *n.* 8.

Appellationibus ab abusu cur viriliter ac maturè non obstitit Ecclesia, *pag.* 797. *nn.* 2. & 3.

Appellatur ad Papam, non ab ipso, *pag.* 282. *à n.* 1. *ad* 13. & *pag.* 288. *n.* 4.

Appellationes ad Sæculares in causis Ecclesiasticis, quomodo probaverit Gersonius, *pag.* 776. *nn.* 6. & 7

B.

Balusius Ecclesiasticæ Jurisdictioni parùm æquus, in Regiam nimis propensus, *pag.* 729. *cap.* 9. 10. 11. & 12. *præsertim pag* 729. *n.* 2. *pag.* 731. *n.* 7. & *pag.* 735. *n.* 4.

Baronius defenditur contra Balusium, 738. *n.* 1. & *seqq.*

Bellarmini persona, & doctrina defenduntur contra Launoium, *pag.* 138. *nn.* 1. & 2. & *pag.* 238. *capp.* 6. & 7.

Beneficia quàm cautè conferenda, *pag.* 363. *n.* 9.

De Beneficiariis causis an legitimè cognoscant Judices sæculares in Gallia, *pag.* 658. *n.* 2. & *seqq. ad finem capitis*, & *pag.* 668. *n.* 11.

Beneficiorum pluralitas in Gallia frequens, & noxia. *pag.* 362. *n* 5

Bonifacii VIII. cum Philippo IV. Francorum Rege contentio, *pag.* 606 *n.* 6. & *seqq.*

Bonorum Ecclesiasticorum dominium non est penes Beneficiarios, *pag.* 352. *n.* 1. & *seqq.*

C.

Canones antiqui alii ad Galliam nullatenus pertinent : alii neque in Gallia, neque alibi observantur : alii alibi perinde atque in Gallia vigent, aliorum executionem impedirent Curiæ sæculares vel etiam Prælati Ecclesiastici, *pag.* 36. *n.* 8

Canones antiquos non soli Galli observant, *pag.* 34. *n.* 2. sed etiam alii v. g. Hispani. *Ibidem n.* 3. & 4. accuratiùs Ecclesia Romana. *Ibidem n* 5.

Canones VIII. Synodi utrum ab Episcopis Gallicanis recusati fuerint, & quare, *pag.* 122. *n.* 2. & *seqq.*

Canones non à Principibus, sed ab Episcopis condendi. *pag.* 772. *n.* 6

De Canonibus Apostolorum, eosque non esse fundamenta libertatis Ecclesiæ Gallicanæ, *pag.* 19. *cap.* 7. *per totum.*

Canonibus Papa quo sensu derogare non possit, *pag.* 562. *n.* 17. & *seqq. pag.* 577. *n.* 19. & *pag.* 582. *n.* 9.

Canonibus præsertim Conciliorum generalium maxima debetur reverentia, *pag.* 55. *n.* 8. & *seqq.*

A Canonum observatione sine gravi necessitate non recedendum, *pag.* 134. *n.* 10.

Capitularium Regum Francorum auctoritas, *pag.* 33. *n.* 5. & 6. Plurima ex illis obsoleta, *Ibidem nn.* 7. & 8.

Non sunt fundamenta Libertatis Ecclesiæ Gallicanæ, *pag.* 34. *n.* 8

NOTABILIUM.

Carolus Calvus Lotharii Auſtraſiæ Regis defuncti Regnum occupat favente Hincmaro Remenſi, renitente Adriano Pontifice, *pag.* 115. *n.* 4. *& ſeqq.*

Cauſæ majores quot modis dicantur, *pag.* 332. *n.* 2. Prima illarum cognitio ad S. Sedem pertinet, *pag.* 333. *n.* 3. *& ſeqq. uſque ad finem capitis.*

Cauſæ quando ſunt majores, & in aliis caſibus Romæ judicari poſſunt, *pag.* 338. *cap.* 6. *per totum.*

Cenſurarum uſus moderandus, *pag.* 178. *n.* 10.

Chorepiſcopi an potuerint ordines conferre, *pag.* 512. *n.* 9.

Citationis neceſſitas, *pag.* 346. *n.* 1. *& ſeqq.* Ejus forma, *pag.* 347. *nn.* 5. *& 6.*

Commendarum uſus frequens in Gallia, ejuſque periculum, *pag.* 360. *n.* 2. *& 3.*

Clemens IV. Papa mirum in modum à carnali erga propinquos affectu alienus Clerico nepoti tres Præbendas habenti duas abſtulit, *pag.* 48. *nu.* 22.

S. Clementis Epiſtola ad Corinthios, *pag.* 395. *n.* 14.

De Codice Canonum Eccleſiæ univerſalis: quodque non ſit unicum fundamentum libertatis Eccleſiæ Gallicanæ, *pag.* 14. *cap.* 5. *per totum.*

De Codice Dionyſii exigui; & quod non ſit unicum fundamentum libertatis Eccleſiæ Gallicanæ, *pag.* 17. *cap.* 6. *per totum.* Non complectitur omnes Canones, neque omnes Decretales antiquiores, *pag.* 22. *cap.* 8. *per totum.*

Codicem ſpecialem habuit olim Eccleſia Gallicana, *pag.* 29. *nn.* 1. 2. *& 3.* Quid continebat ibidem *n.* 4. Sed maxima collectionum varietas, ideoque ſine authoritate publica ibidem *num.* 5. Ejus Canones Romani non commendabant, *pag.* 30. *nn.* 6. *& 7.* Quis fuerit ille Codex, ambigitur, quia non extat ibidem *n.* 8. Ejus Canones Canonibus Conciliorum Generalium in Codice Eccleſiæ Romanæ contentorum inferiores, *pag.* 31. *nn.* 9. 10. *& 11.* Ideoque venerandi ſunt illi Canones, non tamen prætextu libertatis Canonibus Conciliorum Generalium aut Decretis Summorum Pontificum anteponendi ibidem *n.* 12.

Concilia Generalia convocare ex authoritate non pertinet ad Principes ſæculares, *pag.* 224 *cap.* 3. *per totum, & pag.* 601. *nu.* 18. 19. *& 20.* Cur ea olim convocaverint, *pag.* 128. *cap.* 4. *per totum.*

Concilium Generale octavum antiquioribus Canonibus inhæſit, *pag.* 122.

Concilii Conſtantienſis Decreta dubiæ authoritatis, aut de tempore Schiſmatis intelligenda, *pag.* 287. *toto cap.* 15.

Conciliorum Generalium Congregationi obicem ponunt, qui illa Summis Pontificibus præponunt, *pag.* 216. *nu.* 2. *& 3. pag.* 284. *nu.* 8. *& pag.* 295. *n.* 10.

Conciliorum Generalium convocatio fieri debet à Romano Pontifice, quando is certus, & indubitatus eſt, *pag.* 233. *& ſeqq.* uſque ad *pag.* 261. *& pag.* 578. *n.* 21.

Concilia Generalia non præjudicant infallibilitati Papæ, *pag.* 445. *n.* 10. *& ſeqq. pag* 460. *n.* 3. *& pag.* 461. *n.* 6. *& ſeqq.*

Conciliorum Generalium definitionibus qua ratione S. Gregorius ſicut Evangeliis crederet, *pag.* 564. *n.* 21. Et univerſim quomodo ea ſequi debeant Pontifices, *pag.* 565. *n.* 23

Conciliorum Generalium utilitas, &

necessitas, etiamsi Papa in decidendis fidei quæstionibus infallibilis sit, *pag.* 442. *n.* 2. *& seqq. & pag.* 570. *n.* 8 *& seqq.*
Concilium Basileense caret autoritate, *pag.* 296. *nu.* 11. *&* 12.
Concilium Generale in propositione Cleri Gallicani, atque adeò plerumque in hoc tractatu intelligendum est, à quo absit Summus Pontifex, *pag.* 217. *n.* 6.
Concilium Generale quid sit ex sententia Gallorum definiri non potest, aut ejus Congregatio impossibilis, *pag.* 219. *n.* 3. *& seqq. usque ad finem capitis.*
Concilium Hierosolymitanum, de quo actuum 15. cujusmodi fuerit, *pag.* 560. *n.* 15.
Concilium seu Synodus particularis, quomodo se habeat ad Episcopos in Ecclesiarum particularium regimine, *pag.* 550. *n.* 12 *& seqq.*
Concilium Sede Pontificiâ vacante quid possit, *pag.* 295. *n.* 8
Concilium Tridentinum cur ægrè receptum in Gallia, *pag.* 361. *n.* 3
Concilium Tridentinum obligat in Gallia, *pag.* 643. *nu.* 11. *&* 12. & alia Concilia, *ibidem nu.* 13. *&* 14
Consuetudo non est causa, sed signum jurisdictionis, *pag.* 502. *n* 5
Constantinus quo sensu se dicebat Episcopum, *pag.* 581 *n.* 6.
Curati non habent vocem definitivam in Conciliis, *pag* 596. *n.* 6
Curatorum seu Parochorum jurisdictio, licet ordinaria, non est à Deo proximè, *pag.* 531. *nu.* 5. 6 *&* 7. *pag.* 596. *nu.* 6. *&* 7. *& pag.* 599. *nu.* 14. Jure divino est subordinata Episcopali, *pag.* 532. *nu.* 8. Dependet à Papa, *pag.* 533. *nu.* 13. *&* 14.
S. Cyprianus ante contentionem cum S. Stephano Summi Pontificis autoritatem agnovit, *pag.* 405. *n.* 4. *& seqq.* Post ortam contentionem Pontificiam autoritatem nimiùm depressit, *pag.* 407. *n.* 8. *& seqq.*

D.

Definitio est principium omnis cognitionis certæ de qualibet re, *p.* 1. *n* 1
Derogari Decretis Conciliorum Generalium circa fidem neque ab alio Concilio, neque à Papa potest, quod tamen superioritatem non arguit, *pag.* 218. *n.* 7.
Dispensare potest Papa super Canonibus Conciliorum Generalium, *pag.* 218 *n.* 7. *& pag* 576. *n.* 17.

E.

Ecclesia aliquando pro Pastoribus seorsim, aliquando pro ovibus, aliquando pro utrisque simul accipitur, *pag.* 7. *n.* 5
Ecclesia est status Monarchicus, etiam in ordine ad caput visibile, *pag.* 545. *cap.* 2. *per totum.*
Ecclesia etiam repræsentativè sumpta infallibilis, *pag.* 267. *nn.* 1. *&* 2. variè repræsentari potest, *pag.* 268. *n.* 4.
Ecclesia impropriè dicitur suppositum, saltem nisi cùm illa intelligatur Spiritus sanctus, *pag.* 536. *n.* 4
Ecclesia jurisdictionem suam tueri debet, *pag.* 788. *nn.* 11. *&* 12
Ecclesiæ politia quo in sensu dicatur aristocratico regimine temperata, *pag.* 549. *n.* 10. *& seqq. & pag.* 597. *n.* 8.
Ecclesia quo sensu non habeat gladium materialem aut territorium, *pag.* 589. *n.* 1. *& seqq.*

Ecclesia quomodo infallibilis, *pag.* 293. *nn.* 4 & 5.

Ecclesia Gallicana dum pro libertate sua contra Curiam Pontificiam sæcularem potestatem implorat hujus serva evadit, *pag.* 51. *nn.* 6. 8. 9.

Ecclesia Gallicana nomen equivocum est, ideoque fallaciter aliquando usurpatur, *pag.* 7. *n.* 6

Ecclesia Gallicana una dici potest, licet intra se unum caput spirituale non habeat, *pag.* 8. *n.* 7

Ecclesiæ appellantur etiam Congregationes particulares fidelium sub suo capite, *pag.* 7. *n.* 4

Ecclesiæ Definitio, *pag.* 5. *n.* 1. *pag.* 545 *n.* 1. *& seqq. pag.* 556. *n.* 7.

In Ecclesiæ definitione meritò fit mentio ejus Capitis, *pag.* 6. *nn.* 2. & 3.

Ecclesiæ Gallicanæ à B. Petro, vel ab ejus successoribus fundatæ, *pag* 493. *n* 4 & 5.

Ecclesiæ Gallicanæ cum Romana conjunctio magnam Galliæ gloriam peperit, *pag.* 815. *n.* 1

Ecclesiæ Gallicanæ non objiciuntur antiquæ Decretales, *pag.* 28. *n.* 13

Ecclesiæ Gallicanæ tempore Caroli Martelli miserandus status, *pag.* 32. *n.* 1. Ei mederi studet Princeps Carlomannus, annuente Zachariâ Pontifice, *pag.* 32. *n.* 1. & Pippinus, *pag.* 33. *n.* 2. Efficaciùs Carolus Magnus, *Ibidem. n.* 3. & Caroli Magni successores, *Ibidem. n.* 4.

Ecclesiæ nomine Pastores intelliguntur in illis verbis Christi, *die Ecclesiæ*, *pag* 538. *n.* 6. Etiamsi judiciis Episcoporum interfint reliqui fideles, *pag* 539. *n.* 7

Ecclesiarum dignitas non pendet à dignitate Urbium, *pag.* 482. *n.* 5. & *seqq. pag.* 489. *n.* 3.

Ecclesiarum dignitas per Summos Pontifices vindicata, *pag.* 484. *n.* 9. & *seqq. pag.* 528 *nn.* 7. & .

Ecclesiastica dignitas non pendet à Principibus, *pag* 490. *n.* 5

Emerius Episcopus Sanctonensis in exilium crudeliter missus, *pag.* 717. *n.* 4.

Episcopi quomodo à Spiritu Sancto positi ad regendam Ecclesiam Dei, *pag.* 526. *n.* 4.

Episcopi sine plebe an creari possint, *pag* 508. *n.* 1. & *seqq.*

Episcopi ad Tribunalia sæcularia de propriis judiciis respondere coguntur, *pag.* 801. *n.* 14

Episcoporum correctio, præsertim cum depositione, injustè à Principibus usurpata, *pag.* 698. *n.* 7. & *seqq. ad finem capitis.*

Episcopi Gallicani Libertates suas Summo Pontifici libertatem Gallicanarum Ecclesiarum defendenti opponunt, *pag.* 146 *n.* 2. Eorum declaratio nequaquam necessaria, *pag* 147. *nn* 4. 5. An legitima fuit illorum Congregatio, *pag.* 148. *n.* 8. & *seqq.* Non erant Judices competentes materiæ ab ipsis definitæ, *pag.* 150. *n.* 1. & *seqq.* Eorum propositiones vel falsæ, vel longè minùs probabiles, *pag.* 152 *n.* 7. & *seqq.*

Episcopi non possunt Ecclesiis suis præjudicare, *pag.* 490. *n* 7

Epistolæ Decretales antiquiorum Pontificum inter utrumque Hincmarum controversæ, *pag.* 25. *n.* 1. Argumenta falsitatis illarum, *Ibidem. n.* 2. & *seqq. pag.* 574. *n.* 14. Cur & quomodo illas defendentibus obstiterit Nicolaus I. *pag.* 27. *n.* 8. *pag.* 572. *n.* 11. Receptæ in Gallia, *ibidem nn* 9. & *seqq*

Excommunicatio quantùm metuebatur olim in Gallia, *pag.* 629. *n.* 10. & *seqq.*

M. C.
Ad Libertates Eccles. Gallic.
GIII 231

INDEX RERUM

Ab excommunicatione non possunt eximere Judices sæculares, *pag.* 633. *cap.* 4. *per totum.*

Excommunicationem diligendam docebat Lutherus, *pag.* 598. *n.* 13

Exempla qualia esse debeant, ut ex illis jus queat inferri, *pag.* 100. *cap.* 1. *per totum.*

Exemptiones concedi à Papa possunt, *pag.* 323. *n.* 13. *& seqq.*

F.

FEvretus leges Ecclesiasticas Senatusconsultis impugnat, *pag.* 145. *n.* 12. *& pag.* 789, *n.* 1. *& seqq.*

G.

GAllia Regularia Beneficia Gallis non regularibus conferri voluit, non alieniginis, *pag.* 360. *n.* 2

Gallia cum Ecclesiæ decretorum arbitram sese constituit, erroris & schismatis periculo sese committit, *pag.* 43. *n.* 10.

In Gallia Clerici frequentes apud Tribunalia sæcularia, non sine multis incommodis, *pag.* 726. *n.* 6.

In Gallia pluris fieri videtur Regis ad Beneficia nominatio, quàm Papæ institutio, *pag.* 730. *n.* 3. *& seqq.*

Galliæ erga Summum Pontificem reverentia, *pag.* 314. *n.* 1. *& seqq. pag.* 575. *n.* 15. Imminuta, *pag.* 316. *n.* 6. *pag.* 364. *n.* 1. *& seqq.* Ejus infallibilitatem agnovit, *pag.* 417. *n.* 3. *& seqq. præsertim nn.* 12. *&* 13. *necnon cap.* 11. *per totum*, *& pag.* 438. *n.* 3. *& seqq. pag.* 465. *n.* 12. *& seqq.*

Galliæ Reges an autoritatem habeant circa Concilia, & Canones, *pag.* 638. *n.* 4. *& seqq. & pag.* 690. *cap.* 2. *&* 3.

Galliæ Reges Episcopis juramenta præstare soliti, *pag.* 646. *n.* 3

Galliæ Reges & eorum Officiales obnoxios esse Censuris, *pag.* 626. *cap.* 3. *per totum*, *&* 716. *n.* 1. *&* 2.

Galliæ Reges negotia Ecclesiastica non solâ suâ autoritate, sed cum Episcoporum consensu, & tanquam defensores Ecclesiæ tractabant, *pag.* 746. *cap.* 12. *per totum.* Etiam negotia temporalia, *pag.* 749. *n.* 9.

Galliæ Reges Papæ jurisdictionem circa Episcoporum crimina agnoscunt, *pag.* 674. *n.* 8.

Galliæ Reges quo jure condiderint Capitularia circa res Ecclesiasticas, *pag.* 734. *capp.* 10. 11. 12.

Ad Galliæ Reges quo jure pertineat Episcoporum nominatio, *pag.* 731. *n.* 7. *& seqq.*

Galliæ Regibus præjudicat declaratio Cleri Gallicani, *pag.* 819. n. 8. *& seqq.*

Galliæ Scriptores quamplurimi Summi Pontificis autoritati parùm favent, *pag.* 683. Aliqui Regi nimiùm, cum periculo fidei, *pag.* 816. *n.* 3

Gersonius primus ex Theologis Catholicis Summum Pontificem Concilio generali inferiorem, & errori obnoxium esse docuit, *pag.* 131. *n.* 1 Cur plures Sectatores habuerit in Gallia, *pag.* 132. *n.* 3. *pag.* 134. *n.* 1. Quanta sit ejus autoritas, *ibidem n.* 4. Cur sanctæ Sedis juribus parùm faverit, *ibidem n.* 5. A suo zelo longiùs quàm par erat adversùs Summos Pontifices, & Principes politicos abreptus, *pag.* 133. *nn.* 6. & 7. Canonibus derogandum censebat. *ibidem. n.* 8.

S. Gregorius I. cur potuerit legem Mauritii promulgare, non autem Gre-

Gregorius II. Epistolas Leonis Isauri Regibus Occidentis intimare, *pag.* 207. *nn.* 10. & 11.

H.

HÆretici quâ autoritate puniendi, *pag.* 666. utrique Monarchiæ infensi. *pag.* 148. *n.* 7

Hincmarus Remensis Pontificibus, quibuscum illi res fuit, virtutibus inferior, *pag.* 106. *nu.* 2. Ejus artes adversus Clericos ab Ebbone ordinatos, *pag.* 108 *n.* 6. Rothaldum Episcopum Suessionensem infectatur, *pag.* 110. *cap.* 4. *per totum.* Canones dum sibi favent servandos contendit, *pag.* 117. *nu.* 2. *& seqq.* Illos Decretalibus Summorum Pontificum qua ratione anteponeret, *pag.* 118. *nu.* 4. *& seqq.* Canonibus in suum commodum derogari à S. Sede curabat, *pag.* 120. *n.* 7. *& seqq.* Decretorum S. Sedis executionem impediebat, *pag.* 718. *nu.* 5.

Hincmarus Laudunensis procurante Remensi deponitur, *pag.* 114. *n.* 1. restituitur à Joanne VIII. & ei licet Cæco Missam celebrare permittitur, *pag.* 115. *n.* 2.

Honorius I. Papa defenditur, *pag.* 453. *n.* 1. *& seqq.*

I.

INfallibilitas quomodo conveniat Ecclesiæ. *pag.* 552. *cap.* 3. *per totum.*

Innocentii XI. ad repellendos Turcas liberalitas, *pag* 357. *n.* 6. *pag.* 359 *n.* 11. Libertatem Ecclesiarum Gallicanarum defendens impeditus à Cleri Gallicani Episcopis, *pag.* 146. *n.* 7. *pag.* 472. *n.* 1. Quid eis respondere possit, *pag.* 420. *n.* 13

Innocentius III. quomodo timuerit sibi à Concilio Generali, *pag.* 307. *n.* 8. *& seqq.*

Inquisitionis tribunal non satis venerantur Galli, *pag.* 667 *nu.* 8. & 9

Joannes XXII. non declaravit animas nonnisi post judicium finale Deum intuitivè visuras, *pag.* 456. *nu.* 10. & 11.

Judices Ecclesiastici an debeant servare ordinem à Legibus præstitutum, *pag.* 782. *n.* 4. *& seqq.*

Judices sæculares de causis Ecclesiasticis cognoscentes non excusantur ob partium consensum, *pag.* 673. *n.* 6. & *pag.* 806. *n.* 9. Neque ob Concordata, *pag.* 774. *n.* 1

Judicis Ecclesiastici, non sæcularis est, injurias à Clericis illatas reparare, *pag.* 724. *n.* 1. *& seqq.* & *pag.* 782 *num.* 3.

Judices Ecclesiastici suam jurisdictionem tueri possunt, *pag.* 784. *n.* 2. *& seqq.*

Judices Sæculares non possunt ab excommunicatione liberare, *pag.* 633. *cap.* 4. *per totum.* Non possunt legitimè impedire executionem litterarum Apostolicarum, *pag.* 637. *nn.* 2. & 3. Circa indulgentiarum publicationem abusus corrigere non ipsorum, sed Ecclesiæ est, *pag.* 658. *num.* 1.

Judiciarii ordinis partes earumque necessitas, *pag.* 344. *nn.* 8. & 9

Judiciarius ordo quotuplex sit, *pag.* 342. *n.* 1. An & quando prætermitti possit à Summo Pontifice, *pag.* 342. *n.* 2, *& seqq.*

Julius II. defenditur adversus Launoium, *pag.* 456. *n.* 12.

Jurisdictio data discipulis, etiam divisivè, *pag.* 539. *nu.* 8. *& seqq.* Jurisdictio à missione discipulorum di-

distincta, *pag.* 539 *n.* 8
Jurisdictio Ecclesiastica non est data primariò Ecclesiæ, & ministerialiter tantùm Summo Pontifici, *pag.* 535. *cap.* 1. *per totum*, *pag.* 558. *n.* 10. & *seqq.* Licet primariò data sit propter Eccl. siam, tamquam propter finem *pag.* 537. *n.* 5. *pag* 588. *n.* 18.
Jurisdictio Ecclesiastica quid sit, & quomodo à potestate Ordinis differat, *pag.* 473. *cap.* 1. *per totum.*
Jurisdictio Episcoporum ab Apostolis ordinatorum limitata, *pag.* 478. *n.* 4
Jurisdictio Episcoporum est à Christo immediatè, si consideretur absolutè, *pag.* 503. *n.* 3. Non autem ejus propagatio, *pag* 503. *n.* 4. *per totum caput, ac quatuor sequentia.*
Jurisdictio liberiùs confertur, quàm aufertur, *pag.* 527. *n.* 6
Jurisdictio Patriarcharum est à Sede Apostolica, *pag.* 515. *n.* 4
De Jurisdictione contentiones ex consuetudine dirimuntur, *pag.* 499. *cap.* 7. *per totum.*
Jurisdictionem Clericorum Episcopis inferiorum non esse proximè à Deo, *pag.* 530. *n.* 1. & *seqq.*
Jurisdictioni Papæ subordinatæ sunt aliæ, *pag.* 479 *nu.* 5. & *seqq.* *pag.* 515. *n.* 4. & *seqq.* Illius subordinationis signa, *pag.* 486. *nu.* 14. & *seqq.*

L.

LAunoius Papæ autoritati parùm æquus, *pag.* 138. *n.* 1. *pag.* 141. *n.* 9. *pag.* 297. *n.* 1. *pag.* 304 *n.* 1. Ejus autoritatis defensoribus infensus, *pag.* 138. *n.* 2. *pag.* 245. *n.* 5. *pag.* 250. *n.* 10. Perperam interpretatur Decretum Concilii Tridentini de Scripturæ interpretatione, *pag.* 139. *n.* 4. & *pag.* 243. *n.* 1. Adversarios suos bonâ fide non impugnavit, *pag.* 142. *nn.* 10. & 13. *pag.* 245. *n.* 5. *pag.* 247. *n.* 7. Abutitur illa regula, in rebus Theologicis nonnisi Scriptura, & Traditione agendum, *pag.* 139. *nn.* 3. 5. & 6 & *pag.* 373. *n.* 4. & 5. Suam ipse regulam non servat, *pag.* 140. *nn.* 7. & 8. Ridicula est ejus ratiocinatio circa approbationem Concilii Basileensis, *pag.* 141. *n.* 8. Argumentatur à diversis tamquam à contrariis, *pag.* 140. *n.* 7. *pag.* 243. *nu.* 2. *pag.* 373. *n.* 5. & *seqq.*
Legati à Principibus sæcularibus defendi, *pag.* 652. *n.* 5
Legati à S. Sede in Africam missi, *pag.* 653. *n.* 6 & *seqq.*
Legati à S. Sede an Regia facultate indigeant in Gallia, *pag.* 655. *n.* 12. & *seqq.*
Legati litteras Legationis suæ tenentur exhibere, *pag.* 651. *n.* 2
Legati Principum juribus ne officiant: ne tamen eo prætextu illorum mandata circa res spirituales impediantur, *pag.* 651. *nn.* 3. & 4
Leges Ecclesiasticæ majoris autoritatis sunt, quàm politicæ, *pag.* 70. *cap.* 6. *per totum.*
Leges Ecclesiæ à Curiis sæcularibus non receptæ obligant, si justæ sint, & executionem exigat Legislator, *pag.* 88. *cap.* 10. *per totum*, & *pag.* 93. *n.* 4. *pag.* 94. *nu.* 8. & 9.
Leges Ecclesiæ possunt aliquando examinari, antequam recipiantur, dummodo id cum bona fide, reverentiâ debitâ, & intentione sincerâ fiat, *pag.* 61. *n.* 6 & *seqq.*
Ut Lex obliget quæ requirantur, *pag.* 65. *n.* 7. & *seqq.* & *pag.* 574. *n.* 13.
Leges Ecclesiæ quæ ad fidem, & mores pertinent mutari non possunt: quæ ad

ad disciplinam spectant variantur mutatis circumstantiis, *pag.* 60. *nn.* 1. & 3.

In Legibus condendis quid observandum, *pag.* 61. *n.* 4. *pag.* 65. *n.* 8.

Legi cujus dubia est justitia, parendum *pag.* 84. *toto cap. per totum.*

Legum mutatio incommoda, *pag.* 54. *n.* 5. & periculosa, *pag.* 55. *n.* 6. aliquando tamen necessaria, *pag.* 57. *cap.* 2. *per totum.*

Leo IV. an se judicio Imperatoris submiserit, *pag* 786. *nn.* 8. & 9.

Lex injusta non obligat, *pag* 63. *n.* 1. *pag.* 64. *n.* 5.

Liberius Papa defenditur, *pag* 454. *n.* 7. & *seqq.*

Libertas Ecclesiæ Gallicanæ definitur, *exacta juris antiqui observatio, pag.* 10. *n.* 1. & *seqq.* Illa definitio est obscura, *pag.* 13. *n.* 2. & *pag.* 34. *n.* 1. est manca *pag.* 14. *n.* 4. *pag.* 34. *n.* 2. & *seqq.* non convenit suo definito, *ibidem nn.* 5. & 6 & *pag.* 35. *n.* 7. *pag.* 36. *nn.* 8. & 9.

Libertas Ecclesiæ Gallicanæ odiosa, quia ferè non nisi Summo Pontifici opponitur, *pag.* 3. *n.* 2. *pag.* 39. *n.* 6.

Libertas Ecclesiæ Gallicanæ odiosa, quia hoc nomine plurimi abusus insigniuntur, *pag.* 3. *n.* 3

Libertatis Ecclesiæ Gallicanæ natura, species, & fundamenta non satis à Gallis explicata, *pag.* 4. *n.* 6

Libertas Ecclesiæ Ordinem ad Religionem indicat, *pag.* 9. *n.* 9

Libertas Ecclesiastica est immunitas rerum, locorum, & personarum Deo specialiter consecratarum, *pag.* 9. *nn.* 10. & 11.

Libertates Ecclesiæ Gallicanæ congruentiùs definirentur arbitrium ex antiquis Canonibus retinendi, & ex novis admittendi ea, quæ videntur utilia, *pag.* 39. *n.* 7

Libertates Ecclesiæ Gallicanæ in pragmatica sanctione repositæ, *pag.* 50. *num.* 3.

Ad Libertates Ecclesiæ Gallicanæ pertinet jus novum, *pag.* 37. *n.* 1. & *seqq.*

Libertates Ecclesiæ Gallicanæ ad rejiciendos etiam Conciliorum Generalium Canones adhibentur, *pag.* 122. *num.* 1.

Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ abusus, *pag.* 3. *n.* 3. & *pag.* 313. *nn.* 6. & 7. improbatus Episcopis, *pag.* 3. *num.* 4. *pag.* 4. *num.* 5.

Libertatis Ecclesiæ Gallicanæ fundamenta sunt, aut tacitus Romani Pontificis consensus, aut jus non parendi legibus injustis, *pag.* 97. *cap.* 12. *per totum.*

Libertatis nomen olim jucundum, nunc suspectum, *pag.* 3. *n.* 1

Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ origo non repetenda à Concilio Turonensi I. *pag.* 40. *n.* 3. & *seqq.* neque à Concilio Francofordiensi, *pag.* 42. *n.* 7. & *seqq.* neque à pragmatica sanctione S. Ludovici, *pag.* 44. *cap.* 15. *per totum.* Sed à schismate inter Pontifices Romanos, & Avenionenses, *pag.* 49. *n.* 2. Secundùm Richerium ab appellationibus tamquam ab abusu, *pag.* 52. *n.* 10

Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ prætextu plures propria quærunt commoda, *pag.* 750. *cap.* 3. *per totum.*

Libertatum Gallicanarum prætextu Canones violantur, *pag.* 676. *n* 9. & 687. *n.* 9. & 717. *n.* 4. *pag.* 787. *num.* 10.

De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ tractatus à Puteano collecti non in favorem Ecclesiæ sed Regis Christianissimi, *pag.* 142 *n.* 2. Eorum Authores admodum suspecti, *pag.* 143. *num.* 3.

M. C
De Libertatibus Eccles. Gallic.
GIII 231

Libertas Ecclesiæ non est confundenda cum libertate Regni, *pag.* 127. *n.* 2. & *pag.* 313. *n.* 5.
Libri subtiliorem, & audaciorem doctrinam continentes, periculosi, *pag.* 467. *n.* 1.
In Libris prohibendis Sum. Pontificis autoritas, *pag.* 467. *cap.* 18. *per totum.*
Librorum malorum lectio pernicioſa, *pag.* 468. *n.* 4. & 5. & *pag* 471. *n.* 11.

M.

P. De Marca in Tractatu de concordia, Regis Christianissimi multò magis quàm Ecclesiæ causam agit, licet modò in hanc, modò in illam partem sese inflectat, ut utrique satisfeciſſe videatur, *pag.* 143. *n.* 6. & *seqq.* *pag.* 684. & *seqq.* & *pag* 715. *n.* 7. *pag.* 717. *n.* 3. *pag.* 719. *n.* 7. & *pag.* 726. *n.* 5. Reparavit aliquatenus injuriam Ecclesiæ illatam, *pag.* 144. *nn.* 9 & 10.
Marcæ autoritati nimis defertur, *pag.* 143. *n.* 6. & *seqq.* & *pag.* 718. *n.* 12.
Martinus quintus legitimus Pontifex foret, etiamsi Decreta Concilii Constantiensis essent dubiæ autoritatis, *pag.* 288. *n.* 3.
Metropolitana dignitas non semper eidem Sedi affixa, *pag* 351. *n.* 7. Limitata ad certa loca, certos articulos, ac certum procedendi modum, *ibidem n.* 8. Antiqua, non tamen de jure Divino, *pag.* 493. *n.* 3. In Gallia à Papa restaurata, *pag.* 494. *n.* 5. A Papa pendet, *pag.* 497. *n.* 6. & *seqq.*
Metropolitani non possunt extra cursum visitationis in Diœcesibus Suffraganeorum audire Confessiones, aut Confessarios deputare, *pag.* 351. *n.* 5. Non procedunt ex officio, nec ad querelam unius partis, *ibid. n.* 6.
Metropolitanorum potestas ab Ecclesia accepta est, *pag.* 350. *n.* 2. Quamobrem minui, vel augeri potest, *ibidem n.* 3. Non respicit immediatè Suffraganeorum subditos, *ibid. n.* 4.
Missalium & Breviariorum mutatio ad Ecclesiasticos superiores omninò pertinet, *pag.* 668. *n.* 12. & *seqq.*

N.

Nicolaus I. Papa Summa sapientia, & justitia utitur in causa Clericorum ab Ebbone ordinatorum, *pag.* 107. *n.* 5. & *seqq usque ad finem capitis.* Rothaldum Episcopum Suessionensem opera Hincmari Remensis dejectum in sua Sede confirmat, *pag.* 110. *nn.* 1.

O.

Officiales Principum, si Clerici sint, à quibus & quomodo puniri debeant, *pag.* 663. *n.* 1. & *seqq.*
Ordinationes Episcoporum quare Summi Pontifices aliis permiserint, aliquibus non permiserint, *pag.* 494. *n.* 6. *pag.* 496. *n.* 8. & *pag.* 507. *nn.* 13. & 14.
Originis cujuslibet rei investigatio plurimùm juvat ad ejus perfectiorem cognitionem, *pag* 2. *n.* 2.

P.

Pallium jurisdictionis Archiepiscopalis signum, *pag.* 497. *n.* 3. & *seqq.* Cur nonnulli Galli olim se morosos in illo recipiendo exhibuerint, *pag.* 496. *n.* 2.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Papa à nemine judicatur, *pag.* 587. *nn.* 15. 16.
Papa an possit esse simoniacus, *pag.* 597. *n.* 10.
Papa condendarum pro universis Ecclesiæ partibus legum, potestatem habet, *pag.* 92. *cap.* 12. *per totum.* Judicium Metropolitanorum, & Episcoporum sibi potest reservare, *pag.* 112. *n.* 3.
Papa de reditibus Ecclesiasticis potest eligere sibi, & suis officialibus necessaria subsidia, *p* 354. *n.* 7. *& seqq.*
Papa jurisdictionem Episcoporum libenter conservat, *pag.* 528. *nn* 7. & 8. Et ejus interest ut conservet, *pag.* 529. *n.* 10. Debet nihilominus suam defendere, *pag.* 529. *n.* 9.
Papa non est merus executor Canonum, *pag* 585. *n.* 12.
Papa potest exigere subsidia necessaria pro Ecclesiæ defensione contra Infideles, *pag* 356. *cap.* 11. *per totum.*
Papa quomodo repræsentet Ecclesiam, *pag.* 277. *nn.* 1. & 2. Est caput Episcoporum etiam Congregatorum, *pag.* 278. *n.* 3. *pag.* 584. *n.* 11. & *pag.* 586. *nn.* 13. & 14. Necessaria illi autoritas ob difficultatem Congregandorum Conciliorum, & subordinationem Episcoporum etiam in Conciliis, *pag.* 278. *n* 4. *& seqq.* Ejus nomine edita Decreta Conciliorum etiam Generalium, *pag.* 280. *n.* 10. *& seqq & pag.* 564. *n.* 22. Ab ipso non appellatur, sed ad ipsum, *pag.* 282. *à numero* 1 *usque ad* 13. & *pag.* 288. *n* 4 Ejus dignitas, & officia erga Ecclesiam, *pag.* 286. *n* 13. Permanentior quàm Concilium, ideoque penes ipsum autoritas reponenda, *pag.* 292. *nn.* 1. 2. & 3. Quomodo Ecclesiæ fundamentum, *pag.* 294. *nn* 6. & 7. *pag.* 295. *n.* 9. *pag.* 370. *n.* 6. & *pag.* 378. *nn.* 18. & 19.
Papa quo sensu non possit derogare Canonibus, *pag.* 600. *n.* 16.
Papæ certo, & legitimo nunquam tota restitit Ecclesia, *pag.* 573. *n.* 12.
Papæ Episcopi libenter subesse debent, *pag.* 529. *nn.* 11. & 12.
Papæ dispensatio non est temerè damnanda, aut ex privato affectu judicanda, *pag.* 134. *n.* 9.
Papæ infallibilitas probatur, *pag.* 368. *cap* 2. *& reliquis libri* 7. *pag.* 611. *n.* 4. *pag.* 613. *nn.* 7. 8. & 9. & *pag.* 615. *cap.* 10 *per totum.*
Papæ judicium infallibile ante Ecclesiæ assensum, *pag.* 459. *cap.* 17. *per totum.*
Papæ judiciorum autoritas in fidei quæstionibus, *pag.* 459. *n.* 2. & *pag.* 460. *n.* 4. *& seqq.*
Papæ in constituendis Metropolitanis autoritas, *pag* 493. *n.* 2. *& seqq.*
Papæ jura inconcussa, *pag.* 488. *n.* 2. Quo animo à Scriptoribus Gallicanis impugnata *pag.* 135. *nn.* 4 & 5.
Papæ jurisdictio in Ecclesiam Gallicanam, *pag.* 316. *n.* 5. *& seqq. usque ad finem capitis.* Est immediata in omnes Fideles, *pag* 319. *cap* 3 *per totum.* Immediatam esse quantum ad forum internum probatur, *pag.* 325. *cap.* 4. *per totum.*
Papæ licet aliquando non obedire, *pag.* 600. *n.* 17. & *pag.* 720. *n.* 9.
Papæ non subjiciuntur tantùm Ecclesiæ particulares, *pag.* 569. *n.* 7. & *pag.* 575. *n.* 16. *pag.* 578. *n.* 20. & *pag.* 582. *n* 9. Illi omnes Christiani obedire tenentur, *pag.* 598. *n.* 12. & *pag.* 615. *cap.* 10. *per totum.*
Papæ potestas in conferendis beneficiis, *pag.* 362. *nn.* 6. 7. 8. & 10.
Papæ potestas non esset plena, ipseque non esset Christi Vicarius immediatus, si Concilio Generali subjaceret, *pag.* 216. *n.* 4.
Papæ potestatem moderandam non docent

cent Gallicani Pontifices, sed ejus usum, quamvis & ipse à Deo solo modum accipere possit, *pag* 311. *n.* 1. Ejus potestas circa Canones, etiam ex praxi Gallorum, *pag.* 312. *nu.* 2. *& seqq.*

Papæ, præsertim pietate conspicuo, circa propriam autoritatem credendum, *pag.* 428. *n.* 1. *pag.* 588. *n.* 17. *& pag.* 639. *n.* 1.

Papæ quàm Concilii autoritas in sacris litteris clariùs expressa, *pag.* 264. *cap.* 10 *per totum.*

Papæ sententiæ tam in fidei, quam in disciplinæ quæstionibus, cui Sancti pauciſſimi restiterunt, ex totius Ecclesiæ consensu veritas est agnita, *pag.* 463. *n.* 10.

Papam Concilio Generali supponere an pertineat ad libertates Ecclesiæ Gallicanæ, *pag.* 215. *n.* 1. Qui supponunt, Conciliorum celebrationi ponunt obicem, *pag.* 216. *n.* 3.

Ad Papam recurrendum, dum injusta videntur ejus mandata, *pag.* 792. *nn.* 2. 4. *& seqq. & pag.* 813. *n.* 2. *& seq.*

Ad Papam vocantem accedere debent Episcopi, *pag.* 647. *n.* 6. *& seqq.* Et ad ejus Legatum, *pag.* 793. *n.* 3.

Circa Pensiones Ecclesiasticas controversiæ à Judicibus Ecclesiasticis definiendæ, *pag.* 790. *n.* 4.

De Phantastico Galliæ Patriarcha, *pag.* 488. *cap.* 4. *per totum.*

Patriarchatus à B. Petro vel ab ejus Successoribus constituti, *pag.* 481. *n.* 1. *& seqq. & pag.* 491. *nn.* 9. *&* 10.

Pro Petri fide Christus oravit, etiam quantum ad tempus passionem subsequens, *pag.* 566. *nn.* 1. 2. *&* 4. Et pro Petri Successoribus, *pag* 567. *n.* 3.

Petrus cur eo nomine vocatus, *pag.* 371. *nn.* 7. *&* 8. Christi orationis pro eo efficacia, & ad ejus Successores derivatio, *pag.* 372. *n.* 1. *& seqq.* Orationis illius variæ, sed Pontificis autoritati non adversæ interpretationes, *pag.* 373. *n.* 4. *& seqq. usque ad* 17.

B. Petrus Ecclesiam representavit tamquam ejus caput, *pag.* 269. *n.* 5. *& seqq. usque ad finem capitis.* Erat superior aliis Apostolis etiam collectivè, *pag.* 273. *nn.* 1. *&* 2. *& pag.* 276. *n.* 12. Perfectiùs Christum cognovit quàm alii ibidem *n.* 3. *& n.* 11. Deo inspirante locutus, *pag.* 274. *n.* 4. *& pag.* 275. *n.* 8. Illi verè, ac propriè facta promissio de ædificanda super ipsum Ecclesia, & tradendis illi clavibus, *pag.* 274. *nn.* 5. 6. *&* 7. *& pag.* 275. *n.* 9. *& seqq.* Toti Ecclesiæ præpositus, *ibidem n.* 9

Pius II. qua ratione sententiam Concilium Pontifici præponentem antiquam dixerit, *pag.* 310. *n.* 14

Posse aliquid fieri quot modis dicatur, *pag.* 304.

Pontifices quo sensu dixerint se non posse à Canonibus recedere, *pag.* 305. *n.* 3. *& seqq.*

Pœna pro vero, sed non comperto crimine decreta, revocanda, *pag.* 349. *num.* 9.

Pontificia potestas cum Metropolitica confertur, *pag.* 350. *cap.* 9. *per totum.*

Potestas sæcularis non excusatur ob Cleri patientiam, si ei injuriam inferat, *pag.* 727. *nn.* 8. 9. *&* 10.

Potestatis spiritualis, & temporalis distinctio fusè probatur, *pag.* 619. *cap.* 1. *per totum.* Illa distinctio plurimùm juvat ad definiendas controversias inter utramque potestatem, *pag.* 623. *n.* 12. Deprehendi potest in regiminæ Ecclesiæ Gallicanæ, *pag.* 719. *n.* 8. Non semper ita clarè, *pag.* 743. *n.* 9. *& seqq.*

Pragmatica sanctio S. Ludovici suspecta, & saltem quoad articulum 5. qui

qui ad Curiam Romanam pertinet, falsa *pag.* 44. *cap.* 15. *per totum.*

Pragmaticæ sanctionis Caroli VII. editio *pag.* 50. *n.* 3. Abrogatio *ibidem n.* 4. A Senatu, & Universitate studii Parisiensis aliquandiu est propugnata, *ibid. n.* 5.

Prædicatores in suo munere delinquentes ab Ecclesiastica potestate puniendi, *pag.* 667. *n.* 10.

Presbyteri an sint æquales Episcopis ex sententia S. Hieronymi, *pag.* 531. *n.* 4.

Presbyterorum cum Episcopis consensio utilissima, & convenientissima, *pag.* 532. *n.* 9. *& seqq.*

Primates à Papa constituti, *p.* 492. *n.* 1.

Principes Ecclesiam persequentes cur non omnes depositi, *pag.* 209. *nn.* 3. *& 4. & pag.* 212. *n.* 2.

Principes in temporalibus Ecclesiasticæ potestati subesse probatur à *pag.* 170. *usque ad pag.* 215. Ordine notato in Indice Capitum *libri* 5. *& pag.* 582. *n.* 8. *pag.* 589. *cap.* 6 *per totum. pag.* 605. *n.* 5. *& seq. & p.* 610. *nn.* 2. *&* 3.

Quod Principes in temporalibus Ecclesiasticæ potestati subtrahantur non pertinet ad libertatem Ecclesiæ, *pag.* 155. *cap.* 1. *per totum.*

Principes judicia Ecclesiastica debent ad Ecclesiam remittere, *pag.* 701. *cap.* 4. *per totum.* Non debent assignare Judices alienos Episcopis aut Clericis, *pag.* 706. *n.* 2. *& seqq. usque ad* 10.

Principes non eodem modo Episcopis atque Summo Pontifici subjacent, *pag.* 206 *n.* 6.

Principes non possunt dici capita, sed defensores Ecclesiæ, *pag.* 579. *n* 1. *& seqq.* Non possunt licitè impedire quo minus Episcopi ad Concilia accedant, *pag.* 123 *n.* 7. *& seqq.* Non debent judicia Conciliorum suspendere prætextu inversi Ordinis à se præscripti, *pag.* 710. *n.* 10. *& seqq. & pag.* 712. *nn.* 1 *& seqq.*

Principum potestas non est immediatè à Deo, *pag.* 164. *cap.* 4. *per totum.*

Principum potestatem intra proprios limites cohibendi major necessitas, quàm Ecclesiasticam restringendi, *p.* 157. *n.* 9. *& p.* 649. *n* 14. *& seqq.*

Principes non temerè offendendi, *pag.* 158. *n.* 1. *& pag.* 161. *n.* 11. Sed potius eis autoritas concilianda, *pag.* 164. *nn.* 1. *&* 2.

Principes Ecclesiasticæ potestati submittere quantum ad temporalia, non est doctrina odiosa bonis Principibus, sed malis, *pag.* 158. *n.* 2. *& seqq.* Doctrina contraria est injuriosa, & noxia Principibus, *pag.* 159. *n.* 3. *& seqq.* Non est consona verbo Dei, *pag.* 161. *cap.* 3. *per totum.*

Privilegia Regularibus à Summo Pontifice concessa valent, *pag.* 720. *nn.* 9. *& seqq.*

De Privilegio consecrandi Monasterii à Fulcone Andegavorum Comite in Pago Turonico fundati, *pag.* 723. *num.* 13. *&* 14.

Probationum in judiciis necessitas, *pag.* 348. *n.* 7. Quales esse debeant, *ib. n.* 8.

Progressus rerum notandus, quia res non mutatis nominibus sæpè mutantur, *pag.* 2. *n.* 3.

Puteanus in unum volumen redegit omnes tractatus antea scriptos de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, *pag.* 142. *n.* 2. *& pag.* 616. *n* 1. In altero volumine probationes edidit *p.* 143. *n.* 4. *& pag.* 617. *n.* 2. Regis Christianissimi dominium non solum in plura Regna, sed etiam in Ecclesiam videtur voluisse protendere, *pag.* 143. *n.* 5. Et alias jurisdictionem sæcularem in Ecclesiasticæ detrimentum extendere, *pag.* 617. *nn* 3. *&* 4.

Puteanus Regis non Ecclesiæ rationes defendit, *pag.* 624. *nn.* 2. *& seqq.*

M. C
Gall. III
231

INDEX RERUM

R.

Reges Galliæ in 2. Dynastia Conciliis sæpè interfuerunt, *pag.* 126. *num.* 13. In 1. & 3. Dynastia rarius, *ibidem nn.* 12. & 14. Libertatum Ecclesiæ defensores dicti olim non sunt eo quod Sum. Pontificibus restitissent, *pag.* 128. *n.* 4

Regulares privilegia sua tenentur exhibere, *pag* 602. *n.* 21

Regularibus delegatis à Papa confitens satisfacit præcepto Ecclesiæ, *pag.* 599. *n.* 15.

Regularium negotia apud Superiores Ecclesiasticos tractanda, *pag.* 671. *n.* 1. & *seqq.*

Ad Residentiam obligant Canones, & Principes eorum executores, *pag.* 646 *n.* 4. & 5.

Richerii libellus de Ecclesiastica & politica potestate multifariam damnatus, *pag.* 136. *n.* 6. & *seqq. usque ad finem capitis.*

Richerii vindiciæ odium potiùs, quàm autoritatem conciliant declarationi Comitiorum Cleri Gallicani, *pag.* 534 *nn.* 1. & 2. & *pag.* 609. *cap.* 9. *per totum.* Non sumuntur a testimoniis antiquis, *pag.* 594. *n.* 2. & *seqq.*

S.

Schisma quid sit, *pag.* 390. *num.* 2. Ejus inter Romanos & Avenionenses Pontifices origo, ac finis, *pag.* 48. *n.* 1.

Senatus in Gallia non sunt Curiæ mixtæ, *pag.* 808 *nn.* 5. & 6

Siricii ad Anysium epistola non præjudicat infallibilitati, ac superioritati Papæ, *pag.* 297. *cap.* 17. *per totum.*

Sententia Pastorum licet injusta timenda, *pag.* 349. *nn.* 11

Sixtus V. defenditur adversus Launoium, *pag.* 457. *n.* 13. & *seqq.*

S. Stephanus Papa defenditur contra Launoium circa Baptismum ab Hæreticis collatum, *pag.* 448. *n.* 2. & *seqq.*

Subsidia quomodo Summo Pontifici, ac Regi præstanda, *pag.* 676. *cap.* 12. *per totum.* Quantum noceant Principibus, si exigantur indebitè, *pag.* 678. *n.* 8. & *seqq.*

T.

Circa Testamenta Clericorum controversiæ à Judicibus Ecclesiasticis definiendæ, *pag* 789. *n.* 3.

Theologi officium, *pag.* 243. *n.* 3

Translationes in Gallia frequentes, & perniciosæ, *pag.* 361. *n.* 4

V.

Vmbertus Pontificem Concilio præposuit, licet ipsum aliquando deponi posse senserit, *pag.* 309. *nn.* 12. & 13.

Collegii Soc. Jesu
Paderbornæ
1694

ERRATA.

ERRATA.

Pag. 6. lin. 12. *At non*, lege, *At nonne*. p. 8. l. 8. *ordine*, lege, *ordini*. p. 15. l. 2. *ad quem*, lege, *ad quam*. Ibid. num. 3. l. 3. *Et*, lege, *ut*. p. 16 n. 4. l. 4. *illos*, adde *Trullanos*. p. 25. n. 7. l. 6. *Anastasii*, lege, *Athanasii*. p. 28. n. 11. l. 2. *eos*, lege *eas*. n. 13. l. 12. *laudata*, lege, *laudata*. p. 30. n. 7. l. 16. *ejus tempore*, lege, *ante ejus tempora*. p. 32. n. 1. l. 21. *aut*, lege, *hæ*. p. 34. n. 1. l. 9. *an*, lege *Et*. p. 37. l. 11. adde *verbo du Puy (Pierre)*. Ibid. n. 1. l. 9. *definierit*, lege *definierat*. p. 39. n. 7. l. 1. *vocantur*, lege, *vocarentur*. l. 3. *ea*, adde, *tantum*. p. 42. n. 7. l. 5. *primum*, lege, *primò*. p. 44. l. 4. *fuere*, adde, *posteà*. p. 63. n. 1. l. ult. *contrarii*, lege, *contrarium*. p. 65. n. 8. l. 3. *quilquid*, lege, *quid quis*. p. 69. n. 8. l. 10. *factam*, adde, *dumtaxat*. Ibid. n. 9. l. 4. *vidimus in exemplis supra expensis*, lege, *videbimus in exemplis infra referendis*. p. 76. in tit. capitis, *à promulgatione*, lege, *ab acceptatione*. Ibid. l. ult. *ipse*, adde, *Gratianus*. p. 85. n. 3. l. 5. post (*obligationem*, adde virgulam, post (*asserat*) dele duo puncta. p. 89. n. 3. l. 5. *suum*, adde, *Petrum*. p. 93. n. 3. l. 1. *prima*, lege, *primò*. n. 4. l. 1. *vindicat*, lege, *indicat*. p. 101. n. 5. l. 4. *exemplo*, lege, *exempla*. p. 110. *consolescerent*, lege *insolescerent*. p. 112. *quintum*, lege. *tertium*. p. 116. *Prælatoria*, lege, *prædatoria*. p. 117. n. 2. l. 9. *Ebbone*, lege, *Ebboni*. p. 148. n. 7. l. 13. *Ne*, lege, *Næ*. p. 150. n. 12. l. 6. post (*secularem*) adde punctum interrogans? p. 160. n. 7. l. 13. *secuti*, adne, *non*. p. 161. n. 10. l. 5. *in fideles*, lege, *infideles*. p. 193. n. 6. l. 1. *Anfrerius*, lege, *Aufrerius*. p. 197. n. 5. l. 10. *Nanguis*, lege, *Nangius*. p. 220. l. 11. *præsentisset*, lege, *præsensisset*. Ibid. n. 10. l. 8. *severitati*, lege, *securitati*. p. 235. l. 4. *profectus est*, lege, *præfectus est*. p. 241. l. 20. *si inter se*, omitte. *si*. p. 244. *verè*, lege, *vera*. p. 245. n. 5. l. 4. *à Constantino*, lege, *à Pontifice Romano*. p. 246. l. 19. *titulus est*, adde, CVIVS SIT CONGREGARE CONCILIA, 13. *verò*. p. 247. n. 7. l. 22. post (*scilicet*) sic lege, *Consilium à Sacerdotibus, mandatum à Constantino*. p. 248. l. 31. *convocatum*, adde, *concludere, ab ipso dumtaxat fuisse convocatum*. p. 255. l. 4. *requisiti*, lege, *requisisti*. p. 258. n. 16. l. 12. post (*agebatur*) adde punctum. p. 281. *Dupleix*, lege, *Dutaix*. p. 282. l. ult. *te*, lege, *se*. p. 284. n. 7. l. 3. *provocare*, lege, *provocari*. p. 294. l. 12. *gaudent*, lege, *gaudet*. l. 4. *dicendi*, lege, *docendi*. p. 320. *opinionis*, lege, *erroris*. p. 326. n. 2. l. 6. *se*, lege, *sibi*. l. 10. dele, *præterquam quod*. p. 327. n. 5. l. 4. *sua*, lege, *tua*. l. 9. *incitando*, lege, *imitando*. p. 328. n. 7. l. 7. *sit*, adde, *Episcopus, ita nec Parochi, nec Episcopi jurisdictionem obstare, quin Parochiæ ac Diœcesis proprius & immediatus Pastor sit*. l. 16. *quos*, adde, *etiam magis*, p. 347. n. 5. l. 3. *feratur*, lege, *feratur*. p. 358. l. 6. *depromendos*, lege, *promovendos*. p. 363. n. 10. l. 6. *jura*, lege, *Beneficia*. p. 367. l. 16. *illam Papæ sententiam*, lege, *illa Papæ sententia*. p. 371. l. 7. *audit*, lege, *audiat*. p. 372. l. ult. *Romanos*, adde, *Episcopos*. p. 382. n. 5. l. 1. *in art.* 2. lege, *in act.* 2. p. 383. l. 4. *vocatum*, lege, *deputatum*. p. 386. n. 2. l. 4. *in qua*, lege, *in qua*. p. 388. n. 8. l. 5. *& symbolum*, lege *ut symbolum*. n. 10. l. 5. *quod*, lege, *quos*. p. 399. l. 13. *Ecclesiæ firmitate*, lege, *Petri firmitate*. p. 408. n. 10. l. 16. *deleri*, lege *deseri*, p. 414. l. 35. *ea*, lege, *ex*. p. 415. n. 12. l. 10. *Concilia*, lege, *consilia*. p. 417. n. 3. l. 4. *Gerbergæ*, *Tetbergæ*. p. 423. l. 8. *paret*, lege, *pareret*. p. 427. l. 4. *ponderis*, adde *apud modernos Gallos*. p. 431. l. ult. *quomodo*, lege *quando*. p. 432. n. 8. l. 5. *herbis*, lege, *verbis*. l. 21. *ante* (scilicet) lege, *successores*. p. 433. l. 1. *non*, lege, *nos*. p. 444. n. 9. l. 1. *quia*, lege, *qui*. p. 466. *consultant*, lege, *consulant*. p. 468. l. 8. *deplorant*, lege *deperunt*. p. 470. n. 10. l. 13. *reperire*, adde, *non*. p. 472. n. 2. l. 1. *hujus*, lege, *his*. p. 478. l. 5. post. (*posteris*) loco puncti, pone virgulam. p. 479. n. 6. l. 3. dele, *per*. p. 492. n. 11. l. 5.

pro-

propria, lege, *propria*. l. 8. *audet*, lege, *audeat*. p. 493. n. 2. l. 9. *Carolioci*, lege, *Caroli loci*. p. 494. l. ult. *revocavit*, lege, *temperavit*. p. 496. n. 1. l. 2. *signum*, adde, *ordinarium*. p. 497. n. 3. l. 6. *Magnus*. adde, *epist*. 7. & 8. *lib*. 4. & *epist*. 15. *lib*. 12. *Honorius I. epist*. 5. & 6. & dele, *cujus verba supra retulimus*. p. 503. l. 7. *ab ea*, lege, *ab ejus*. p. 509. n. 3. l. 7. *abhorrent*, lege, *abhorret*. p. 510. n. 5. l. 1. *seu*. lege, *ceu*. p. 514. l. 2. *sunt*, adde, *sed ab ejus Vicariis*. p. 523. l. 15. *Ephesina*, adde, *secundum aliquos*. p. 524. l. 19. *atque*, lege, *aut*. p. 527. l. 4. *Petro*, adde *principaliter*. l. 17. hæc verba (*apud Sedem Apostolicam Romanæ Ecclesiæ*.) legenda sine puncto distinguente. p. 530. l. 1. *rationem cum eis*, lege *rationem pro eis*. p. 531. l. 4. *Arrianæ*, lege *Aëtianæ*. p. 538. *Judicii*, lege, *Judicu*. p. 543. n. 13. l. 19. *designasse*, adde, *aliquas*, *sed assignasse*. p. 561. *quos*, lege, *quas*. p. 562. n. 17. l. 5. *Pontifici*, lege, *Pontifice*. p. 563. l. 1. *exortum*, lege, *extortum*. p. 564. l. 14. *Arelatenſis*, lege, *Arelatenſi*. p. 567. l. 5. *hunc*, lege, *nunc*, p. 568. n. 4. l. 8. *impoſito*, lege, *impoſiti*. l. 11. ἀποσφίψας, lege, ἀπορρίψας. p. 573. l. 8. &, lege, *ex*. Ibid. n. 12. l. 8. *tanto*, lege, *tanta*. p. 574. poſt (*ipſis*) adde punctum. p. 578. n. 21. l. ult. *adeo*, adde, *eum*. p. 581. n. 6. l. 9. ὕβω, lege, ἴσω. p. 587. n. 15. l. 7. *prætermittenda*, lege. *præmittenda*. p. 589. n. 1. l. 18. *quæſtio eſt*, adde, *an territorium habeat Eccleſia*. pag. 592. n. 6. l. 1. *Launoius*, lege, *Richerius*. p. 595. n. 5. l. 15. *pollicitationibus*, lege, *ſollicitationibus*. p. 604. n. 3. l. 11. *ibi*, lege, *ſibi*. p. 606. n. 6. l. 12. *Pontifices*, luge, *Principes*. l. 26. *deberet*, lege, *debere*. p. 610. n. 2. l 3. *alia*, lege, *alii*. p. 613. n. 7. l. 4. *inconcuſſas*, lege, *inconcuſſo*. p. 617. n. 2. l. 5. *probationes*, adde, *in iſtud*. p. 619. n. 1. l. 6. poſt (*abſorbeat*) tollenda virgula. poſt (*altera*) addenda virgula. p. 620. n. 4. l. ult. *Tolemaidis*, lege. *Ptolemaidis*. p. 623. l. 3. *Valentianum*, lege, *Valentinianum*. Ibid. n. 3. l. 3. *gregem*, lege, *Regem*. p. 625. n. 3. l. 8. *mirabile*, lege, *mirabili*. p. 629. n. 10. l. 15. *tantum*, lege, *tandem*. p. 639. l. 7 *juſſione*, lege, *juſſionem*. p. 648. l. 5. *qui à*, lege, *quia*. p. 654. n. 9. l. 7. *cæteros*, lege, *cæteris*. p. 662. n. 12. l. 5. poſt (*declaret*) tollendæ duæ virgulæ à margine. p. 669. n. 15. l. 7. *materias*. lege, *materia*. p. 674. l. penult. poſt (*proditione*) tollatur virgula. p. 680. l. 9. *ut & Galli*. lege, *aut ut Galli*. p. 682. n. 18. l. ult. *ſentiant*, lege, *ſentiunt*. n. 19. l. 3. poſt (*Capitularibus*) ſic lege, *lib*. 7. *qui eſt* 3. *Benedicti Levitæ cap*. 132. p. 686. n. 8. l. 5. *conetur*, adde, *fere*. p. 692. l. 17. adde, *at, ut puto, non propter negligentiam, ſed propter Curiæ mutationem*. p. 697. n. 7. l. 10. *cæteros*, lege, *cæteris*. p. 702. *Anaſtarii*, lege, *Anaſtaſii*, p. 705. l. 11. *Rei*, lege, *rei*. p. 709. n. 7. l. 26. *retrudatur*, lege, *retundatur*. p. 717. n. 3. l. 7. *autem*, adde, *res confirmatur*. p. 720. l. penult. *Cluniacenſes*, adde *veris*. p. 729. l. antepen. *ſit*, lege, *fieri videtur*. p. 730. l. 5. *Toloſanum*, adde, *modernum*. l. ult. 4. adde ante finem. p. 731. l. 3. *tua*, lege, *ſua*. Ibid. n. 7. l. 4. *fere*, lege, *fore*. p. 744. l. 9. *Germanico*, lege, *Germanicæ*. p. 759. delendæ virgulæ in margine duarum ultimarum linearum. p. 764. n. 4. l. 5. poſt (*Magni*) dele (*Theodoſii II*.) l. 6. *III*, lege, *I*. p. 772. n. 5. l. 11. *frui*, adde, *non*. p. 780. in tit. & n. 1. l. 1. *c*. 2. lege, *c*. 20. p. 781. l. ult. *Auguſti illius cœtus*, lege, *Auguſtorum illorum cœtuum*. p. 794. n. 6. l. 3. *conſecutura*, lege, *conſecuturæ*. p. 795. n. 9. l. 28. *jam*, lege, *tam*. p. 798. l. 5. *Bulus*, lege, *Dulus*. p. 801. n. 14. l. 7. *Epiſcopis*, lege, *Epiſcopalis*. p. 818. n. 6. l. 11. *aliis*, lege, *iis*. p. 820. n. 13. l. 5. *Paſcha*. lege, *Paſchale*.

Cætera, licet nonnulla Grammaticæ Leges violare videantur conſultò prætermiſimus, quia, cùm facillimè deprehendantur, legentes non remorabuntur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

N. C

Ad
Libertatis
Eccles. illustr.

GIII
23

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. C

Bibliothek
Erzb. Collegium
GIII
231

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

N. C

De
Libertate
Eccles. Gallic.

GIII
231



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. C

GIII
231


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
4740


M. C
De
Libertatib9
Eccle: Gallicanæ
GIII
231